R. P. VINCENTII

HOUDRY

E SOCIETATE JESU

BIBLIOTHECA

CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS:

Inſuper Cæremonias, Conſuetudines, Ritus, & Eccleſiæ Placita,


e Gallico ſermone in Latinum translata.

TOMUS QUINTUS,

IN QUO CONTINENTUR

CÆREMONIÆ, CONSUETUDINES, RITUS ET ECCLESIÆ PLACITA,

EDITIO NOVISSIMA.



VENETIIS, MDCCLXXII.

Ex Typographia Balleoniana.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QUintum hoc Bibliothecæ noſtræ Theologicæ Volumen; cui Titulus eſt *de Cæremoniis Eccleſiæ*, Particularis Tractatus eſt; quamvis plura argumenta, ex quibus coaleſcit, jam pertractata fuerint variis in partibus Operis univerſi. Etenim præterquam quod ſedulo navavimus operam, ne ſemel dicta iterum recoqueremus, nobiſmet eos cancellos præſtituimus, ut hic verba duntaxat faceremus de ſola praxi Cæremoniarum ad ſingula pertinentium argumenta, inſtituentes in iis morales quaſdam conſiderationes, quibus Fideles non erudirentur ſolum, verum etiam excitarentur ad hauriendum fructum, quem Paſtor, vel Concionator juxta conſilium noſtrum ſemper ſibi proponere debent. Hæc autem coarctatio efficit, ut argumentum, quod ceteroquin generatim duntaxat pertractandum fuiſſet, colligendo quidquid varii Auctores de illo ſcripſerunt, nequaquam ſit idem, ac illud in quo immoramur, modum conſiderantes, quo Myſterium, vel Apoſtolica Traditio obſervatur, vel quo ſervanda eſt in ſpiritu, & ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem, ad quam noſmet coarctavimus. Non ideo tamen parum late patet Tractatus iſte propter multitudinem argumentorum, ac rituum, quorum uſus diverſus eſt in Eccleſia, & de quibus ſingillatim verba faciemus; qui non minimus labor eſt, & ex quo non mediocris hauritur utilitas. Profecto, veris Fidelibus perſuaſum eſſe debet, nihil accommodatius eſſe poſſe ad immittendam majorem reverentiam Religionis noſtræ, altioremque adſtruendum Myſteriorum ejus conceptum, & gignendam in corde fidelium teneram, veramque pietatem, Majeſtate, pompa, Sanctitate, varietate, ac numero Cæremoniarum in Eccleſia inſtitutarum ex veteri Traditione, cujus latet origo; & quæ proinde ſecundum S. Auguſtini placitum Apoſtolis accepta referenda eſt. Ineſt illis gravitas, & magnitudo quædam, quæ maxime decet Originis Nobilitatem, & ejuſdem Eccleſiæ Sanctitatem: quod confundit fallacem ſimplicitatem, quam noviſſimorum horum temporum adfectant Hæretici in Templis ſuis per ſpiritum erroris, & contradictionis, dum vice verſa cæremoniæ noſtræ repleant animas ſancta formidine, & unctione prorſus ſpirituali.

Non ideo tamen aſſerere audemus ſingulas cæremonias, ſingularemque earum obſervandarum rationem immediate profectam ab Apoſtolis eſſe, & ab illis Eccleſiæ relictam per conſtantem, & non interpolatam Traditionem; complures enim ab eadem Eccleſia inſtitutæ ſunt, & variæ ſecundum locos, tempora, neceſſitates, aliaſque circumſtantias, quibus ſe accommodare viſum fuit, quia Religio omnino ſubſiſtere poteſt ſine his circumſtantiis ſingillatim, & preſſius acceptis; Sacramentum enim Euchariſtiæ fidelibus ad tempus diſtributum aliquando fuit ſub utraque panis, & vini ſpecie, aliquando vero Eccleſia calicem fidelibus vulgo ſubtraxit ob cauſſas, quas hujus loci non eſt ad examen revocare.

Neque inficias ibimus alias, licet antiquiſſimas cæremonias, quæ nullatenus ad Myſteriorum, Religioniſque noſtræ rem pertinebant ſola

Eccleſiæ Romanæ auctoritate fuiſſe immutatas. Sed auctoritas, quam his in rebus habet illa, innititur teſtimonio primorum Conciliorum, Sanctorum Patrum, ac tandem plurium ſæculorum conſuetudini, veluti in feſtis diebus ſollemnioribus, in precibus pro Defunctis, in Reliquiarum translatione, & Imaginum cultu, quod in hujus Tractatus decurſu videbimus. Præterea Lectorem monitum volumus nos ſub generali titulo Cæremoniarum Eccleſiaſticarum complexos fuiſſe, conſuetudines, ritus, aliaſque praxes, & rationes celebrandi quædam Myſteria, quæ majori cum pompa quam olim colebantur; immo etiam particulares nonnullorum fidelium devotiones, puta Supplicationes, Peregrinationes; verbo, quidquid Eccleſia probat, ſuadet, obſervat; quæ omnia credidimus quidem cæremoniarum nomine nuncupanda, quin tamen cenſeamus de ſingulis fuſius nobis agendum eſſe, quamvis nulla ex illis vacet Myſterio. Verum cum non omnia poſſint integro ſermoni ſatis uberem ſuppeditare dicendi copiam, Paſtoribus, atque Catechiſtis relinquimus quaſdam explicationes, quæ doctrinam familiarem eſflagitant; quamobrem iis tantum immorabimur, quæ aptiores ad ciendos ſublimiores Religionis noſtræ ſenſus videbuntur.

Quod pertinet ad rationem pertractandi perutilia hæc argumenta, hoc fieri poteſt vel more Controverſiſtarum contra inimicos Eccleſiæ, qui illam ſuperſtitionis nomine inſimulant; ideoque eorum oſtendetur uſus, & antiquitas, vel more Concionatoris Theologi probantis eorum neceſſitatem, utilitatem, ac dignitatem ad ciendam populorum venerationem; vel denique more Catechiſtæ populum familiari ſermone erudientis: qui triplex eſt modus, quo quilibet uti poteſt juxta profeſſionem, officium, zelumque ſuum ad majorem Eccleſiæ Dei gloriam atque utilitatem.

Operæ prætium me facturum cenſui, ſi vos admonerem, in ea ratione, qua hoc argumentum proſecutus ſum, non aliam mihi legem præſcripſiſſe, quam proferendi deinceps rerum ſupellectilem, & laceros ſermonis artus, ac membra, prout mihi occurrerunt legenti ea apud Auctores; in id unum me profiteor incubuiſſe, ut in neceſſaria repetitione ſententiarum, quibus Auctores uſi ſunt, ea deligere, quæ alio verborum circuitu, aliiſque dicendi coloribus, ac modis eſſent expreſſa; quin me ſubjicerem me methodo illi, quam ſecutus ſum in Morali Bibliotheca, ſingula ad varios Paragraphos redigendi; quippe arbitratus ſum fore ut legentibus marginales notas facile occurſurum quidquid opus fuerit in ſingulis argumentis, quamvis nullus Index, vel nulla ipſis Tabula proponatur.

TABU-

TABULA ARGUMENTORUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

De Eccleſia generatim.	Pag. 7.
De viſibili Eccleſiæ Capite.	17
De Sancta Scriptura.	23
De Traditionibus.	30
De Symbolo Apoſtolorum.	36
De Excommunicatione.	41
De Cenſura, & pravorum Librorum proſcriptione.	44
De Verbo Dei generatim.	48
De Catechiſmo, vel rudibus erudiendis.	53
De Precibus Publicis.	56
De Oratione Dominica.	60
De Angelica Salutatione.	65
De Cæremoniis Miſſæ, & Euchariſtici Sacrificii.	69
De Templorum Dedicatione.	75
De Indulgentiis, & Jubilæo.	82
De Imaginum Cultu.	87
De Sacramentis in genere.	93
De Baptiſmo.	96
De Sacramento Confirmationis.	104
De Sacramento Pœnitentiæ, & Confeſſione Sacramentali.	109
De Sacramento Ordinis, Sacerdotio &c.	119
De Unctionis extremæ Sacramento.	127
De Cultu Sanctorum.	132
De Cultu Beatiſſimæ Virginis.	133
De Cultu Angelorum.	134
De Sanctorum Reliquiis.	135
De Cultu Crucis.	144
De Precibus pro Defunctis.	150
De Dominicorum, Feſtorumque dierum obſervantia.	158
De Quadrageſimali Jejunio.	166

De Cinerum Cæremonia. 175
De Cereis. 176
De Thurificationibus. 178
De Supplicationibus. 179
De Aqua benedicta. 180
De Ramis Palmarum, & Olivarum. 181

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ
CONCIONATORUM THEOLOGICÆ
TOMUS QUINTUS,
Continens
CÆREMONIAS, CONSUETUDINES, RITUS, ET ECCLESIÆ PLACITA.

DE ECCLESIA GENERATIM.
MONITUM.

ANTEQUAM verba faciamus de cæremoniis, ritibus, conſuetudinibus, praxi, & Eccleſiæ Catholicæ præceptis, operæ pretium me facturum arbitror, ſi generalem eradidero ideam ejuſdem Eccleſiæ, ubi cæremoniæ palam fiunt, non ſine congruo apparatu. Profecto locuti ſumus in prima Bibliotheca noſtræ parte de iis omnibus quæ pertinent ad Eccleſiaſticos, qui nobiliorem illius partem conſtituunt, ejuſque ſunt membra præcipua: ſed quin hoc in loco repetamus, quæ jam a nobis dicta ſunt de moribus, cæremoniis, aliiſque omnibus, quæ in uſu poſita videmus, de Eccleſia non loquemur, niſi quatenus Supplementi hujus poſtulat Inſtitutum; videlicet de modo, quo ſe ipſam regit, quomodo conferat Sacramenta, quomodo celebret dies feſtos Myſteriorum, atque Sanctorum; & demum quomodo aliis fungatur miniſteriis, quæ uſum obtinent in Eccleſia Catholica, quorum exercendorum ratio prorſus differe a ratione aliarum Societatum, quæ ſibi Eccleſiæ nomen vindicarunt; quæ in re illud ſibi etiam jus uſurparunt reformandi veram, & ſolam Catholicam, a qua per apertum ſchiſma receſſerunt.

DE ECCLESIA GENERATIM.

Eccleſiæ definitio.

ECCLESIA eſt ſocietas hominum per profeſſionem unius Fidei, & per communionem eorumdem Sacramentorum conjuncta ſub regimine legitimorum Paſtorum, & præſertim Summi Pontificis, qui eſt JESU CHRISTI Vicarius, & viſibile Caput univerſalis Eccleſiæ. Chriſtiani omnes fatentur veram JESU CHRISTI Eccleſiam eſſe Regnum hoc prorſus Spirituale, ad quod inſtruendum venit in Mundum; quod tamen, ut ipſe teſtatus eſt, non eſt de hoc Mundo; non enim eſt niſi ad procurandam æternam felicitatem alium omnino ab illa, quæ in hac terra poſſit haberi. Hæretici, & Shiſmatici ſæpe arma ſtrinxerunt *contra Dominum, & contra CHRISTUM ejus*, ut præclarum hoc Regnum everterent, & ſuper illius ruderibus peculiares Eccleſias ſuas ædificarent, ſingulis aſſerentibus ſuam eſſe Domini Eccleſiam: quamvis omnes ſimul non aliud ſint quam Sathanæ Synagoga, & Regnum illius, qui in Evangelio Princeps Mundi hujus vocatur. Ceterum ſæpe etiam uſuvenit ut inter Catholicos, qui ſoli ſunt in Eccleſia vera, ſuboriantur quædam contentiones, quæ illius pacem, atque tranquillitatem perturbare valent. Ut igitur ſemper vigeat in eo florenti ſtatu, in quo illam JESUS CHRISTUS conſtituit, pugnandum eſt cum inimicis, qui illam oppugnant, & auferendæ rixæ, quæ ſuboriuntur inter filios Eccleſiæ in iis, quæ ultro, citroque nimio cum calore pertractantur, & quæ tandem officere poſſent paci, & quieti Regni hujus Filii Dei.

Eccleſia eſt ſocieta Fidelium

Ad auferendas has omnes controverſias, quæ in Eccleſia ſuboriri poſſent, ee adhuc integra præſupponendum eſt, ſecundum Catholicum dogma, Eccleſiam univerſalem, quæ ſemper eſſe debet viſibilis, ac ſemper permanere ſine ulla intermiſſione uſque ad conſummationem ſæculorum, eſſe ſocietatem omnium Fidelium in Mundo diffuſorum, conjunctorum per veræ fidei profeſſionem, per verorum Sacramentorum communionem, per legis ejuſdem vinculum, & ſub eodem viſibili Capite, Summo videlicet Pontifice, JESU CHRISTI Vicario. Addo ſub eodem capite; Eccleſia enim, cujus prima, & præcipua proprietas eſt, eſſe unam perfecte, eſt myſticum JESU CHRISTI Corpus; & opus eſt, ut corporis viventia membra ad recipiendos vitæ influxus, ſuo capiti adhæreant. Hinc fit, ex S. Auguſtini ſententia, quamvis cetera adeſſent, ſi quis a Capite diviſus eſt, hoc eſt a Papa; ideoque a corpore, quod illi conjunctum eſt; hunc eſſe extra Catholicam Eccleſiam per ſchiſma, quemadmodum Hæretici ab illo divulſi ſint per veræ fidei defectum. *Idem.*

ſub uno capite congregatorũ.

De ſubordinatione membrorum Eccleſiæ.

Non omnia corporis membra eoſdem actus habent; ſed cum partes omnes componentes illa ſint invicem ſubordinatæ, aliæ quidem aliis motum tribuunt per ſpiritus, quos quocumque effundunt; aliæ vero inſerviunt ad alimoniam diſtribuendam, quam aliæ recipiunt, ut creſcant, & in ſtatus ſui perfectione ſubſiſtant. Ita in magno hoc Fidelium numero, qui componunt Eccleſiam, & qui non omnes immediate, regi, doceri, perficique ab uno tantum poſſunt; opus eſt in ædificatione Corporis JESU CHRISTI, ut loquitur Apoſtolus, magnam eſſe miniſtrorum varietatem, & plures Paſtores ſibi invicem ſubordinatos in Sancta Hierarchia, ut adminiſtrare valeant populis Sacramenta, eoſque erudire, &

gubernare. Cum univerſalis Eccleſia ſit compoſitum quoddam ex omnibus fidelibus, omnibuſque particularibus Eccleſiis, quæ unam tantum conſtituunt per communionem quam habent cum Eccleſia Principe, quæ origo eſt principium, radix, & centrum unitatis, uti loquitur S. Cyprianus, ita juxta doctrinam Patris ejuſdem, unus tantum eſt in Eccleſia Epiſcopatus, cujus partem ſinguli Epiſcopi poſſident in ſolidum; Ideoque unam tantum habet Cathedram, in qua omnes ſedent Epiſcopi per unionem, quam habent cum illo, quem colere debent tamquam caput ſuum. Ita ut in pluralitate Eccleſiarum omnium Orthodoxarum, quæ in tota Chriſtiana Religione inveniuntur, unicum ſit Sacerdotium, videlicet unus Epiſcopatus per unitatem non fidei ſolum, verum etiam communionis omnium Epiſcoporum cum Capite, ex quo exiſtit hæc unitas ab JESU CHRISTI Eccleſia inſeparabilis. Hoc poſito, de quo omnes conſentiunt Theologi, certum eſt, JESUM CHRISTUM inſtituiſſe Eccleſiam, quam acquiſivit Sanguine ſuo, & cui dedit fidem, Sacramenta, legem gratiæ in Evangelio ſuo, & Caput, qui palam teneat locum ſuum, quatenus ejuſdem Vicarius ſuper terram. Verum cum illa a modicis profecta initiis eo uſque creverit, ut ſeſe effuderit in univerſam terram ſecundum Prophetarum Oracula; Apoſtoli ipſi, eorumque ſucceſſores poſt JESU CHRISTI Aſcenſionem fundarunt particulares Eccleſias, illas inſtituentes per ſe, vel ordinantes Epiſcopos, a quibus Fideles in varias diœceſes diſtributi in omnibus Mundi partibus regerentur. *Auctor recens.*

Romana Eccleſia omnium eſt præclariſſima, & Eccleſia vera.

Cum Eccleſia Romana, quæ poſt aliquot annos ab Aſcenſione CHRISTI JESU inſtituta fuit in urbe Imperii totius principe, ſit procul dubio omnium præſtantiſſima, cujus magnitudinem, atque lucem cum hæretici æquo animo ferre non poſſent, ſemper contra illam inſurrexerunt, ut eamdem everterent, cum interea Catholici omnes, agnoſcentes vera bona, propter quæ inter ceteras eluceſcit, non omnino conſentiant de quibuſdam prærogativis, quas alii quidem illi tribuunt, alii vero negant; oſtendi poteſt, quin de aliis loquamur Eccleſiis, quænam prima fuerit Romanæ inſtitutio; quæ excellens illius dignitas, quæ jura, prærogativæ, & Epiſcoporum privilegia, quod duobus perſpicuis probari poteſt argumentis, quæ ſunt facta ex Scripturis deprompta ſecundum interpretationem Patrum, & Conciliorum, atque ex veteri hauſta Traditione; quæ duo ſunt veræ Theologiæ principia. *Idem.*

Eccleſia duabus partibus conſtat.

Explicatis variis Eccleſiæ nominibus, *neceſſe erit ſingulas Eccleſiæ partes enumerare, earumque differentiae docere, quo magis Deo dilectæ Eccleſiæ naturam, proprietates, dona, & gratias populus perſpiciat, & ob eam cauſſam ſanctiſſimum Dei numen laudare nunquam intermittat. Eccleſiæ autem duæ potiſſimum ſunt partes, quarum altera Triumphans, altera Militans vocatur. Triumphans eſt cœtus ille clariſſimus, & feliciſſimus beatorum Spirituum, & eorum, qui de Mundo, de carne, & iniquiſſimo dæmone triumpharunt, & ab hujus vitæ moleſtiis liberi, ac tuti, æterna beatitudine perfruuntur. Militans vero Eccleſia eſt cœtus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt: quæ ideo Militans vocatur, quod illi cum immaniſſimis hoſtibus, mundo, carne, ſatbana perpetuum ſit bellum. Neque idcirco tamen duas eſſe Eccleſias cenſendum eſt: ſed ejuſdem Eccleſiæ, ut antea diximus, partes duæ ſunt, quarum una anteceſſit, & cœleſti patria jam potitur: altera in dies ſequitur, donec aliquando cum Salvatore noſtro conjuncta in ſempiterna felicitate conquieſcat.* Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Eccleſia militans compoſita ex bonis, & malis.

Jam in Eccleſia militanti duo ſunt hominum genera, bonorum, & improborum: & improbi quidem eorumdem Sacramentorum participes eamdem quoque, quam boni fidem profitentur, vita, & moribus diſſimiles: boni vero in Eccleſia dicuntur ii, qui non ſolum fidei profeſſione, & communione Sacramentorum, ſed etiam ſpiritu

2. ad Timoth. *gratia, & caritatis vinculo inter ſe conjuncti, & colligati ſunt: de quibus dicitur: Cognovit Dominus, qui ſunt ejus. Poſſunt vero etiam homines aliquibus conjecturis opinari, quinam ſint, qui ad hunc piorum hominum numerum pertineant, certo autem ſcire minime poſſunt. Quare exiſtimandum non eſt,* CHRISTUM *Salva-*

Matth. 18. *torem de hac Eccleſia parte locutum eſſe, cum ad Eccleſiam nos remiſit, eique, ut pareamus, præcepit: nam cum illa ſit incognita, cui certum eſſe poterit, ad cujus judicium confugiendum, & cujus auctoritati obtemperandum ſit? Bonos igitur, & improbos Eccleſia complectitur, quemadmodum & divinæ litteræ, & Sanctorum virorum ſcripta teſtantur: In quam ſententiam ſcriptum eſt il-*

Ad Epheſ. 4. *lud Apoſtoli:* Unum Corpus, & unus Spiritus. *Idem.*

Eccleſia pluribus parabolis deſignata.

Hæc autem Eccleſia nota eſt, urbique ſupra montem ſita comparata, quæ undique conſpicitur. Nam cum illi ab omnibus parendum ſit, cognoſcatur neceſſe eſt. Neque bonos tantum, ſed malos etiam complectitur, ut multis

Matth. 13. *parabolis Evangelium docet, veluti cum Regnum cœlorum, id eſt Militantem Eccleſiam ſimile eſſe ſagenæ in*

Matth. 3. *mare miſſæ commemorat, vel agro, in quo zizania ſuperſeminata ſunt; vel area, in qua frumentum cum*

Luc. 3. *paleis continetur, vel decem Virginibus partim fatuis, partim prudentibus. Sed multo ante etiam in arca Noe,* Matth. 25.

quæ non ſolum munda, ſed etiam immunda animantia concludebantur, hujus Eccleſiæ figuram, & ſimilitudi- Geneſ. 7.

nem licet intueri. Ex eodem Catechiſmo.

Subordinatio quæ in Catholica Eccleſia reperitur. S. Leo c. 14.

Providentia, quæ ſubordinationem in Apoſtolorum Collegio conſtituerat, inſtituit in Eccleſia ſua quoſdam gradus, per quos ad Capitis unitatem perveniretur. Voluit in ſingulis Provinciis Epiſcopos eſſe, qui Comprovincialibus ſuis præſiderent, & judicarent de controverſiis, non ſecus ac in Metropolitanis: in præcipuis urbibus, quæ ſunt Regnorum capita, alios eſſe, qui auctoritatem habent latius extenſam, cujuſmodi ſunt Primates; ut omnes ſimul pervenirent ad unitatem Sedis S. Petri, cui univerſalis Eccleſia credita fuit, & ne eorum aliquis a Capitis unitate ſecederet, niſi ſimul de Eccleſiæ unitate egrederetur. Hanc ob cauſſam Spiritus ſanctus, qui præſidet ſemper regimini Eccleſiæ, voluit ab initio, Apoſtolos in Concilii formam congregari, vel ad eligendum ex diſcipulis omnibus illum, quem Deus in Judæ locum ſuffecerat, vel ad dirigendum uſum, quem fideles erant facturi Judaicarum obſervantiarum. Nunquid congregandi erant Apoſtoli, Cardinalis Perronius inquirit in iterata reſponſione ad Regem Britanniæ, ad illuſtrandos ſenſus Scripturæ Sanctæ, vel ad conferendas Traditiones ſuas ultro citroque, & ad articulum de fide conſtituendum? Haud equidem. Non erat, cur ſimul cogerentur, reſpondet magnus hic Cardinalis, ut de quæſtionibus de fide deciderent, de quibus ſinguli erant certiſſimi; neque opus erat, ut effectus ſupremæ poteſtatis S. Petri in ipſis palam innoteſcerent, ut ſervarent unitatem, quia in illis unum erat cor, & unus Spiritus. Sed Spiritus ſanctus ex eo tempore proponere voluit Eccleſiæ naſcenti formam, atque prototypum permanentem rationis perpetuæ, quæ illi uſque ad ſæculorum finem erat ſervanda. Quamobrem S. Petrus quatenus Princeps Apoſtolorum, & Eccleſiæ Caput congregat fratres omnes, proponit illis quæſtionem, concludit, decidit, pronuntiat, quin aliquis illi adverſetur. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis. Idem.*

Inviolabilis adhæſio, quam habere debemus cum Eccleſia Romana.

Certitudo quam habemus vivendi in Eccleſia fide, & Communione Sanctorum eſt adhæſio, & communio cum Eccleſia Romana, quæ Mater eſt omnium Eccleſiarum, centrum, & vinculum quo omnes ſimul junguntur, & quæ idcirco cuſtos eſt fidei earum. Hinc profitemur eamdem fidem, eamdemque doctrinam, quam Mundi Salvator revelavit S. Petro, & quam S. Petrus tradidit veluti per manus omnibus Succeſſoribus ſuis, & quæ de Pontifice in Pontificem ad nos uſque pervenit per felicem intemeratamque traditionem. In Definitione autem Eccleſiæ Catholicæ tria occurrunt, quæ totam illius eſſentiam conſtituunt. Primum eſt unius, ejuſdemque doctrinæ, & fidei profeſſio. Credendæ ſunt omnes veritates, quas Mundi Salvator revelavit Eccleſiæ ſuæ: *Accedentem ad Deum* Hebr. 11.

oportet credere. Alterum eſt Communio Sacramentorum, quæ inſtituit propter ſalutem filiorum ſuorum, vel propter eorum regenerationem in vitam æternam: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto,* Joan. 3.

non poteſt intrare in regnum Cœlorum, vel in eorum cibum, & robur: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* vel in eorum a peccatis omnibus abſolutionem: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Tertium denique eſt obedientia legitimis Paſtoribus, quos Mundi Salvator inſtituit ad eam regendam, & gubernandam. *Dic Eccleſiæ, & ſi non audierit Eccleſiam, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus.* Fideles obedire debent Curatis, Curati Epiſcopis, Epiſcopi Primatibus, Primates Sanctæ Sedi, & Sancta Sedes JESU CHRISTO. *Idem.*

Quomodo Apoſtoli uſi ſunt ut teſtimonium ſuum, & ſucceſſorum ſuorum eſſet authenticum, & indubium.

Prout Apoſtoli obierunt, Eccleſia illis eos dedit Succeſſores, qui cum ab ipſis teſtimonium accepiſſent, haberentur in eorum locum teſtes publici, & indubii Chriſtianæ veritatis, ac tales authentico, ſolemnique modo probati. Poſt divini Præceptoris ſui Aſcenſionem, Apoſtoli illud ſibi curandum cenſuerunt, ut duodecimam replerent Sedem, quæ per Judæ mortem vacua relicta fuerat. Alius cooptandus eſt. S. Petrus inquit, ex illis, qui non ſecus ac nos viderunt ea, quæ facta ſunt a Joannis Baptiſmate, uſque in diem, qua Dominus in Cælum aſcendit, & qui non ſecus ac nos teſtis fuit Reſurrectionis ejuſdem. Antequam S. Mathias ad hunc dignitatis apicem attolleretur, erat Diſcipulus, eratque rerum omnium teſtis, quoniam rebus omnibus interfuerat; ſed teſtis erat particularis, ideoque illius teſtimonium nondum erat authenticum, neque JESU CHRISTI auctoritate fulcitum. In Eccleſia opus erat teſtibus perpetuis, quibus ineſſent hæ omnes qualitates, ut cum eorum teſtimonium authenticum eſſet, divinum, & indubium, eſſet fundamentum fidei Fidelium. Quod per tranſennam oſtendit, quantum ordinatio, & ſubordinatio, quales Apoſtoli, eorumque ſucceſſores in Eccleſia conſtituerunt, ſint neceſſariæ, & nullo modo prætermittendæ. *Ephemerides Trevoltianæ anno 1721. Menſe Junio.*

Quam parum ſolidæ ſint omnes Hæreticorum.

Conſideremus paulliſper quænam fuerint Sectæ omnes oppoſitæ Eccleſiæ Romanæ. Nam vox publica illas conſtituat?

Digitized by Google

um tuſe qua Eccleſia Romanæ oppugnatur.

ſtituit? Sed cuinam rei innititur? Nunquid ſæculorum omnium Traditioni? Illæ hanc reſpiciunt tamquam teſtimonium hominum, qui errare poterant, ideoque eam rejiciunt. Nunquid characteres divinitatis, quos gerit Scriptura, erunt illis teſtimonii loco? Sed Sectarii dictitant, characteres hos non ſatis eſſe perſpicuos, & hos ab ipſis videri ſolum per judicium ſuum particulare, eoſque etiam contradictioni obnoxios, ac tandem non efficere demonſtrationem. Nunquid innitetur alicui particulari teſtimonio Spiritus ſancti? Igitur fanatici ſunt, & inanium viſorum fictores; hoc enim nomine æquiſſimus quiſque ex eorum numero appellat eos, qui hodierna die jactitant ſe habere afflatus, & revelationes peculiares de Religione. Num teſtimonio Prophetarum, & miraculis, quæ Sancta narrat Hiſtoria? Sed hoc eſt id ſupponere, de quo habetur quæſtio; hoc illud ipſum eſt, de quo agitur, de producendis teſtibus, qui ſemper extiterint, ex quo res acciderunt, uſque ad nos; teſtibus, quorum auctoritas, & divinum mandatum, non ſecus ac ſinceritas, & certa cognitio, ſemper authenticæ fuerint, publicæque notorietatis in Eccleſia: teſtibus denique, qui ſemper dicere potuerint, ut S. Lucas: Vobis annuntiamus ea, quæ oſtenderunt nobis illi, qui viderunt illa ab initio, & qui ante nos Miniſtri fuerunt verbi; & ut S. Joannes; Scimus, nos vera dicere, & veſtrum eſſe credere noſtro teſtimonio. *Idem.*

Quamvis non deſint improbi in Eccleſia, id non vetat quominus Sancta dicatur.

Quamvis improborum numerus, qui ſunt in Eccleſia, major ſit, quam bonorum, hoc tamen non prohibet quominus Sancta appelletur; gratia enim, caritas, & ſanctitas proprium eſt ornamentum, ſpecies & Eccleſiæ decor, ex ipſa natura proveniens; ſed impietas, & iniquitas, quæ invenitur in alumnis Eccleſiæ, non quidem ex Eccleſiæ natura, ſed ab externis cauſſis procedit. Præterea cur Eccleſia diſtingui poteſt impietatis nota ab aliis cœtibus ſeu Ethnicorum, ſeu Judæorum, ſeu Hæreticorum, vel aliorum id genus, cum impietas ſit communis, ubique enim inveniuntur impii? diſtinguenda immo eſt per Sanctitatem ſibi propriam. Hæc eſt præſtantiſſima ejus qualitas, illam Sanctam eſſe, ſaltem in aliquibus membris ſuis. *Melior eſt unus timens Deum, quam mille filii impii. Auctor recens.*

Eccli. 17.

Eccleſiæ Sanctitas ex ejuſdem exercitiis colligitur.

Inviſibilis hominis anima videri poteſt ex motibus ejus, ita Eccleſiæ Sanctitas per ſua ſeſe prodit exercitia: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* Et profecto in ipſis Eccleſiæ primordiis Infideles admirabantur Sanctitatem Eccleſiæ, quam effulgere videbant in vita, & converſatione Fidelium, ut liquet ex prima S. Petri Epiſtola. Secundo Eccleſiæ Sanctitas eniteſcit quoque in miraculis, quæ Sancti, & famuli Dei operati ſunt in Fidei, Chriſtinæque Doctrinæ confirmationem. Tertio in Prophetiæ dono ſæpius noviſſimis etiam hiſce temporibus Sanctis viris communicato. Quarto nihil fere apertius teſtatur Eccleſiæ Sanctitatem, quam caſtitas integerrime a Catholicis ſervata. Hæc ſunt, quæ Eccleſiam admirabilem faciunt, eique conciliant inſignem Sanctitatis, & innocentiæ celebritatem etiam apud illius adverſarios. *Idem.*

Rationes propter quas Eccleſiam Catholicam, & univerſalem vocamus.

Triplici ex cauſſa Eccleſiam Catholicam, & univerſalem vocamus; quarum prima eſt, quia omnia perſonarum genera admittit, cujuſcumque nationis, ſtatus, vel conditionis eſſe valeant. Altera eſt, quia late extenſa eſt in omnes Mundi partes; tertia denique, quia ſemper poſt JESUM CHRISTUM, Chriſtiani Fidem eamdem receperunt. Ita Catholicum dicimus hominem, qui tenet fidem univerſalem; videlicet, qui credit quidquid credidit omni tempore, omnibuſque in locis Eccleſia. Cæteri cœtus Hæreticorum non ſunt univerſales; hæreſis quippe eorum non eſt niſi igniculus aliquis inter ſpinas, qui ad tempus vim habet aliquam, ſed quam primum languet, & moritur. Denique Eccleſiam Apoſtolicam dicimus, quia ſemper ſartam tectamque ſervavit auctoritatem, legem, & doctrinam Apoſtolorum, qui illius Fundatores fuerunt ſecundum JESU CHRISTI inſtitutum, & promiſſionem, & quia retinet adhuc Succeſſionem Pontificum in Sede Apoſtolica. Proferant Hæretici, Tertullianus ait, nomenclaturam Epiſcoporum ſuorum, eorumque oſtendant ſucceſſionem ab initio, ita ut primus eorum Epiſcopus Fundatorem ſuum habeat Apoſtolum, vel ſaltem virum Apoſtolicum. *Idem.*

Cur improbi non prohibeant quominus Eccleſia ſit Sancta.

1. Petr. 2.

Eccleſiam ſanctam eſſe, a Principe Apoſtolorum tenemus eo loco: Vos autem genus electum, gens ſancta. *Appellatur autem Sancta, quod Deo conſecrata, dedicataque ſit: ſic enim cetera hujuſcemodi, quamquam corporea ſint, Sancta vocari conſueverunt, cum divino cultui addicta, & dedicata ſunt; cujus generis ſunt in lege veteri vaſa, veſtes, & altaria: in qua primogeniti quoque, qui Deo dedicabantur, Sancti ſunt appellati. Nec mirum cuiquam videri debet, Eccleſiam dici Sanctam, tametſi multos peccatores contineat. Sancti enim vocantur Fideles, qui populus Dei effecti ſunt, quive ſe fide, & baptiſmate ſuſcepto, CHRISTO conſecrarunt; quamquam in multis offendunt, & quæ polliciti ſunt non præſtant. Quemadmodum etiam qui artem aliquam profitentur, & ſi artis præcepta non ſervent, nomen tamen artificum retinent. Quare Divus Paulus Corinthios ſanctificatos, & ſanctos appellat: in quibus nonnullos fuiſſe perſpicuum eſt, quos ut carnales, & gravioribus etiam nominibus objurgat.* Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

1. ad Cor. 1.

Tertia proprietas Eccleſiæ ea eſt, ut Catholica, nempe univerſalis, vocetur: quæ appellatio vere illi tributa eſt, quoniam, ut teſtatur S. Auguſtinus, a Solis ortu uſque ad occaſum unius fidei ſplendore diffunditur. Neque enim, ut in humanis rebuſpublicis, aut Hæreticorum conventiculis unius tantum regni terminis, aut uno hominum genere Eccleſia definita eſt: verum omnes homines, ſive illi barbari ſint, ſive Scythæ, ſive ſervi, ſive liberi, ſive maſculi, ſive feminæ caritatis ſinu complectitur. Quare ſcriptum eſt: Redemiſti nos Deo in Sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum. *De Eccleſia dicit David:* Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. *Item:* Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me; *&:* Homo natus eſt in ea. *Præterea omnes fideles, qui ab Adam in hunc uſque diem fuerunt, quive futuri ſunt, quamdiu Mundus extabit, veram fidem profitentes ad eamdem Eccleſiam pertinent, quæ ſuper fundamento Apoſtolorum fundata eſt, ac prophetarum, qui omnes in illo lapide angulari CHRISTO, qui fecit utraque unum, & pacem iis, qui prope, & iis, qui longe annuntiavit, conſtituti ſunt, & fundati. Univerſalis etiam ob eam cauſſam dicitur, quod omnes, qui ſalutem æternam conſequi cupiunt, eam tenere, & amplecti debeant, non ſecus ac, qui arcam, ne diluvio perirent, ingreſſi ſunt.* Idem.

Apocal. 5.

Pſalm. 2.

Pſalm. 86.

Eccleſiæ veræ a falſa dignoſcendæ regula.

Hæc igitur velut certiſſima regula tradenda eſt, qua vera, & falſa Eccleſia judicetur: ſed ex origine etiam, quam revelata gratia ab Apoſtolis ducit, Eccleſiæ veritatem agnoſcimus: ſi quidem ejus doctrina veritas eſt, non recens, neque nunc primum orta, ſed ab Apoſtolis jam olim tradita, & in omnem orbem terrarum diſſeminata; ex quo fit, ut nemo dubitare poſſit, impias hæreticorum voces longe a vera Eccleſiæ fide abeſſe, cum doctrinæ Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis ad hanc diem prædicata eſt, adverſentur. Quare, ut omnes intelligerent, quænam eſſet Eccleſia Catholica, Patres in Synodo illud divinitus addiderunt; Apoſtolicam. Etenim Spiritus ſanctus, qui Eccleſiæ præſidet, eam non per aliud genus miniſtrorum, quam per Apoſtolicum gubernat. Qui Spiritus primum quidem Apoſtolis tributus eſt, deinde vero ſumma Dei benignitate ſemper in Eccleſia manſit. Sed quemadmodum hæc una Eccleſia errare non poteſt in fidei, & morum diſciplina tradenda cum a Spiritu ſancto gubernetur: ita ceteras omnes, quæ ſibi Eccleſiæ nomen arrogant, ut quæ diaboli Spiritu ducantur, in doctrina, & morum pernicioſiſſimis erroribus verſari neceſſe eſt. Idem.

Duplex Eccleſiæ figura.

Sed quoniam magnam vim habent figuræ veteris teſtamenti ad excitandos fidelium animos, revocandamque rerum pulcherrimarum memoriam, cujus rei potiſſimum cauſſa Apoſtoli his uſi ſunt: illam quoque doctrinæ partem, quæ magnas utilitates habet, Parochi non prætermittent. In his autem illuſtrem ſignificationem habet Arca Noe: quæ ob eam rem tantum divino juſſu conſtructa eſt, ut nullus dubitandi locus relinquatur, quin Eccleſiam ipſam ſignificet; quam Deus ſic conſtituit, ut quicumque per baptiſmum illam ingrederentur ab omni mortis æternæ periculo tuti eſſe poſſent: qui vero extra illam eſſent, quemadmodum iis evenit, qui in arcam recepti non ſunt, ſuis ſceleribus obruerentur. Alia figura eſt, magna illa civitas Jeruſalem, cujus nomine Scripturæ ſæpius ſanctam Eccleſiam ſignificant. Nimirum in illa ſolum offerre Deo Sacrificia licebat: quia in ſola etiam Dei Eccleſia, neque extra eam uſquam, verus cultus, verumque ſacrificium reperitur, quod Deo placere ullo modo poſſit. Idem.

Deus Auctor Eccleſiæ.

Pſalm. 86.

Neque enim homines hujus Eccleſiæ Auctores fuerunt; ſed Deus ipſe immortalis, qui eam ſuper firmiſſimam petram ædificavit, teſte Propheta: Ipſe fundavit eam Altiſſimus, *quam ob cauſſam hæreditas Dei, & Dei populus appellatur. Nec poteſtas, quam accepit, humana eſt: ſed divino munere tributa. Quare quemadmodum naturæ viribus comparari non poteſt: ita etiam fide ſolum intelligimus, in Eccleſia claves regni Cælorum eſſe, eique poteſtatem peccata remittendi, excommunicandi, verumque CHRISTI Corpus conſecrandi traditam: deinde cives, qui in ea morantur, non habere hic civitatem permanentem, ſed futuram inquirere.* Idem.

Hebr. 13.

Virtus promiſſionis a J. C. factæ ſuæ Eccleſiæ.

Ne unum quidem prætermittendum eſt verbum ex iis, quæ protulit JESUS CHRISTUS in Eccleſiæ ſuæ gratiam. Ex iis primum liquet, futurum, ut Eccleſia ſemper ſubſiſtere debeat; omnes dæmonum conatus illam labefactare non poſſe, neque in errorem impellere. Si enim periret Eccleſia, vel ſi fides ejus nutaret, liqueret, inferorum portas, & ſpiritum erroris adverſus illam prævaluiſſe. Innoteſcit ſecundo JESUM CHRISTUM Apoſtolis ſuis notandum præbere tamquam effectum omnipotentiæ ſuæ præſidium, quo illam uſque ad ſæculorum finem tuebitur; debet igitur ſemper eſſe cum illa, & eam nunquam derelinquet.

Quis

Quis Omnipotenti reſiſtere poteſt? Ego ille ſum, cui omnis poteſtas deſuper data eſt in terra, ſicut in Cælo. Ego vobiſcum ſum, cum mitto vos ad erudiendas gentes, eiſque baptiſmum, aliaque omnia Sacramenta miniſtranda. Ego vobiſcum ſum, baptizans cum vobis, cùm vobis erudiens quotidie. Nulla metuenda eſt interpellatio, nulla dies erit, nullum momentum, quo non vere dici poſſit, me vobiſcum eſſe uſque ad conſummationem ſæculi. Id autem non ſolum uſque ad mortem veſtram Apoſtoli, ſed ſemper uſque ad ſæculorum conſummationem. Itaque promiſſio hæc non ſolos reſpicit Apoſtolos, ſed eorum quoque Succeſſores in miniſterio; reſpicit Eccleſiam, quæ erudiet, quæ baptizabit, quæ ſubſiſtet invitis dæmonum conatibus, & cui ſemper JESUS CHRISTUS aſſiſtet, quin illam aliquo momento derelinquat. Ipſe enim ita promiſit, & omnipotens eſt, ut præſtet fidem. *Idem*.

Secundùm J. C. promiſſionem doctrina Eccleſiæ eadem eſt, ac Apoſtolorū.

Promiſſiones quas Eccleſiæ ſuæ Dei Filius fecit, perſpicua oſtendunt, Doctrinam ejus eamdem eſſe ac illam, quam Apoſtoli docuerunt, & quæ nullo unquam errore fuit commutata. Si enim Spiritus Veritatis debet ſemper Eccleſiam animare, & docere eam omnem veritatem; ſi portæ inferi nunquam debent contra illam prævalere: ſi illi adſiſtere debet JESUS CHRISTUS uſque ad conſummationem ſæculi in prædicatione veritatis, & Sacramentorum adminiſtratione: idcirco neceſſe eſt, ut Sacramenta ſemper ſanctè in Eccleſia adminiſtrentur: veritates omnes caſte, integreque ibi prædicentur, & nullus unquam doceatur error, & hoc poſito, illa ſemper teneat quod didicit ab Apoſtolis, & quod a JESU CHRISTO Apoſtoli didicerunt. *Idem*.

Quomodo, & in quo ſenſu Eccleſia Romana falli nequeat.

Cum dicunt Catholici Eccleſiam falli non poſſe in iis, quæ de facto ſunt, intelligendum eſt de factis, quæ ad fidem non pertinent, de quibus ipſa teſtis non eſt; & de quibus ideo poteſt illi falſum perhiberi teſtimonium. Ac, dicet aliquis hodierna Eccleſia neque vidit, neque audivit ipſa, quid plura ante id tempus contigit ſæcula. Verum eſt, non vidit illa ſæculum Apoſtolorum: ſed irreprehenſibilis eſt teſtis eorum, quæ a ſuperiori accedit generatione; atque ita repetendo ipſum tempus Apoſtolicum, in dubium revocari non poteſt teſtimonium, quod ipſa perhibet fidei Patrum ſuorum; quoniam ipſa teſtis erat, & falli non potuit. Eccleſia Romana complectitur ſimul ſexaginta, vel octoginta generationes: hæc jugis, perennisque commixtio tot generationum invicem connexarum efficit, ut ab Apoſtolis ad nos uſque Eccleſia unum ſit corpus, ac illius teſtimonium, unum idemque ſit teſtimonium. *Ephemerides Trevoltianæ menſe Junio 1721.*

In hac tantum Eccleſia certi ſumus adeſſe veritatem.

Una Romana Eccleſia mater eſt Fidelium; & una illius Doctrina eſt JESU CHRISTI Religio, in qua omnino eſſe oportet, ut ſiamus participes meritorum Salvatoris omnium mortalium, quos vult omnes ad veritatis cognitionem pervenire, & qui ideo veritatem Chriſtianam eo in loco poſuit, ubi ab univerſo Mundo facile conſpici poſſet, tamquam lucerna non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita: cum Deus Religionem ſuam in hoc ſecuritatis, & demonſtrationis loco collocaverit, in quo uno homines certi ſunt ſe minime falli, & qui adeo certus eſt, & manifeſtus, ut recto ſenſui de illius certitudine dubitare non liceat. Hoc eſt, cum de factis agitur, & facta hæc eos habeant teſtes, qui viderunt illa, & quorum numerus, & character fidem faciunt, illos mentiri non poſſe; tunc tuto illa credi poſſe, ut fieri videtur in Eccleſia Catholica Romana, ubi generationis unius fides fuit ſemper adeo præſens, & viſibilis alteri generationi, & nemo ſit, cui demonſtrata non ſit, per hoc teſtimonium, quod quilibet, etiam maxime rudis, comprehendere valet; & per conſequentiam perſpicuam, claram, & cui nihil objici poteſt, coram Deo, & coram hominibus omni careat excuſatione, qui Romanæ Eccleſiæ altiſſimum neget obſequium, quod illa Dei nomine petit in iis omnibus, quæ pertinent ad fidem, & quod Patres omnium ſæculorum ſemper ad hanc uſque ætatem noſtram illi præſtiterunt. *Item*.

Quinam ab Eccleſia excludantur.

Quamvis autem bonos, & malos ad Eccleſiam pertinere, catholica fides vere, & conſtanter affirmet; ex iiſdem tamen fidei regulis, fidelibus explicandum eſt, utriuſque partis diverſam admodum rationem eſſe: ut enim paleæ cum frumento in area confuſæ ſunt, vel interdum membra varia inter mortua corporis conjuncta: ita mali in Eccleſia continentur, ex quo fit, ut tria tantummodo hominum genera ab ea excludantur, primo infideles, deinde hæretici, & ſchiſmatici, poſtremo excommunicati. Ethnici quidem, quod in Eccleſia nunquam fuerunt, neque eam unquam cognoverunt, nec illius Sacramenti participes in populi Chriſtiani ſocietate facti ſunt: hæretici vero, atque ſchiſmatici, quia ab Eccleſia deſciverunt: neque enim illi magis ad Eccleſiam ſpectant, quam tranſfuga ad exercitum pertineant, a quo defecerunt. Non negandum tamen: quin in Eccleſiæ poteſtate ſint, ut qui ab ea in judicium vocentur, puniantur, & anathemate damnentur. Poſtremo etiam excommunicati, quod Eccleſiæ judicio ab ea excluſi ad illius communionem non pertineant, donec reſipiſcant. De cæteris autem quamvis improbis, & ſceleratis hominibus, adhuc eos in Eccleſia perſeverare dubitandum non eſt: idque fidelibus tradendum aſſidue, ut, ſi forte Eccleſiæ Antiſtitum vita flagitioſa ſit, eos tamen in Eccleſia eſſe, nec propterea quidquam de eorum poteſtate detrahi, certo ſibi perſuadeant. Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Eccleſiæ Catholicæ proprietates.

Aperienda autem ſunt fidelibus hujus Eccleſiæ proprietates, ex quibus licebit agnoſcere quanto beneficio a Deo affecti ſint, quibus contigerit in ea naſci, atque educari. Prima igitur proprietas in ſymbolo Patrum deſcribitur, ut una ſit. Una enim, inquit, eſt columba mea, una eſt ſpecioſa mea. (Cant. 6.) *Vocatur autem una tantum hominum multitudo, quæ tam longe, lateque diffuſa eſt ob eas cauſſas, quæ ab Apoſtolo ad Epheſios ſcripta ſunt;* (Ad Ephes. 4.) *unum enim dominum, unam fidem, unum baptiſma tantum eſſe prædicat: Unus eſt etiam ejus rector, ac gubernator, inviſibilis quidem CHRISTUS, quem Æternus Pater dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus. Viſibilis autem is, qui Romanam Cathedram, Petri Apoſtolorum Principis legitimus ſucceſſor tenet: de quo fuit illa omnium patrum ratio, & ſententia conſentiens, hoc viſibile caput ad unitatem Eccleſiæ conſtituendam, & conſervandam neceſſarium fuiſſe, quod præclare, & vidit, & ſcripſit S. Hieronymus, & contra Jovinianum his Verbis:* Unus eligitur, ut, capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio; *& ad Damaſcum:* Faceſſat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi CHRISTUM ſequens, beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. *Idem*.

Comparatio exprimens communicationem, quæ eſt inter Sanctos.

At vero hæc bonorum communicatio, membrorum humani corporis aptiſſima ſimilitudine in Sacris Literis ſæpe demonſtratur. Nam in corpore multa ſunt membra: ſed etſi multa ſunt, unum tamen corpus conſtituunt, in quo ſingula propria, non autem omnia eodem munere funguntur. Nec vero omnia eamdem dignitatem habent, aut æque utiles, & decoras functiones exequuntur: nulliuſque ſuum, ſed totius corporis commodum, atque utilitas propoſita eſt. Omnia deinde ita apta inter ſe, & connexa ſunt, ut ſi unum aliquod dolore afficiatur, cætera item naturæ cognatione, & conſenſu doleant, ſi contra bene affectum eſt, communis ſit omnibus ille jucunditatis ſenſus. Atque hæc eadem in Eccleſia licet contemplari: in qua etſi diverſa ſunt membra, nempe variæ nationes Judæorum, Gentium, liberi & ſervi, pauperes & divites; cum tamen Baptiſmo initiantur, unum corpus cum CHRISTO ſunt, cujus ille caput eſt. Unicuique præterea in hac Eccleſia ſuum munus aſſignatum eſt: ut enim alii ſunt Apoſtoli, alii Doctores, omnes vero publicæ utilitatis cauſſa ſunt conſtituti: ita aliorum eſt præeſſe, & docere; aliorum item parere, & ſubjectos eſſe. At vero tot tantiſque muneribus, ac bonis divinitus collatis illi fruuntur, qui in caritate vitam Chriſtianam degunt, juſtique, & cari Deo ſunt. Idem.

Utrum peccatores participes ſint communionis Sanctorum.

Membra vero mortua, nimirum homines ſceleribus obſtricti, & a Dei gratia alienati hoc quidem bono non privantur, ut hujus corporis membra eſſe deſinant; ſed cum ſint mortua, fructum ſpiritualem, qui ad juſtos, & pios homines pervenit, non percipiunt. Tametſi, cum in Eccleſia ſint, ad amiſſam gratiam, vitamque recuperandam ab iis adjuvantur, qui ſpiritu vivunt, & eos fructus capiunt, quorum expertes eſſe dubitari non poteſt, qui omnino ab Eccleſia ſunt præciſi. Nec vero tantum communia ſunt ea dona, quæ homines caros Deo, ac juſtos reddunt, ſed gratiæ etiam gratis datæ, in quibus numerantur ſcientia, prophetia, donum linguarum, ac miraculorum, & cætera hujus generis: quæ dona malis etiam hominibus, non privatæ, ſed publicæ utilitatis cauſſa ad ædificandam Eccleſiam conceduntur. Nam ſanitatis gratia, non illius, qui ea præditus eſt, ſed ægroti curandi cauſſa tributa eſt. Idem.

Hæretici ſemper oppugnaverunt ſedē Apoſtolicam.

Nemo inficias ire poteſt, quo minus ſectæ omnes, recenteſque factiones, ubi de Religione agebatur, ſemper Apoſtolicam ſedem impugnarint, cujus Summus Pontifex Caput eſt; prout ab Eccleſiæ communione receſſerunt. Neque dubitari poteſt quominus quovis tempore Eccleſia Romana habita, & appellata fuerit *prima Cathedra, Mater*, & ut loquitur S. Cyprianus, *matrix aliarum:* Ad dignoſcendos Catholicos ab Hæreticis ſæculorum omnium ſemper habitam fuiſſe rationem communionis, & communicationis cum Romano Pontifice, teſte S. Optato contra Parmenianum; Romanæ Eccleſiæ auctoritatem palam elucere in Conciliis, & ſcriptis Veterum cum Græcorum, tum Latinorum; potiſſimum vero in Nicæno Concilio, ubi ſermo eſt de cælibatu Presbyterorum, de Epiſcopi conſecratione, cui tres alii debent aſſiſtere: de communione laica, de poteſtate, quam ſolus Presbyter habet conſecrandi Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI, de Agno, qui jacet in Altari, & de incruento Sacrificio. *Ex inſtitutione Catholica Pater Cotton.*

Cur Eccleſiam Apoſtolicam Romanam dicamus.

Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam *Romanam* vocamus, idque multiplici ex cauſſa, quarum prima eſt, ut noſmet ſecernamus, atque diſtinguamus ab Hæreticis.

Alte-

Altera, quia Romana Cathedra nunquam a recto tramite aberravit, & perſecutiones nullam unquam obſcurare caliginem potuerunt doctrinæ illius, quam accepit ab Apoſtolis. Tertia, quia fuit veluti adverſus hæreſes omnes propugnaculum. Quarta, quia Divina Providentia ibi primam conſtituit Cathedram. Quinta, quia in illa reſidet JESU CHRISTI Vicarius, S. Petri Succeſſor. Sexta, quia S. Pauli ævo fides Romanorum ubique annuntiata erat; quia uſque in hodiernum diem, ubi Catholicus deſignandus fuit, ſemper Romanus appellatus fuit, ut liquet ex actibus Epheſini Concilii cap. 10. ubi Imperator Theodoſius junior fidem Catholicam vocat Religionem Romanam; & præterea ex ipſo inimicorum Eccleſiæ teſtimonio, qui illam ſive deriſionis, ſive honoris cauſſa ſemper hoc nomine nuncuparunt. *Idem*.

Senſus S. Irenæi de unione quā Eccleſiæ omnes habere debent cum Eccleſia Romana.

S. Irenæus adverſus hæreſes loquens ait, neceſſe eſſe, ut omnes Eccleſiæ cum Romana conveniant, quoniam hæc potentiſſimum obtinet principatum. S. Gregorius Nazianzenus ait, Romam veterem ab antiquo rectam habere fidem, eamque fartam tectam tueri, uti decet, Dei fidem ſemper integram eſſe in urbe illa, quæ toti præſidet Orbi. S. Cyprianus improbat eos, qui aliis hærent Cathedris præter illam Petri; & conqueritur de quibuſdam Schiſmaticis, qui Carthagine Romam venerant illum apud Cornelium Papam accuſaturi: Oſtendunt, ait, ſe impudentiſſimos eſſe, qui in errorem ſuum pertrahere conati ſunt Cathedram S. Petri, ſibique Pſeudoepiſcopum inter hæreticos conſtituere. Auſi ſunt mare traducere, & litteras a Schiſmaticis, ac profanis deferre ad S. Petri Cathedram, & Principem Eccleſiam, unde Sacerdotalis manavit unitas; & non cogitant Romanos eſſe illos, quorum fides ab Apoſtolo celebratur, & apud quos aditus patere non poteſt perfidiæ. *Idem*.

Fallax Proteſtantium origo, quæ ſi vera eſſet, illos tamen confundere deberet.

Quibuſdam Miniſtris non ita pridem in mentem venit aſſerere, ſe ab Eccleſia Romana ſecedentes, cum Valdenſibus, atque Albigenſibus ſocietatem conjunxiſſe: quod quamvis verum eſſet, cum ſit falſiſſimum: non arduum eſſet illis oſtendere ſe non ideo minus eſſe Schiſmaticos. Valdenſes, & Albigenſes nunquam habuere illum Catholicitatis, Apoſtolicitatis, Unitatis, Sanctitatis characterem, qui utique decet Eccleſiam. Non latet principium, atque progreſſus Sectæ illorum; cujus ante decimum tertium ſæculum nullum extat veſtigium. Illi inter anguſtiſſimos fines coarctati fuerunt, & de illis nullus jam in terras ſermo habebatur, cum Proteſtantes prodiere. Itaque aſſerta hæc ſocietas chimæra eſt recentium quorumdam Miniſtrorum, quos ſucceſſionis defectus ad ineptas redegerat. Primi Reformatores id ne cogitaverant quidem; & Confeſſio fidei Eccleſiarum Proteſtantium non meminit. Dixerunt, quandoquidem tanta erat in Eccleſia corruptio, & interruptio, neceſſe fuiſſe, ut Deus extra ordinem excitaret homines Spiritu ſancto repletos, ut illam relevaret. Sed quinam inter Hæreticos fuit, qui non accuſaverit Eccleſiam nomine erroris, & corruptionis, & qui ad eam reformandam ſe a Deo ſuſcitatum non glorietur? Hæc una aſſertio ex non ferenda oritur ſuperbia: blaſphemia eſt; condemnationis judicium, quod omnis hæreticus fert contra ſe. Meminerint verborum S. Judæ, ibique invenient apertiſſimam Proteſtantium damnationem non ſecus ac illam ceterorum hæreticorum, & Schiſmaticorum. *Cariſſimi memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini Noſtri JESU CHRISTI, qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Auctor recens.*

Judæ Ep. v. 17.

Proteſtantes nullam ſolidam afferre poſſunt rationem ſuum Schiſma probantes.

Proteſtantes nihil unquam ſatis ſolidum afferre poſſunt Schiſma ſuum probaturi; quia nulla eſſe ratio poteſt, S. Auguſtinus ait, unitatis infringendæ. Sed Proteſtantes temere, & importune aliquos proferunt Scripturæ locos, quos nullum unquam Sanctorum Patrum, ut alii, interpretatus eſt; neque aliquo Scripturæ loco ad litteram ſumpto probare poſſunt, quod in ſua fidei profeſſione ſe tenere fatentur. Semper provocati fuerunt, quin aliquid protulerint aptum ad textibus perſpicuis probandum, articulos, quos in controverſiam deduxerant, errores eſſe, eoſque fundamentales, & non ferendos quales ea Diſſidia ipſius confeſſione eſſe oporteret ad ſeceſſionem ſuam excuſandam; cum etiam proferunt, ex. gr. illum ex Apocalypſi locum: Egredere de Babylone, popule meus, ne particeps peccatorum illius, particeps quoque ſis vulnerum ejus: patet liquido ibi nullatenus agi de Eccleſia JESU CHRISTI; ſed de Roma gentili, quam Deus depopulaturus erat per barbaros, ut pœnas ſumeret de illius idololatria, & impietate. Cæcus, & impius ſit opus eſt, qui Sanctam JESU CHRISTI Eccleſiam cum Babylone proſtituta, & idolorum cultrice velit confundere, poſt ſollemnes promiſſiones, quas Eccleſiæ fecit JESUS CHRISTUS, ſe cum illa futurum uſque ad ſæculi conſummationem, & futurum, ut de omni inferorum poteſtate triumpharet. *Idem*.

Eccleſia navis naufragium pati non poteſt.

Turbæ, & diſſidia, quæ vexant Eccleſiam timorem nobis injicere non debent, ut excidant ea, quæ pollicitus eſt illi Deus: Navi comparatur, ne miremur, neque ſcandalizemur, ſi procellis jactatur. JESUS CHRISTUS erat in S. Petri navicula, cum vehementibus fluctibus jactaretur. Ne timeamus ipſum derelinquere velle Eccleſiam ſuam, licet eam variis ſinat agitari fluctibus, quos hæreſum flatus in illam ciet: dormitare videtur, ut periculum faciat vigilantiæ, fortitudinis, & fidelitatis ſervorum ſuorum: ac tot procellæ, quæ magnam hanc navim ſubmergere non valuerunt, totidem ſunt argumenta illam regi a Domino per manum illius, cui ejuſdem credidit gubernaculum. *Auctor Anonymus*.

J. C. eſt primū & præcipuum Eccleſiæ fundamentum.

Quamvis Eccleſia poſita ſit ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, tamen JESUS CHRISTUS primum eſt, & præcipuum illius fundamentum: eſt enim, ut S. Auguſtinus ait: *fundamentum fundamentorum*. Apoſtoli, & eorum Succeſſores, verbo, omne ædificium uni illi innititur; ipſe primus eſt lapis, ceteri alii ſuperimpoſiti: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTUS JESUS*. Ædificium adeo ſolide incumbens vacuum facere nequit. Fruſtra inferni poteſtates conjuratione facta excitant ventos, ac tempeſtates ad illud evertendum. Inter illas manet, æternumque manebit, quin labefiat. Fruſtra Tyrannorum perſecutiones; fruſtra hæreſes, illæ etiam, quæ in Eccleſiæ ſinu latent, & quæ ſunt periculoſiores, auferent huic Sanctæ Civitati aliquot cives illius. Semper enim longe majorem numerum recenſebit, ut ſit florentiſſima in oculis illius, qui ædificavit illam, & qui illam fartam tectamque tuetur. Beati qui inter illius pomæria nati ſumus; fideles ſimus legum illius obſervatores. Hæ ſunt immutabiles non ſecus ac civitas ipſa. Quinam jucunditatis fons eſt certas habere regulas, quæ nos ad ſalutem deducant, quas non tempus, neque hominum mobilitas valeat immutare. *P. Segneri in Meditationibus*.

1. Cor. 3.

Jure Chriſtianam Religionē ceteris præferimus.

Bona, quibus Catholica Religio ceteris præſtat, nonne ſatis valida ſunt argumenta ad illam præferendam, amplectendamque. Poteſtne in aliis par mentis inveniri tranquillitas? In reliquis Sectis ab Eccleſia emotis aliquid ne eſt, quod valeat unicum hoc verbum? *Sic Deus dilexit Mundum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat.* Quidquid omnes ſimul habent, quidquid credant, accedit ne ad ſpeciem tanti hujus boni, in quo uno plures invenire divitias poſſumus quam cor noſtrum concupiſcere valeat? Igitur poteſt ne aliquis jure reprehendi, quod Chriſtianam Religionem aliis prætulerit, quod eam fuerit amplexus, quod eidem fortiter hæreat? *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

De Eccleſiæ Infallibilitate.

Aſſerere Eccleſiam falli non poſſe, eſt veritatem aſſerere, quæ nunquam eſſet in dubium vocanda ab infenſiſſimis Eccleſiæ Inimicis, & de qua nobiſcum conſentiant oportet: videmus enim in Evangelio, Filium Dei præcipientem, ut ad eam confugiamus tamquam ad oraculum, ubi agitur de fide, atque ejus deciſiones ſequamur, tamquam decretorium judicium: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ut Ethnicus, & Publicanus.* Hinc Hæretici, ad evitandas hujus Eccleſiæ cenſuras, & fulmina, aliam ſibi ad arbitrium concinnarunt, cui tenentur, quamvis inviti quamdam infallibilitatis ſpeciem tribuere, ſine qua nullum erroribus ſuis fucum poſſent allinere: itaque nos inter, & illos hæc agitur quæſtio, quænam ſit hæc Eccleſia, cui infallibilitas ita inhæret, ut ſeparari nequeat, quin evertatur. Qua in re affirmo, cum hæc infallibilitas nequeat ſubſiſtere ſine aliis characteribus, qui Romanam ſecernunt Eccleſiam a ceteris ſocietatibus, & qui ita connotati ſunt, ut ne locus quidem adſit errandi, ad hanc unice pertinere, ideoque quicumque ab illius ſenſu recedit, ſimul recedere a veritate, & neceſſario labi in errorem. Hi autem alii characteres, qui nonniſi veræ convenire poſſunt Eccleſiæ ſunt potiſſimum tres, unitas, perpetuitas, & univerſalitas, quod ne unus quidem ignorat. Sed quod fortaſſe non omnes ſciunt, hoc eſt, infallibilitatem, qui maxime eſſentialis eſt ex characteribus Eccleſiæ veræ, ex aliis tribus per neceſſarias concluſiones inferri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Eccleſiæ unitas ſemper illam oſtendit infallibilem.

Eccleſia, ubi de fide agitur, errare non poteſt, quia una eſt, unde ſequitur eas omnes, quæ ab hac receſſerunt per ſchiſma, neceſſario in errore verſari. Inferri poteſt hanc eamdem Eccleſiam falli non poſſe, quia eſt perpetua, unde inferendum eſt, eas quæ non fuere ſemper, & quæ, ut illa, repetere nequeunt ipſum veritatis ſuæ fontem per ſeriem nunquam interpolatam, nonniſi mendacii ſpiritu eſſe poſſe inſpiratas. Denique argui poteſt Eccleſiam hanc eſſe infallibilem quia Catholica eſt, hoc eſt univerſalis; ideoque illas, quæ non habent hanc extenſionem in univerſam terram, nequaquam regi ſpiritu veritatis. Verbo; unitas membrorum omnium in eadem doctrina; perpetuitas omnium temporum repetendo primam ipſam originem ſine interruptione; univerſalitas omnium locorum per extenſionem ſuam in omnes

mundi

mundi partes erunt invicta argumenta non veritatis ſolum, verum etiam infallibilitatis Eccleſiæ. *Idem.*

Quemadmodum unus eſt Deus, ita una tantum eſſe poteſt Eccleſia.

Iterum dicam, Eccleſia una eſt. Hoc profitemur in Symbolo, *Credo in unam Eccleſiam*, & nemo Chriſtianus eſt, qui id non fateatur, quemadmodum unus tantum eſſe poteſt Deus, ita unam tantum eſſe poſſe Religionem, ideoque unam Eccleſiam, quæ cœtus eſt eorum omnium, qui profitentur illam per unionem ejuſdem fidei: *unus Dominus, una fides*, inquit Apoſtolus. Tamen non fert animus hic immorari ad probandam hanc Eccleſiæ unitatem, quam ipſi etiam hæretici fateri tenentur, & quam irrito labore in partibus ſuis invenire conantur, quamvis ſchiſmate ſeparentur. Animadverto ſolum eum SS. Patribus, Doctoribuſque, unitatem hanc ex duabus rebus præcipue deſumi; ſcilicet ab eodem ſpiritu, qui eam regit, & ab eadem Doctrina, quæ omnia membra connectit; & inde affirmo poſſe perſpicue concludi, veritatem, & ineffabilitatem illi eſſe æque eſſentialer, ac ipſam unitatem. Eccleſia una eſt, quia unus eſt ſpiritus vivificans, qui illam gubernet, & regat: *unum corpus, & unus ſpiritus*, inquit Apoſtolur; & innuit, quemadmodum in corpore naturali, & vivente unus tantum eſt ſpiritus, quo animatur; ita Corpus myſticum JESU CHRISTI, quod eſt Eccleſia ejus, animari Spiritu ſancto, qui Eccleſiam ducit, atque gubernat. Hæc duo ſunt, quæ mutuo ſibi cohærent, & unum ex altero conſequitur: unum ibi ſpiritum eſſe, ubi corpus eſt unum; & unum ibi corpus eſſe, ubi una tantum eſt Anima, & ſpiritus. *Idem.*

Nunquam defuere, qui admiſſi ſunt in Eccleſia errorem ſerere, & vitium.

Quamvis Eccleſia ex fidelibus tantum coaleſcat, qui omnes in unum corpus conjuncti ſunt, non inde ſequitur, neminem eſſe in Eccleſia, qui poſſit male Sacramenta adminiſtrare, & aliquem errorem docere; quippe JESU CHRISTI promiſſioner factæ ſunt Eccleſiæ tamquam corpori, non autem privatis, qui ſunt ejus membra. Fuerunt ſemper, ſemperque erunt in Eccleſia homines, qui errorem, & vitium in illam invehere conabuntur; ſed ſemper confuſi fuerunt, & confundentur. Privati falli poſſunt in Sacramentorum adminiſtratione, & in doctrinis ſuis. Sed corpus Eccleſiæ nunquam erravit, nec errabit unquam in deciſionibus ſuis, in regulis, quas præſcribit pro Sacramentorum adminiſtratione; quia ipſe JESUS CHRISTUS, ſpiritus illius, ſpiritus veritatis has efficit deciſiones, & has proponit regulas. Vidimus promiſſiones jam explicitas eſſe, ideoque S. Paulum dicere, Eccleſiam baſim eſſe, & inconcuſſam veritatis columnam. Verum eſt igitur Sacramenta ſemper ſancte adminiſtratum in Eccleſia, & veritatem ſemper ibi traditum iri. *Auctor recens.*

Facile eſt ſemel perſuadere de Sanctitate Doctrinæ Eccleſiæ ex promiſſionibus J. C.

Quicumque ſibimet perſuadere poteſt de ſanctitate doctrinæ Eccleſiaſticæ, ubi animum appellat ad promiſſiones JESU CHRISTI: quoniam quæſtio hæc non eſt ita difficilir, qualir eſt examen cujuslibet dogmatis ſingillatim. Promiſſiones factæ Eccleſiæ perſpicuæ ſunt, & ad captum omnium. Nulla ſecta ſeparata illas in dubium vocat; hac in re non ſtudio opus eſt, non argumentatione. Ubi vero ſemel nobis perſuaſum ſit de harum veritatum promiſſione, ſanctitas Eccleſiæ in doctrina ſua, duratio ejus, & infallibilitas inde ita facile conſequuntur, ut omnes haud ægre id intelligant. Quicumque hac de re vitiligare velit, ex numero eorum eſt, quos S. Paulus proprio ipſorum judicio damnari dicit. Dico, Doctrinam Eccleſiæ Sanctor efficere qui ſequuntur illam; quoniam Eccleſia non tradit niſi JESU CHRISTI doctrinam, & nunquam docere poteſt, quod illi adverſetur. Nonniſi qui credit, & has exercet veritates, ſanctificari poteſt. *Sanctifica illos in veritate* dicit JESUS CHRISTUS in oratione apud S. Joannem: verbum tuum ipſa veritas eſt. Verbum tuum, David ait, illud eſt quod illuminat, & convertit animar. *Auctor recens.*

Ex privatorum corruptione judicium ferendum non eſt de Corpore Eccleſiæ.

Eccleſiæ accepta nequaquam referenda eſt filiorum ejus corruptio, præcipue vero Paſtorum, & dicendum non eſt Eccleſiam corruptam eſſe, cum Paſtores, qui regunt illam, corrupti ſunt, & flagitioſam vitam ducunt. Ex privatorum corruptione judicium ferendum non eſt de corpore Eccleſiæ. S. Paulus loquens de Paſtoribus ævi ſui, dolebat, pleroſque quæſiviſſe quæ erant ſua, non quæ JESU CHRISTI. Eccleſia ſemper ploravit filiorum ſuorum corruptionem, ſemperque damnavit: Ex deciſionibus, & doctrina ejus non autem ex nonnullorum vita judicandum eſt de Eccleſiæ ſanctitate: Eccleſia nunquam approbavit, neque unquam approbatura eſt malum in deciſionibus ſuir, ſed e contra ſemper approbavit bonum, & operata eſt. Eccleſia, S. Auguſtinus ait, nihil facit, nihil probat, nihil patitur, quod fidei, boniſque moribus adverſetur, quamvis per caritatem, atque ſapientiam tolerare teneatur in aliquibus malum, quod gemit, & quod non ſemper corrigere poteſt. Legantur Canones Conciliorum, & præcepta Paſtorum, qui omnibus ſæculis doctrina, & pietate claruerunt. Si quando in judicum cœtu aliqui nequam invenirentur; ſententiæ tamen ab illo cœtu prolatæ a juſtitia non aberrarent; mala privatorum vita non obſtaret, quo minus cœtus ille tamquam juſtitiæ Sanctuarium haberetur. *Auctor recens.*

Quatuor characteres qui ſemper verum deſignarunt Eccleſiam.

Certum eſt ante Græcorum, atque Proteſtantium ſeceſſionem in Mundo fuiſſe ſocietatem, quæ vocanda erat, & re ipſa erat Eccleſia JESU CHRISTI. Hæc eſſe debebat ſocietas viſibilis, & exterior ex Paſtoribus, & populis conflata, debebatque quatuor illis inſigniri characteribus, quibus ab aliis dignoſcitur ſocietatibus; nempe unitate, ſanctitate, Catholicitate, & Apoſtolicitate. Omnes Chriſtiani tunc dicebant cum Synodo Conſtantinopolitana, quemadmodum nunc etiam dicunt, *Credo in unam Eccleſiam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam.* Sed Romana Eccleſia tunc una erat, cui quatuor iſti congruerent characteres, quemadmodum nunc quoque una eſt, cui hodie congruunt; quod facile cognoſci poteſt, ubi fit applicatio eorum, quæ ſuperius nobis dicta ſunt de ſingulis hir characteribus. Ergo Græci, & Proteſtantes deſerentes illam, veram Eccleſiam deſeruere. Ergo Schiſmatici ſunt. Verum ſi Græci, & Proteſtantes negaverint, quatuor hoſce characteres, qui veræ Eccleſiæ ſunt proprii, nequaquam conveniſſe Eccleſiæ Romanæ, cum ab ea diſceſſere; quid reſpondebimus?

Proteſtantes fatentur Eccleſiam Romanam ante ſeceſſionem ſuam effuſam fuiſſe in omnes terras.

Proteſtantes inficias ire non poſſunt, tunc cum ab Eccleſia Romana diſceſſerunt, eam in omnem terram effuſam fuiſſe, eamque Apoſtolicam habuiſſe ſucceſſionem. Hoc factum primi ipſi Reformatores fatentur. Negare nequeunt, Eccleſiam, quæ pro capite Papam habet, prioribus ſex ſæculis veram fuiſſe Eccleſiam; hoc etiam fatentur. Ergo talis quoque erat, cum Proteſtantes ab illa diſceſſerunt. Eccleſia enim ſemper eadem ſubſiſtere debet per promiſſiones JESU CHRISTI, ſemperque eſſe debet una, Sancta, & Catholica. En alteram reſponſionem, cui nihil objici poteſt. Proteſtantes antequam ſecederent, recitabant Symbolum Conſtantinopolitanum, quod hæc habet explicita verba. *Credo in unam Eccleſiam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam.* Ergo credere profitebantur, tunc eſſe in Mundo Eccleſiam, cui quatuor illi characteres congruerent. Illi ſeceſſionem fecerunt ab hac Eccleſia, quæcumque tandem illa ſit; neque ſeſe conjunxerunt cum alia aliqua ſocietate, quæ tunc eſſet in terris: Calvinus hoc explicitis verbis teſtatur; illi omnino ſeorſim novam religionem inſtituerunt. Interpolarunt Paſtorum ſucceſſionem Eccleſiæ prorſus neceſſariam. Ipſi in ſua fidei confeſſione profitentur, Deum extra ordinem ſuſcitaſſe Paſtores, qui regerent Eccleſiam, quæ jam corruerat, & ut ſchiſmati ſuo fucum aliquem allinerent, dicere auſi ſunt, Eccleſiam non ſubſtitiſſe amplius, & Paſtores omnes amiſiſſe jus ad Miniſterium, & Eccleſiæ ſtatum interruptum fuiſſe; quod S. Auguſtinus appellat blaſphemiam omnino oppoſitam promiſſionibus J. C. qui palam profeſſus eſt, ſe cum Eccleſia ſua futurum uſque ad ſæculorum conſummationem. *Recens Auctor.*

Erat unio inter fideles qui componunt Eccleſiam Catholicam.

Omnia Eccleſiæ membra inter ſe conjuncta ſunt; quoniam omnia unum corpus conſtituunt, cujus caput eſt JESUS CHRISTUS; ita ut verum ſit dicere, illa omnia eſſe membra corporis Myſtici JESU CHRISTI, & membra ipſius JESU CHRISTI. Hæc membra ſimul conjuncta ſunt interioribus, atque exterioribus vinculis. Interiora ſunt ejuſdem ſpiritus participatio, ab eodem inviſibili capite dependentia, gratiarum communicatio; exteriora vero ejuſdem fidei profeſſio, eadem ſpes, eorumdem Sacramentorum participatio, iiſdem Paſtoribus obedientia. Hoc intelligendum eſt de fidelibus omnibus, qui vivunt ſimul ſuper terram, non autem de omnibus membris generatim: Judæi enim ex. gr. non habebant eadem Sacramenta; eoſdemque Paſtores, quos Chriſtiani, & hi poſt mortem ceſſant adhærere fidelibus in terra viventibus per dependentiam ab iiſdem paſtoribus. *Auctor recens.*

Hæretici non ſunt in omnibus hæretici.

Hæretici non in omnibus ſunt Hæretici; cum in Eccleſia plures credunt Fidei veritates; eorumque hæreſis in hoc ſita eſt, quia dividunt fidem, quæ una eſt, & credunt, vel rejiciunt veritates, quas fides docet, ad arbitrium: quin ullam habeant rationem Eccleſiæ eas proponentis. Cum ab Eccleſia recedunt ab illa mutuati ſunt eas veritates quas credunt cum illa. Itaque jure optimo veritates, quas Hæreticæ ſectæ profitentur, reſpiciuntur tamquam antiquiores in Eccleſia, quam ortus Sectarum ipſarum: & hoc pacto permittit Deus, ut hæreſes ipſæ mirum in modum ſubſerviant Eccleſiæ, ad invicte probandam doctrinæ ſuæ veritatem, & doctrinæ vetuſtatem. Ita utitur Eccleſia contra Ethnicos teſtimonio Judæorum apertiſſimorum Chriſtianæ Religionis inimicorum, qui ſunt argumentum ſemper ſubſiſtens veritatis Scripturarum & Prophetiarum; utitur etiam Samaritanorum teſtimonio, qui Judæis ſeparati ſunt ante Babylonis captivitatem; ad probandum Scripturas, quæ Judæis, & Samaritanis erant communes, & quæ ſunt Chriſtianæ Religionis fundamentum, vetuſtiores eſſe diviſione decem Tribuum: Utitur quoque teſtimonio antiquarum Sectarum jam pridem ab Eccleſia ſeparatarum, ex. gr. Orientalium Schiſmaticorum, qui ſemper crediderunt, & exercuerunt, quod credit, & exercet Eccleſia in iis, quæ pertinent ad Sanctum Miſſæ Sacrificium, ad orationem pro Mortuis, ad Sanctorum invocationem &c. ad probandum horum omnium dogmatum antiquitatem contra novos hæreticos, a quibus impugnatur; uteturque fortaſſe deinceps Lutheranorum, & Calviniſtarum teſtimonio ad probandam alterius cujuſpiam dogmatis antiquitatem contra ſectas alias, quæ futuris ſæculis fortaſſe oborientur. *Idem.*

Poſt

In Eccleſia nunquam defuerunt hæretici, & Schiſmatici.

Poſt Chriſtianæ Religionis inſtitutionem, Eccleſiæ ſemper pugnandum fuit contra Hæreſes, & Schiſmata; pugnandumque ſemper erit uſque ad ſæculorum conſummationem. Nullus eſt ex articulis fidei, qui ab aliquo Hæreſiarcha, oppugnatus non fuerit, adeo neceſſarium eſt, dicit S. Paulus, & hæreſes eſſe. At enim, inquies: Cur permittit Deus, Eccleſiam ita oppugnari ab hæreticis vel Schiſmaticis Societatibus? Dicerem, Deum id permittit pluribus, iiſque graviſſimis de cauſſis: quæ omnes cedunt in Eccleſiæ gloriam, atque utilitatem. 1. Ad exercendam juſtitiam quidem ſuam in eos, qui veritatis partes deſerunt, miſericordiam vero ſuam in eos, qui iiſdem conſtanter adhærent: *univerſa enim via Domini miſericordia, & veritas*, inquit Rex Propheta. 2. Ad periculum faciendum per has tempeſtates illorum, qui ſunt in fide conſtantes. 3. Ad exercendam patientiam, & Eccleſiæ caritatem, & ad Electos ſanctificandos. 4. Ad anſam præbendam melius explanandi Religionis veritates, & S. Scripturas. 5. Ad exercendam Paſtorum vigilantiam, eoſque excitandos, ut diligentius pretioſum fidei depoſitum ſervent. *Idem.*

Ea quæ nos retinent in Eccleſia.

Cum S. Auguſtino fatemur plura eſſe quæ nos retinent jure in Eccleſia Catholica. Conſenſus Populorum, & Nationum, auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, aucta Caritate, confirmata antiquitate, & ſucceſſione Sacerdotum ab Apoſtolica S. Petri Sede, cui Dominus noſter per Reſurrectionem ſuam præceperat, ut ſuas oves paſceret uſque ad Præſentem Epiſcopatum: nomen Catholicæ, quod non ſine cauſſa, hæc una retinuit Eccleſia tot inter hæreſes; & ob eamdem cauſſam nomen Romanæ, quod uſque in hanc diem nullus ſibi hæreticus uſurpavit. *Idem.*

S. Petrus eſt fundamentum regiminis Eccleſiæ.

Cum Eccleſia ſit Fidelium ſocietas, & primum objectum Fidei Chriſtianorum, quatenus Chriſtianorum, ſit JESUS CHRISTUS; hac ipſa de cauſſa JESUS CHRISTUS primum eſt Eccleſiæ fundamentum, & non aliud poni poteſt, niſi ille ad ſtatuendam, ac fundandam fidem Chriſtianiſmi. Præterea cum ad hoc ut vere Chriſtianus ſis, non ſufficiat te credere in JESUM CHRISTUM, & te in corde tuo fidem ſervare, niſi etiam confitearis te in ipſum credere; ideo Eccleſia innititur etiam confeſſioni divinitatis JESU CHRISTI. Denique præter fidem, & publicam illius profeſſionem, opus eſt etiam Eccleſiam, quod regnum eſt JESU CHRISTI, optime gubernari. In hunc finem poſuit ille Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, atque Doctores, ut operentur ad perfectionem Sanctorum ſecundum functiones miniſterii ſui in ædificationem JESU CHRISTI. Hinc, propter præclaram illam confeſſionem Divinitatis Filii Dei, quam S. Petrus pro omnibus Apoſtolis elicuit, ille conſtitutus fuit fundamentum miniſterii, & regiminis Eccleſiæ, eique collata cura, & auctoritas ſuper ceteros, qui ſunt in muneribus ſuis, ac miniſteriis ſubalternis, tamquam Capiti ſuo ſubordinati. Quapropter JESUS CHRISTUS immediate poſt illam conferens ei ſupremam hanc in Eccleſia poteſtatem, atque auctoritatem dixit illi: *Tibi dabo claves Regni Cælorum; quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Hæc autem promiſſio non adimpleri non poterat, & adimpleta fuit, cum Dei Filius poſt Reſurrectionem ſuam ter deinceps dixit illi: *Paſce oves meas. Auctor recens.*

Diſcrimen inter auctoritatē peculiarē S. Petro collatam, & illam quæ Apoſtolis conceſſa fuit.

Secundum Patrum ſententiam, præſertim vero S. Auguſtini, JESUS CHRISTUS dixit S. Petro, *Paſce agnos meos*; eique dixit hæc verba tamquam illi, qui erat Eccleſiæ figura pro omnibus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, qui & ipſi ex D. Paulo ſunt Eccleſiæ fundamenta, & quibus JESUS CHRISTUS dixit, quodcumque ipſi ligaverint ſuper terram, in Cælis quoque ligatum iri, & quodcumque in terris ſolverint, in Cælis quoque iri ſolutum. Sed inter S. Petrum, & alios hoc diſcriminis intereſt, quod cum omnibus loquitur in communi, illis tribuit, quod omnibus Apoſtolis commune eſt, & in quo omnes ſunt pares; puta facultatem ſacrum faciendi, docendi omnes gentes, baptizandi, remittendi peccata, & quidquid ad alias pertinet functiones Apoſtolicas. Cum vero peculiariter Petrum alloquitur, illi tribuit, quod illius proprium eſt, loquens numero ſingulari, ad ſtatuendam in Eccleſia ſua unitatem, cujus illum ſtatuit principium, & fundamentum, & ad quem ceteri ſeſe referre debent, ut cum illo ſint unum per unionem ab illis neceſſario habendam cum Capite, ſine quo nihil ſunt, & nihil poſſunt. Nam ſicuti S. Petrus primus fuit, qui palam confeſſus eſt Divinitatem JESU CHRISTI, quam per revelationem didicerat, & quam alii ex eo tantum intellexerunt, & non niſi per organum illius reſponderunt veritati huic conſentientes: ita JESUS CHRISTUS in gratiam primatus confeſſionis hujus, dedit illi primatum ſuper ceteros, illum eorum Caput conſtituens. *Idem.*

Tot inter ſectas diverſas in veræ Eccleſiæ cognitione falli non poſſumus.

Quam nocentes ſunt illi, qui aberrant a recto tramite, quamvis intra Chriſtianæ religionis ſepta ſeſe contineant? Poſſunt ne oculos circumferre in has omnes Eccleſias JESU CHRISTI nomine inſignitas, & non ſtatim perſtringi ea luce, qua una tantum inter reliquas fulget? Divinæ promiſſiones adeo ſollemniter factæ primo Paſtori, non intermiſſa Pontificum ſuorum ſucceſſio, fons Sacerdotii reſidens in illa, depoſitum ſacrum dogmatum ſine ulla mutatione ſervatum per tot ſæcula, vox antiquitatis totius ſtantis pro illa, nonne illam ſecernunt ab aliis Eccleſiis, quæ rami ſunt ſteriles, & igni devoti, qui avulſi ſunt a ſtipite, unde extiterunt, & qui unus vitam illis poterat communicare? Videtur culmen eorum, qui illam ignorant, quamvis undique coruſcantem, non tantum eſſe, non quærere veritatem, quam illam evitare. Hujuſmodi ſunt triſtes effectus primæ præventionis. Prohibet examen ſibi moleſtum, vel ſaltem ſe illi inſerit, atque corrumpit: omnimodam parit cæcitatem, vel ſaltem faſcinat oculos fons ſecuritatis cum qua plerique ambulant in viis pernicioſis, in quas ſua illos conjecit nativitas; ſed alia ex parte ſi genus beatius, vel ſingularis Cæli gratia illos ab adeo terribili infortunio præſervavit, vias norunt eligere, quarum exitus non minus funeſtus eſt, & in quibus pari ambulant cum ſecuritate ſemper induſtrii, ut ſibi ea inferant mala, quæ naturæ beneficio evitaverant. *Primus Sermo Academiæ anni 1695.*

Quam arduum ſit hæreticos ad Eccleſiam Catholicam revocare.

Quamvis ratio Proteſtantibus ſuadeat ſolam Eccleſiam Catholicam eſſe vere Chriſtianam Religionem, ſemper ægre cum hac Eccleſia conjunguntur, & plures id ſibi perſuadere non poſſunt. Sed non eſt, cur miremur; fallacia enim præjudicia, quæ quodammodo cum lacte ſuxerunt ab ipſa nativitate per odium, quod parentes ipſi in illis inſtillarunt adverſus Eccleſiam Catholicam errore decepti, unus eſt ex maximis obicibus eorum converſioni. Adde his Eccleſiam hanc exigere ab illis ut plura credant humanæ menti incomprehenſibilia, quæ per ſuperbiam penetrare vult quidquid luminibus ejus maxime præſtat, eaque temere ſuo judicio ſubmittere. Denique Eccleſiæ hujus diſciplina vim facit omnibus maxime naturalibus hominum ſtudiis, atque ut verbis utar celeberrimi Auctoris: *de illa conqueritur amor proprius, illam pati nequit voluptas, ſuperbia ſuam in illa reperit exinanitionem. Hæc eſt paradoxum ſenſuum, ſpiritus, cordis, atque naturæ.* Itaque cum aliquis ex adverſariis noſtris oculos incipit aperire, & init conſilium ſeſe iterum cum Eccleſia catholica conjungendi; occurrit illi turba difficultatum, quæ ſunt adeo moleſti obices converſioni ipſorum, ut indigeat ope pluſquam humana, ut illos infringat. Tota gratiæ virtus requiritur ad hunc effectum. Poſſumus quidem probare adverſariis noſtris, illos nunquam futuros veros Chriſtifideles, niſi in Eccleſiæ ſinum redierint; ſed Dei unius eſt illos convertere. *Liber cui titulus: Religionis defenſio.*

Eccleſia regnū eſt poſſidens auctoritatem juriſdictionis.

JESUS CHRISTUS eſt Rex, & Eccleſia regnum illius. Communis ſenſus per ſe ſolus dicit; ergo oportet, ut Fideles pareant legibus JESU CHRISTI, & divina illius auctoritate regantur. In republica Magiſtratus habent & Teſtium, & Judicum auctoritatem. Cum adimplent leges Principis, publici teſtes ſunt, qui populo teſtantur; Edicta hæc, vel illa a Supremi domini voluntate emanare. Et cum populum adigunt ad illas ſervandas, Judices ſunt inducti auctoritate legiſlatoris ad puniendos earum prævaricatores. Utrumque etiam in JESU CHRISTI regno debet inveniri; quia hoc generatim pertinet ad regni eſſentiam quodcumque tandem illud ſit, ſeu ſpirituale, ſeu temporale. Illud tantum mihi intereſſe diſcrimen videtur, quod in regno temporali requiritur ſimpliciter auctoritas ſuprema, non tamen omnino infallibilis. *Idem.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Eccleſia infallibilis eſt in iis, quæ ad fidem pertinent, quatenus Judex æque ac quatenus teſtis. Ratio prima eſt judicium, ac teſtimonium illius proprie unum & idem eſt: *Sicut audio, judico*, dicebat JESUS CHRISTUS. Tantumdem dicit Eccleſia; deciſiones ejus de fide non aliud ſunt, quam declaratio eorum, quæ audit, & quæ ſibi tamquam depoſiti loco credita ſunt. Ratio altera ea eſt, æque eſſentiale eſſe Eccleſiæ falli non poſſe in judiciis ſuis, ac eſſentiale ſupremo Magiſtratui ſuprema ferre judicia. Quare? Quia auctoritas JESU CHRISTI exercetur in ſpiritum, quemadmodum Magiſtratus auctoritas exercetur in corpus. Ita ut auctoritas, quam habet Eccleſia, talis eſſe debeat, ut ſpiritus illi parere teneatur; quemadmodum auctoritas, qua Principis Miniſtri pollent, debet eſſe talis, ut corpus eorum imperio ſubeſſe teneatur. Sed ſpiritus cogi nequit, ut ſubeat judicium niſi infallibile, quemadmodum cogi non poteſt ſubire ſententiam niſi decretoriam, & ſine provocatione; Reſpublica ſubſiſtere nequit, niſi ſupremam habeat auctoritatem; Eccleſia eſſe non poteſt ſine infallibili auctoritate. *Idem.*

Quænam ſunt prærogativæ Eccleſiæ Catholicæ.

Eccleſia, quæ, ne loquamur de illius Sapientia, & cognitione, quam Doctores in illa deprehendunt, & qua ſuper alias ſocietates attollitur, certe poſſidet auctoritatem, rudibus etiam perſpicuam, ſuperiorem auctoritati ceterarum ſocietatum, & cum qua ne certare quidem audent; ab aliis diſtinguitur nomine venerabili *Eccleſiæ Catholicæ*, quod illi permanſit, & quod illi nunquam negatum fuit, cum certiſſime ſit truncus, a quo rami aliquot ſubinde divulſi ſunt, ſed qui nunquam eſſe deſiit corpus arboris, cui adhærere debebant.

bant. Venerabilis eſt propter multitudinem populorum, qui illam componunt, & qui deſcendunt per lineam rectam ab illis, quos Apoſtoli primos ſub Crucis vexillo congregaverunt. Venerabilis eſt propter teſtimonia, quæ omnes iſti populi perhibent illis, qui perceperunt a Patribus eorum fidem, quam profitentur, & quam Patres eorum perceperant a Majoribus ſuis remotioribus, qui hauſerant illam ab Apoſtolis: ita ut hoc depoſitum ab Apoſtolis ad eos uſque venerit per ſucceſſionem, in qua nulla inveniri poteſt vera interpolatio. Venerabilis eſt per conſtantem ſucceſſionem Paſtorum, & Epiſcoporum ſuorum, qui omnibus ſæculis authentica, & regulari ratione ordinati fuerunt. Hæc eadem Eccleſia Catholica eſt, quæ poſt ſuperatum Ethnicorum, Judæorumque furorem miraculorum ſuorum fulgore, & Martyrum conſtantia, adepta eſt novum gloriæ gradum per puritatem, & unitatem fidei, quam ſemper ſervavit incolumem, quidquid adniſi fuerint Hæretici, atque Schiſmatici, & per maledictionem, qua recentes iſti adverſarii palam percuſſi fuerunt per ejuſdem anathemata. Venerabilis etiam eſt hæc Eccleſia per Sacrorum Bibliorum depoſitum, illi commiſſorum, quæ alioquin ignoraremus, & per opera, & nomina omnium Patrum, atque Doctorum, qui omnes gloriati ſunt, ſe illius filios eſſe, & qui omnes ſuis quiſque temporibus reſpexerunt illam tamquam fidei ſuæ fundamentum, tamquam fontem, unde hauriebant, & perſuaſionem, quam habebant de Scripturæ divinitate, & cognitionem veri ſenſus ejuſdem. Hæc denique illa eſt Eccleſia, cui ſi Hæretici dogmatum veritatem negarunt, nunquam tamen negarunt eminentiam auctoritatis, cujus poſſeſſione ſemper gaviſa eſt, & contra quam diſceptatores nunquam excuſatione digni habiti ſunt: quandoquidem non niſi ex illius teſtimonio doceri poſſumus, quæ ſit, quæ non ita Apoſtolorum Doctrina. *Papin Miniſter Proteſtantium converſus.*

Proteſtantes doctrinam, & miſſionem ſuā nequeunt probare.

Apud Proteſtantes probari quidem poſſet teſtimonio totius Orbis Chriſtiani, Apoſtolos operatos fuiſſe miracula, quæ oſtendebant illos Dei nomine locutos fuiſſe: ſed probari non poſſet eodem teſtimonio, particulares Proteſtantium opiniones ab Apoſtolis traditas fuiſſe; quoniam hoc teſtimonium Proteſtantibus adverſatur. Hoc factum eſt nemini non compertum, atque exploratum, illos ſuperiori ſæculo ſeceſſionem feciſſe ab Eccleſia Catholica, in qua nati erant, & educati; eos ſibi peculiarem delegiſſe doctrinam, & nuntium miſiſſe doctrinæ illius, quam a Patribus ſuis acceperant. Aliud etiam factum eſt, de quo ſatis conſtat, & eo quod Proteſtantes ipſi fatentur; Eccleſiam Catholicam nunquam ita operatam fuiſſe, neque profeſſam uſpiam fuiſſe, ſe diſceſſiſſe ab ea doctrina, quam a Majoribus ſuis acceperunt. Ecce hinc quidem publicum teſtimonium, Proteſtantes reliquiſſe eorum doctrinam, a quibus eruditi fuerant, atque baptizati: Inde vero nullum huic ſimile teſtimonium afferri poteſt, ante ipſos, Eccleſiam, a qua ſeceſſerunt, reliquiſſe doctrinam Patrum ſuorum, ſed e contra perpetuum teſtimonium ipſam nunquam ab ea diſceſſiſſe. Quid unquam prohibere poteſt, ne dicamus, Proteſtantes innovaſſe? Univerſale teſtimonium illos redarguit, & clamat Doctrinam eorum illam non eſſe, quam ab Apoſtolis receperunt, & quæ illis tamquam Apoſtolica tradita fuerat. *Idem.*

Quantum ſit vis Eccleſiæ Catholicæ.

Catholica Eccleſia ſola ſuffulta eſt perfecto teſtimonio, quod veluti gladius anceps altera ex parte ferit infideles, ex altera autem hæreticos. Confundit infideles, qui fatentur ea, quæ JESUS CHRISTUS, & Apoſtoli docuerunt, ſed qui illos fide negant dignos fuiſſe eiſque oſtendit maxime eorum teſtimonio, quæ nunquam in dubium revocari poſſunt; videlicet factis publicis, JESUM CHRISTUM, & Apoſtolos infinita operatos fuiſſe miracula, in quibus palam apparet digitus Dei. Confundit Hæreticos, qui agnoſcunt auctoritatem JESU CHRISTI, & Apoſtolorum, ſed qui negant doctrinam eorum non eſſe ab illis profectam. Oſtendit illis etiam non ſine maximo id genus teſtimonio, quod in dubium vocare per rectum ſenſum non licet, JESUM CHRISTUM, atque Apoſtolos docuiſſe articulos fidei. Modo autem factis id genus levia objicere argumenta, hoc ſane eſt ridiculos homines imitari, argumentis probare adnitentes, aliquid fieri nequaquam poſſe, cum interim illud probatum videant pluribus oculatis teſtibus, de quorum bona fide dubitari non poteſt. Proteſtanter profecto non ſatis aſſecuti ſunt Dei mentem, qui ut Religionem certam efficeret, illam pendere voluit a factis. Ipſi ideam hanc evertunt, eamque pendere volunt a theorematibus, in quibus in infinitas aberrant ratiocinationer, & in ſexcentas abeunt ſententias ſecum invicem pugnantes. *Papin, qui ſupra.*

Proteſtantes rerum naturam invertunt, ſi facta in theoremata immutant.

Deus in Scriptura paſſim nos remittit ad Eccleſiam; quia ſcire, quid Eccleſia doceat, factum eſt. Proteſtantes hoc factum in theorema convertunt, & inquiunt; Eccleſiam non eſſe audiendam, ut veritas innoteſcat. Propoſitio æque ridicula, ac illa, quæ ſequitur: Magiſtratus conſulendus non eſt, ut Legis ſenſum aſſequamur; ſed inquirendus eſt legis ſenſus, ut inde innoteſcat qualis eſſe debeat Magiſtratus. Voluit JESUS CHRISTUS, nos parere Miniſtris ſuis, illis ſaltem quorum vitæ rationem vel per ſe, vel per Eccleſiæ legem non improbaret: *Qui vos audit, me audit*, dicebat illis. Lucæ 10. Id voluit JESUS CHRISTUS quia factum eſt ſcire, quinam ſint Miniſtri a Deo conſtituti, & qui per regularem ordinationem, quæ nunquam interpolata fuit, replent locum Apoſtolorum. Factum eſt ſcire, quænam ex illis nihil unquam mutare voluerint in fide, quam a Patribus ſuis acceperunt. Denique aliud quoque factum eſt, ſcire quid hodierna die doceant, & quod profitentur ſemper traditum fuiſſe ab ipſis Apoſtolis uſque ad hæc tempora ſine ulla intermiſſione. Hæc igitur omnia facile ſciri poſſunt, & plena cum certitudine. Sed Proteſtantes hæc facta omnia in totidem convertunt theoremata: dicunt judicandum non eſſe de miniſterio, neque ex authentica ordinatione, neque ex regulari ſucceſſione, & non interpolata, neque ex profeſſione, quæ ſemper fieri potuit de doctrina non mutanda. Unde igitur judicium ferendum eſt? *Ex veritate.* Veri JESU CHRISTI miniſtri illi ſunt, qui detegunt verum ſenſum verbi Dei. Non refert utrum miſſionem habeant, nec ne. Non refert utrum profeſſi fuerint ſe mutaturos, vel ſecus aliquid in fide, quam acceperunt. Id unum quæritur, ajunt, qui nulla habita horum factorum ratione, hodierna die prodierit melius de his Evangelii Myſteriis eruditus. Videlicet Proteſtantes omnino volunt quocumque pretio, ſumptibus etiam recti ſenſus, tranſire de via tuta, & infallibili ad viam *incertitudinis*, & *fortaſſe etiam erroris*, & quin judicent de intentione Dei, & ſecundum ordinem naturæ de veritatibus theoreticis per veritates de facto; volunt per theoreticas veritates de veritatibus de facto ferre judicium. *Papin, qui ut ſupra.*

Idem ſequitur argumentum.

Verum, inquiunt Proteſtantes, poteſtis ne improbare conſilium a nobis initum ſequendi veritatem? Nunquid non ne unice veritatem ſequi oportet? Procul dubio, neque aliter Catholici ſentiunt. Sed quærendum eſt undenam veritas cognoſci poterit, & qua methodo uti debeamus ad eam inveniendam, quæ recto ſenſu probetur. Senſus communis docet de factis judicium ferendum eſſe per probationes de facto: non autem per theoremata. Scientiæ theoreticæ per argumentationes percipiuntur; ſed cognitio de factis non poteſt acquiri niſi per intuitum, & auditum probationum de facto. Hæc methodus eſt rationis ipſius, quæ ſane methodus innititur æternæ Sapientiæ, methodus, quæ una eſt ex primis veritatibus, quæ ſunt immutabiles. Methodum hanc evertere, velle de factis judicare per theoremata adeo parum expedita via eſt ad inveniendam veritatem, ut ſit potius ſus, deque rerum naturam permiſcere, & veritatem ſenſus communis excidio tumulare. Quæ de facto ſunt non niſi ſenſuum teſtimonio cognoſci poſſunt. Tamen Proteſtantes de illis judicium ferre volunt ſecundum ideas, quas ſibi ſecundum imaginationem ſuam ſibi proponere placet. Non igitur mirum, ſi aberrant. Sectæ omnes ſimiles eſſe videntur multis navibus, quarum nautæ ita ſunt vel rudes, vel temerarii, ut acu magnetica uti nolint itineris ſui duce. Deſtituti duce, licet omnibus ſit conſilium eodem tendendi, prorſus oppoſitas ſequuntur vias. Tamen eorum quiſque credere vult ſe veram arripuiſſe viam, & clamoribus, atque conjecturis id perſuadere conatur aliis. Omnes æque dementes ſunt, ne illis quidem exceptis, quibus forte contigerit illud, quod quærunt, iter invenire. Sed extrema eſt eorum dementia, cum nacti navim, quam certa dirigit magnes boream indigitans, & quæ illos tutum iter monſtrare poteſt, ducem ſpernunt, navim hanc aberrare contendunt, idque probare volunt argumentis, & conſtanti, atque invariabili directioni conjecturarum ſuarum præferunt vanitatem. *Papin.*

Peculiaris Proteſtantium ſenſus craſſa illuſio eſt.

Fruſtra Proteſtans ait: *Senſum habeo interiorem, perſuaſionem, internum intuitum. Niſi extrinſecus video fidei fundamentum, quod prorſus tutum ſit, Spiritus ſanctus me illuminat, atque intus me determinat. Gratia illius meum ſydus eſt, magnet meus.* Meræ illuſiones! Hic non eſt Chriſtianiſmus. Nemo negat, ſe intus egere ope gratiæ, quæ mentis oculos aperiat, & Cæli viam monſtret; quemadmodum nauta calleat opus eſt nauticam artem, ut ſciat, quænam ſibi eligenda ſit via; ſed præterea extrinſecus indiget pixide nautica, vel ſtella fixa, ut inde certe cognoſcere valeat, quænam ſibi ſequenda ſit via. Non ſatis eſt ipſum tenere ſibi in Africam ituro, meridiem verſus flectendum eſſe iter; eo nunquam ferri poterit, ſi in mari poſitus non habuerit exterius aliquod objectum, quod illi meridiem oſtendat. Hoc ipſum de Religione dicendum: non ſatis eſt, ad hoc ut ſalvus fiam, ſcire veritatem mihi eſſe amplectendam; neque ſufficit, gratiam mihi mentem injeciſſe veritatis ſequendæ; atque cor meum ad illam excipiendam præparaſſe. Oportet etiam, ut actu mihi veritas ipſa oſtendatur; hoc eſt, neceſſe eſt ex duobus alterum, ut vel illam mihi revelet Deus immediate, ut olim prophetis, vel ut aliquod exterius objectum mihi illam indigitet, & infallibili modo tradat cognoſcendam. Hoc autem objectum exterius nonniſi in Catholica Eccleſia reperio. *Papin.*

Eccleſia, & Chriſtiana Religio rationabi-

Chriſtiana Religio præcipit, ut noſmet ſubjiciamus, ſed ratione ducti, non caſu. Præcipit, ut noſmet ſubjiciamus hominum ritu, non brutorum; & Proteſtantes

ſtantes

Digitized by Google

…itio requirit ſubmiſſionem. Quomodo & in quo conſiſtat.

ſtantes calumniantur Catholicis, cum ſe ſe fatentur cæce, ac ſine ulla ratione ſubjicere. Illi quidem abſolute, & ſine ulla exceptione ſubjiciunt; ſed illos nequaquam ſine cognitione id exequi probatur, quia ab illis nequaquam impetrabitur, ut eamdem præſtent obedientiam alteri auctoritati, quæ non ſit Eccleſiæ illius, quæ ſine ulla oppoſitione ſemper Catholicæ titulo decorata fuit. Si negligentia, ac ſtupiditas corrupti populi efficeret, ut temere nimis calumniatoris, vel hæreſiarchæ tyrannidem pro legitima auctoritate uſurparet, præter quam quod id illam non excuſaret, facta in illis ipſis non ideo minus eſſent certa: neque minus verum eſſet, Chriſtianam Eccleſiam formaliter a Deo imbutam fuiſſe divina auctoritate, populum Judæorum eadem exutum fuiſſe, & deinceps eamdem auctoritatem non alteri Societati fuiſſe collatam; ideoque uni Catholicæ Eccleſiæ jus eſſe utendi auctoritate in Religione, damnandi cultum, & doctrinam aliarum Societatum: verbo, agendi, ut Matrem decet, & invigilandi hominum omnium ſaluti; quoniam re ipſa una illa eſt Sponſa JESU CHRISTI. Religiones falſæ hanc fortaſſe agendi rationem imitabuntur, cum illi vires non deerunt: hoc fieri poteſt, ſed id facientes exercebunt tyrannidem innixam uſurpationi, mendacio, errori; cum Eccleſia exerceat auctoritatem ſibi palam collatam ſ Deo. Præterea animadvertendum eſt examen non eſſe malum, niſi cum proficiſcitur ex principio ambitionis, & contendit ſe attollere ſuper Concilia, & univerſam Eccleſiam; ſed e contra laude dignum eſſe, cum oritur ex principio humilitatis, cum pro objecto habet noſtram imbecillitatem, & pro fine noſtram Eccleſiæ ſubmiſſionem. Tale examen eſt hominis, qui in Schiſmate natus, ad examen revocat, utrum jure ſibi ablatus fuerit dux quilibet præter ſuum cuique lumen, & cui perſuaſum eſt, ſe parem eſſe non poſſe, ut regat ſe ipſum, ubi agatur de religione, fatetur, ſibi ſemper ſequendum fuiſſe regimen Eccleſiæ, ac propterea ſibi ad Catholicam unitatem eſſe redeundum. *Papin.*

Fideles per fidem, & proprium examen certo ſciunt ſe ab Eccleſia a ſalutis via non amoveri.

Omnino opus eſt, ut adſit Eccleſiæ poteſtas decidendi quæſtiones omnes, quæ ad ſalutem pertinent, & fideles teneantur humiliter deciſionibus ejus acquieſcere. Et hoc exigit etiam, quod illi certi ſint Eccleſiam in iis quæ ad fidem pertinent, minime falli, in iis videlicet rebus, quarum cognitio ad ſalutem eſt neceſſaria. Ut autem certi ſint, ſufficit eos ſcire, nunquam futurum ut contra Catholicam Eccleſiam portæ inferorum prævaleant. Hæc eſt explicita promiſſio JESU CHRISTI, quam non præſtare non poteſt, & quæ ſufficit ad perſuadendum, ipſum permittere non potuiſſe, ut Chriſtiana ſocietas fuerit ſimul florentiſſima, maxime viſibilis, vetuſtiſſima, & ad cognoſcendum facillima, & ſimul doctrinam haberet, & cultum adeo corruptum, ut non eſſet amplius ad ſalutem via. Verum ſi nunquam defuere in Eccleſia ad ſalutem ſequirendam ſubſidia, jure affirmare poſſumus Eccleſiam nunquſm aberraſſe; quia *errare* eſt egredi e via, & Eccleſia nunquam a via ſalutis diſceſſit, ſi nunquam amiſit ſalutis ſubſidia. Quamvis etiam aliqua accidiſſet mutatio in iis, quæ neque ad fidem pertinent, neque ad mores; in hoc tamen erraſſe dicendum non eſſet, quia non ideo fuiſſet de via ſalutis egreſſa: Sed non ſolum per fidem, & JESU CHRISTI promiſſionem certi eſſe poſſumus portas Inferorum nequaquam prævaluiſſe contra Eccleſiam, & ibi omnia inveniantur ad ſalutem media, & nihil in ea reperiatur, quod ipſam impugnet, ac diruat; quod ipſa docet experientia, oculi, & examen facti. *Papin.*

De regimine Eccleſiæ.

Corpus ſine unione, & partium ſuarum relatione, & officio nequit ſubſiſtere. Hæ omnes aliæ ad alias invicem referri debent, ab eodem pendere capite, eidemque centro inhærere, alioquin Corpus diſſolvitur, ac neceſſario perit. Igitur ad Eccleſiæ incolumitatem nihil video magis neceſſarium, quam regimen Eccleſiaſticum, quale illud eſt Eccleſiæ Latinæ. Quin damnandus ſit Epiſcopi unius primatus, & auctoritas intra æquos cancellos coercita, nihil mihi videtur accommodatius ad continendos Fideles omnes invicem conjunctos, & efficiendum, ut omnes ſeſe mutuo tamquam fratres reſpiciant. Si rite ad examen revocentur mala omnia, quæ ex seceſſione, atque ſchiſmate proficiſcuntur: liquebit, fortaſſe nullam majorem Eccleſiæ contingere poſſe calamitatem, quam ſciſſam eſſe in partes, & vix, & ne vix quidem legitimam fingi poſſe ſciſſuræ cauſſam, quis malum, quod proficiſceretur ex hac Eccleſiæ laniena, ſemper longe deterius eſſet malo, quod per ſciſſuram hanc evitari quæreretur. Si omnes Schiſmatici intelligerent, quantum neceſſaria ſit inter Chriſtianos omnes unio, non ſolum ad inſpirandam ultro citroque mutuam caritatem, & fraternum amorem, qui eſt anima Chriſtianæ religionis, verum etiam ad Eccleſiæ incrementum, chriſtianæ fidei propagationem, ferendamque in omnes terras lucem Evangelii, faterentur, quo magis regimen Eccleſiaſticum innititur unitati, eo magis unioni conferre, eo aptius eſſe ad retinenda omnia Eccleſiæ membra, & eo magis ad perfectionem accedere. Paterentur fingi non poſſe ideam regiminis perfectioris illo, quod in Eccleſia Catholica viget, & quod eſt, eritque ſemper propterea florentiſſimum ceterorum. Faterentur, intereſſe omnium non ſolum Proteſtantium, ſed Græcorum, Aſiaticorum, aliorumque ſemet huic ſubjicere regimini, redire ad hanc diſciplinam, & unitatem. Si quid facem Evangelii poteſt extinguere, ſane id poſſunt ſeceſſionis, atque ſchiſmatis proceſſæ; ſi quid prodeſſe poteſt, ut fulgidius eniteſcat, ejuſque ſplendor nationibus omnibus illuceſcat, hic erit ignis caritatis, qui inflammari, & inſignes effectus producere non poteſt niſi per concordiam, atque conſenſionem. Plura ligna magnum excitare ignem non poſſunt, niſi ſimul ardeant, & ſimul ſuas flammas conſocient: Divide omnium Chriſtianorum corda, ea invicem divelle; lumen eorum extinguetur, & calor per ſemet ipſum interibit. Conjunge omnium Chriſtianorum corda, & inde lumen exiſtet, & ardor, qui certiſſime in terram univerſam ſe effundet. *Papin.*

Quamvis Proteſtantes in articulis quibuſdam rationem haberent, non tamen ſuam ſeceſſionem [illegible] bare poſſent.

Etiamſi Proteſtantes in articulis quibuſdam rationem haberent, exempli gratia, etiamſi omnino probari non poſſet Sanctos audire preces Militantis Eccleſiæ, & Eccleſiam citra grave incommodum non poſſe populo calicem reſtituere (neque enim alios articulos video, in quibus ulla ſit ſpecies ſupponendi Proteſtantibus rationem favere poſſe) hæc omnia non ſatis validum eſſent argumentum Schiſmatis, atque ſeceſſionis: In his quippe rebus ſubmiſſio, & ſilentium Deo longius gratiora fuiſſent, quam hujuſmodi Sacrificium! Opus Chriſtiano viro dignius fuiſſet futurum ſacrificare caritati, & paci Eccleſiæ diſputationes adeo parum neceſſarias; & æquo animo tolerare quidquid objiciendum occurrebat, quam hujuſmodi quæſtionibus Chriſtianam Caritatem, unionem, & Eccleſiæ tranquillitatem ſacrificare! Ceterum Catholici non ſolum omni culpa carent in iis, quorum nomine a Proteſtantibus inſimulantur; ſed quamvis in re aliqua fallerentur, præterquam quod id accideret in re, quæ nequaquam officeret ſaluti, eorum error non eſſet cum erroribus Proteſtantium comparandus? neque Spiritui Evangelii contrarius. Catholici ſemper Proteſtantibus præpollerent, & jure, ac merito illud ipſis dicere poſſent: Cur videtis feſtucam, quæ eſt in oculo fratrum veſtrorum; trabem vero, quæ in oculis veſtris eſt, non videtis? *Idem.*

Proteſtantibus Schiſma crucem non figit.

Cum apud Proteſtantes ſinguli Doctores, quantum poſſunt, alios obſtringant, ut ſententiis ſuis ſubſcribant, & nullum habeant Supremum Judicem, qui illos ſimul valeat conciliare, & cujus judicio debeant acquieſcere: nemo ægre, & gravate ferre debet videns fratrem ſuum a ſe diſſentientem, atque ſeceſſionem facientem, ubi cogendus fuerit, ut alienæ opinioni ſubſcribat, vel illum doceat. Cum ſeceſſerint illi ab Eccleſia Romana per libertatis principium, cumque privatis neceſſitatem imponant proprias tantum ideas ſequendi; juxta hoc idem principium, damnare non poſſunt diviſiones, & ſchiſmata, quæ jugiter apud illos ſuboriri conſueverunt. Hinc fit, eodem tempore, quo ipſi ſemet ſejungunt, & viciſſim ab aliorum communione ſecedunt, illos non audere ſibi invicem palam inferre crimen, quod a via ſalutis aborreant; omnes enim Scripturam ſequi ſe contendunt, cumque ſingulis ſit par jus illius explicandæ, nemini jus eſt accuſandi fratrem eo nomine, quod a Cæli receſſerit via, cum inter ipſos de hac Scripturæ explicatione nequaquam conveniat. *Papin.*

Prærogativa Eccleſiæ Catholicæ.

Fideles omnes fateri tenentur unam duntaxat eſſe Eccleſiam veram, & legitimam Agni ſponſam, extra quam nulla ſalus eſt; quia qui Eccleſiam non audit, habendus eſt tamquam Ethnicus, quia Deus illi ſemper pollicitus eſt opem Spiritus ſancti, ipſa fundamentum eſt, & fulcrum Veritatis ſecundum Apoſtolum, ideoque errare non poteſt. Illa poteſtatem habet nos ſubjiciendi, & cogendi, ut legibus illius pareamus. Quicumque audit illam, audit Filium Dei, & hunc contemnit, qui contemnit illam. Quamvis non deſint in illa pravis imbuti moribus homines, ab illa ideo ſecedere nefas eſt. Spiritus ſanctus nunquam deſerit Eccleſiam ſuam, quamvis nonnullorum Eccleſiaſticorum vita corrupta ſit, & pravi exempli. Notæ ex quibus diſtinguitur non ſunt æquivocæ, ſed propriæ, & peculiares. Non licet interpretari, & intelligere Sanctam Scripturam aliter ab Eccleſiæ veræ interpretatione. Denique ſuperbia eſt non ferenda præferre proprium ſenſum Eccleſiæ univerſalis Judicio. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

De Conciliorū auctoritate.

Ruffinus libro primo Hiſtoriæ ſuæ Capite quinto narrat, Imperatorem Conſtantinum, ubi audiit quod a Nicæna Synodo ſancitum fuerat, illud tamquam ſententiam de Cælo dilapſam acceptaſſe, & profeſſum fuiſſe, ſe adverſaturum illis, qui eidem contradicerent, & divina illius decreta violarent. S. Auguſtinus ait, ubi aliqua conſuetudo in Eccleſia univerſim ſervatur, ſpectandam eſſe tamquam ab Apoſtolis profectam, vel a Generalibus Conciliis manantem,

quo-

Digitized by Google

quorum auctoritas, ait ille, *ſemper ſaluberrima fuit Eccleſia*. Ex libro primo contra Donatiſtas ſcribit Controverſiam de rebaptizandis illis, qui ab Hæreticis abluti fuiſſent, non niſi per plenam, & generale Concilium finem eſſe habituram; & libro ſecundo Capite primo docet, id quod in generali Synodo decretum fuit, præferendum eſſe privatæ auctoritati Epiſcoporum, & Conciliorum Provincialium; cumque alibi præſupponere videatur generalia Concilia falli poſſe, cum ait, illa aliis *ſupervenientibus aliquando emendari*; animadvertendum eſt ipſum non loqui de articulis fidei, ubi nihil eſt corrigendum, ſed de Eccleſiaſtica Politia, & de iis, quæ pertinent ad mores, ubi neceſſe eſt, mutationes occurrere pro variis temporum, locorum, & perſonarum circumſtantiis. Dicere etiam poſſumus nomen *pleni*, vel *plenarii* apud S. Auguſtinum deſumi pro *ampliori*, vel *nationali*, non autem pro univerſali, veluti cum alio in loco plenariam vocat, Synodum Hipponenſem; & Patres Tertii Carthaginenſis Concilii, inter quos ipſe aderat S. Auguſtinus, Capuanum Concilium plenarium appellent. Fatemur autem particularia, ſeu Provincialia, ſeu Nationalia Concilia falli poſſe. Diſtinctio hæc refutari non poteſt, quandoquidem ipſe etiam utitur eadem libro ſeptimo contra Donatiſtas, cum ait neminem temere ſeſe immiſcere debere, ut ſuſtineat opinionem, quæ acceptata non fuerit ab aliquo *Regionali* Concilio (quo nomine Provinciale ſignificat) ſed ea, quæ confitetur, accepit, & confirmavit *univerſalis Eccleſia*, quæ ſubeſt regimini Domini noſtri, & Salvatoris JESU CHRISTI, poſſe a quopiam cum omni certitudine ſuſtineri. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Quæ neceſſaria ſunt ad Concilium Oecumenicum conſtituendum.

Concilia eſſe debent œcumenica, ut vim habeant conſtituendi articulum de Fide; debent eſſe libera, ne contriſtetur Spiritus ſanctus, & ut veritas locum habeat. Præterea Conciliorum libertas non pendet, neque metienda eſt ex hominum libidine, & ſecundum privati cujuslibet deſideria, ſed ex judicio Cœtus totius. In illis procedendum eſt cum ſpiritu caritatis, humilitatis, & veritatis. Ut autem ſint legitima, convocanda, cogendaque ſunt auctoritate illius, qui ſupremum Paſtorem deſignat, & qui illius locum tenet in Eccleſia. Denique per Concilia Catholicus ab Hæretico ſecernitur; membra cum capite, caput cum membris conjunguntur, & fit unum Ovile, & unus Paſtor. *Idem.*

Membra Eccleſiæ aliqua interdum participant de bonis Eccleſiæ, ſed non de omnibus.

Fideles omnes pertinent ad Eccleſiæ unitatem, quemadmodum diximus, ſed Corpus duntaxat amittere nequit hanc unitatem. Privati inde poſſunt avelli. Hoc ipſum dicendum eſt de Eccleſiæ Sanctitate. Omnia membra ad Sanctitatem vocata ſunt, non autem omnia Sancta ſunt, & quæ Sancta ſunt, a Sanctitate excidere poſſunt. Hoc ipſum dici poteſt de Catholicitate, & Apoſtolicitate Eccleſiæ. Hæc bona ſunt, in quorum partem accedere poſſunt membra ſingula; ſed quæ certe invariabiliter, & ſecundum omnem latitudinem uni tantum Corpori conveniunt. *Auctor recens.*

Ad Eccleſiæ unitatem pertinet unum eſſe Caput illius.

Membra Myſtici Corporis JESU CHRISTI, videlicet Eccleſiæ in unitate ſua pendent potiſſimum ab unitate Capitis ſui. Idem ad unitatem Eccleſiæ pertinet, illam ſubjectam eſſe Supremo Capiti viſibili, cum eodem conjunctam eſſe, cum illo communicare, quodlibet membrum ab eo pendere, ordinemque ſuum ſervare, quin alios prohibeat, ne muneribus ſuis perfungantur; quod plane a Sancto Paulo declaratum eſt. Cum autem JESU CHRISTI Eccleſia ſit una, Hæretici, atque Schiſmatici, qui illam diſcerpunt, non pertinent ad Eccleſiam, uti videre eſt in vita Sancti Petri Martyris, ubi Arius Hæreticus multa cum impietate ſciderat tunicam Domini Noſtri, quæ eſt Catholica Eccleſia, deſerens unionem, & communicationem, quam cum Sancta Romana Sede habere, & retinere debebat. *Auctor recens.*

Idem argumentum continuatur.

Admirabilis conſenſus, qui tot in populis, ac ſæculis invenitur in rebus ad Fidem ſpectantibus ad doctrinam etiam, & ipſam Sacramentorum adminiſtrationem, necnon earumdem legum obſervantiam nobis perſpicue oſtendit Eccleſiæ unitatem, eamdemque eſſe vere *unum Corpus, unum Spiritum, unum Dominum, unam Fidem, unum Baptiſma, unum Deum & Patrem omnium*. Omnia hæc autem inde procedunt, quod S. Petri Cathedra, ad quam refertur univerſalis Eccleſia, Cathedra eſt unitatis. Convertere quocumque cupis, in omnibus Eccleſiæ locis, qui cum Sancta Sede communicant, videbis omnes ubique eadem credere, omnes jejunare, omnes orare, omnes uno eodemque modo ſacrificare; & facile deprehendes in omnibus unum eſſe cor, & animam unam quoad ea, quæ pertinent ad Religionem. E contra vero ſi illos reſpexeris, qui a Sancta Apoſtolica Sede ſeparati ſunt, quid in illis videbis, niſi id quod per imprecationem illis olim portendebat Propheta: *Præcipita Domine, & divide linguas eorum, quia vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.* Ad Epheſ. 4. Volunt illi, S. Auguſtinus inquit in hunc Pſalmum, eumdem ſermonem loqui: redeant ad Eccleſiam, ubi inter linguarum varietatem, una tantum quoad cordis fidem invenitur. *Idem.*

Generalis Concilii deciſiones non ſemper neceſſariæ fuerunt in Eccleſia ad Hæreſes damnandas.

Quamcumque habeant in Eccleſia auctoritatem Concilia; tamen negari non poteſt, quo minus Eccleſia diu illis caruerit, neque in tota Eccleſiaſtica hiſtoria liquet a Sanctæ Sedis deciſionibus ad Concilia provocari conſueviſſe; quod innuere voluiſſe videtur S. Auguſtinus contra errores Pelagii, & Sectatorum illius. *Roma locuta eſt, cauſſa finita eſt, ut finiatur & error.* Supponitur ſemper ſervatas fuiſſe formulas, & neceſſarias conditiones, potiſſimum vero cum Præſules, quibus credidit Deus depoſitum Fidei in diœceſibus ſuis, ad Papam confugerunt, ut de aliquo decideret argumento ad Fidem ſpectante. Hæc doctrina nullam hodierna die patitur difficultatem, namque poſt Sanctæ Sedis deciſionem, quæ petita fuit contra hujus temporis novitates; Eccleſia Gallicana jure pro Schiſmaticis, atque rebellibus habet eos, qui provocant ad Concilium: neque enim ambigitur, quominus hæretici omnes ad illud provocaverint hac mente, ut in erroribus ſuis perſeverarent, & effugerent damnationem.

DE

Digitized by Google

DE CAPITE VISIBILI ECCLESIÆ JESU CHRISTI:

Vel de Supremo Pontifice Sancti Petri ſucceſſore.

MONITUM.

Tenebrarum filii, videlicet omnes Chriſtianæ Religionis inimici in ſuſcepto conſilio reformandi, vel potius evertendi Eccleſiam a Dei Filio conſtitutam, & ſuper Apoſtolo Sancto Petro ædificatam, egregiam ſane politices rationem excogitarunt, incipiendi videlicet fundamentum ipſum labefactare, ut deinde tota ædificii moles ruat: videlicet impugnare viſibile Caput Eccleſiæ, auferre illi gubernaculum navis hujus tot perſecutionum tempeſtatibus agitatæ, ſpirituale JESU CHRISTI *regnum ſuper terram non inviſibile ſolum per plura ſæcula efficere, verum etiam inde ſuperiorem auferre, Anarchiam conſtituere, & regimen ſine ſubordinatione, pendens unice ex uniuſcujuſque ſubditi voluntate, & ut omnia verbo complectar, deſtruere, & evertere opus Filii Dei, quod eſt Eccleſia, illum tollendo, quem ſibi Vicarium in terris conſtituit, ut illam viſibiliter regeret ſecundum latitudinem poteſtatis, & auctoritatis illi collatæ.*

Patet, quid fieret de Eccleſia ſine Capite, & quale reipſa hoc Caput eſt videlicet Sanctus Petrus, & in perſona ſua ſucceſſores illius; quippe Eccleſia univerſa, Concilia, Patres, Doctoreſque illum pro tali cognovit omnibus ſæculis; neque enim alioquin vera ſubſiſtere poſſet Eccleſia; quandoquidem nulla fuit unquam Religio neque apud Ethnicos quoque, qui ſemper habuere Caput, & quamdam Pontificis ſpeciem; eo uſque, ut Imperatores ipſi hanc ſibi popoſcerint dignitatem, tamquam reliquarum ampliſſimam, & quæ illi majorem conciliabat in populis reverentiam. Apud Judæos nomine Judices erant, & Summus Pontifex, ut docet Scriptura? Nullus denique politicus Cœtus eſt, ubi non ſit Tribunal, ubi jus dicatur, & aliquis qui præſit variis contentionibus, quæ ſuboriri poſſunt non ſolum in cauſſis pertractandis, verum etiam in legibus, dubitationibus, & contentionibus, quæ in Cœtibus omnibus ſolent accidere. Itaque velle, Eccleſiam, quæ regimen eſt perfectiſſimum, ſapientiſſimum, & optime inſtitutum, quale eſſe oportet opus manuum Dei, eſſe ſine Capite, idem eſt ac illam prorſus evertere, & ad nihilum redigere.

Videbimus deinceps quænam ſint jura, poteſtates, & qualitates Capiti huic neceſſaria; quinam honor, & quæ illi obedientia debeatur.

DE SUMMO PONTIFICE.

SANCTI PETRI SUCCESSORE.

Viſibile Caput Eccleſiæ ejus ipſius pars eſt.

SI in Eccleſiæ univerſalis definitione dubitari non poteſt, quominus ille, qui illius viſibile Caput eſt, potiſſimam illius partem conſtituat; neceſſario fatendum eſt, huic non deeſſe jura quædam, & quamdam poteſtatem inhærentem qualitati Summi Pontificis; & Capitis Eccleſiæ univerſalis. Quemadmodum in lege veteri, qui hoc in apice conſtitutus erat, plurimis præditus erat prærogativis, quam ceteri e populo, qui illi erant tamquam ſubditi in iis, quæ pertinent ad religionem; ita neceſſe eſt, ut habeat jura, & prærogativas præ ceteris vulgo fidelibus, atque etiam Apoſtolis. Quamobrem, quin attingamus id genus quæſtiones odioſas: & nobis ad rem noſtram inutiles de variis aſſertiſve juribus Conciliorum ſupra Pontifices, vel Pontificum ſupra Concilia, vel ſuper temporalem Principium auctoritatem; ecce quod indubium eſt, & in praxi poſitum ab ipſis uſque Eccleſiæ primordiis exceptis nonnullis particularibus caſibus, de quibus hic non eſt diſputandi locus; ecce, inquam, jura, & prærogativæ Succeſſoris Sancti Petri, quatenus Caput eſt univerſalis Eccleſiæ, quin de eodem loquamur, quatenus eſt peculiaris Epiſcopus Romæ. Cum hoc in loco nequaquam contra Proteſtantes loqui aggrediamur: ſatis erit citra diſputationem oſtendere, vi ſolius antiquitatis Primatum Sancti Petri, & Pontificum, qui eidem in Cathedra Romana ſucceſſerunt; nec non prærogativas, & jura, quæ ab hoc Primatu divelli non poſſunt, quis de ee inter omnes Catholicos conſtat. Itaque quin unquam divertam ab hoc principio ex ſola antiquitate deſumpto per ſimplicem expoſitionem Conciliorum, Patrum, & ipſorum etiam Pontificum, oſtendo quid venerabilis vetuſtas, de his articulis ſempee crediderit.

Eccleſia Romana ſola eſt vera J. C. Eccleſia cujus Caput viſibile eſt Papa.

Eccleſia, quæ Romana appellatue ſola gaudet privilegio, quo una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica dicitur, & habetue; qui quatuor characteres Eccleſiæ JESU CHRISTI, nulli cuipiam Societati prætee hanc congruunt. Eccleſiæ autem Romanæ nomine intelligimus cœtum fidelium, qui Romæ Epiſcopum colunt tamquam viſibile Caput in terra, eique quatenus tali obſequuntur. Romæ autem Epiſcopus *Papa* nuncupatur, quod nomen Patrem ſignificat. Nomen hoc olim indiſcriminatim Epiſcopis omnibus tribuebatur; ſunt enim quodam in ſenſu Patres Eccleſiæ. Obtinuit autem conſuetudo plurium ſæculorum, ut uni Romæ deferatur Epiſcopo, qui quatenus Caput Epiſcoporum, Pater eſt totius populi Chriſtiani, uti illum Sanctus Auguſtinus appellat, quia ſucceſſit in Sedem, atque auctoritatem Sancti Petri, qui Romæ mortuus eſt, poſtquam ibi ſuæ Epiſcopatus Sedem conſtituit, & qui ab ipſo JESU CHRISTO conſtitutus fuerat Caput Apoſtolorum. *Auctor recens.*

Hendry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. V.

De Primatu S. Petri qui ab ipſo J. C. conſtitutus eſt Caput Eccleſiæ univerſalis.

Prolixa opus eſt diſſertatione probaturo Sanctum Petrum eſſe viſibile Caput univerſalis Eccleſiæ a JESU CHRISTO conſtitutum. Ingentia, & erudita volumina, quæ tot litterati viri hujus, & ſuperioris ſæculi ediderunt ad veritatem hanc explanandam, hoc argumentum exhauſere; quippe quæ protulerunt quidquid ſolidiſſimum afferri poteſt de hoc fidei noſtræ articulo, a quo pendet perfecta hæc unitas, quam Eccleſiæ neceſſariam eſſe conſpeximus. Dicam ſolum ea, de quibus inter Catholicos convenit; a JESU CHRISTO delectum ex Apoſtolis omnibus fuiſſe Sanctum Petrum, ut illi conferret non ſolum Primatum ordinis, honoris, & gradu prima conferendo Sedem, utpote illi, qui primus eſt inter pares dignitate, donis, poteſtate, & gratiis, quæ ab Epiſcopatu, & Apoſtolatu ſeparari non poſſunt; verum etiam Primatum juriſdictionis, poteſtatis, & auctoritatis in fideles omnes Eccleſiæ totius, cujus Caput conſtitutus eſt. Hoc illi diſcunt ex celeberrimo eo loco Evangelii capite decimo ſexto Sancti Matthæi; ubi poſtquam Sanctus Petrus reſpondit pro omnibus Apoſtolis JESU CHRISTO ſciſcitanti, quid de ſe crederent; *Tu es CHRISTUS Filius Dei vivi;* Divinus ille Salvator fidei ipſius Elogium celebrans dixit illi: Matth. 16.

Beatus es Simon filius Jona, quia non caro, & ſanguis revelavit tibi; ſed Pater meus qui in Cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Cephas (hoc eſt Syriace Petrus) *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quod ligaveris* Ibidem.

ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quod ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis. Idem.

Quæ in re fundetur S. Petri Primatus.

Veteres, qui teſtimonium perhibuerunt Primatui S. Petri, ac ſupremæ illius poteſtati in Eccleſia univerſali, communi ſententia iiſdem verbis innixi JESU CHRISTI, illum contulerunt etiam Epiſcopis Romæ, qui ſunt ſucceſſores Principis Apoſtolorum in hac Cathedra. Nihil eſt adeo commune in Conciliis, & Patribus, ubi eadem quæ dicta ſunt de S. Petri Primatu, & de prærogativis Cathedræ ejus Romanæ, inveniuntur de verbo ad verbum repetita ad exprimendum Primatum Paparum, Supremamque eorum juriſdictionem in iis, quæ ad fidem pertinent, & Superioritatem Cathedræ eorum, & Eccleſiæ Romanæ, cui declarant ceteras adhærere debere tamquam lineas centro ſuo, & tamquam origini unitatis Sacerdotalis. Ideo Eccleſiam univerſalem nos Catholicam dicimus, Apoſtolicam, & Romanam: quoniam opus eſt, ut omnes particulares Eccleſiæ, ex quibus magnum Corpus iſtud conſtatum eſt, conjunctæ ſint communione cum Romano Pontifice capite ſuo: ut ſint membra veræ Eccleſiæ JESU CHRISTI, quæ una eſt per unionem hanc, quæ perfectam ejus unitatem conſtituit. Ita intelligendum eſt ſecundum omnem antiquitatem oppoſitam novitati Proteſtantium, id quod Catholici credunt de Sancto Petro, & ſucceſſoribus ejus in Epiſcopatum Romæ; unde facile deinceps eſt videre, ſemper ſecundum antiquitatem, quas prærogativas, & quæ jura Primatus iſte conferat Papis, S. Petri ſucceſſoribus. *Idem.*

Una tantum Catholica Eccleſia habet caput.

Arduum non erit ſtatuere Romanam Eccleſiam a S. Petro fundatam fuiſſe; ipſum primum fuiſſe Romanæ urbis Epiſcopum, & Papas ſucceſſores eſſe illius in hoc Epiſcopatu. Patres omnes, & Auctores antiqui, qui aſſerunt Sanctum Petrum fuiſſe Romæ, dicunt etiam ipſum peculiarem Eccleſiam illam fundaſſe. Verum eſt, nonnullos eorum illi hujus functionis ſocium tribuere S. Paulum, ut hodierna quoque fit die, neque perperam: quia uterque ibi variis temporibus annuntiaverunt Evangelium, & uterque ſimul Martyrio ſuo illuſtrem illam Eccleſiam conſecrarunt. Sed ubi loquuntur, quod ſæpiſſime faciunt de Epiſcopatu, & Cathedra Romana; illam unice S. Petri Cathedram vocant, quin Sanctum Paulum adjiciant. Itaque in dubium revocari non poteſt, quominus antiquitas univerſa cognoverit S. Petrum ſolum ex Apoſtolis fuiſſe primum Romanæ urbis Epiſcopum, quod Blondellus ipſe inſignis Proteſtans fatetur. Itaque cum Optatus Milevitanus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, aliique Romæ recenſent Epiſcopos, ſemper S. Petrum omnium primum memorant, ac deſcendunt uſque ad illum, qui ævo ſuo tenebat Sanctam Sedem, ad oſtendendam jugem ſucceſſionem Paparum a S. Petro, cujus legitimi fuerunt ſucceſſores, & cujus Cathedram repleverunt, quod ſæpiſſime Sancti Patres, & Concilia teſtantur. *Auctor recens.*

In Eccleſia una tantum eſt Cathedra cui ceteræ debent conformari.

Non deſunt, qui dixerint Epiſcopos utpote Apoſtolorum ſucceſſores, omnes quatenus tales eſſe per Cathedram S. Petri. Nos quoque hoc ipſum aſſerimus, ut illi, & omnes conſentiant opus eſt ob rationem, quam ſum allaturus. Quemadmodum Eccleſia univerſalis una eſt, & unum totum compoſitum ex omnibus peculiaribus Eccleſiis cum Eccleſia Principe conjunctis, quæ eſt origo, principium, & centrum unitatis earum: ita in Eccleſia una tantum eſt Cathedra & unus Epiſcopatus compoſitus ex omnibus Cathedris Epiſcopalibus per communicationem quam habent cum capite hujus Eccleſiæ, & cum hac Cathedra Principe, quæ eſt origo, principium, & centrum unitatis, & a qua unitas illa procedit. Ita ut ſicuti omnes fideles ſunt in eadem Eccleſia, ubi capiti ejus adhærent, ita Epiſcopi omnes generatim ſumpti, & quilibet ſingillatim, ſunt ſuper eadem Cathedra per communionem, quam habent cum illo, qui ſedet ſuper Cathedram Principem, ex quo per unionem hanc quam ſervant cum illa, procedit unitas Cathedræ, & Epiſcopatus in Eccleſia. Sed præterea ſinguli eorum peculiarem habent Cathedram ſuam, cujus aliorum nullus eſt particeps, quemadmodum omnes participes ſunt hujus Cathedræ, quæ una eſt in Eccleſia univerſali. Et quia S. Petrus caput eſt, non ſolum peculiaris illius Romæ Cathedra, verum illa etiam Eccleſiæ totius ſæpe vocatur a Sancti Patribus Cathedra S. Petri. In hoc igitur ſenſu omnes Epiſcopi ſedent in S. Petri Cathedra, quomodo Doctores Legis antiquæ ſedebant ſuper Cathedram Moyſis. Sed omnes Epiſcopi, non ideo ſedent ſuper Cathedram aliorum Epiſcoporum, cum ſinguli ſolide poſſideant ſuam, tamquam partem univerſalis Epiſcopatus. Hoc igitur modo intelligendum eſt, cum dicimus omnes Epiſcopos eſſe S. Petri ſucceſſores. *Idem.*

Primatus S. Petri ſemper ſe latius extendit.

Si conſulatur antiquitas, repetentibus prima Eccleſiæ ſæcula conſtanter innoteſcet primatum Sancti Petri ſemper magis creviſſe. Et patet ratio ex teſtimonio omnium fere Sanctorum Patrum paſſim in operibus ſuis dicentium, illum eſſe petram, & fundamentum Eccleſiæ: Cathedram illius eſſe præcipuam Cathedram, cui ceteræ adherere debent; illum ſupremam habere poteſtatem, quia illi credita fuit cura agnorum filii Dei; illum recepiſſe primatum, ut una eſſet Eccleſia; illum primum eſſe, principium, caput, & coriphæum Apoſtolorum; illi a JESU CHRISTO traditum fuiſſe exterius Eccleſiæ ſuæ regimen, & præfecturam ſuper fratres ſuos; illum prælatum fuiſſe omnibus Apoſtolis, & regere ipſos etiam Paſtores cum centum aliis id genus encomiis, quæ omnia magnifice primatum ejus ſignificant: quod ſæpe in generalibus Conciliis repetitum, & approbatum eſt. *Idem.*

Ipſi etiam Ethnici ſupereminentem S. Petri dignitatem agnoſcebant.

Supereminens Sancti Petri dignitas adeo inſignis erat apud ipſos Ethnicos temporum antiquorum, ut Porphyrius unus ex celeberrimis ævi ſui Philoſophis, objiceret fidelibus, quemadmodum teſtatur Sanctus Hieronymus, quod tanta fuerit Sancti Pauli temeritas, ut auſus fuerit reprehendere Sanctum Petrum Principem Apoſtolorum, & Magiſtrum ſuum. Cum ergo venerabilis antiquitas primatum Sancti Petri crediderit, quem Proteſtantes impugnant per doctrinæ ſuæ novitatem, jure cum quodam Sancto Patre illis dicere poſſumus: *Deſinat inceſſere novitas vetuſtatem.* Ceterum adeo patet JESUM CHRISTUM, qui vult Eccleſiam ſuam permanere uſque ad conſummationem ſæculi, contuliſſe Sancto Petro primatum, ac ſupremam dignitatem capitis viſibilis univerſalis Eccleſiæ pro ipſo, & ſucceſſoribus ejus in hac Principe Cathedra, quam Magnus hic Apoſtolus Romæ conſtituit, ut ſupervacaneum eſſet id argumentis probare. Si enim ita adhæſiſſet ejus perſonæ, ut ad ſucceſſores illius non migraret, ſequeretur, poſt Sancti Petri obitum Eccleſiam lapſam fuiſſe, neque habuiſſe amplius illud unitatis principium, quo una ſit, & illam habuiſſe corpus ſine capite, & ædificium ſine fundamento. Verum non ne liquet, natura ipſa ordinem hunc conſtitutum eſſe in legitimis ſucceſſoribus Regum, aliorumque Principum, atque Ducum in rebus publicis? Epiſcopi, Metropolitæ, Primates, & Patriarchæ in Eccleſia; ipſi etiam apud Proteſtantes Miniſtri ſuccedunt in prædeceſſorum ſuorum jura, & poteſtatem. *Idem.*

Quam inanis ſit oppoſitio S. Petrum nunquam Romæ fuiſſe.

Omnes Catholici qui ſciunt, Papas eſſe ſucceſſores Sancti Petri, omnes in hac re conſentiunt; non autem omnes Hæretici: non enim deſunt inter recentiores, qui audacter negant divinum hunc Apoſtolum unquam fuiſſe Romæ, atque ſuam in urbe illa Cathedram poſuiſſe. Quam inauditam ſententiam probat ſilentio Sancti Lucæ, & Sancti Pauli, qui Romæ fuerunt; & qui de Sancto Petro fuiſſent locuti, ibique inveniſſent Fideles, ſi ante ipſos ibi prædicatum fuiſſet Evangelium. Ad hæc quamdam afferunt Chronologiam ab ipſis ad libidinem conſarcinatam Actuum Apoſtolicorum, quæ nullo pacto cum Sancti Petri hiſtoria poteſt conciliari; & demum utuntur etiam Epiſtolis hujus Apoſtoli, ex quibus liquet miſſionem illius fuiſſe in Aſia, & ipſum obiiſſe Babylone: quæ omnia ſuperius a nobis confutata ſunt. *Auctor recens.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Nil melius oſtendit quænam ſit imbecillitas, & illuſio mentis humanæ, quam cum per ingenitam ſibi ſuperbiam excutere vult auctoritatem, cui ſeſe ſubjicere debet, ideoque opponit illi fallaces argumentationes ſuas, quæ non niſi ad eorum cæcitatem, & vanitatem detegendam proſunt. Quamvis nullum aliunde nobis lumen ſuppeteret itineris, & Cathedræ Romanæ Sancti Petri; nemo unquam cordatus vir ſineret ſibi fucum fieri per hæc argumenta, quæ nihil concludunt, & facili negotio exſufflantur. Sanctus Lucas nihil horum dicit in Actis Apoſtolorum: ibine locutus eſt de itinere Sancti Pauli in Arabiam, de ejuſdem reditu Damaſcum, mox Jeroſolymam poſt tres annos itineris ejuſdem in Galatiam, de raptu ejus in Cælum, de triplici ejus naufragio, de octo flagellationibus ejus, aliiſque id genus ſeacenis, quæ paſſus eſt? Numquid ex hoc Sancti Lucæ ſilentio inferendum eſt, hæc omnia falſa eſſe? Quæ niſi Sanctus Paulus ipſe ſcripſiſſet, vel ſi Epiſtola ejus ad Galatas, & illa, quam ſcripſit ad Corinthios, ad nos uſque non perveniſſent, hoc Sancti Lucæ ſilentium majorem ne vim habuiſſet ad probandum, illa vera non eſſe, quandoquidem vera ſunt, & erant vera antequam Sanctus Paulus illa ſcripſiſſet? Hic Evangeliſta, Sanctus Hieronymus ait, plura prætermiſit eorum, quæ Sanctus Paulus paſſus eſt, non ſecus ac prætermiſit, Sanctum Petrum inſtituiſſe Cathedram ſuam primum quidem Antiochiæ, & mox Romæ. *Idem.*

Perſpicue probatur S. Petrum fuiſſe Romæ.

En invictum argumentum, quod evincit Sanctum Petrum Romæ fuiſſe, videlicet ea, quæ nova afferuntur, adverſari iis, quæ in primæva Eccleſia credita ſunt, ideoque eſſe falſa. Quoniam antiqua fides, & quod ex traditione profectum eſt, præſertim cum aſcendimus uſque ad ſæculum Apoſtolorum, ſemper eadem eſt veritas. At omnis credidit antiquitas Sanctum Petrum fuiſſe Romæ. Hoc adeo verum eſt, ut David Blondellus omnium Proteſtantium Miniſtrorum doctiſſimus, bona fide confiteatur; cum enim ſit eruditiſſimus, negare non poteſt, omnes Græcæ,

Digitized by Google

æ, latinæque Eccleſiæ Patres hoc teſtatum reliquiſſe. *Idem.*

Unio quam omnes Epiſcopi habere debent cum S. Sede.

Verus veræ Eccleſiæ character, non Calvino, neque doctiſſimis Proteſtantium diſſentientibus, & ille quo a ceteris Eccleſiis dignoſcitur, eſt perpetuitas, per quam vigebit uſque ad ſæculorum conſummationem, quin unquam deficiat: Cumque hæc magnum ſit illud ovile, in quo fideles omnes, qui ſunt *Agni JESU CHRISTI*, congregati in unum gregem, nequit in hac unitate ſubſiſtere ſine Paſtoribus, & ovibus; aliis, qui doceant, & aliis, qui credendas veritates recipiant, ductoribus, & iis, qui ſe duci ſinant, & quin hi Paſtores, vel ductores ſibi alii aliis ſuccedant ſine interpellatione uſque in finem ad fideles regendos, atque deducendos. Hoc autem videtur in Catholica tantum Eccleſia per unionem, quam omnes particulares Eccleſiæ, earumque Epiſcopi habent cum illo, quem tamquam caput ſuum agnoſcunt. Nam quovis tempore inceperint hujuſmodi Eccleſiæ, aliæ quidem ſerius, ocyus aliæ per unionem hanc, & perpetuam ſucceſſionem de Paſtoribus in Paſtores, de Epiſcopis in Epiſcopos aſcendere poſſunt ad illum, quem JESUS CHRISTUS dedit illis pro capite; & quoniam hic eſt S. Petrus, hinc patet, illos eſſe Petri ſucceſſores, quoniam per unionem, quam habent cum Epiſcopo Romæ capite ſuo, qui ſecundum lineam rectam ſuccedit S. Petro, ſine interruptione per continentem Succeſſionem aſcendunt uſque ad hunc Apoſtolum, quemadmodum omnes unius arboris rami conjuncti ſunt cum radice per unionem quam habent cum ſtipite. *Auctor recens.*

De prærogativis, quas Primatus confert Summo Pontifici præ aliis Epiſcopis.

Io celebri iterata conjunctione Latinæ Eccleſiæ cum Græca poſt plures inſignes collationes, atque diſputationes, quæ quindecim menſibus perdurarunt inter eruditiſſimos utriuſque Eccleſiæ viros de primatu Summi Pontificis, aliiſque articulis, de quibus quæſitum fuit, hoc tandem illud eſt, quod Synodus illa decrevit. *Definimus Sanctam Sedem Apoſtolicam, & Romanum Pontificem habere totius Mundi primatum: Pontificem Romanum eſſe ſucceſſorem S. Petri Principis Apoſtolorum: verum eſſe JESU CHRISTI Vicarium, & caput Eccleſiæ totius, Patrem, & Doctorem omnium fidelium;* & Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM dediſſe illi in S. Petri perſona plenam poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam eo modo, qui continetur in actis Conciliorum, & in Canonibus Sacris. Satis eſt modo non ignorari, Primatum Papæ ſecundum illud Concilium, illi conferre ſupremam auctoritatem in ea omnia, quæ reſpiciunt regimen, & bonum Eccleſiæ totius generatim, quod non pertinet ad alium quemlibet Epiſcopum, quæcumque ſit tandem dignitas ejus. Poteſtas enim quam alii habent Epiſcopi de jure divino regendi Eccleſiam, extra Diæceſim ſingulorum non extenditur. Sed poteſtas Papæ, tamquam capitis univerſalis Eccleſiæ, extenditur quolibet, ubi agitur de bono generali fidelium omnium, quorum cura illi concredita eſt; & ſuprema hæc dignitas plurima illi confert jura, quibus ille unus gaudet. Ad illum confugiunt omnes relaturi reſponſa in iis difficultatibus, quæ suboriri poſſunt in iis rebus, quæ pertinent ad fidem, ad morum regimen, vel generales conſuetudines. Cujus rei manifeſta nobis ſuperſunt documenta in Sanctis Patribus; & noſtra hac ætate intuiti ſumus illuſtre exemplum in celeberrima Epiſtola, quam Galliæ Epiſcopi dederunt Papæ Innocentio X. *Idem.*

Elegit Deus S. Petrum ad regendam Eccleſiam, ejuſque ſucceſſores poſt ipſum.

Cum placuit Patri luminum, & miſericordiarum inſtituere Eccleſiam ſuam ſuper terram, & dare illi caput, a quo in rebus arduis, & ambiguis illuſtraretur, & in locum filii ſui regeretur, attraxit in ſcholam ejus S. Petrum, deditque illi eo temporis momento omnem cognitionis plenitudinem, & ſapientiam, quæ in hoc auguſto Miniſterio ipſi erat neceſſaria: *& implevit eum ſpiritu Dei ſapientia, & intelligentia, & ſcientia.* Eo temporis articulo oſtendit illi omnia Myſteria Dei abſconditi in eſſentia ſua, & multo magis in Incarnatione ſua ſub integumento humanitatis ſuæ; effecit illum organum Apoſtolorum, fecit, ut fratrum omnium nomine publicam faceret fidei eorum profeſſionem: *Tu es filius Dei vivi.* Per hujus confeſſionis meritum, & ſuper fidei hujus fundamentum formavit Eccleſiam in ortu ipſius, eamque uſque in ſæculorum finem ſuſtinebit, & Mundi Salvator hoc illi reſponſum dedit, eique contulit auguſta Privilegia, quæ illum effecerunt Vicarium ipſius ſuper terram, Principem Paſtorum, & oraculum Mundi: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelabit tibi* hæc, ſed mera Patris mei cæleſtis miſericordia. Ideo dico tibi (animadvertire vim hujus particulæ, & relationem verborum) quia me confeſſus es tamquam filium Dei, *propterea* dico tibi, te eſſe Petrum, quaſi diceret, quoniam ſecundum confeſſionem tuam ego ſum filius Dei vivi, cui omnia parent in Cælo, & in terra, & præterea unicum fundamentum, & lapis angularis ædificii Eccleſiæ; mutabo nomen tuum, S. Auguſtinus, ait, non vocaberis amplius Simon, ſed Petrus; dabo tibi nomen meum, inquiunt omnes S. Patres, communicabo tibi firmitatem Petræ hujus, fundabo te ſuper me, inquit Auguſtinus, & fundabo ſuper te ædificium Eccleſiæ meæ. *Auctor recens.*

Dei Filius inſtituere volens Eccleſiam ſuam ſeſe convertit perſonaliter ad S. Petrum.

Mundi Salvator non dixit, ut heretici opinati ſunt, fundabo ſuper fidem tuam totum Eccleſiæ ædificium excludens perſonam S. Petri; ſed perſonaliter dixit Petro per fidei tuæ meritum, *& ſuper hanc Petram:* neque uni perſonæ S. Petri hæc promiſſa fuerunt, ut contenderunt Hæretici, excludentes omnes Papas, qui illi ſucceſſerunt, atque uſque ad ſæculorum finem ſucceſſuri ſunt: Sed in S. Petri perſona Mundi Salvator Papis omnibus pollicitus eſt; Petrus enim ea in occaſione totam repræſentabat Eccleſiam, cujus erat caput. *Tu es Petrus, & ſuper hujus Petræ firmitatem ponam fundamentum Eccleſiæ meæ; dabo tibi eamdem poteſtatem, quam accepi a Patre meo, tu vero ſucceſſoribus tuis relinques eamdem poteſtatem, quam a me receperis.* Ita verba hæc intellexerunt omnes S. Patres, & ecce duæ prærogativæ, quas Mundi Salvator pollicetur illis uſque ad omnium ſæculorum conſummationem. *Idem.*

Claves Regni, quas Salvator tribuit S. Petro repræſentant potentiæ illius magnitudinem.

Plenitudo poteſtatis, quæ in Regni clavibus repræſentatur, quas Mundi Salvator contulit S. Petro, tamquam characterem, & ſymbolum ſupremi dominii; dabo tibi claves Regni Cæleſtis; quidquid ſolveris ſuper terram, ſolutum erit & in Cælis; quam præclaram mercedem, Apoſtole, nactus es, quandoquidem Deus veritatis illam conſtituit regulam noſtræ, ejuſque omnem conſtituit certitudinem; quam abſoluta eſt poteſtas tua in Cælo, & in terra, quoniam judicia tua ſunt ſine ulla provocatione apud homines, & Deus ipſe legem eorum ſequi vult. Audite hoc, Chariſſimi; *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Hæc eſt promiſſio facta Principi Apoſtolorum, & ſucceſſoribus ejus, daturum ſe illis opem indefectibilem divini Spiritus ſui in quæſtionibus dubiis de fide. In quæ verba notandum eſt Dominum noſtrum prædixiſſe S. Petro ſtatum perpetuum Eccleſiæ ſuæ ſuper terram futurum ſtatum tentationum, atque certaminum; quod innuunt verba illa, quæ immediate iſtis præcedunt. *Simon, ecce Sathanas, expetivit vos ut cribraret.* Nequaquam exiſtimandum eſt, Prophetice Mundi Salvatorem dixiſſe Petro, Angelum tenebrarum tentaturum eſſe fidem illius tempore Paſſionis ſuæ; ſed prophetia illa pertinebat ad ſtatum Eccleſiæ, cujus fides ſemper vel tyrannorum vi, vel impietate hæreticorum erat tentanda. *Auctor recens.*

Dei Filius dat S. Petro vim, & virtutem regendi Eccleſiam adverſus omnes hæreticos.

Salvator promittit S. Petro robur, ac virtutem ſubſidii ſui ad Eccleſiam tuendam adverſus hæreticos, & inſidias Sathanæ, qui illam per vim, atque dolos eſt tentaturus. Hoc illis continetur verbis: *Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Deinique promittit S. Petro auxilii ſui perennitatem, donec prælia perdurarent, hoc eſt uſque ad finem ſæculorum, & hic eſt ſenſus verborum illorum. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos:* perinde ac ſi diceret; quamvis profitearis, te mihi inſeparabiliter ad mortem uſque adhæſurum, in paſſione mea, tua fides, & amor vehementer tentabuntur; ſed ubi converſus fueris, & lacrymarum tuarum affluentia expiaveris ſcelus tuum, fratres tuos in fide nutantes confirmabis. Hæc eſt Patrum omnium ſententia, verba illa Salvatoris ad S. Petrum repræſentare prælia, quæ vetus, ac perpetuus hic Eccleſiæ ſuæ inimicus ab initio Mundi intulit illi, ut per quæ fidem ejus uſque in finem ſæculorum omnium impugnabat. *Sæpe nos cribrare voluit, ut deficeret fides noſtra.* S. Clemens ait in Apoſtolicis Conſtitutionibus. *Idem.* Luc. 22.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Subſidium quod Salvator pollicetur S. Petro eſt perpetua Spiritus Sancti ſui præſentia, quæ illum in rebus dubiis, & ambiguis illuſtrare debet, eique omnes revelare veritates, abditos Scripturarum ſenſus aperire, formare deciſiones, judicia dirigere, eumque in doctrina, & fide infallibilem reddere. Tuto dicere poſſumus, poſt eximium Galliæ præſulem, Indiviſibili Corpori JESU CHRISTI, & Eccleſiæ, quod complectitur Caput, & membra; capiti quatenus eſt fons vitæ, ac influit in membra Mundi Salvatorem dixiſſe in S. Petri perſona, rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Hoc palam videmus in his verbis, cum Dei filius prædixit Petro tentationes, & certamina Eccleſiæ ſuæ, nequaquam ad eum locutum fuiſſe numero ſingulari, quemadmodum locutus eſt, cum illi ejus lapſum portendit, & dixit illi, *non potes me ſequi modo;* ſed dixit illi numero multitudinis, Simon, Simon, Sathanas expetivit vos, ut cribraret. Periculum enim erat commune, & dæmon nunquam ceſſaturus eſt, quo minus tentet fideles, eoſque ſi fieri poteſt proſternat. Huc æque ſpectat ad omnes Epiſcopos, qui componunt Eccleſiam, & qui patent dolis, ac tentationibus Patris mendacii; ſed cum loquitur de ſubſidio, quod illos in præliis ſuis debet ſuſtinere: *Specialis cura Petri ſuſcipitur, & pro fide Petri proprie ſupplicatur;* Sermonem mutat, peculiariter ad S. Petrum convertit orationem, eique ſingulari numero perſonalem opem promittit, *tamquam alterum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit:* quemadmodum

Cardinalis Peronius.

Joann. 13.

dum ad ſtatuendum ceterorum fidem ſuper fide Principis eorum, eoſque victores efficiendos in Capitis ſui victoria: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua:* ubi animadvertite quæſo duo bona, & duas prærogativas, quas Mundi Salvator pollicetur Principi Apoſtolorum, alteram quæ ad ipſum, ejuſque perſonam pertinet; alteram quæ ſpectat ad ipſum tamquam Caput Eccleſiæ, & quæ ab illo ad ejus Succeſſores eſt tranſitura. *Recens Auctor.*

Quid intelligendum per hæc verba: rogavi pro te Petre,

Cum Salvator dixit Petro: rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, individuam illi opem promittit, atque inhærentem perſonæ ſuæ, cujus vi fidem ſervavit uſque in finem, & retulit victoriam de Sathanæ poteſtate. Non promiſit illi ipſum nequaquam tentatum iri, & mortis metum nequaquam ad tempus validiorem futurum in corde ſuo, quam amorem ejus erga Magiſtrum ſuum. Sed Mundi Salvator longius profert hanc opem, & ſicuti reſpiciebat S. Petrum quatenus Caput Eccleſiæ ſuæ, volebatque conſtituere illum Principem domus ſuæ; promittit illi indefectibilem, perennemque opem divini Spiritus ſui, qui de illius perſona in illam Succeſſorum ejus eſt migratura. Hoc in ſenſu Patres omnes intellexerunt illud JESU CHRISTI verbum, *rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua;* quod dirigitur non ſolum quidem ad S. Petrum ſingillatim, verum ad omnes Summos Pontifices qui eidem ſucceſſerunt, & uſque ad ſæculorum finem ſuccedent. *Idem.*

Cur Dei Filius conſtituit S. Petrum caput Eccleſiæ ſuæ.

Propter ſupremum imperium, quod Salvator contulit S. Petro, quem conſtituit Principem Apoſtolorum, Eccleſiæ ſuæ Caput, & ſequeſtrem Fidei ſuæ; reliqui omnes ad illius lumina confugiant oportet. *Ratione primatus, & ratione unitatis;* voluit enim hoc centrum eſſe unitatis, & communionis omnium Eccleſiarum, ideoque opus eſt, ut omnes ab illo Fidei ſuæ normam recipiant. Denique propter perpetuitatem doctrinæ, fideique, quam a Salvatore accepit, & quam ad Apoſtolicam Sedem tranſmiſit, & quam illius Succeſſores ad nos uſque felici ſucceſſione ſervarunt: *ratione ſucceſſionis.* Igitur S. Petrus, quod ſpectat ad fidem, & bonos mores id eſt in Eccleſia, quod caput in corpore, quod Princeps in ditione, fundamentum in ædificio, Sol in radiis, radix in ramis; cumque in capite tota contineatur plenitudo ſpirituum, & ſenſuum, qui per totum corpus diffunduntur, & cujus ſingula membra partem recipiunt; quemadmodum in ſola Monarchæ perſona reſidet principaliter, & radicaliter omnis auctoritas, quam ille communicat Magiſtratibus, qui jus populo dicunt: ſimiliter Filius Dei conſtituit S. Petrum, Principem, Monarcham, caput, fundamentum, & radicem Eccleſiæ; ita enim Patres omnes loquuntur, & hæ ſimilitudines allatæ ſunt a S. Cypriano, S. Auguſtino, Sancto Irenæo, S. Leone, S. Bernardo, S. Ambroſio, & Optato Milevitano. Opus fuit ut eminenter poneret tamquam in principio, & fronte quidquid gratiæ, virtutis, luminis, poteſtatis Eccleſiæ ſuæ voluit conferre communicandum omnibus fratribus ſuis, ſed ita diſtribuit inter omnes illos, qui Miniſtri erant futuri Prædicationis officium, ut præcipuam illius curam, & adminiſtrationem commiſerit Principi Apoſtolorum, ut ille Eccleſiæ caput mox omnia ſua effunderet dona in reliquum corpus, & qui non eſſet in unitate, & communione capitis Eccleſiæ ſuæ vita, & influxibus ejus privaretur. Hæc eſt Patrum omnium traditio, *Auctor recens.*

S. Leo ſerm. de Petro & Paulo.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Veritatis hujus ratio deſumitur etiam ex duplici prærogativa, quam Mundi Salvator Principi Apoſtolorum conceſſit, & quam hic Apoſtolus ad ſuam Sedem tranſmiſit, & quam Sedes ipſa ad nos uſque felici traditione ſervavit. Prima eſt, cum Dei Filius elegiſſet S. Petrum tamquam centrum unitatis, & communionis omnium Eccleſiarum, opus fuiſſe, ut illi communicaret infallibilitatem doctrinæ, & fidei, quæ omnes ſimul, omneſque cum JESU CHRISTO conjungit. Altera vero, cum S. Petri Sedes ſit regula Fidei, quæ facit omnium Eccleſiarum Religionem, opus fuiſſe, ut ad finem uſque ſervaret hanc eamdem doctrinam, & fidem, quam Mundi Salvator promiſit S. Petro, & S. Petrus tranſmiſit ad omnes ſucceſſores ſuos, & quæ de Pontifice in Pontificem felici ſucceſſione pervenit. *Idem.*

Cathedra S. Petri eſt centrum unitatis.

Conſtat Cathedram S. Petri Romæ centrum eſſe unitatis, & communionis omnium Eccleſiarum. Cathedra una eſt dicebat Parmeniano Optatus Milevitanus Epiſcopus, & quodcumque adniteris, negare non poteris, Petrum Principem Apoſtolorum poſuiſſe Romæ Cathedram ſuam: *In quo una Cathedra unitas ab omnibus ſervatur;* ut cum ſit caput ceterarum, in illa conſtituat unitatem Eccleſiæ; reliquos Apoſtolos non habere ſingulos Cathedram ſuam, Eccleſiam, & Religionem peculiarem; ſed haberi tamquam peccatorem, atque ſchiſmaticum illum, qui contra hujus Cathedræ ſingularitatem inſurgeret: *Ergo Cathedra una eſt,* magnus ille argumentatur Epiſcopus, in qua Petrus primus ſedit, poſt Petrum Linus, poſt Linum Clemens &c. vel ut S. Cyprianus inquit: unus eſt Deus, unus eſt CHRISTUS, una Cathedra; vel ut habet etiam in Epiſtola quadrageſima: Deus unus eſt, unus CHRISTUS, una Eccleſia, una Cathedra fundata ſuper S. Petrum verbo Domini; & quicumque aliam vult ponere Aram, aliam Cathedram, aliud Sacerdotium, adulter eſt, profanus, & ſacrilegus. *Idem.*

Cypr. l. de unit. Eccl. Epiſt. 40.

Arcta conjunctio quam Principes, & Epiſcopi ſemper habuerunt cũ S. Sede Apoſtolica.

Synod. Conſt. action. 4.

Principes omnes, & Epiſcopi Catholici tanta cura ſervabant Sedis Apoſtolicæ communionem, ut nota catholicitatis, quæ ab Orthodoxis requirebatur, eſſet hæc adhæſio, & communio cum Sede S. Petri: *Si urbe Romana convenirent.* In diſſidiis, quæ nonnunquam inter Catholicos oriebantur, pars utraque ad S. Sedem confugiebant ut cum illa ſervarent communionem. Eccleſia in tres partes diviſa, vult me trahere ad ſe, ſcribebat S. Hieronymus ad Damaſum Papam: ego vero inceſſanter clamo, pars, quæ Cathedræ S. Petri adhæret ſemper erit pars mea. Et huic tantum innixi argumento Italiæ, Galliarumque Epiſcopi, quibus Melchiades Papa commiſerat Ceciliani judicium de illius electione ad Sedem Carthaginenſem, hujus electionem probarunt, atque Competitorem illius tamquam intruſum, atque Schiſmaticum condemnarunt, quia non habebat Sedis Apoſtolicæ communionem. *Auctor recens.*

Chryſoſt. Epiſt. 9. ad Innocent.

Hier. Epiſt. 56. ad Damaſum.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Huic innixæ fundamento Eccleſiæ ad S. Sedem confugiebant in rebus ambiguis; & ſimulac hæreſis aliqua detegebatur, ſtatim certior fiebat Papa, quod præſtitit Alexander Epiſcopus cum Papa Silveſtro, ubi Arii hæreſis orta eſt, & S. Cyrillus cum Cæleſtino Papa, cum Neſtorius errorem ſuum evulgavit; & Africæ Epiſcopi cum Innocentio I. cum delere voluerunt Pelagianos, ut Pontifices illi auctoritate ſua providerent. Si errores erant ſatis comperti, ac manifeſti, vel ſi res ampliorem mereretur diſcuſſionem, cogebantur Concilia, ut Eccleſiarum omnium traditio conſuleretur. Num alia requiruntur argumenta præter id quod S. Hieronymus ſcribit *ad Ageruchiam*, ſibi cum eſſet a ſecretis Papæ Damaſi vix tempus ſuffeciſſe, quo Synodalibus reſponderet conſultationibus, quæ ab Oriente, & Occidente, ab univerſo orbe Catholico afferebantur? Et quod S. Bernardus ſcribit ad Innocentium IV. Tu, S. Pater certior faciendus es de omnibus ſcandalis, quæ in Eccleſia oboriuntur, de illis vero præſertim, quæ ad fidem pertinent. Cujus enim munus eſt fidei damna ſarcire, niſi illius, cujus fides non poteſt deficere? Cui enim Sedi, niſi huic, quam tenes, dixit Dominus: Rogavi pro te Petre, ne tua fides deficiat? *Idem.*

Auguſt. Epiſt. 91. ad Innocent.

Innoc. I. apud Aug. Epiſt. 91. ad Epiſcopos Milevitanos.

Senſus S. Auguſtini contra Donatiſtas.

Aperite oculos, dicebat Donatiſtis S. Auguſtinus, & videte prolixam hanc ſeriem Pontificum, & Martyrum, qui quatuor ſæculis S. Petri Cathedram tenuerunt, & qui eamdem fidem, eamdemque doctrinam profeſſi ſunt uſque ad Anaſtaſium Papam, qui tunc S. Petri Cathedram tenebat. Audetis ne privatas ſententias veſtras præferre tot S. Martyribus, qui alii aliis ſibi ſucceſſerunt, & quorum plerique Sanguinem effuderunt ſuum pro fide tuenda, & ſi quatuor Auguſtini ſæculis alia duodecim, vel decem ac tria placet addere feliciſſimæ hujus Succeſſionis, quibus dicere poſſumus Romanam Eccleſiam, contra dolos, & perſecutionem Arianorum, contra Gothorum, Vandalorumque qui omnia late igni, ferroque vaſtarunt, inundationem, quamvis Romanum corruerit Imperium, ſervaſſe puram, integramque fidem, quin artes, & inſidiæ dæmonis ſemper ad illius excidium vigilantis puritatem ejus polluere valuerit vel telis perſecutionis, vel proſperitatis illicis; quam vim non habet hoc argumentum contra noſtrorum temporum hæreticos? Ego vero illis dicere non poſſem, quod olim Auguſtinus Donatiſtis: aperite oculos mentis veſtræ, & intuemini prolixam hanc Paparum ſeriem, qui poſt mille, & ſexcentos, vel ſeptingentos annos S. Petri Cathedram occuparunt, qui omnes eamdem fidem, eamdemque doctrinam profeſſi ſunt, ſine ulla ſubſtantiali mutatione, ac varietate? vel oſtendite mihi aliquam in eorum fide diverſitatem, vel fatemini vos omnes in errorem, & cæcitatem incidiſſe. Sed ſi fieri nequit, ut in eorum doctrina aliquam deprehenditis varietatem, & ſi fides quam hodie tota profitetur Eccleſia Catholica, illa eſt, quam S. Petrus accepit a Salvatore, & quam ad ſuos ſucceſſores tranſmiſit, & ad nos uſque pervenit felici ſucceſſione, quo ore procaciſſimus Monachus, qualis Lutherus, vel ambitioſus, & exlex, qualis Calvinus, audent aſſerere tot Pontifices, & Martyres aberraſſe, & ſe tantum ſervaſſe veritatem? *Auctor recens.*

S. Petri Spiritus vivit, & ſemper ſubſiſtit in S. Sede.

Manet ſemper immobilis, & conſtans æternæ veritatis promiſſio innixa verbis Domini; ipſum nunquam ceſſaturum, quominus curam gerat hujus Eccleſiæ cujus regimen accepit. S. Petri Spiritus vivit adhuc, ſemperque viget in Sede ſua. Spiritus veritatis bonos in fidei doctrina confirmat, illos ad bona opera excitat, eoſque ad finem uſque efficit perſeverare. Hic Spiritus veritatis malos cohibet, & vetat ne Sedi ſuæ eorum errores communicent. Verum ſi unquam dici potuit poteſtatem, & fidem Sancti Petri ſemper vigere in Sede ſua, non ne hodierna die id maxime dici poteſt, Auditori, cum videamus opera fidei Sancti Petri, &

effectus

eff-ctus poteſtatis, & zeli ſui? ita ut ſi adhæſio noſtra cum Eccleſia Romana, & obedientia, quam Capiti ejus præſtamus, efficere debet nos certos eſſe vivendi in unitate Corporis JESU CHRISTI, & in Eccleſiæ ſuæ communione, ſeceſſio ab Eccleſia Romana, & inobedientia Capiti illius, nos ſeparat ab unitate Corporis JESU CHRISTI, & a communione Sanctorum, privat nos gratia, & adducit nos in diſcrimen amittendi fidem Eccleſiæ ſuæ. *Idem.*

Reſponſio a Salvatore reddita proteſtationi S. Petri.

Dei filius per ſe certior factus de ſinceritate promiſſionis S. Petri: *Tu ſcis, quia amo te*, ſemel, ac iterum dixit illi, *paſce agnos meos*; tertio vero *paſce oves meas*. Patres omnes conſentiunt, hæc Salvatoris verba inferre plenitudinem poteſtatis, quam Eccleſiæ ſuæ relinquere voluit non ſolum in interiori conſcientiæ foro pro peccatorum remiſſione, verum etiam in exteriori pro Eccleſiæ ejuſdem regimine, ac illum ter deinceps dicentem Principi Apoſtolorum paſce agnos meos, paſce oves meas, poſuiſſe in manibus ejus ſupremam auctoritatem, quam habet in hanc Eccleſiam, & illius poteſtati ſubjeciſſe, quidquid in extenſione, atque univerſalitate illius continetur, ut etiamſi plurimi ſint Sacerdotes, atque Paſtores in populo Dei, omnes auctoritati S. Petri ſubjicerentur, quemadmodum JESU CHRISTO ſubjecti ſunt. Myſterium hoc deprehenderunt S. Patres in repetitione, & varietate verborum; *Paſce agnos meos, paſce oves meas*, dicentes, Paſtores eſſe matres populorum, ſicut oves matres ſunt agnorum, & Dei Filium ſubjicientem S. Petro, ejuſque Succeſſoribus oves ſimul, & agnos æque illis ſubjeciſſe & Paſtores, & populos. Euſebius Emiſſenus, & S. Bernardus hunc locum interpretati ſunt. Dei Filius Petro dixit primo, paſce agnos meos; mox vero adjecit, paſce oves meas, volens regimini ejus ſubmittere & populos fideles, qui componunt Eccleſiam, & Paſtores, qui populis præſunt. Igitur Petri eſt, inquit magnus ille Epiſcopus, paſcere agnos, & paſcere oves; paſcere filios, & paſcere patres; paſcere Paſtores, & paſcere populos; ipſe igitur proprie Magiſter, & Paſtor eſt univerſalis Eccleſiæ; quoniam Eccleſia non niſi Paſtores, & populos complectitur. *Auctor recens.*

Serm. 9. de Aſſ. ſuo ad Pontificatum

Euſeb. Emiſſ. in ſerm. Nativ. S. Joi Evang.

Senſus S. Bernardi ejuſdem argumenti. Bernard. l. 2. de conſiderat. ad Eugenium.

Hoc ipſum animadvertit S. Bernardus in repetitione, & diſcrimine verborum, *Paſce agnos meos, paſce oves meas*, cum Eugenio Papæ dixit in libro ſecundo de conſideratione: Tibi, S. Pater, concreditæ fuerunt Regni claves, & tibi dominici gregis cura commiſſa eſt. Alii vere non deſunt Regni Cæleſtis janitores, alii Paſtores ovium; ſed tu recepiſti duplex hoc nomen eo glorioſius, quo majus intereſt diſcrimen inter te, & alios; omnes greges habent ſibi creditos, ſinguli ſuum, & peculiares habent oves: ſed tibi cura concredita eſt omnium ita ut non ſolum ſis Paſtor ovium, ſed Paſtor Paſtorum. Si quæris unde hoc arguam? Ex verbo Domini, cui enim, non dico ex omnibus Epiſcopis, ſed ex Apoſtolis dixit Dei Filius abſolute, & generatim: Petre, amas me pluſquam alii omnes ſimul? paſce oves meas? Nunquid Urbis, vel Regni alicujus oves illi commiſit? paſce oves meas, dixit. Quis palam non videt illum nullam excipere, ſed illi omnes committere? Nihil excipitur, ubi nihil diſtinguitur; & inde factum eſt, quod ſinguli Apoſtoli habuere populum, & particularem gregem ſuum; ſed omnes Petro ceſſerunt regiminis univerſalitatem. Aliorum poteſtas intra certos limites coarctata eſt; ſed tua non alios habet limites, quam Mundi ipſius; ſe extendit etiam ſuper eos, quibus collata poteſtas eſt ſuper alios. *Idem.*

Fides nos docet in Eccleſia eſſe Caput viſibile apud terram.

Fides, quæ nos docet, unam duntaxat Eccleſiam fore, Matrem Fidelium, docet Eccleſiam hanc unum habere Caput eſſentiale, & inviſibile in Cælo, & Caput viſibile in terra; Epiſcopum Romæ; *a quo Sacerdotalis unitas exorta eſt*, S. Cyprianus ait, in quo fideles omnes conjuncti ſunt tamquam in radice, & fonte unitatis Sacerdotalis. En quatuor illa, quæ ſeparari non poſſunt, & quæ totam JESU CHRISTI religionem complectuntur: unus Deus, unus CHRISTUS, una Eccleſia, & unum Caput. Qui credit in Deum, credere debet in JESUM CHRISTUM, quia hic Filius ejus eſt. Qui credit in JESUM CHRISTUM credere debet in Eccleſia ejus, quia Eccleſia hæc Sponſa eſt illius; & qui credit in hanc Eccleſiam neceſſario ſe debet ſubmittere capiti ejus, quia unum, & idem Corpus eſt. Ille ergo, cui deerit communio Corporis viſibilis Eccleſiæ, non erit unquam in unitate Corp. JESU CHRISTI; & qui non erit in unitate Corp. JESU CHRISTI, nunquam habiturus eſt communionem Patris Cæleſtis ejuſdem. Hæc invicem nequeunt ſeparari, quorum aliud ſine alio ſubſiſtere nequeunt. Deus CHRISTUS; Eccleſia, Caput. *Auctor recens.*

Omnes Apoſtoli ſeſe ſubjecere Cath. S. Petri.

Hoc in loco ad examen non revocabimus quæſtionem illam potius odioſam, quam ædificantem, utrum hæc plenitudo poteſtatis, quam Mundi Salvator illi contulit, & per quam illum conſtituit Principem fratrum ſuorum, ſupremumque Paſtorem Eccleſiæ ſuæ, ſit cauſſa primitiva poteſtatis Juriſdictionis, quam mox Petri Succeſſores in omnibus Mundi Catholici partibus exercuerunt; an omnes Apoſtoli illam receperint immediate e JESU CHRISTO, licet ſubordinatam, atque pendentem ab illa S. Petri. Cum S. Cypriano dicere poſſumus, quin labes offundatur gloriæ S. Petri, omnes recepiſſe illam a JESU CHRISTO immediate per virtutem inſtitutionis ſuæ: cum poſt reſurrectionem ſuam dixit illis: accipite Spiritum S. quodcumque ligaveris ſuper terram, ligatum erit & in Cælo &c. Ite, docete omnes gentes. Sicut Pater meus miſit me, ita & ego mitto vos: quemadmodum Epiſcopi hodie illam ab Eccleſia recipiunt per virtutem Conſecrationis ſuæ. Sed quia ille fundavit Eccleſiam in ſtatu Monarchico, & in hac Eccleſia unicam tantum Cathedram poſuit, cui omnes Cathedræ non ſecus ac omnes Apoſtoli ſubjecti eſſe debebant, voluit, 1. Apoſtolos partim habere poteſtatem in partem gregis ſui, cujus plenitudinem haberet Petrus in univerſalem Eccleſiam; 2. Paſtoralem poteſtatem hanc, quam illis dederat in partem gregis ſui, taliter ſubjectam eſſe poteſtati S. Petri, ut nonniſi ſecundum ejuſdem nutum, arbitriumque illa uterentur, eamque exercerent. Ita Magnus Pontifex S. Leo inquit per admirabile poteſtatis commercium quod Salvator Mundi habere voluit cum S. Petro, ipſum in hoc poſuiſſe Paſtoralem, quam voluit, poteſtatem, ut per illum ceteris communicaret, eamque ita diſtribuiſſe, ut omnem illius plenitudinem poſuerit in perſona S. Petri: ut cum eſſet Caput totius collegii Apoſtolici migraret ab illo ad membra omnia, quæ componerent myſticum JESU CHRISTI Corpus, quod eſt ejus Eccleſia. *Auctor recens.*

Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. V.

Suprema poteſtas S. Petro conceſſa pro Eccleſiæ regimine.

S. Petrus conſtitutus fuit Princeps, vel primus in domo Dei, ut illam ſua regeret auctoritate, tamquam Dei Vicarius viſibilis ſuper terram; & ſicut Principibus tribuuntur claves urbium, quæ illorum parent imperio, Dei Filius ponit in manibus ejus claves Regni ſui tamquam ſymbolum dominationis, quam illi collaturus erat in Eccleſiam ſuam, promittit illi omnia illius judicia rata habenda eſſe in Cælo, & dicit illi; dabo tibi claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum, & in Cælis &c. Poteratne illi latiorem conſerre auctoritatem, quam dicens, quidquid ipſe in terris feciſſet, & judicaſſet, in Cælis quoque faciendum, & judicandum eſſe? Sed hæc ipſa illa eſt poteſtatis plenitudo, quam Petrus accepit a Salvatore, & quam ad Apoſtolicam Sedem tranſmiſit, & quam Patres, atque Theologi clavium poteſtatem dixere. Hanc dico poſitam eſſe in ferendis legibus, ſanciendiſque conſtitutionibus pro regimine, ad diſciplina Eccleſiæ ſecundum locorum conſuetudinem, & efficiendo, ut illæ, quæ ad omnium Catholicorum fidem pertinent, obſerventur ab omnibus ſine ullo diſcrimine ſexuum, ætatum, perſonarum, Principum, Subditorum, Paſtorum, & populorum. *Auctor recens.*

Catholicus non eſt niſi qui paret Cathedræ S. Petri.

Jactitabant Donatiſtæ ſe adhærere Principi Paſtorum tamquam Capiti eſſentiali, & inviſibili Eccleſiæ, ſe omnia fidei Myſteria recipere, ſe omnia Legis præcepta ad apicem obſervare, ſe abſtinentiam, cælibatum, jejunium ſequi, ſe utriuſque teſtamenti Scripturas legere; & nihilominus S. Aug. illos reſpicit tamquam hæreticos, anathemate perculſos. Quamvis JESU CHRISTI fidem in omnibus illius partibus profiteamini, & feſtos Mart. dies, ut in Eccleſia Catholica fit, celebretis; quid hæc vobis prodeſt conformitas, ſi in re eſſentiali, & quæ caput eſt, deficitis? Si in hæreſim, & Schiſma incidistis? Dicere non poteſtis vobis eſſe cum JESU CHRISTO communionem, qui princeps eſt Paſtorum, ſi Eccleſiæ ipſius communio deeſt vobis; ſi vobis non eſt exterior, & viſibilis communio cum Apoſtolica Sede, & cum Paſtore, a quo illa gubernatur. *Idem.*

Hæreſis nunquam attigit S. Sedem.

Non abnuo, dicebat Donatiſtis S. Aug. viſum fuiſſe proditorem aliquem furtim in Cathedram Petri obrepere, quemadmodum viſus eſt Judas in Apoſtolorum collegio recenſeri, & cum Dei Filio converſari: ſed hoc non offundit caliginem S. Sedi, ſed immo gloriam ejus commendat. Ratio vero quam S. Patres, atque Theologi adferunt, eſt, vitium, vel hæreſim perſonarum nunquam ad Sedem pervaſiſſe. Papæ docuerint hæreſes, nec ne; quæſtiones ſunt ſpinis conſitæ prolixius a controverſiarum Scriptoribus agitatæ, & facta, de quorum veritate inter eruditos viros diſquiritur: quod tamen pro certo afferre poſſum coram Sacris hiſce Altaribus, & de hoc ſuggeſtu, de quo vos alloquor, hoc eſt, nunquam accidiſſe, ut Eccleſia Romana vitii aliquid, vel hæreſis contraheret a Summis Pontificibus, qui hoc nomine inſimulantur, & qui eamdem rexerunt; non ſecus ac Apoſtoli nullam a Juda labem perceperunt. Ratio vero, quam tribuunt S. Patres, eſt, quod Eccleſia fundata eſt ſuper fidem S. Petri, quæ labi non poterat; & fides S. Petri innixa eſt verbo Salvatoris, qui illi opem ſe præſtiturum ſpopondit: Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. *Idem.*

Prærogativæ Cath. S. Petri.

Sancti Petri Cathedra a S. Auguſtino vocatur, *Cathedra veritatis, in qua JESUS CHRISTUS poſuit doctrinam veritatis*, & in Epiſt. ſua 162. ait, primam auctoritatem, & prærogativam hujus Cathedræ ſemper perſtitiſſe, & valide perduraſſe in Eccleſia Romana, & in Epiſt. 165. recenſet Summos Pontifices a Sancto Petro ad Anaſtaſium, addens ſucceſſionem hanc, quæ nunquam interpellata fuit, merito conſiderandam

eſſe, ut vera dignoſci poſſit Eccleſia. Vere igitur dici poſſet, illum, qui nihil commune habere vellet cum Papa, non eſſe de Eccleſia, ita ut hæc præcipua eſſet nota, per quam antiquitus cœtus Hæreticorum, & Schiſmaticorum a vera, & legitima Eccleſia diſtinguebantur, qui nolebant communicare cum Sancto Petro, vel Succeſſore illius, Romano Pontifice, quod impulit Sanctum Paulum, ut anno poſt converſionem ſuam decimoquarto ſeſe conferret Jeroſolymam collaturus Evangelium ſuum, & prædicationem ſuam cum illa S. *Petri*; & S. Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus, cum plures obortæ eſſent in Eccleſia ſua difficultates, ac dubitationes inter Fideles de tempore, quo Paſcha celebrandum eſſet, ut certum hac de re conſilium caperet, Romam venerit, ut dubiis in rebus lumen acciperet ab eo Pontifice, qui tunc S. Petri Cathedram obtinebat. *Auctor recens.*

S. Petri Cathedra eſt Cathedra unitatis ad quam ceteræ referendæ ſunt,

Admirabilis conſenſio, quæ invenitur in tot populis, ſæculiſque in iis quæ pertinent ad fidem, eamdem doctrinam, eamdem Sacramentorum adminiſtrationem, earumdemque legum obſervantiam, nobis palam oſtendit Eccleſiæ unitatem, & quod in ipſa vere eſt, *Unum Corpus, unus Spiritus, unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus, & Pater omnium.* Quæ omnia inde procedunt, quod S. Petri Cathedra, ad quam Eccleſia univerſalis refertur, eſt Cathedra unitatis. Temet in quamcumque volueris partem converte, in omnibus Eccleſiæ locis, qui cum Sancta Sede communicant, videbis omnes eadem credere, omnes jejunare, omnes orare, omnes modo uniformi ſacrificare, & facile ibi cor unum, & unam animam reperies in iis, quæ pertinent ad Religionem. E contra ſi eos reſpexeris, & conſideraveris, qui a Sancta Sede Apoſtolica ſeceſſerunt, quid aliud deprehendes, niſi quod olim per imprecationis formam portendebat Propheta. *Præcipita Domine, & divide linguas eorum: quia vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.* Volunt illi, S. Auguſtinus in hunc Pſalmum ait, eumdem ſermonem loqui? Redeant in Eccleſiam, ubi inter tot linguarum carnis varietatem, una tantum eſt lingua, quoad fidem cordis. *Auctor recens.*

Pſalm. 54.

Cur voluit J. C. Eccleſiam ſuper S. Petrum ædificari.

Quis ibit infitias, Sanctum Petrum inter Apoſtolos, ideoque ſuper omnes Epiſcopos, & Eccleſiæ Præſules id fuiſſe, quod eſt cor hominis inter partes nobiles, Sol inter Aſtra, aurum inter metala, Primumque mobile inter Cæleſtes Orbes, quin ulla habeatur, niſi dignitatis ratio. Ideo Eccleſia ſuper S. Petrum fundata eſt, quamvis fundata ſit etiam ſuper omnes Apoſtolos, & omnes receperint claves regni Cælorum, & Eccleſiæ fortitudo æque ſuper omnes conſtituta ſit: Sed Dominus noſter unum elegit ex duodecim, ut per Capitis inſtitutionem omnium ſchiſmatum auferretur occaſio. *Pater Cotton.*

Honor quo hoc tempore Summo Pontifici adhibetur.

Sicuti honor, qui debetur JESU CHRISTO in perſona illius, qui ejus vices gerit in terra, aliquid habere debet ſupra commune illud obſequium, quod Regibus, Sæculique Principibus adhibetur; congruum viſum eſt permittere oſculum pedum, quod Summi Pontifices prorſus averſati fuiſſent, ſi cultus hic in eorum perſona abſolutus fuiſſet, & non relatus ad JESUM CHRISTUM. Ita maximi etiam terræ principes nunquam detrectarunt illum hoc modo, & in hac qualitate venerari, rati non ſolum ſe nullam inferre injuriam divinæ Majeſtati, cujus imago eſt Pontificum dignitas, ſed e contra arbitrati ſunt, ſe utrique majorem honorem allaturos, ſi in praxim redigerent, quod prædixerat Iſaias: *Reges erunt nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terra demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Et paullo poſt. *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Inſtitutio Catholica *P. Cotton.*

Iſaiæ 49. & 60.

Utrum papa ſit ſupra Concilium an e contra.

Loquentes de Summi Pontificis auctoritate, quam exercet quatenus JESU CHRISTI Vicarius, miſſas faciemus odioſas quæſtiones; quas agitant quidam Theologi majori cum calore, & partium ſtudio, quam cum fructu, & ædificatione; ſed quin noſmet immiſceamus diſputaturi de ea, quæ longe plures complectitur, & quæ ultro citroque magnis animis agitata fuit: videlicet, utrum Papa ſit ſupra Concilium, an Concilium ſupra Papam ad ſolvenda dubia, & controverſias de fide, & morum diſciplina (de quibus tantum agitur) hæc mihi videntur principia duo in dubium non revocanda, quibus inniti poſſumus, ut judicium feramus ſine ulla animi perturbatione. Horum alterum eſt, neceſſe eſſe, ut in Chriſtiana Religione adſit regula vivens, & auctoritas ſuprema, ad quam confugiendum ſit in rebus dubiis, atque difficultatibus, quæ tam crebro de fide ſuboriuntur; quæ regula idcirco certiſſima eſſe debet, & ſupremo judicio omnem dirimere contentionem, alioquin Dei Filius non conſuluiſſet inſtitutioni Eccleſiæ ſuæ, nec prohibuiſſet, quod ſe facturum recepit, ne portæ inferorum, quæ ſunt error, & perſecutiones, prævalerent, ſi quiſque pro regula ſequi poſſet peculiarem ſententiam ſuam, quæ hæreſum omnium origo eſt. Alterum vero principium eſt Cœtum generalem legitime congregatum, & repræſentantem univerſalem Eccleſiam Concilii nomine vocari, & eſſe non poſſe, niſi ſummus Pontifex, qui Corporis hujus membrum ſit, (& ſane princeps, quandoquidem caput eſt) illi præſit vel per ſe, vel per legatos; quod nulli obnoxium eſt dubitationi; quandoquidem nullus Cœtus eſt vel Eccleſiaſticus, vel Sæcularis inſtitutus, & probatus ad ferendum judicium de negotiis, vel jus dicendum; cujuſmodi ſunt Synodi, Curiæ, &c. qui non habeat Præſidem ſuum, vel Caput, qui non audiat, & excipiat ſuffragia, & judicium, vel ſententiam proferat de iis, quæ in cœtu conſtituta, decretaque ſunt: quod potiori jure in Concilio generali ſervandum eſt, ubi agitur de Fide, & negotiis Religionis: ita ut nullum unquam pro legitimo habitum fuerit alioquin, & approbatum. Hinc ſequitur perperam proponi quæſtionis ſtatum, ubi quæritur, utrum Papa ſit ſupra Concilium, an vice verſa; quia non ſunt hæ partes duæ diſtinctæ, quæ de ſuis juribus diſputent, ſed unum duntaxat Corpus, ad eumdem finem tendens. Hoc igitur idem eſt, ac ſi quæreretur, utrum Papa ſolus conſideratus, atque diſtinctus a reliquo corpore, Eccleſiam conſtituat, quod nemo credidit unquam; vel utrum Cœtus ſine ſuo Capite ſit pars altera objiciens, vel reformans quod communi conſenſu decidendum eſt: quod ſine errore dici non poteſt. Itaque cum agitur quæſtio, & controverſia proponitur: utra aſſertarum partium ſit alteri præferenda; quamvis nequeant ſeparari, niſi ipſum evertatur Concilium, decidere eſt, Caput cum omnibus membris conjunctum, quod unum tantum efficit corpus, eſſe majus ſe ipſo; vel utrum membra diſtincta, & ſine capite conſiderata ſint ſupra illud; quandoquidem ſine illo legitimam Concilii partem nequeunt conſtituere.

Non deſunt Theologi, qui aliter quæſtionis ſtatum proponant, quæ tamen non ideo minus perturbata videtur: Videlicet utrum Summus Pontifex, poſtquam rite ad examen vocavit, & pluribus in Congregationibus diſcutiendum propoſuerit in Concilio, & Conſiſtorio Cardinalium, doctorumque virorum, conſultis etiam Univerſitatibus, & implorata etiam per publicas, ſollemneſque preces ope Spiritus ſancti, quod *ex Cathedra* pronuntiare vocatur; proponit Eccleſiæ univerſæ per Bullam, vel Conſtitutionem id, quod credendum eſt: quæritur inquam utrum hoc pacto pronuncians errare poſſit, nec ne; & utrum judicium ejus hoc modo latum, & prolatum poſſit a Concilio univerſali reformari. Scio equidem celebres quoſdam Theologos, quales ſunt Gerſon, Major, Almaynus, aliique nonnulli tenere, niſi Papa locutus fuerit in Generali Concilio, vel cum Eccleſiæ conſenſu, videlicet, ut illi intelligunt, cum Cœtu convocato, qui eam repræſentet, deciſionem illius ſubjectam eſſe deciſioni Concilii, eamque reformari poſſe, & antiquari; unde ſecundum hanc opinionem ſequitur poſt latam a Sancta Sede ſententiam, Bullam, & Conſtitutionem cum omnibus formulis, conſuetiſque conditionibus promulgatam, poſſe adhuc ad Concilium generale provocari, cujus una auctoritas falli non poteſt; & quouſque negotium, de quo agitur, decidatur, licere oppoſitam ſequi ſententiam. Ut de hac quæſtione ſanum feratur judicium, præſupponenda ſunt duo illa principia, a nobis ſuperius memorata, & addendum, difficultatem, dicam impoſſibilitatem inſuperabilem cogendi Concilium, quam hodierna die nemo non videt ob rationes, quæ exploratæ ſatis, & compertæ ſunt; dicendum eſt, quemadmodum Concilium generale univerſalem repræſentat Eccleſiam, in Synodo Generali congregatam, quod modo impoſſibile quodammodo eſt; ita Sanctam Sedem compoſitam ex Cardinalibus, Epiſcopis, & Doctoribus, quorum ſententia quæſita fuit, nunc locum tenere generalis Concilii, & habendam eſſe pro legitimo Eccleſiæ Conventu; ideoque non deeſſe huic jus judicandi, ac definiendi omnes controverſias de fide, ac moribus: alioquin Dei Filius, ut ſupra dictum eſt, non effeciſſet Eccleſiam infallibilem, contra quam portæ inferorum, quæ ſunt error, & violentia inimicorum ejus, nunquam eſſent prævaliture; cum non alia ſuperſit regula, cui ſtandum ſit, & ad quam omnes debeant ſeſe referre.

Quod vero pertinet ad contentiones, quæ identidem ſuboriuntur inter Summos Pontifices, & Principes Chriſtianos; cum proficiſcantur illæ ex juribus, immunitatibus, privilegiis, vel ad diſciplinam tantummodo ſpectent; neque in illis agatur de fide: noſtri non ſunt argumenti; neque de illis agere noſtrum eſt. Cupiendum tamen eſſet, ut inter utramque partem convenirent, & auferrentur hujuſmodi contentiones, quæ ſæpe ſimultatibus locum præbent non ſine detrimento obſequii, & reverentiæ, cujus ratio utrinque habenda eſt diligentiſſime,

DE SCRIPTURA SANCTA MONITUM.

Argumentum hoc cuipiam fortaſſe videbitur magis idoneum, ad aliquem Theologiæ, vel Controverſiæ Tractatum, quam ad Sermonem de Suggeſtu habendum, pro quo ſecundum Inſtituti noſtri rationem rerum copia nobis eſt ſuppeditanda. Verum cum hoc loco agamus de conſuetudinibus, cæremoniis, & Eccleſiæ praxibus, quæ Scripturæ innituntur, ac Traditioni, quæ ſupplet iis, quæ explicite in Bibliis non continentur: De Traditione hac in Sequenti Titulo agemus, tamquam peculiari Argumento; in hoc autem noſmet coarctabimus in explicanda Sanctæ Scripturæ auctoritate, cujus intelligentiam Deus ſuæ reliquit Eccleſiæ, ut eam tradat Fidelibus, eiſque verum explicet Senſum, eamque ſartam tectam tueatur ab omni mutatione, variatione, fallaci interpretatione, & hæreticorum corruptione, qui omnia quidem Scripturis probari, & inniti volunt, ſed explicatis ſecundum particularem ſenſum ipſorum, oppoſitum Senſui Eccleſiæ, quæ in hac potiſſimum re ducem, doctoremque habet Spiritum ſanctum.

Nobis igitur Argumentum pertractantibus non ea mens eſt, ut rerum copiam ſuppeditemus controverſiæ ſermonem aliquem elucubraturo, ſed ut oſtendamus quo in loco a Fidelibus habenda ſit Sacra Scriptura, & probemus praxim, & Senſus Eccleſiæ in ejuſdem interpretatione; & tandem, ut oſtendamus pretioſi hujus theſauri, quem Eccleſia poſſidet, excellentiam, & refellamus Hæreticos, qui illa abutuntur, eamdem legentes in eum tantummodo finem, ut ibi forte aliquid nanciſcantur, quo ſuis erroribus fulcrum aliquod utcumque valeant comparare.

DE SCRIPTURA SANCTA.

Novatores Sacrâ Scripturam ponunt in manibus populorum, ut judicēt de Fide.

OMNIUM ferme Sæculorum Hæretici ſub ſpecie laudandi ſupra ceteros libros Sancta Biblia, ſemper aſſeruere non aliam doctrinam, neque Salutis regulam inquirendam eſſe, niſi in Sacris Scripturis, perinde ac aſſirmare librum aliquem ſcriptum eſſe ad noſtram eruditionem idem eſſet, ac dicere non aliam eſſe rationem id aſſequendi, quod nobis ad ſalutem neceſſarium eſt. Ex hoc errore periculoſus oritur abuſus, videlicet quod cauſſati ſe eruditionem ſuam quærere in Scripturis, eas legunt ſine regula, ſine ope Traditionis, ſuum duntaxat ſenſum conſulentes, ut intelligant Myſteria, & veritates, quas humilibus quidem aperit Deus, ſuperbis autem abſcondit. Hinc omnes hæreſes profectæ ſunt; cum ſpiritus vani velint ſomnia ſua venditare pro verbo Dei, & verbo huic vim inferant, ut ſuis illud accommodent cogitationibus, quin diligenti examine excutiant cogitationes ſuas, eaſque ſubjiciant iis, quæ ante ipſos credidit Eccleſia, & quæ Patres ipſorum ab Apoſtolis didicerunt, & ad filios ſuos tranſmiſerunt. Evitemus eorum negligentiam, qui contemnunt, quod Deus ipſe ad eorum doctrinam dictavit; evitemus temeritatem eorum, qui ſubjicere volunt Dei verbum luminibus ſuis, cum deberent verbo ſubjicere lumina ſua. *Tourneaux in Anno Chriſtiano Tom. 1.*

Scripturæ ſimplici, planoque ſtylo magnam præ ſe ferunt dignitatem.

Altiſſimi verbum in Sacris collectum codicibus fons eſt luminum, quæ electos quidem illuſtrat; perſtringit autem eos, qui in ſalutis via non incedunt. Ita eſt: tanta eſt divina horum Sacrorum Voluminum Majeſtas, ut cogat mentes ibi agnoſcere, & Digitum Dei revereri. Spiritus ſanctus cogitat, ſenſuſque exprimit ſuos longe aliter a filiis hominum: Quemcumque in Scripturæ locum conjiciamus oculos, ibi deprehendimus quemdam ſublimem, ac venerabilem characterem, qui omnino mentem occupat, & feliciter ſubjicit animum. Hæc modo facta ſunt, quæ Providentia ad nominis ſui gloriam diſpoſuit; modo vaticinia, ſemper præcedentia Dei benefacta, vel maledicta; modo Sacrificia ſecum myſticum, ac moralem ſenſum afferentia; modo miracula probantia, quidquid in Sanctis Bibliis docemur. Quod vero mihi admirabilius videtur, eſt ratio illa ſimplex, & naturalis, quam adhibet Scriptura ut nos pertrahat ad Deum magna, & ſublimia dicens, eaque ſimplicibus, vulgatiſque verbis explicans, quia cum hominibus loquitur. Ibi video cum Sancto Auguſtino modo Reginam cum Majeſtate ſuo inſidentem Solio, de quo exigit ſuorum ſubditorum obſequia; modo vero Matrem lento gradu incedentem, ut ſeſe filiorum ſuorum imbecilitati ſubmittat. *Ex Sermone Academiæ Anni 1718.*

Sanctæ Scripturæ jugiter nobis ſunt meditandæ.

Sanctæ litteræ complectuntur ſenſus adeo ſublimes, & admirabiles, ut Rex Propheta debuiſſe videatur illis mentem ſuam ſubjicere, quin illos ſcrutari, ac penetrare adniteretur: nihilominus ille earum ſenſum conatur aſſequi; & hac præſertim de cauſſa, quia Scripturarum ſenſus eſt admirabilis, ideo totus in eo eſt, ut illum intelligat. *Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt anima mea.* Profecto ſtudium hoc reprehendi non poteſt, niſi ubi oriatur ex mala fide, qua di- *Hendry Bibl. Conc. Theol. de Myſter.* Tom. V.

vina excipiuntur Oracula; ſed omnibus elogiis digniſſimum eſt, cum oritur ex amore, & pretio, in quo habentur admirabilia illa, quæ in Sacris his libris continentur. Qui ſapit, producit opera ſua, ut quicumque intellectu, ac ratione præditus eſt, ea legat, atque meditetur. *Verba prudentium ſtatera ponderabuntur.* Eccl. 21. Cur credemus Deum Sapientiſſimum aliter uſum fuiſſe in libris Sanctis, quos ipſe dictavit famulis ſuis? Dictavit illos, ut nos animum adjiceremus illis quotidie effodiendis, non ſecus ac aurum effoditur. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.* Joann. 5. Quid igitur eſſet niſi Sacrorum Librorum ſtudio vacaretis, quorum auctor eſt Deus? Quandoquidem pervenire poteſtis ad Supremam in illis Sapientiam admirandam, qui altiſſimus eſt gradus contemplationis? Igitur immorari non debetis in eo ſolum, ut Sacræ Scripturæ credatis, qui infimus eſt gradus incipientium. *P. Segneri Medit. Tom. 4.*

Divinæ Scripturæ ſunt tamquam lucerna lucens in caliginoſo loco. 2. Petr. 1.

Sanctus Petrus Apoſtolus Scripturam comparat *lucernæ lucenti in caliginoſo loco*, non ait ille in loco tenebricoſo ſed caliginoſo: Nam quamvis lux lampadis diſſipet tenebras, ubi lucet; non ſufficit tamen ad prohibendum ne ibi aliqua ſuperſit obſcuritas. Infideles, qui Sacras litteras minime norunt, in tenebris ſepulti ſunt, fideles vero non item: *Vos autem fratres non eſtis in tenebris.* 1. Theſſ. 5. Sunt quidem in loco caliginoſo, & ecce quomodo ibi ſunt. Scripturæ Sanctæ lucernæ ſimiles nobis ex parte facem præferunt, ut tuto ſecernamus veritatem a mendacio: ne alteram pro altero accipiamus, quod faciunt Infideles; ex altera vero parte relinquunt nobis obſcuritatem in mente, ita ut veritatem agnoſcamus, ſed non omnino. Denique Scriptura lucernæ dicitur ſimilis, ut intelligamus, ſi ab illa velimus illuminari, nobis lumen illius eſſe ſequendum: nobis inhærendum eſſe vero ſenſui, non autem illius ſenſum noſtro accommodandum eſſe per interpretationes arctas: *Omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.* 2. Petr 1. Gratias agamus Domino, quod nobis admirabilem hanc Scripturæ lucernam tradiderit, quæ nos deducat in ea caligine, in qua ambulamus. Humiliemus noſmetipſos, & erubeſcamus, ſi quin ſequamur lumen adeo purum, ſanctum, tutum; politicæ, mundanæque prudentiæ ſequimur lumen, quod nos fallere poteſt. *Idem P. Segneri.*

Primi Fideles ſæpe Scripturam Sanctam legebant.

Primi fideles nunquam amovebant oculos a Sanctarum litterarum fulgore. Illas inceſſanter legebant, & meditabantur, ut inde ſalutares fructus perciperent. Ita S. Petrus illos hortatur non minus ad ſacros libros legendos, & meditandos, quam eorum commendet conſuetudinem vacandi attentæ, accuratæque lectioni eorum. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes.* Sed quænam afferenda eſt attentio huic lectioni, ut inde proficiamus? attentio hominis, qui ſequitur lucernæ lumen in loco caliginoſo, & ſalebroſo: *Quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Homo iſte lucernam ſequitur pedetentim, ne aberret, ſi vel momento recedat. *Splendebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Job 29. Poſſumus etiam Sacras litteras meditati imitari nautæ diligentiam, qui in noctis caligine non avertit oculos a lampade, quæ monſtrat iter, ut tuto in portum perveniat. Ita Scriptura nos ducit in Cælum. legamus illam, illam

Digitized by Google

meditemur, eique ſemper noſtri obtutus inhæreant. Quis non magno cum periculo aberraret, Domine, cum errans te ducem ſequi putaret? Sed ope Providentiæ tuæ non deeſt nobis in Scripturis regula, qua auto diſcernere poſſumus afflatus, qui procedunt a te ab illuſionibus ſpiritus mendacis, qui nos ſeducere, & perdere quærit avertens nos a vero ſenſu, qui nobis ab Eccleſia declaratur. *Patris Segneri Meditationes.*

Veritates quas docet Scriptura tutiores ſunt omnibus revelationibus, ac luminibus, quæ habere poſſumus in meditationibus noſtris.

Sanctus Petrus nos monitos vult, nobis revelationi generatim fidendum non eſſe, niſi quatenus conformis eſt divinis Scripturis, ex quibus ſuam apud nos haurit certitudinem. Igitur non ſine peculiari Miſterio Moyſes, & Elias Transfigurationis die ſimul convenere. Moyſes nobis Legis libros repræſentat, Elias libros Prophetarum, ad innuendum, revelationum virtutem ſuam vim potiſſimum a Sacris libris mutuari. Hinc diſcamus quo in pretio nobis habenda ſint Oracula, quæ in Sanctis litteris continentur; quomodo præferenda ſint omnibus extaſibus, ſuavitatibus, deliciis, quæ nonnunquam in Oratione guſtantur. Fingimus imaginationis impetu in Montem Thibor repente transferri, ibi JESU CHRISTI gloriam palam intueri, atque tunc, ut olim S. Petrus; exclamare: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*; verum niſi ſimul cum JESU CHRISTO momento illo adſtiterint Moyſes, & Elias, videlicet ſi raptus noſtri, noſtraque lumina non conſenſerint cum Sacris Scripturis, ne fidem habeamus illis. Veritates, quas nobis tradit Evangelium, tutiores ſunt iis omnibus, quæ aliunde percipere poſſumus. *Auctor recens.*

Matth. 17.

Scriptura Sacra omnibus Veterum ſcriptis eſt excellentior.

In Sacris tantummodo biblis, quamdam prorſus divinam regnare videtis eloquentiam, quæ nihil vacuum relinquit in corde, & in mente; ita ut cum incidimus in magnifica ſchemata, in admirabiles loquendi modos, in pathetica verba, in ideas ſublimes, quas cient in nobis magnitudinis Dei, exclamemus, & admiratione capti cum S. Auguſtino confiteamur, cum eruditiſſimi Profanæ Antiquitatis Scriptores peculiari ſtudio eloquentiam adfectent; eloquentiam ipſam honori ſibi ducere, ſequi locos virorum illorum divino afflatorum numine, eaſque exornare. Fatemur dum apud Prophanos delecta verba, & locutionum venuſtas decorem afferunt iis, quæ ab illis dicuntur; apud Sacros Scriptores rerum pretium, & majeſtatem locutionum ſimplicitati gravitatem conciliare. Cur non licet mihi hoc in loco proferre pulcherrima Prophanorum loca, conferenda cum iis, quæ in ſacris Auctoribus partim inveniuntur! Ubinam videtis locos magis patheticos propter circumſtantias; morum diſciplinam ſuavius, ſimulque vehementius inſertam; facti propter caſus multiplices mira varietate exornata? Si Hiſtoriam ſpectemus, ulla ne apud Ethnicos invenitur, cujus veritates ſint probatiores, quam in Joſeph Hiſtoria; Nihil profecto mirabilius variis caſibus, qui in vita ejus leguntur. Quid in Prophanis Scriptoribus legimus, quod cum Amani lapſu, cum patientia David, cum Salamonis magnificentia, cum Suſannæ judicio, cum Judæ Machabæi virtute, cum Apoſtolorum integritate, cum Martyrum conſtantia, cum zelo S. Pauli valeat comparari? atque ut in immenſum augeatur inſignium horum eventuum nobilitas, quid in univerſa Prophana Antiquitate inveniri poteſt, quod cum immenſa Æterni Verbi bonitate conferatur? *Sermo Academiæ anni* 1711.

Qua majeſtate Scriptura definiat ſe potius dinem, & poteſtatem Dei.

Attendite, quæſo, ſublimem ſimplicitatem ſtyli Sacrarum Litterarum. Admiramini procuidubio eximiam illam majeſtatem, qua Deus ſe ipſum definit: *Ego ſum, qui ſum*, duplici verbo ſignificans ſe unum illud Ens eſſe, quod per ſe vivit, atque ſubſiſtit, & quidquid vivit, & ſubſiſtit in natura nonniſi per illum vivere, atque ſubſiſtere. Nonne Moyſem admiramini, cum inducit Deum loquentem modo ita ſimplici, ſimulque ita accomodato ad ſupremi Entis potentiam, cui nihilum quoque obedire tenetur? *Fiat lux* ait ille: *& lux facta eſt*. Connectit ſimul duas ideas maxime oppoſitas loquendi facilitatem, cum impoſſibilitate efficiendi, ut a nihilo exaudiatur; & per hoc æquiſſimam nobis adſtruit ideam magnitudinis Dei. *Ex eodem Sermone.*

Genes. 1.

Verbum Divinum humano oppoſitum paucis verbis exprimit multa.

Cum humani ſpiritus character ſit multa loqui, & parum dicere: e contra character Spiritus Dei eſt loqui parum, & multa dicere. Profecto Scriptura Sancta generatim habet ſenſus magnitudinem ſub ſimplici locutione latentem, quæ vulgo plura ſignificat, quam dicit; & novum præſertim Teſtamentum, qui liber eſt maxime eſſentialis Religionis noſtræ, & cujus, quæcumque a Prophetis prædicta ſunt, quædam veluti Præfatio eſt habenda: hic liber, inquam, rebus cumulatior eſt, quam verbis, ſed rebus, & verbis plenis ſpiritu, & vita, quæ non ſatis ponderari poſſunt, niſi adhibeatur ſeria meditatio, cum Cæleſti gratia conjuncta. Ex hoc libro divino Eccleſiæ Patres, Doctoreſque hauſerunt, quidquid ad eruditionem noſtram dixerunt. Hæc norma eſt ſecundum quam omnes actus noſtros componere debemus, & nonniſi illam ſequentes tuto incedere poſſumus in via, quæ nos ad æternam beatitatem debet adducere. *Ex Sermone quinto Academiæ anni* 1711.

Cur antiqui Patres non recognoverint

Si JESUS CHRISTUS, & Apoſtoli prædicarunt Scripturam Sanctam eſſe Verbum Dei, unde nam factum eſt, ut nonnulli Patrum non recognoverint pro divinis libros aliquot, ſi ſecundum Eccleſiam Catolicam hodie Scripturæ partem conſtituunt; videlicet Librum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, Machabæorum, Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, ſecundam S. Petri, ſecundam, & tertiam S. Joannis, Epiſtolam S. Jacobi, illam S. Judæ, & Apocalypſim? Reſpondeo, cum nondum univerſe conſtaret nonnullorum antiquorum Patrum ævo de horum librorum Canonicitate, & nondum aliqua facta fuiſſet Eccleſiæ deciſio, quæ authentico modo, quid credendum eſſet decerneret, poſtmodum Epiſcopi Catholici congregati, ut ſtatuerunt quid tenendum eſſet de eorum Librorum divinitate, & omnem dubitationem, quæ hac de re ſupereſſe poterat, auferrent, in Concilio quodam decreviſſe, libros hoſce Verbum Dei eſſe, quia id acceperant ex traditione publica, generali, & perpetua Prædeceſſorum ſuorum. Quæ deciſio ab omnibus Catholicis ævi illius acceptata fuit, & ſic deinceps ab eorum Succeſſoribus uſque in præſentem diem, ut liquido conſtat ex Tridentino Concilio. *Liber qui inſcribitur; Defenſio Religionis.*

tanquam divinos omnes Scripturæ Sanctæ libros.

Conſtat Deum Auctorem eſſe Chriſtianæ Religionis; ipſum illam fundaſſe, atque inſtituiſſe, ut eam omnes homines uſque ad finem ſæculorum ſequerentur; hanc eſſe regulam morum, neminem in alia quapiam Religione illi placere poſſe, & Scripturam Sanctam eſſe Dei Verbum. Hic ſequitur Primo, Deiſtas dubitare non poſſe de Chriſtianæ Religionis veritate; cum enim Deus ſit ſummopere ſapiens, & bonus; fieri nequit, ut ille ſit auctor falſæ Religionis, & præcipiat, ut omnes homines ſequantur illam uſque ad ſæcula conſummationem; ideoque eo magis quod Religio eſt regula eorum, quæ facienda ſunt, ut Deo ii deferantur honores, qui decent illum. Alioquin tunc Deus habendus eſſet tamquam deceptor, qui oblectaretur ſe per errores coli, & generatim præciperet omnibus hominibus, ut falſas opiniones ſequerentur. Qui proculdubio cumulus eſſet iniquitatis, & omnium abſurditatum. Sequitur Secundo; Deiſtas ſeſe diſpenſare non poſſe, quominus Chriſtianam Religionem obſervent; quam Deus illis tradidit, ut ſumma cum fidelitate ſequantur, & illos Deo in nulla alia Religione acceptos eſſe poſſe. Sequitur Tertio, quemadmodum Scriptura Sancta eſt Verbum Dei, illam ſumma cum obedientia ipſis eſſe recipiendam, quaſcumque ibi difficultates inveniant: debent ex iis, quæ intelligunt, proficere, credere, & adorare, quæ non intelligunt, & ſemet ſub pondere divinitatis ejuſdem exinanire. Ita Deiſtæ citra impietatem dicere nequeunt, Biblia opus eſſe mere humanum; Deum ea, quæ in terris fiunt, negligere; vel ſatis eſſe naturalem Religionem tueri; vel nihil referre quo pacto noſtra erga Deum obeamus officia: quemlibet ſequi poſſe religionem, in qua natus eſt, vel illius regionis, ubi eſt, vel illam Principis, cui paret; verbo, bonas eſſe omnes Religiones. Fateantur tandem nullam eſſe bonam Religionem niſi Chriſtianam. *Idem.*

Scriptura Sancta eſt Verbum Dei, ejuſque Deus auctor eſt Chriſtianæ Religionis.

Scriptura Sancta Verbum eſt Dei ipſius. Si igitur eam legimus, vel audimus ſine attentione, verum erit dicere, Deum loqui nobiſcum, nos vero illi aurem non adhibere. Hoc autem, nonne eſt Dei verbum contemnere? nonne illud polluere, ideoque aliquam ſacrilegii ſpeciem committere? Quam optandum eſſet, ut ſancta reverentia erga Sancta Biblia, qua pleni erant primi Fideles, ad nos uſque perveniſſet! Legebatur in Cœtu primorum Fidelium. Omnes trepidabant, omnes reverentialem timorem concipiebant. Videbantur homines avide perquirentes eſcam ſpiritalem nobis a Deo relictam. Ita erant affecti primi Fideles illi, de quibus Sermo eſt in libro Actorum. De illis ſcriptum eſt, illos Dei Verbum recepiſſe cum ardore, affectu, & aviditate. Ubi hic ardor eſt? ubi affectus eſt? Ubi aviditas? Ubi ardor? Languemus. Ubi affectus? Appetimus quidem inanes hominum ſermones; Scripturam vero Sanctam negligimus. Ubi aviditas? Dei Verbum faſtidium creat. Cogendi ſumus, ut Cæleſti pabulo nutriamur. Credimus ne hoc Dei Verbum eſſe, & vitam noſtram pendere ab illis diſpoſitionibus, cum quibus divino hoc verbo nutrimur? *Sermone de vita Eccleſiaſtica Lambert, tom.* 2.

Reverentia, & attentio, qua legenda eſt Sancta Scriptura.

Mirum eſt homines in talem ignaviam lapſos fuiſſe, ut adeo contemnant id, quod tantum in propriam utilitatem illis commendatum fuit, & quod ſe tanti facere teſtatus eſt Deus, ipſe cum ſcripſit leges, ſecundum quas nobis vita componenda eſt; ipſe præcepit, ut fieret Tabernaculum, ut in eo collocaretur Arca auro conveſtita, & affabre elaborata, & in ea Lex ſervaretur, ut populi majori cum veneratione illam colerent. Ipſe præcepit Joſue, ut ſemper geſtaret ſecum Legis hujus librum, ut indeſinenter eum legere poſſet, & poſſet communicare aliis doctrinam, quæ ibi continebatur: ipſe præcepit omnibus Regibus Iſrael ut hunc librum haberent propria manu ſcriptum, ſi feliciter regnare vellent, & diu in terris vitam producere. Hinc præcepto innixus Philo Judæus dixit, Deo ſatis non fuiſſe, ſi Reges hunc librum haberent aliena manu deſcriptum, ſed propria Regis ipſius, ut ea quæ ibi continebantur, altius in ejus memoriam inſigerentur, cum

Contemptus in quo habetur Scriptura Sancta quam Deus ipſe nobis commendavit.

tene-

Digitized by Google

teneretur ea de verbo ad verbum, & per otium deſcribere. Patet enim, Regi majori in pretio habendum fuiſſe id, quod propria manu exaraſſet, cum eſſet Rex, & haberet plurimos miniſtros, & Scribas, quibus hanc committeret curam, atque legem ipſam majori cum reverentia excipiendam videntı poſtquam primum digito Dei ipſius ſcripta fuerat, deinceps non manu hominis alicujus ex plebe, ſed Regum ipſorum fuiſſe exſcribendam. Igitur ne oblivioni daretur id, quod adeo neceſſarium videbatur, præcepit Moyſes, ut cum Filii Iſrael promiſſam terram ingrederentur, duos ingentes attollerent Lapides, in quibus Legis hujus verba deſcriberent, ut qui illac pertranſirent, poſſent contemplari eos characteres, & audire mutam vocem divini illius Præconis. Salomon ſimile tribuit Conſilium Filio Spirituali, quem in libro Proverbiorum erudit, cum ait: Fili ſerva mandata Patris tui, & ne derelinquas legem Matris tuæ. Cura, ut ſemper impreſſa maneat in corde tuo, & tamquam pretioſum monile pendeat ex cervicibus tuis. Præcedat tibi ambulanti; ac dormienti ſit tibi ſub cervicali. Cum illa colloquere, ubi evigilaveris; quia Domini mandatum lucerna eſt, & lex lux, & correctio doctrinæ via eſt adducens ad vitam. Huc afferre poſſem ſexcentos Sacrorum Bibliorum locos, & eorum præſertim, qui Sapientiales dicuntur, ubi ſuadetur hominibus amor divinæ Sapientiæ, quæ non aliud eſt, quam audire, legere, cogitare, meditari Dei Legem, quæ in Sacra Scriptura continetur. *Ex Granat. Catech.*

Exemplū Regis Joſiæ quod oſtēdit, quantum fructus percipi valeat ex lectura Bibliorum.

Inter omnia exempla, quæ proferri poſſunt ad oſtendendos fructus, qui percipi poſſunt ex ſalutari Sacrorum Bibliorum doctrina, ſpectatiſſimum illud eſt Joſiæ Regis, ac referendum iiſdem verbis, quibus uſus eſt Spiritus ſanctus in libro Regum. Pius iſte Rex regnum obtinuit octavum annum agens, ſed Regnum nactus eſt pene dirutum propter ea mala, quæ patraverant Amon Pater, & Manaſſes avus illius, qui nequiſſimi fuerant, & nocentes, atque ſacrilegis manus Prophetarum cruore fœdaverant. Cum perveniſſet ille ad duodecimum Regni ſui annum, Helcias Summus Sacerdos miſit illi legendum divinæ legis librum, qui repertus fuerat in Templo: Liber hic in parte altera complectebatur non ſolum divinas leges, verum etiam remunerationes illis promiſſas, a quibus obſervarentur; in altera vero terribiles pœnas, & mala, quæ infringentibus eaſdem imminebant. Cum quadam die liber coram Rege legeretur, hic tali fuit terrore correptus, ut ſcinderet veſtimenta ſua teſtaturus dolorem, miſitque ſummum ipſum Sacerdotem cum principibus civitatis ad Propheteſſam, Jeroſolymæ commorantem, ut poſt fuſas ad Deum preces pro Regis, populique incolumitate, ejuſdem voluntatem verbis libri ejus connotatam interpretaretur. Quibus Sancta mulier reſpondit:

4. Reg. 22.

Hæc dicit Dominus; Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores ejus, omnia verba legis, quæ legit Rex Juda: quia dereliquerunt me, & ſacrificaverunt Diis alienis ... Regi autem Juda, qui miſit vos, ut conſuleretis Dominum, ſic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo, quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino auditis ſermonibus contra locum iſtum, & habitatores ejus, quod videlicet fierent in ſtuporem, & maledictum, & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me, & ego audivi, ait Dominus: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum. Quam autem rationem, quod exemplum ad perſuadendum aptius afferre poſſumus probaturi fructum, quem ex Sacris Scripturis percipere poſſumus? Quis liber unquam utiliores, & admirabiliores protulit fructus? Et quiſnam erit ita ſibimet inimicus, qui tot inde bona emanare conſpiciens nolit impendere aliquam temporis ſui particulam in Sacris litteris evolvendis, ut his bonis perfruatur. *Ex Cathechiſmo Granatenſis.*

Baruch Propheta uſus eſt lectura Script. S. ad excitandum ad pœnitentiā populum, qui abductus fuerat in Babylonis captivitatē.

Cum Baruch Propheta excitare voluit ad pœnitentiam populum, qui abductus fuerat Babylonem in captivitatem, hoc uſus eſt medio, captivos illos in eumdem locum congregans, eiſque Scripturæ Sanctæ partem lectitans. Sacrorum bibliorum lectio ita cor illorum tetigit, ut inceperint plorare, jejunare, agere pœnitentiam peccatorum ſuorum, & in commune congerentes eleemoſynas ſuas, illas miſerint Jeroſolymam, ut in Templo Sacrificia offerrentur ad veniam criminum ſuorum obtinendam. Ita Verbum Dei poteſt omnia, & omnia operatur ſicut ipſe Deus, cum ſit inſtrumentum illud, quo majori cum efficientia utitur. Hinc merito illi referuntur accepti omnes cauſlæ principalis effectus. Dei enim Verbum mortuos ſuſcitat, viventes regenerat, ægros ſanat, ſoſpites ſervat, cæcis oculorum aciem reddit, tepidos fovet, eſurientes ſaturat, roborat infirmos, & afflictis ſolatium præbet. Hoc illud Cæleſte manna eſt, cui guſtus inerit omnium epularum, cum nulla ſit ſuavitas, dulcedo nulla, quam in Dei verbo anima non inveniat. Per hoc triſtes ſolatium inveniunt, afflicti lætantur, tepidi pietatem acquirunt, duri per pœnitentiam emolliuntur, & qui dociles ſunt, dociliores evadunt. *Ex Granatenſis Catech.*

Quamvis Scripturam lectio Sancta ſit, atque perutilis, nonnulli tamen eidem vacant.

Si Sanctorum librorum lectio tot, tantoſque parit in anima affectus, quid luctuoſius fingi poteſt, quam extinctum videre hoc lumen in terris, tenebras adeo denſas, tantam in filiis quidem ignorantiam, in patribus vero negligentiam, & in pleriſque fidelibus cæcitatem? Quid in mundo eſſe poteſt quod pluris faciendum ſit quam Dei Lex; & nihilominus, quid libentius datur oblivioni? Quid ſimul pretioſius, & contemptius? Quis unquam ſatis intellexit neceſſitatem, quia Deum amare, eique inſervire tenemur? Quis novit quænam vis adſit ſacris Religionis noſtræ Myſteriis, ad amorem hunc in nobis excitandum? Inter remedia, quæ noſtram extrudere valent ignorantiam, unum ex præcipuis eſt Sanctorum librorum lectio; ideoque Sancti Patres ſæpe nobis Scripturæ Sanctæ lectionem ſuadent. S. Hieronymus ſcribens ad S. Virginem Demetriadem, quæ omnia bona ſua pauperibus erogabat, illi etiam, atque etiam lectionem hanc commendat, atque hortatur, ut in bona cordis ſui terra ſerat ſemen verbi Dei, ut actiones ſuas divino huic Verbo conformes efficiat. Inter alia plura præcepta, quæ illi tradit in eadem Epiſtola, ait tandem, ſe finem Epiſtolæ facientem ibi, unde illam inceperat, iterum illi hanc lectionem etiam, atque etiam commendare. *Idem.*

Liber Pſalmorū, qui in Scripturis continetur nos docet laudare Deum, ac pietatem ſuadet.

In Pſalmorum libro, qui pars eſt Scripturæ Sanctæ, Deum laudare docemur, illi propter ſua in nos beneficia gratias agere, & in noſtris neceſſitatibus opem expoſcere. Pſalmi tribuunt nobis maximam, atque ſingularem Dei cognitionem, magna vi exprimentes præſtantiam operum illius, ſive naturæ, ſive gratiæ, quibus omnia fere cumulata ſunt, ut excitent cor noſtrum ad amorem illius, ad timorem, ac reverentiam tantæ Majeſtatis; In quo potiſſimum tota ſita eſt Chriſtiana Philoſophia. Ad duo enim tendit præſertim; primum quidem ad intellectum noſtrum illuſtrandum per cognitionem Creatoris noſtri, mox vero ad inflammandam voluntatem noſtram in Sancti nominis ſui amore, & timore. Primum refertur ad alterum tamquam ad finem præcipuum; ſola enim Dei cognitio, ſine voluntatis conjunctione parum utilis eſſet. Ad hanc igitur partem alteram, quæ eſt divini amoris ardor tamquam ad potiſſimam, & maxime neceſſariam Pſalmi referuntur: Hac de cauſſa voluit Eccleſia, ut interdiu, noctuque Pſalmi verſarentur in ore noſtro cubitum euntium, & inde redeuntium, prandentium, a prandio aſſurgentium; ut jugis hæc exercitatio ignem igni, lumen lumini, devotionem adderet devotioni, ideoque timor, & amor, quo Creatorem noſtrum proſequi tenemur, magis magiſque creſceret, atque confirmaretur. *Ex Granatenſis Cathechiſmo.*

Libri Sapientiæ qui in Script. S. continentur nobis præſtāt præcepta, & monita ad inſtruēdū animi cultum ſpectanda.

Scriptura Sancta complectitur quoque libros Sapientiæ, quibus moralis continetur diſciplina, non a Platone quidem, vel Ariſtotele, ſed Spiritu S. compoſita. Ibi ſine diviſionibus, definitionibus, ſyllogiſmis, immo etiam ſine ulla opinionum oppoſitione docemur vitam noſtram inſtituere tum in proſpero rerum curſu, tum in adverſo. Inveniemus ibi eorum, quæ nobis facienda ſunt, monita, ita ut nulla vitæ pars peculiaribus præceptis indigeat. Ibi homines ad juſtitiam exercendam ſuadentur, & rationes ad id obtinendum aperiuntur; quod profecto eſt totius Chriſtianæ Philoſophiæ compendium. Qui recte vitam ſuam vellet inſtituere, ſemper hos ſecum libros geſtare deberent; quippe illic invenirent lumina menti, pietatis argumenta voluntati appoſita, remedia ad evitanda mala, & ſalutaria præcepta ad actus ſuos dirigendos accommodata. Alia etiam horum librorum utilitas eſt, quia ſingulæ lineæ ſingulæ ſunt perutiles ſententiæ. In libris aliis plures plerumque paginæ ſunt evolvendæ, antequam ſapiens aliquod dictum legenti occurrat; in his vero nihil eſt non pretioſum; ne una quidem clauſula, quæ non ſit utilis, & veluti infiniti pretii margharita; ita ut libri illi totius Scripturæ breviarium eſſe videantur. *Idem.*

Propheticorum Librorum in Script. ſcopus eſt mercedem polliceri iis qui ſidéliter Dei legem cuſtodierint.

Complectitur quoque Sacra Scriptura Prophetas, de futuris fere loquentes, quorum præcipuus ſcopus eſt ingentea polliceri favores illis, qui Dei legem ſervaverint, & omne mali genus illis intentare, qui eamdem perfregerint. Continent enim minas Dei adeo terribiles, ut nullum ſit cor adeo durum, quod illas audiens non deterreatur. Prophetarum igitur finis eſt excitare in hominibus amorem Dei, atque virtutis per pollicitationes, & efficere, ut illi divinæ juſtitiæ rigorem per minas reformident, atque peccatum perhorreſcant. Sed ſi quis hoc argumentum inſpexerit, uti opus eſt, videbit utraſque ex eodem fonte emanare, videlicet ex infinita Dei bonitate, quæ non minus impios punire debet, quam pios remunerari. Cum ergo utrumque nobis oſtendat bonitatis hujus magnitudinem, quæ potentiſſima eſt ad Deum amandum cauſſa; ſequitur non minorem ad nos excitandos ad illius amorem aculeum eſſe terrorem minarum, quam gratiarum promiſſionem. *Idem.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

In iiſdem his Prophetarum Scriptis alia via deprehendimus magnitudinem divinæ bonitatis, & deſiderium homines ſalvos faciendi, ubi conſideramus, illam tot deinceps miſiſſe prophetas, ut hominibus oſtenderent criminum ſuorum enormitatem, & Dei iracundiam paratam ad fulmina in eorum caput contorquenda, niſi

quam

Digitized by Google

quam primum agerent pœnitentiam. Verum perinde ac Deo ſatis non fuiſſet hæc illis ſignificare verbis adeo validis, ac vehementibus, cujuſmodi ſunt verba Propherarum; aliis etiam utitur argumentis magis demonſtrativis, atque authenticis ad illas altius imprimenda, quæ portendebat illis per hos homines divino afflatos ſpiritu, & ut apertius illa cognoſcerent præcipit Jeremiæ, Iſaiæ, & Ezechieli, ut oſtendant populo per ſymbola, quo pacto ille eſſet pertractandus. *Idem.*

Quænam reverentia habenda ſit erga Evangelia, quæ in Sanctis Scripturis continentur.

Verum quiſnam audeat ſatis digne loqui de Sanctis Evangeliis? De quibus illud eſt animadvertendum omnis quidem præcepta a Deo tradita fuiſſe nobis per os ſervorum ſuorum, Evangelica vero ab ore Unigeniti ipſius emanaſſe, qui miſſus fuit, ut Magiſter eſſet, & Paſtor populorum. Propheta quoque teſtatur hoc in argumento, Spiritus S. gratiam effuſam fuiſſe ſuper labia illius, propter doctrinæ ejus præſtantiam. Profecto commendabilis eſt iſta doctrina propter puritatem, atque Sanctitatem ſuam; quandoquidem re adhuc integra omnes tollit permiſſiones, quas lex largiebatur, cujuſmodi erant illæ, plures ducendi uxores, eas repudiandi, alienigenis fœnerandi &c. Ibi potiori jure deprehendere poſſumus inter cetera nomina, quæ Iſaias tribuit Salvatori, illud etiam *Conſiliarii* eidem attribui; quia tam verbis quam factis nobis traditurus erat conſilia, in quorum obſervantia tota Evangelicæ legis perfectio conſiſtit. Hæc eadem doctrina beatos declarat pauperes ſpiritu, illos qui miſerentur, manſuetos corde, pacificos, illos qui recto ſunt Corde, qui ſitiunt juſtitiam, videlicet qui faciunt quod ſibi faciendum eſt, ut ſuo ſerviant Creatori; qui lugent peccata ſua, & aliena, qui perſecutionem patiuntur, maledicta, & contumelias propter juſtitiam. Ibi magno in pretio eſt omnium inconditarum cupiditatum noſtrarum mortificatio erga cognatos, amicos, honores, dignitates, omnia denique terræ bona. Ibi amor proprius damnatur, & excitamur ad Sanctum noſtrummet ipſorum odium; odium videlicet pravarum affectionum noſtrarum. *Ex Cathech. Granat.*

Quod nos docet Dei Filius in Evangelio nobiliorem Scripturæ partem conſtituit.

In Evangelio potiſſimum, quod nobiliorem Scripturæ S. partem conſtituit, Dei Filius nos docet ſubmittere, ac ſubjicere carnem ſpiritui, ubi ait: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui diligit animam ſuam, perdet eam, & qui illam perdiderit propter me, inveniet illam.* Ibi præcipit ut columbæ ſimplicitatem, ſerpentis prudentiam, agni manſuetudinem, & pueri habeamus humilitatem. Ibi etiam atque etiam commendat nobis intentionis puritatem in omnibus actionibus noſtris, ſed præcipit, ut cane pejus, & angue omni cura evitemus Inanis gloriæ ſcopulum, quæ eo eſt periculoſior, quia ex bonis etiam actionibus noſtris nos tentandi occaſionem deſumit; quapropter præcipue hoc monitum tradit jejunantibus, vel orantibus, vel eleemoſynam erogantibus: cum Dei Filius minime velit hujuſmodi in occaſionibus lævam ſcire quod facit dextera. Ibi etiam ſuadet nos, ut de omnibus bene mereamur, de illis etiam, a quibus nihil ſperare boni valeamus. *Idem.*

De præſtantia Doctrinæ Sancti Pauli in Epiſtolis, quæ in Scriptura continentur.

Habemus etiam in Scripturis Epiſtolas S. Pauli, quæ doctrinam adeo ſublimem, & egregiam continent, ut deſperem de illis me ſatis digne loqui poſſe. Dicere enim poſſumus hunc primum fuiſſe interpretem, & principem eorum, qui Evangelium elucidarunt; quia Evangeliſtæ narrant ſolum ſimpliciſſimis verbis hiſtoriam vitæ, & paſſionis Salvatoris noſtri, quin Myſterii, ac beneficii hujus exaggerent magnitudinem. Sed miſit de Cælo Deus divinum Cantorem hunc, qui Angelica voce ſimplicibus notis utens adeo ſpecioſum, ac ſuavem concentum emiſit, qui jucundo modulamine oblectat animas purificatas, atque diſpoſitas ad horum Myſteriorum magnitudinem aſſequendam. Ibi primum aperit nobis divitias hujus bonitatis, & Miſericordiæ Patris Æterni, qui per adeo ſublime Incarnationis, & Paſſionis Filii ſui medium voluit nos curare, honorificare, revocare de morte ad vitam, & tandem gloriæ ſuæ participes facere. Ibi ait: *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* In Sanctis hiſce Scripturis magnus hic Apoſtolus aperuit nobis magnitudinem Charitatis JESU CHRISTI erga homines, quæ eo uſque proceſſit, ut ſeſe morti ſubjiceret non pro juſtis tantum, verum etiam pro peccatoribus, non ſolum pro amicis, verum etiam pro inimicis, & pro omnibus illis, qui ſanguinem ſuum effundunt; & hoc pacto nos excitat ad amorem illius, qui tantopere dilexit nos, & ad juges illi gratias pro ſingulari hoc beneficio agendas, & referendas. *Ex Granat. Cathech.*

Quid nobis ſuadere debet ut S. Scripturâ in pretio habeamus.

Potiſſima vero cauſſa propter quam tanti facere debemus S. Scripturam, quanti facienda eſt, illud verbum eſt, quod Salvator populo dixit: *Si quis voluerit voluntatem facere* (Patris mei) *cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a me ipſe loquar.* Quibus verbis docet, hominem, qui vacat exequendæ voluntati Dei, fideliter ejus mandata obſervando, judicem eſſe irreprehenſibilem veritatis, & excellentiæ doctrinæ ſuæ. Etenim ſicuti oportet linguam ſanam eſſe, & vitio vacuam, ut de epularum ſapore, & guſtu judicium ferat: nam ſicut æger, cujus guſtus pravis humoribus corruptus eſt, de epulis judicium ferre non poteſt: ita homines qui nefariam vitam ducunt, qui vitium diligunt, qui virtutem oderunt, non ſunt æqui judices doctrinæ, quæ bene vivere docet, & quæ illorum pravos habitus, omniaque eorum flagitia condemnat. Opus eſt ergo, ut qui bonus doctrinæ hujus judex eſſe velit, virtute ſit præditus, ſanum habeat guſtum; hujuſmodi enim viros vult Deus eligere interpretes, & judices doctrinæ ſuæ, quæ in Scriptura Sacra continetur. *Idem.*

S. Bernardi & S. Pauli Conſilia de lectione Scripturæ Sanctæ.

Sanctus Bernardus ſcribens ad quamdam ex ſororibus ſuis, ſuadet illi, ut ſæpe Scripturam Sacram evolvat, eique optimos effectus, qui inde emanant, oſtendit. Præcipue vero S. Paulus Timotheo Diſcipulo ſuo, qui Spiritu ſancto repletus erat, auctor eſt ut vacet lectioni Scripturæ Sanctæ, cui ipſe ab ineunte ætate operam dederat. Poſt quæ teſtimonia aliud afferam quod non minus validum eſt ad hoc ipſum probandum; Moyſis videlicet, qui poſtquam evulgavit, explicuitque populo legem Dei, ſubdidit: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens: Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ.* (Deuter. 6. 6.) Neſcio quibus potentioribus verbis uti poſſet Propheta, ut magis divinæ legis ſtudium commendaret. Verum perinde ac omnia, quæ dixerat in re tanti momenti parum eſſet, hoc ipſum repetit iiſdem verbis ſecundo Capite undecimo ejuſdem libri; ut nos hoc ipſum doceret, quod in Scripturis non eſt infrequens. Talis erat divini hujus hominis cura, qui loquebatur facie ad faciem, ut in anima imprimeret jugem divinæ legis cogitationem. Ita agnoſcebat ille neceſſitatem noſtram, & fructus inæſtimabiles, qui inde percipiuntur. Quis non videt, quantum jugi huic meditationi, ad quam Sanctus hic nos hortatur Propheta, prodeſſe valeat lectio optimorum librorum agentium de pulcritudine, atque præſtantia Legis Dei, & de neceſſitate ejuſdem ſervandæ? Si enim ſcientia deſit, & eruditio, quæ nonniſi per lectionem acquiritur, meditatio quibus rebus innitâ poterit, & ſuſtineri? Cum duo hæc ita invicem ſibi conjuncta cohæreant, ut una ſine altera nihilum proſit; quoniam lectio ſibi æquiparatur, quem digerit meditatio. *Ex Catechiſmo Granatenſis.*

Quænam ſint artes hæreticorum.

Videmus inter pernicioſiſſimas artes, quibus uſi ſunt noſtrorum temporum hæretici ad homines pervertendos fuiſſe in omnibus ſcriptis ſuis ſerere blaſphemias. Quod ſi mendacium verbi coloribus illitum tantam habet vim ad fallendos homines, quam non habebit vim ipſa veritas ad nos ab errore tuendos, tunc vero potiſſimum, cum per Sanctam Doctrinam bene fuerit explanata; quandoquidem illi tantum roboris eſt, atque auctoritatis in ipſo mendacio? Et ſi hæretici tanta cura hac arte corrumpunt animas, cur non iiſdem mediis utamur ad eas ſalvas faciendas? *Idem.*

Reverentia, & ſitus qui olim præmittebantur lectioni Evangeliorum.

Liber Evangeliſtarum, qui Sacræ Scripturæ partem conſtituit, primis temporibus in medio Conciliorum ſtatuebatur; ibique ſitus erat cum omni honoris, & dignitatis inſignibus. Proponebatur omnibus conſpiciendus, qui ſacris illis Cœtibus intererant; multaque adhibebantur exteriora ornamenta ad reſtatam faciendam reverentiam, quæ Sacris Domini Verbis debetur. Sed externi omnes ornatus monita erant, ſignificantia externas honoris, & reverentiæ diſpoſitiones, quibus affecti eſſe debemus, dum dignatur Deus nobis verbo voluntatem ſuam ſignificare. Attendamus Eccleſiæ ritibus, eoſque ſpiritu noſtro aſſequamur. Videmus honorem, qui Sanctis adhibetur Evangeliis: inter accenſas lampades defertur magna cum ſollemnitate; ſurſum attollitur, totus invitatur populus, ut ſanctum librum hunc intueatur: omnes aſſurgunt, & ſummo cum ſilentio audiuntur documenta, quæ divinus nobis Præceptor reliquit. Peramanter, ac verecunde oſculum figimus libris, qui Dei Verbum continent. Hoc Sanctum eſt Verbum Domini. Verbum Dei ergo magnam flagitat reverentiam. Hoc legis, cum divinum recitas officium; vide utrum huic verbo, eum, quem meretur, honorem adhibeas. *Lambert in Sermonibus de Vita Eccleſiaſtica. Tom. 2.*

Dei Filius nobis reliquit Scripturam Sanctam, ut noſtra ſit conſolatio. Pſalm. 118.

Dei Filius nobis Scripturam reliquit, quæ ſanctum ipſius continet Verbum, ut miſeræ vitæ hujus tempore ſit nobis ſolatio. Heu! Quod tædium in exilii loco! Vix ferenda eſſet illius amaritudo, niſi Deus nobis exhiberet ſolidas conſolationes, quæ in Verbi ſui meditatione continentur. *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt; tunc forte periiſſem in humilitate mea.... Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.* Igitur Scriptura Sancta ſolida eſt exilii noſtri conſolatio. Nullam in Verbo Domini conſolationem nanciſci, non eſt habere Spiritum Chriſtianiſmi, & multo magis non eſt, ſe Chriſtianum profiteri. Sanctus Auguſtinus a Deo petit, ut Sanctæ Scripturæ ſint caſtæ deliciæ ſuæ ſe magnum eſſe putat donum, guſtum

ſtum Scripturarum. Amicos ſuos obteſtatur, & obſecrat, ut Scripturæ ſtudio dent operam; hæc non ſunt inania verba, quæ palpent auriculam; graves ſunt ſententiæ ſeræque; quo ſolidior eſt ſpiritus, eo majorem inde percipit voluptatem. *Idem*.

Primi Fideles nullo in diſcrimine habebant quæcumque detrimenta; modo ſibi non auferrentur Scripturæ quæ tota erat ipſorum cõſolatio.

Quæcumque primis Fidelibus immineret calamitas, nullo ipſis erat in diſcrimine; modo illis Sanctæ relinquerentur Scripturæ. Si illis terrenæ auferrentur opes, terrena hæc bona contemnebant. In obſcuris carceribus includebantur? Captivos eſſe JESU CHISTI beatis illis temporibus bonoris loco erat. Primi fideles alacri, hilarique animo omnes terrenas poſſeſſiones deſerebant, nihilque flagitabant, niſi ut ſibi liceret ſacros libros ſervare. Hoc unum erat bonum, cujus jactura gravis illis videretur; & cum eo uſque ſæviret inhumanitas, ut tenerum hoc conſolationis ſuæ objectum auferret, Dei verbum ſervabant in corde; qua re omnes perſequentium ſe conatus irridebant. Videbantur quidem malis obruti in hominum oculis; re autem vera nullius rei ſolatio indigebant. Dei verbum illos conſolabatur; & nemo erat qui non exclamaret cum viris illis zelo ſuccenſis, de quibus ſermo eſt in libris Machabæorum. *Nullo horum indigemus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris*. Sunt quidem in manibus veſtris libri; ſed tantum abeſt, ut in illis veſtram inveniatis conſolationem; frontis veſtræ mœror, verborum veſtrorum præceps feſtinatio; mentis veſtræ horror, ariditas cordis veſtri certum eſt argumentum, vos non ſcitis Vitæ verbum guſtare. Trepidate: verbum Dei, Sancto Auguſtino teſte, agit in mentem, & cor hominis juxta illius diſpoſitiones. Imber eſt lætificans cor juſtorum, uberesque inde fructus eliciens. Sed homo nequam prohibens hujus ubertatis effectus nanciſcitur damnationem ſuam in eo, quod illi futurum eſſet cauſſa ſalutis. *Idem*.

1. Machab. 12.

Quid pro Sacra Scriptura ſit intelligendum.

Sacræ Scripturæ nomine intelligimus totum Bibliorum corpus ſecundum omnes partes illius, quæ in Tridentina Synodo memorantur. Intelligimus etiam per Traditiones, quas credimus quaſdam inſtructiones, & conſtitutiones, quas nobis tradidit JESUS CHRISTUS de manu in manu per Apoſtolos, Præſules, & Eccleſiæ Capita, quæ ſcriptæ non ſunt, quia Dominus noſter nihil ſcripſit, ſed dixit ſolum Apoſtolis ſuis: *Ite, & docete omnes gentes baptizantes* &c. *& docentes ſervare, quæ præcepi vobis*. Magnitudo hujus doni egregie explanata fuit a Moyſe, cum loquens ad populum dixit illi: *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat caremonias juſtaque judicia, & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* Et David laudat Deum, eo quod *annunciavit verbum ſuum Jacob; juſtitias, & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Si igitur verum eſt gratiam hanc adeo inclytam eſſe, quid mihi prodeſt hæc lex, ſi nullum inde fructum percipio; ſi non lego illam, ſi illam non exerceo? Si non geſto illam in membris meis, neque in corde? Si per illam non diſſipo tenebras ignorantiæ meæ? Si non utor illa ad corrigenda delicta mea? Hominis bonum nequaquam ſitum eſt in earum rerum, quas poſſidet, excellentia, ſed in earum uſu; ut per boni communicationem, & exercitium, qui virtute præditus non eſt, talis evadat. *Auctor recens*.

Deuter. 4.

Pſalm. 147.

Quorum ſit eorum ſuperbia quibus ſatis eſt Sacram legere Scripturam, quin conciones velint audire.

At enim objiciet mihi aliquis fortaſſe ex Scripturæ Sanctæ lectione aliquos occaſionem arripere vel contemnendi conciones, vel ad illas audiendas ſeſe non conferendi. Reſpondeo Sanctos libros nunquam docere divini verbi contemptum; ſed e contra efficere, ut in honore habeatur. Quod ſi qui hoc minime præſtant, hunc ſuperbiæ potius quam librorum effectum eſſe; & æquum non eſſe ut exiguæ manus ſuperborum hominum culpa, magnus optimorum virorum numerus adeo ſancta lectione privetur. Non deerunt etiam qui dicant, quod hæc lectio ita exercitiis ſpiritualibus addicat hominem, ut rei familiaris curam contemnat; & eam, quæ patris virique ſui neceſſario eſt habenda. Quibus reſpondeo ſanctis libris hoc etiam, atque etiam improbari; quippe ſemper præferre docent ea quæ quiſque tenetur facere, iis, quæ ad meram pertinent devotionem; & ſuadent ea primum facere, quæ præcepti ſunt, quam quæ conſilii; ea primum, quæ imperat Deus, mox vero, quæ pietas ſuadet. Ideoque malum hoc potius a perſonæ vitio, quam ex Scripturarum delectione proficiſci. *Ex Granatenſis Catechiſmo*.

Objiciunt Scripturam locum præbuiſſe quibuſdam erroribus, & reſpondetur.

Complures dixerunt, Scripturæ Sanctæ lectionem quibuſdam erroribus occaſionem præbuiſſe. Reſpondeo, nihil ita perfectum eſſe, quo hominis nequitia abuti non poſſit. Quæ doctrina purior Evangelica & Sancti Pauli Apoſtoli? Attamen nonne omnes hæretici errorum ſuorum fundamenta in præſtantiſſima hac doctrina conſtituerunt? Hac de cauſſa Sanctus Petrus loquens de Sancti Pauli Epiſtolis dixit; eas in aliquibus locis ad intelligendum eſſe difficiles. Unde nefarii quidam ſpiritus anſam arripuerunt fundandi errores ſuos. Ait etiam, Hæreticos abuti Scripturis omnibus detorquentes illas in pravum ſenſum, eaſque adulterantes, ut pravæ doctrinæ ſuæ fucum alliniant. Nunquid aliquid eſt quantumlibet neceſſarium, & utile, quod nobis deferendum non ſit, ſi rationem habere voluerimus omnium, quæ inde non ſatis congrua poſſent oboriri? Patres nunquam nuptui tradant virgines ſuas; quia non paucas abſtulit partus dolor; & nonnullas virorum ſuorum manus occidit. Medicis non utamur, neque pharmacis, quoniam utrinque ſæpe mors allata fuit, unde ſalus ſperabatur. Non deferantur ultra enſes, vel arma; quia tot homines quotidie occiduntur. Mari iter agendum non eſt, quia tot ibi naufragium fecerunt. Theologicis ſtudiis extremum vale dicatur; inde enim omnes heretici hauſerunt rationes ad probandos errores ſuos, luminum ſuorum ſanctitate abutentes. *Idem*.

2. Petr. 3.

Excellentia Chriſtianæ Religionis quæ ſita eſt in dignitate Scripturæ Sanctæ cui innititur.

Chriſtianæ Religionis excellentia eſt dignitas, & puritas Scripturæ Sanctæ, quæ nos perſuadet, atque hortatur ad bene videndum, & regulas præſcribit quibus Deo accepti efficiamur. Ut digne loqueremur de utilitate, & laudibus, quas divina hæc Scriptura meretur, componendi eſſent tot libri, quot illa complectitur, cum nullus ſit, qui peculiare non mereatur encomium; ſed præ ceteris re adhuc integra cogito quot inventionibus uſus fuerit Moyſes, cui licuit facie ad faciem loqui cum Deo, ut homines ad divinarum legum obſervantiam impelleret? Primum quadraginta jejunavit dies, & ab illo obtinuit legem hanc in duplici lapidea tabula proprio Dei digito inſcriptam; utque illi majorem tribueret auctoritatem, præcepit, ut hæ Tabulæ in fœderis arca ſervarentur, ſuper qua erat Propitiatorium, qui locus maxime venerabilis erat in populo. Incomparabiles promiſit proſperitates illis, qui legem hanc obſervarent, iis vero, a quibus infringeretur, tot mala minitatus eſt, ut terrorem incutiant audientibus illa, & quod magis notandum eſt, præcepit, ut duodecim tribus ſuper duobus proximis montibus diſtribuerentur, hinc inde ſex, & Levitæ pronuntiarent deinceps maledicta in legis perfractores contraria, quibus ſingulis populus reſponderet; *Amen*, quod ita adimpletum eſt. *Maledictus homo, qui facit ſculptile, & conflatile abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abſcondito: & reſpondebit omnis populus, & dicet, Amen. Maledictus, qui non honorat Patrem ſuum, & Matrem, & dicet omnis populus: Amen. Maledictus, qui transfert terminos proximi ſui, & dicet omnis populus; Amen.* Denique prolata fuerunt alia contra aliorum Mandatorum prævaricatores maledicta magna cum duodecim tribuum affluentia, ut timore harum imprecationum ab univerſo populo factarum homines ab eis criminibus deterrerentur, quæ tot mala erant conſecutura. *Ex Granatenſis Catechiſmo*.

Deuter. 27.

Libri Legis antiquæ in Sacra Scriptura contenti nobis oſtendunt Dei miſericordiam, atque juſtitiam. Deuter. 1.

Videri poſſunt in libris antiquæ legis Dei inſignes perfectiones duæ, miſericordia, atque juſtitia: miſericordia ibi apparet per inæſtimabiles gratias, quibus populum ſuum cumulavit tam in exitu de Ægypto, quam in reliquo itinere, uſque ad promiſſæ telluris acquiſitionem: quamobrem dicebat Moyſes: *Portavit te Dominus Deus tuus, ut ſolet homo geſtare parvulum filium ſuum in omni via per quam ambulaſtis*. Verum ſi hic deprehenditur miſericordia ejus tot ſuis virtutibus circumſepta, videtur quoque juſtitia omni ſua ſeveritate circumdata. Pœnæ, quas ſumebat ex Iſraelitis Deus, ubi violabant divinas leges ipſius, ibi tanto cum rigore repræſentantur, ut facile ſit inferre, ne unum quidem crimen impune abiiſſe. Ita ut cum ſeſe tradidiſſent cultui idoli Phogor die una viginti quatuor capitum millia deceſſerint; & perinde ac id parvum eſſet, præcepit Deus, ut omnes Principes populi de patibulis ſuſpenderentur, quia ſeſe non objecerant huic peccato ad illud prohibendum. Qua in re palam videre poſſumus duas haſce eximias, atque adorabiles perfectiones Dei, de quibus locuti ſumus, quin miſericordia juſtitiæ, vel juſtitia miſericordiæ offecerit; ac inde licet conjicere quam perfectus ſit Deus, & in utraque virtute admirabilis. *Ex Granatenſis Catechiſmo*.

Beneficia quibus Rex David cumulatus fuit donec fideliter Dei legem ſervavit; & ſupplicia quibus affecit illum, eo quod legem eamdem violaſſet.

Scriptura Sancta oſtendit etiam victorias, honores, opes, quas David adeptus eſt, & gratias, quæ promiſſæ fuerunt illi, & poſteris ejus, donec in divinæ legis obſervantia permanſit: Sed ubi oblitus eſt ſui, ita ut ſibi tolleret Uriæ uxorem, quibus mœroribus confectus non fuit? Quemadmodum ille Deo ſuo parere detrectaverat, permiſit Deus, ut tota illius ditio deficeret; & omnes ad arma concurrerent, ut illi vitam, & ſceptrum auferrent, quod deterrimum eſt malorum omnium, quæ Regi accidere poſſunt. Hinc illi Jeroſolyma fuga capeſſenda fuit, ac recedendum in montem una cum fideliſſimis ſervorum ſuorum, nudatus pedibus, & capite, nec ſine lacrymis: quo in ſtatu extremam perpeſſus eſt contumeliam ab homine nequam, qui de hujus montis vertice ipſum vocans tyrannum, alieni Regni invaſorem, homicidam, exprobravit has illi pœnas a Deo immiſſas fuiſſe propter ſcelera ipſius, & quod clam uxore unius e ſubditis ſuis fuiſſet abuſus. Quæ mala omnia tunc illi evenerunt, cum jam diuturnam, & acerbam peregiſſet pœnitentiam, & jam lacrymarum torrentes effudiſſet ad ſcelus eluendum. Qui voluerit attentius Sacram Scripturam legere, palam videbit non deeſſe homini cauſſam amandi virtutem, pro qua tot præmia parata ſunt, & quanto odio perſequi debeat vitium, quod tot malis punitur. Deprehendi etiam poteſt, quam melius Scriptura, præ tota univerſorum latitudine, oſtendat nobis Deum, proponens nobis ad in-

tuendum

tuendum illius bonitatem, atque juſtitiam; amorem, quo bonos proſequitur, odium, quo perſequitur impios, magis perſpicue quam id alloqui valeamus, & toto hoc inſigni mundi opere: & cognitio hæc validiſſima cauſſa eſt, ut amemus, & formidemus ſimul Salvatorem adeo potentem, atque adorabilem. *Ex Granat. Catechiſmo.*

Illis qui non audiunt Eccleſiam, Scripturæ explicatio videtur difficilis.

Scripturæ S. explicatio illis tantum dubia eſt, qui Eccleſiam nolunt audire, neque recipere intelligentiam, quam ſemper ſervavit; Si ibi difficultates occurrunt, non inde argumenta elicientur contra Myſteria, difficultates hujuſmodi per conſtantes, immutabileſque interpretationes Eccleſiæ reſolventur, eæque nunquam ſatis validæ erunt, niſi apud eorum mentes, quas hæreſis error prævertit. Catholicorum eſt loqui de analogia fidei ſecundum quam S. Scriptura explicanda eſt, ac dicendum cum S. Paulo: Eum qui prophetat, id agat ſecundum fidei analogiam; namque per Eccleſiæ teſtimonium, illi ſciunt, in quo fides iſta conſiſtat, cujus analogia regere debet divini verbi interpretationem. Sed hic ſermo ad Proteſtantes nun ſpectat, quia abrenuntiarunt auctoritati hujus teſtimonii, & ſine hac auctoritate nequeunt proferre in omnes articolos fidei locos, qui & ipſi non præbeant perpetuum diſputationis argumentum. *Auctor recens.*

Cujus ſit explicare Scripturas.

Catholicorum eſt explicare Scripturam per Scripturam ad SS. patrum exemplum; quia certe cognoſcentes fidei analogiam, certe diſtinguere poſſunt in Scripturis locos perſpicuos, qui ſunt veluti claves, a locis obſcuris, qui aliena indigent explicatione. Locus perſpicuus ille eſt, cujus litteralis ſenſus fidei conformis eſt, quam Deus in Eccleſia reliquit. Locus obſcurus eſt ille, cujus ſenſus litteralis videtur oppoſitus fidei, cujus depoſitum eſt penes Eccleſiam. Hac de cauſſa Catholicorum eſt dicere Novatoribus, ipſos hæreticos eſſe, quia Scripturarum ſenſum detorquent, eoſque evitandos eſſe. Proteſtantibus nulla certa eſt regula, qua cognoſcant ſe hæreticos eſſe, & ſe illos eſſe, qui Scripturarum ſenſum invertunt: &c. immo jactitant etiam ſe nullas habere; qui profecto unus ex iis locis eſt, ex quibus reformationis illorum infirmitas magis eluceſcit. Nam cum Spiritus S. loquatur de fidei analogia, de Scripturæ perſpicuitate, homines ignari, & leves, qui Scripturis abutantur ad perditionem ſuam, hæretici vitandi &c. Religio ubi omnes hujuſmodi ideæ locum non habent, non eſt Religio JESU CHRISTI, & Apoſtolorum ejus. Id genus ideæ non inveniunt locum apud eos, qui docuerunt, Eccleſiam omnem mortaliter errare poſſe; nullam inveniri certitudinem extra S. Scripturam, & id quod poſitum non eſt eo modo, de quo aliqua ſuperſit dubitatio; non eſſe poſſe dogma fidei. Ubi principium hoc poſuerunt, reliquerunt fundamentum, cui omnes hujuſmodi locutiones in ore Catholicorum innituntur: *Auctor recens.*

Fieri nequit, ut ſimplices, & rudes interpretari valeant.

Simplices, ac rudes intelligere nequeunt verſiones, quæ ſibi legerentur, neque ex his verſionibus per ſe ferre judicium de Scriptura ſecundum haſce verſiones; oporteret, ut per ſe dignoſcere poſſent veras Scripturas a falſis, & judicare utrum liber Canonicus habendus eſſet, an ſecus. Secundo, certi eſſe deberent ſe ab hominibus, qui Sacrorum librorum verſiones adornarunt, deceptos non fuiſſe, & per ſe ipſos ſcirent, utrum verſiones iſtæ autographo eſſent conformes, quod illis eſt impoſſibile. Hæc certitudo pro illis tantum eſt, qui infallibilem agnoſcunt Eccleſiæ auctoritatem, quæ & autographos præbet, & traductiones; alioquin nonniſi humanam, & illuſioni obnoxiam habebunt certitudinem. Tertio, etiamſi rudes homines de verſionis fidelitate certi eſſent, ſpiritus eorum nimium exilis, & coarctatus eſt, ut locum unum cum alio connectere valeat, & ſequentia cum ſuperioribus jungere, quin libri unius ſenſum aſſequi valeat. *Ex Theologis.*

Ejuſdem argumenti.

Aſſeri minime poteſt fideles omnes eruditos, atque illuſtratos eſſe S. ſancto miniſtrante ſibi lumina, ut verum Scripturæ ſenſum intelligant per interiorem lucem, quam illa communicant; hæc enim aſſertio nulli innititur fundamento, & docet experientia illam inſervire non poſſe niſi ad multiplicandum in infinitum numerum Sectarum. Etenim cur ex. cauſa Lutherus pro vero fideli ab ipſo Calvino habitus non admittetur, dicens ſe divinitus afflatum eſſe ad interpretandos, ut facit, Scripturæ locos, in quorum explicatione a Calvino diſſentit? Quis prohibebit ne Anabaptiſtæ, trepidantes, omneſque terrarum phanatici hoc ipſum ſibi vindicent? Horum ſinguli dicere poſſunt, ſenſum quem Scripturæ tribuunt, & in quo ſuam conſtituunt Religionem, ſibi interiori Sp. ſancti lumine communicatum eſſe. Itaque nulla eſt illuſio, cui hoc placitum aditum non aperiat. Sp. ſanctus duobus inſpirare nequit ſibi pugnantia; quoniam ſpiritus eſt veritatis, neque inſpirare poteſt Luthero, JESUM CHRISTUM realiter præſentem eſſe in Euchariſtia, & Zuinglio, eumdem abeſſe. Hinc ſequitur; niſi admittatur inter homines auctoritas infallibilis, quæ eorum ſenſus figat, nihil illis unquam certi futurum eſſe in iis, quæ pertinent ad religionem, & futurum eſſe, ut prohibere nequeant quo minus circumferantur omni vento doctrinæ, quod Scripturæ Sanctæ prorſus adverſatur? Malo huic Deus per ſummam Sapientiam ſuam conſuluit, hinc quidem præcipiens, ut Eccleſiam conſulamus, atque illi pareamus; inde vero promittens Eccleſiam ſemper eſſe permanſuram, & tamquam in errorem prolapſuram. *Idem.*

In quo ſitum ſit verbum Dei.

In cœtibus, qui habiti fuerunt contra Hæreticos ad examen vocatum eſt, quod ſpectat ad verbum Dei; quod regula eſt, unicumque fidei principium adverſus Hæreticos: in iis ſtatutus fuit ſecundum antiqua Concilia numerus librorum Canonicorum, cum veteris, tum novi Teſtamenti, & traditiones, quæ ab ipſis Apoſtolis ad nos uſque pervenerunt jugi ſucceſſione, & quas Catholica Eccleſia diligentiſſime ſervavit, cum in iis quæ ad fidem, tum in iis, quæ pertinent ad mores. Declaratur vulgatam verſionem pro authentica habendam eſſe; non recedendum eſſe a ſenſu verborum illius, quemadmodum illa S. explicat Eccleſia, quæ in dubitationes, quæ in hac re ſuboriri poſſunt, unicus eſt, legitimuſque judex veri ſenſus Scripturar. Et profecto nihil alioquin in Religione certi eſſet, & nunquam conſtare poſſet de vero fidei principio. Hæc autem omnia contra Lutherum definita ſunt, qui neque traditionem admittebat, nec quoſdam Canonicos libros, quos rejiciebat; quia palam damnant errores illius; neque alium Scripturæ judicem volebat niſi illam ipſam, vel potius ſe; quippe aſſerebat pro vero ſenſu illum ſemper habendum eſſe, quem ipſe tradidiſſet: *Ex Hiſtoria Arianiſmi Tom. 1.*

Credidit, Deus Eccleſiæ Catholicæ depoſitum Scripturæ, ut ſit regula fidei.

Veritates omnes, quas hominibus revelavit Deus, & quæ nobis credendæ ſunt tamquam loco depoſiti in S. Scriptura continentur, & in traditione. Scriptura S. eſt verbum Dei ſcriptum, & in ſanctis libris contentum, quos Canonicos appellamus. Deus autem Scripturæ, & traditionis depoſitum Eccleſiæ Catholicæ credidit; quia Eccleſiæ Catholicæ unius eſt. Primo, veras Scripturas, veraſque traditiones a falſis ſecernere. Secundo interpretari, nobiſque cognoſcendum præbere verum ſenſum traditionis, & Scripturæ; & hoc ad Catholicam duntaxat pertinet Eccleſiam, quia Eccleſia ſola falli non poteſt, & ſola, quam conſulere debeamus, ne in errores incidamus. Quamobrem falluntur illi, qui tenent, quemlibet fidelem poſſe, immo, & debere per ſe ipſum cognoſcere ſenſum Scripturarum ſine Eccleſiæ ſubſidio. Primo, quia hoc pacto januam aperiunt illuſioni, & licentiæ; nec non tot religionibus inter homines, quot ſunt capita. Nemo enim ex Hæreticis, non ſtatuit errores ſuos in Scripturis S. quas ad libidinem ſuam interpretatus eſt; S. Hilarius inquit. Secundo, quia ſtatuunt axioma quoddam Scripturis oppoſitum, impoſſibile, & recto ſenſui contrarium. Statuunt axioma Scripturis oppoſitum; S. enim Petrus ait, Scripturæ explicationem non eſſe faciendam per interpretationem particularem: & nunquam Judæis licuit propria auctoritate Scriptura interpretari. Axioma hoc eſt impoſſibile, & recto ſenſui contrarium: neque enim fieri poteſt, ut ſimplices, & rudes, qui majorem mortalium partem conſtituunt, & qui ſecundum Scripturas ad fidem vocati ſunt æque ac docti, poſſint unquam explicare per ſe Sacras Scripturas; quandoquidem legere neſciunt, neque autographum ſermonem intelligunt, in quo ſcriptæ ſunt. *Auctor recens.*

Scriptura Sancta eſt Dei verbum, quo nomine libri Canonici intelliguntur.

Scriptura S. eſt verbum Dei contentum in Sanctis libris, qui Canonici appellantur duabus de cauſſis. Primo, quia libri iſti ſunt regula fidei noſtræ. Secundo, quia horum librorum nomenclatura in plures Eccleſiæ Canones inſerta eſt. Sunt autem Canonici libri in utroque teſtamento. Libri teſtamenti veteris illi ſunt, qui ante JESUM CHRISTUM ſcripti ſunt: novi autem poſt illum. Nemo unus ignorat quinam ſint libri Canonici veteris teſtamenti; & quinam ſint novi; quapropter illorum recenſioni parcam. Mihi mens eſt duntaxat vobis oſtendere, lectionem Scripturæ Sanctæ, præſertim vero novi teſtamenti eſſe debere occupationem, vulgatamque conſolationem Fidelium, quærentium fovere pietatem ſuam, non autem vanitatem, vel curioſitatem. Hic eſt Eccleſiæ Spiritus, hoc votum; ſed Scriptura Sancta cum reverentia legenda eſt, cum humilitate, & docilitate; proficiendum eſt ex iis, quæ audiuntur, credendum, ac in honore habendum quod non intelligitur; & in omnibus Eccleſiæ judicio ſtandum eſt; utque ex Sancta hac lectione fructus percipiatur, ante & poſt lectionem orandus eſt Deus, ut aperiat mentes, & corda noſtra verbo ſuo, ita ut repleantur veritatibus, quæ leguntur, & applicentur omnibus in occaſionibus vitæ noſtræ, ne ſimiles ſimus homini ſe ipſum in ſpeculo reſpicienti, & qui non reminiſcitur amplius formæ ſuæ ubi ab oculis ejus ſpeculum fuerit amotum, Sanctus Jacobus ait. *Ex Theologis.*

Patres ſuadent Scripturæ Sanctæ lectionem.

Patres ſæpe ſuaſerunt, & commendarunt lectionem Scripturæ S. & Auctores Catholici hoc fecerunt, & facere debuerunt omni tempore. Sed omnes hæ exhortationes ſuppoſuerunt ſemper ſubmiſſionem debitam conſiliis, & imperiis Superiorum legitimorum, Paſtorum, & directorum animarum: & malæ fidei eſt aliter interpretari hac in re Patrum auctoritatem. Numquid

Tolo-

Toloſani Concilii Patres auctoritates has ignorabant eum dicebant: Nolumus licere Laicis habere libros veteris, novique teſtamenti præter Pſalterium, vel breviarium propter Divinum officium; ſed vetamus etiam hos ipſos vernaculo idiomate redditos. Ita locuta ſunt poſtmodum plura Galliæ concilia per Calviniſmi occaſionem habita, cujus ſpiritum hac in re fideliter imitati ſunt non ſecus ac in aliis plurimis Janſenii diſcipulis. *Ex Theologis.*

Scriptura Sancta Fidelium cibus digeri debet.

Nonne dicere poſſumus Scripturam Sanctam Dei verbum eſſe, & verbum Dei partem eſſe Fidelium? Ita ſane, ſed cibus hic ſæpe pluribus nimis ſolidius eſt; & fortaſſe talis, qualis eſt digeri nequaquam poſſet, ideoque Paſtorum cura præparandus eſt: Scriptura paſcimur legentes aſceticos libros, audientes ſermones Evangelicos, quorum illa fundamentum eſt, & in quibus ad multitudinis, populique uſum digeritur. Non igitur Chriſtianis vulgo Scriptura ſurripitur, cum ejus lectura interdicitur. Aufertur illis periculum eadem abutendi; quia non ſatis norunt ſecernere cibum ſibi profuturum. Ceterum Scripturæ abuſus, & præcautiones Vicariorum JESU CHRISTI ad illum auferendum æque veteres ſunt, ac Eccleſia. S. Petrus fideles monebat, in Sancti Pauli epiſtolis quædam eſſe intellectu difficilia, quibus homines parum eruditi, & leves falſum ſenſum appingunt, non ſecus ac Scripturis aliis ad ipſorum perniciem. *Auctor recens.*

Verum non eſt dies Dominicos Sanctificari non poſſe, niſi pars temporis in lectione Sacræ Scripturæ traducatur.

Dies Dominicus, ajunt auctores nonnulli, ſanctificandus eſt aſceticorum librorum lectione, præſertim vero Sanctarum Scripturarum: ſed quid inde inferendum, non poſſe dies Dominicos ſanctificari niſi legendo Sanctas Scripturas? Non ita ſane; ſed inferendum eſt, neminem cogi poſſe, ut Scripturæ Sanctæ lectione Dominicos dies ſanctificet; & Chriſtianum, qui die Dominico adſtitiſſet totius officii divini celebrationi, qui ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta acceſſiſſet, qui Domini Verbum audiſſet, qui reliquam diei partem in pauperibus inviſendis, afflictis ſolatio reficiendis inſumpſiſſet, certe hunc Dominicum diem ſanctificaſſe, etiamſi ne unam quidem Scripturæ Sanctæ lineam legiſſet. Falſum igitur eſt, Dominicum diem Sacræ Scripturæ lectione ſanctificandum eſſe, quandoquidem aliter poteſt ſanctificari. Scripturæ quidem lectio unus eſt modus, quo dies Dominicus poteſt ſanctificari; ſed non eſt neceſſarius, quemadmodum recentes nonnulli comminiſcuntur; alioquin populus, qui non ſcit legere, diem Dominicum ſanctificare non poſſet. *Idem.*

Cur Eccleſia non permittat omnibus Scripturas legere ſine interpretatione.

Quod autem pertinet ad vulgares verſiones ab aliquibus Catholicis Scripturæ Sanctæ elaboratas; non omnibus indiſcriminatim eas legendi facultatem permittit Eccleſia, ſed iis tantum, qui a Paſtoribus digni habiti fuerint hac facultate. Hoc non eſt Sacrorum librorum lectionem interdicere, non ſecus ac mater filiis adhuc minoribus natu parvulis, & imbecillibus non permittit ea, quæ natu majoribus licere vult; puta ſibimet ipſis panem cultro frangere, ne ſemet ipſos vulnerent; ſed hunc illa ſibi laborem depoſcit, non frangendi ſolum, verum etiam mandendi panem; quin tamen dici poſſit; illam parvulis negare panem. Ita Eccleſia volens ſibimet vindicare laborem proponendi ſimplici populo Scripturam per prædicationes atque interpretationes explicitam; non permittit, ut legant illam ſine interpretationibus, niſi in fide jam firmiores fuerint, nec ita faciles, qui decipiantur illuſionibus fallacium interpretationum eorum, qui velint abuti ſenſu Scripturarum, & qui ceteroquin ſciunt, vernaculas id genus verſiones cum Eccleſiæ univerſalis approbatione munitæ non ſunt, non eſſe fundamenta fide digna, & dici non poſſe, Eccleſiam negare populo pabulum, & Scripturæ alimoniam: Quæ Cardinalis Perronii ſententia eſt. *Auctor recens.*

Sententia Card. Bellarmini in eodem argumento.

Bellarminus non loquitur obſcurius. Hæreticos inter, atque Catholicos eſt controverſia, ait, utrum neceſſe ſit, vel ſaltem utrum expediat permittere communem uſum Bibliorum in lingua vernacula, qua paſſim utitur regio. Hæretici omnes hujus ævi conſentiunt, Scripturas omnibus promiſcue tradendas eſſe, immo etiam ſermone vernaculo; ſed Catholica JESU CHRISTI Eccleſia non interdicit quidem omnes in lingua vernaculas verſiones; ſed interdicit omnibus indiſcriminatim lectionem eorum. Bellarminus explicite ait, Eccleſiam Catholicam JESU CHRISTI hoc vetare; non autem privatos nonnullos. Controverſia hæc generatim inter Catholicos agitur, & hæreticos, ait ille, non autem inter partem Catholicorum, Hæreticoſque. Et equidem puto tunc ne unum quidem Doctorem fuiſſe, qui auſus fuerit aſſerere, quod hodierna die nonnulli tenent Sectarii. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Idem Cardinalis Bellarminus probat, Sanctorum librorum lectionem Eccleſiaſtica auctoritate non omnibus vulgo eſſe permittendam. Eccleſia autem nihil agit, niſi ſecundum Dei ipſius intentionem, & conſtantem, ac uniformem praxim Epiſcoporum; quod ille probat primum conſuetudine Eccleſiæ Judaicæ ab Eſdra ad JESUM CHRISTUM, quo tempore contendit Judæorum Eccleſiam non habuiſſe in vernacula lingua Scripturam Sanctam; & in uſum Apoſtolicæ Eccleſiæ; qua Apoſtoli non ſcripſerunt in vernaculis linguis omnium nationum, quibus Evangelium nuntiarunt. Denique in uſum univerſalis Eccleſiæ, quæ nonniſi Græca, latinaque lingua uſa eſt pro Scripturæ textu, quæ linguæ ſecundum illius hypotheſim nonniſi in pauciſſimis regionibus erant vernaculæ. *Idem.*

Senſus Summorum Pontificum de prohibitione Scripturæ Sanctæ.

Prohibitio librorum Scripturæ Sanctæ aliquibus facta probatur teſtimonio Gregorii VII. qui vivebat Sæculo undecimo; Concilii Turonenſis habiti ſub initium decimi tertii, Innocentii III. qui vivebat ineunte duodecimo; Papæ Pii IV. qui *indicem* edi juſſit librorum prohibitorum, inter quos recenſuit Biblia vernaculo idiomate conſcripta; Clementis VIII. qui rurſus edi voluit, & Pii IV. Edictum confirmavit; plurimorum Conciliorum habitorum in Gallia, & Italica Sæculo præterito; celeberrima cenſura Sorbonica anni 1527. contra Eraſmum, qui dicere auſus fuerat, mulieres, fabros, & homines e vulgi fæce, legere debere Scripturas. *Idem.*

Funeſta mala, quæ conſecuta ſunt facultatem ſingulis factam interpretandi Scripturas ad libidinem.

Facultas, quam Proteſtantes unicuique permittere debent interpretandi ad libitum verbum Dei, & ſequendi veritatem, quam quiſque propriis perquiſitionibus invenit, inevitabili modo ad univerſalem deducit tolerantiam, non ſolum Sectarum omnium, quæ ſe Chriſtianas vocant, verum etiam Judæorum, Mahometanorum, Ethnicorum, ipſorum etiam Atheorum, quilibet enim putat, ſenſum, quem ipſe tribuit Scripturæ Sanctæ verum eſſe. Sed univerſalis Sectarum omnium tolerantia recta tendit ad Chriſtianiſmi annihilationem. Ergo ad integram Chriſtianiſmi annihilationem recta, & neceſſario deducunt aſſertæ reformationis principia. Hinc Proteſtantes non merentur audiri, & inutile eſt cum illis dogmata ad examen revocare, & ad pernicioſam hanc tolerantiam evitandam non aliud ſupereſt conſilium, quam confugere, & ſemetipſum ſubjicere ſalutari auctoritati Eccleſiæ Catholicæ. *Auctor recens.*

Ejuſdem argumenti.

Cum univerſalis tolerantia conſequatur neceſſario fundamentale reformationis principium, & jus examinis, quod illa ſingulis permittit; in Religione nulla tuta via eſt, præter viam auctoritatis. Sed cum in terris nulla ſit auctoritas par auctoritati Eccleſiæ Catholicæ, & hæc una ſolidis innitatur fundamentis, in ejus brachia confugiendum eſt, ut ibi inveniamus veritatem, dogmatum ſecuritatem, & conſcientiæ tranquillitatem. Nam quamvis funditus rei veritate perſpecta non alia, ubi de Religione ſermo eſt, tuta via ſit, niſi auctoritatis, & ſemper ad illam neceſſario ſit redeundum; tamen hæc via prorſus injuſta eſt ex parte Miniſtrorum Proteſtantium, non aliam fidei ſuæ regulam habentium, neque aliam proponentium deceptis a ſe populis, niſi peculiare examen dogmatum inſtitutum ſuper Dei verbo nulla ratione habita Eccleſiaſticæ auctoritatis, ita ut ex parte Proteſtantium omnino injuſtum ſit velle mundum univerſum ſubjicere deciſionibus ſuis, & aſſertarum Synodorum ſuorum, præſertim vero poſtquam illi abnuerunt ſemet ſubjicere Eccleſiæ Catholicæ Paſtoribus, atque Conciliis. *Idem.*

Proteſtantes volentes judicem duntaxat Scripturam Sanctam, palam Scripturæ adverſantur.

Proteſtantes nobis perſuadere volunt, ſe ad litteræ apicem ſequi Scripturam, cum interim teneant opiniones prorſus oppoſitas Scripturæ. Cum enim Scriptura dicat, Hominem non juſtificari ſolum per fidem; aſſerunt illum per ſolam fidem juſtificari: quod nullibi in Sacris Scripturis invenitur, & in hoc illi non adverſantur? Hoc in articulo adeo palam efficiunt, ut Lutherus conciliare non valens Sancti Jacobi locum cum iis, quæ ipſe docet, dicat magnum hunc Apoſtolum delirare. Scriptura ait, Euchariſtiam eſſe Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI, idque iis verbis, quæ perſpicue oſtendunt verum Corpus, verumque Sanguinem; Proteſtantes Calviniſtæ, & Zuingliani e contra dicunt non eſſe Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI; ſed tantum figuram, ſignum, teſtimonium, quod nullibi in Sacris Scripturis legitur; verum eſt ergo affirmare illos Scripturæ penitus adverſari. Scriptura dicit etiam, nos per baptiſmum ſalvari, nos per aquæ ablutionem elui, & regenerari. Ipſi e contra docent nos per baptiſmum non ablui, neque regenerari; ſed baptiſmum nobis eſſe tantum Salutis Symbolum, ablutionis, regenerationis, quod nullibi in Sanctis litteris legitur: Non igitur Scripturæ adverſantur? Cum Scriptura alio in loco dicit, Sacerdotes peccata dimittere, Proteſtantes aſſerunt e contra, a Sacerdotibus non dimitti, ſed declarari ſolum illa fuiſſe dimiſſa, quod nullibi occurrit. Pernicioſam hanc opinionem ſecuti nonne palam Scripturæ adverſantur? *Ex libro cui titulus, Præcipui Articuli fidei per Cardinalem de Richelieu.*

Quid illi omnibus hiſce contradictionibus dicere poſſunt? Dicent nullas eſſe, quia Scriptura figurate intelligenda eſt? Confugient illi ad hanc fraudem detectam a Tertulliano in Valentinianis, a Sancto Auguſtino in Priſcillianiſtis, & aliis Patribus in aliis Hæreticis, ipſiſque

quæ Amanptiſtis? Si id fecerint, cum S. Auguſt. dicam: Quid? cum legimus Scripturam, obliviſcimur ne idiomatis noſtri ſcientiam? Amittimus memoriam modi ejus, quo loquimur? Scriptura debet ne nobiſcum loqui in alio ſenſu, quam in eo qui nobis cognitus eſt, & qui apud nos eſt uſitatus? Addam, ex quo alicujus erroris percrebuit opinio, illos exiſtimare figuratum eſſe quidquid oppoſitum aſſerit Scriptura. Calviniſtæ locos inveniunt ſibi oppoſitos, dicere non ceſſant, locos eſſe difficiles; ad inveniendum ſenſum conformem analogiæ fidei, hanc vel illam ſupponendam eſſe figuram, quantumlibet ſit infrequentiſſima, & quamvis in reliquo Scripturæ corpore nullum inveniatur exemplum. Ibi intelligendum eſſe punctum interrogationis, parentheſim, mutationem perſonæ loquentis; alluſionem vel ad antiquas conſuetudines parum cognitas, vel hodierna die prorſus ignoratas, vel locutiones, quæ olim minime ſignificabant, quod die hodierna ſignificant; intentionem non reſpondendi directe quæſtionibus, quæ propoſitæ fuerant, modum loquendi a populo deſumptum, & parum diligentem, mutationem in textu &c. Et poſtquam ita de variis locis locuti ſunt, accidit illis, ut ferendos non putent alios, qui hoc ipſum ſectantur, & aliquibus id genus interpretationibus utuntur. Exclamant enim, O hæreſim! O impietatem! O non ferendam blaſphemiam! Hiccine ordo eſt? Scriptura ſuam habet perditionem. Apoſtoli præcipiunt, ut id genus homines evitentur. Talis Religio non magis Chriſtiana eſt, quam Mahometana. Et hæc omnia, quin ſibi vindicent dona ſupernaturalia, legitimam auctoritatem ad ſtatuendum quinam ſint articuli fidei, quorum analogia regere debet Scripturæ interpretationem. Neſcio quomodo tot cordati viri, qui apud Proteſtantes ingenii laude celebrantur, non videant, hunc rumorem in ipſorum caput relabi. *Ex variis auctoribus.*

Characteres divinitatis Scripturæ Sanctæ obſcuratos reformationis principio populus agnoſcere non poteſt.

Proteſtantium principia ſunt, nihil certum eſſe præter Scripturam; Scripturam ipſam aliquibus certam non eſſe niſi poſtquam cognoverunt proprio examine illius divinitatem. Hoc deſtruit vim omnem characterum divinitatis. Characteres iſti non poſſunt ſubſiſtere niſi per principium Eccleſiæ Catholicæ. Exempli gratia unus ex præcipuis ſunt *Prophetia*. Tota vis hujus characteris eſt, quod Prophetiæ multo prius factæ ſunt, antequam facta contingerent. Sed homines, qui nolunt credere teſtimonio Eccleſiæ circa dogmatum ſeriem, cur ſeſe ſubmittant teſtimonio, quod illa perhibet de tempore, quo Prophetiæ ſcriptæ fuerunt? Alius character divinitatis Scripturarum eſt partium omnium conformitas. Character hic ex Catholicorum animis oblitterari non poteſt, quoniam illis perſuaſum eſt per Eccleſiæ teſtimonium de Scripturæ divinitate; ſuam fatentur imbecillitatem in locis, quos ſimul conciliare non poſſunt. Sed hic character plurimum roboris ſui amittit in mente eorum, qui ſe ipſos putant judices divinitatis Scripturæ; & qui plerumque nullam inveniunt viam eos conciliandi locos, qui ſecum pugnare videntur. *Papin, olim Proteſtantium miniſter, mox converſus.*

Dicunt Hæretici judicium ſuum de interpretatione Scripturæ Sanctæ tribuendum eſſe velut infallibile.

Jactitant Proteſtantes ſe nolle alium judicem, niſi Deum; & ſe unice velle verbi illius auctoritati ſubmittere; qua re oſtendunt ſe non alios habere velle judices præter ſe, neque aliam agnoſcere auctoritatem, niſi proprium judicium. Partem Scripturæ Sanctæ recipiunt, quia ita illis placet, poſtquam ipſi ſemet illius cenſores, & judices conſtituerunt: ita Chriſtianiſmus eorum non innititur auctoritati Scripturæ, ſed auctoritati proprii judicii. Deinde ſi Scripturam hoc, vel illo modo interpretantur, id agunt, quia illis videtur appoſitum, quamvis alii aliter ſentiant. Itaque peculiaris eorum doctrina innititur non quidem auctoritati divini verbi, ſed propriæ interpretationis. Ad probandum illos agnoſcere alium aliquem judicem, & aliam auctoritatem aliquam præter ſuam, nobis oſtendant oportet; non quidem legem ſimpliciter, ſed judicem proprie dictum, qui per illorum aures loquatur ſpiritibus eorum. Sancta Scriptura ſenſus meos percellit, verum eſt, ſed illud ſi quod ſenſus mei teſtantur, hoc eſt; illam hæc & illa continere verba; non dicunt vero utrum hæc verba hunc, vel illum habeant ſenſum; quod ad eorum juriſdictionem non pertinet. Hoc tamen ſciendum eſt, ut ſciamus diſtincte, quænam ſit veritas, & Chriſtiana Doctrina. *Idem.*

Simplicitas, & Majeſtas non niſi in Scriptura Sancta inveniuntur.

Duo ſunt, quæ alibi ubicumque ſeparata, in Sancta vero Scriptura conjuncta inveniuntur. Simplicitas videlicet, atque majeſtas. Una illa duos adeo diverſos characteres conciliare poteſt, ſed diverſi hujuſmodi characteres, ſimplicitas hæc, atque majeſtas ſervantur ſolum in autographis; non autem in verſionibus. Inveniuntur ſolum in materna Scripturæ lingua, vel ad ſummum in verſionibus ita fidelibus (Sæculi hujus elegantia ægre id feret) in verſionibus inquam ita fidelibus, ac litteralibus, ac Hebraicum textum ita redolentibus, ut Hebraice potius, quam latine, vel Gallice loqui videantur. *Auctor recens.*

Proficere volenti Scriptura non legenda eſt, veluti hiſtoria.

Scripturam Sanctam quamdam veluti hiſtoriam legere, non eſt illam, ut Dei verbum docet, recipere. Itaque Deus qui locutus eſt, & ſcripſit per Moyſem, & alios Prophetas, non proponit mercedem, & præmia doctis, atque intelligentibus, ſed juſtis, atque fidelibus. Non ait ille in Levitico ſi ſtudueritis mandatis meis, & cognoveritis præcepta mea: ſed ait ſi ambulaveritis in mandatis meis, & præcepta mea ſervaveritis. *Idem.*

Impii ſæpe Scripturis Sanctis abutuntur.

Nullus dubito quominus profanatio Myſteriorum, & textus Scripturæ Sanctæ, mereatur fidelium indignationem. Hoc impietatis genus eo periculoſius eſt, quo diſſimulatius, & ad cognoſcendum difficilius. Quamvis enim vulgo teſtetur quiſpiam ſe flocci facere, quod promiſcue in omnes uſus adhibetur, & tacite in Religione ea negentur, quæ non coluntur, tamen hæc licentia non ita nefaria eſt, ac Atheiſmus, quamvis non longe diſtet; quandoquidem facile in animos impiorum obrepit. *Idem.*

Teſtimonia Sanctorum Patrum de difficultate interpretationis Scripturarum.

Clemens Alexandrinus Stromatum libro ſecundo, ait Deum noſtrum de divinis Myſteriis non ita pingui, ut ajunt, minerva locutum fuiſſe, ut illa omnes nullo negotio valeant aſſequi, quod duplici ex cauſſa fieri voluit providentia. Primum quidem, ut ſemper ſalutaribus occuparemur meditationibus; deinde vero ne divina Myſteria cuilibet e populo paterent. Sententiam hanc pluribus in locis confirmat Origenes, præſertim vero in Homilia duodecima in Exodum, ubi docet agnum dies, noctesque invocandum eſſe, ut dignetur nobis aperire librum, qui clauſus, & obſignatus eſt. Conſilium, quod in praxim redegere duo ſummi viri Sanctus Baſilius, & S. Gregorius Nazianzenus, quos legimus tribus, ac decem annis in Monaſterio permanſiſſe jugiter intentos orationi, ſtudio, & lectioni Sanctarum Scripturarum; quarum intelligentiam non in proprio ſenſu, ſed per ſcripta eorum, qui fuerunt Apoſtolorum ſucceſſores, teſtatur Ruffinus. *Ex inſtitutione Catholica P. Coton.*

Auctoritates Sanctorum Patrum de difficultate Scripturæ Sanctæ.

S. Gregorius Nazianzenus loquens ad Nemeſium, ait duplicem eſſe ſenſum in Scriptura, interiorem ſpiritalem, & exteriorem cortici inhærentem. Hic quidem in ſpecie difficilis eſt, ille vero reipſa obſcuriſſimus; & alibi animadvertit hanc ob cauſſam antiquitus Judæis, non licuiſſe promiſcue omnibus legere Scripturam, & viginti quinque annorum quæri conſueviſſe ætatem, ut aliquis poſſet omnes Scripturæ partes perlegere. Sanctus Joannes Chryſoſtomus explicans verba Filii Dei, Scrutamini Scripturas; animadvertite inquit, non dici legite Scripturas, ſed ſcrutamini, ut oſtendat earum ſenſum non eſſe in extima ſuperficie; ſed theſaurum eſſe intus abſconditum; & alio in loco ait, Scripturam Sanctam non eſſe ita clauſam, ut nequeat intelligi; ſed obſcuram eſſe, ut perquiratur; ideoque Sanctum Petrum dicere conſueviſſe, Spiritum non locutum fuiſſe ſecundum hominis voluntatem; ſed hominem locutum fuiſſe, quomodo placuit Spiritui. *Idem.* Chryſ. hom. 44. Homil. 44.

DE

Digitized by Google

DE TRADITIONE,
QUAM SCRIPTURÆ SUBNECTIT ECCLESIA
ET DE ILLIUS AUCTORITATE.
MONITUM.

A Rgumentum hoc nonniſi Superioris continuatio eſt, & quamvis mera videatur quæſtio controverſia, pertinet tamen ad Concionatores, qui contra Proteſtantes, alioſque Schiſmaticos tuentur jus Eccleſiæ utendi Traditione primorum Sæculorum ad probandam fidem, mores, & conſuetudines, quas religioſe obſervat, & colit. Superiori autem præſentem nos addere Tractatum coegit omnium Hæreticorum pertinacia detrectantium alteri cuipiam auctoritati præterquam Scripturæ ſe ſubjicere, & inceſſanter clamantium, ut in Sanctis Bibliis aliqua ſibi oſtendantur veſtigia eorum, quæ tamquam articulum fidei credimus, vel tamquam conſtantes veritates Traditionum auctoritate ſuffulti.

Illis autem fuſius oſtendemus, præter conſiliorum ſuorum injuſtitiam contradictiones, quas fateri tenentur, impoſſibilitatem ſuſtinendi novum Religionis ſyſtema; & denique Traditionem ſolam probare poſſe eorum novitatem, ſi illam pro ſe poſſent afferre. Mox ſermonem habebimus de iis argumentis, quæ Eccleſia rationem hac in re tuentur: ſed in anteceſſum ſatis eſſe puto dicere, Novatores hos deteriores eſſe ipſis Synagogæ Phariſæis, qui non auſi omnes ſimul abolere Traditiones, inutiles illas efficiebant corrumpentes illas, ut commodis ſuis conciliarent. Judicium eſto penes veros omnes Chriſtianos, utrum exprobratio, qua Salvator fallaces damnabat interpretationes, quas allinebant traditionibus Legis antiquæ, æquius quadrarent illis, qui negant Eccleſiæ Traditiones magis authenticas, de quibus nulla eſſe poteſt controverſia; ut novas inſtituant poſteris ſuis relinquendas. Neque enim citra Traditionem probare poſſunt, Sanctos libros, quorum magnam partem abſcindunt, eſſe Sacram Scripturam, quam aſſumere volunt tamquam unicam fidei ſuæ regulam.

DE TRADITIONE,
QUAM SCRIPTURÆ ECCLESIA SUBNECTIT.
ET DE ILLIUS AUCTORITATE.

Scriptura S. & fidei noſtræ fundamentum, & Traditio principium eſt.

S Ectarii Nuperii nova ſupponunt pernicioſa principia, quæ illis oculos obſtruunt vanitati, & quæ reditum eorum in Eccleſiæ ſinum reddunt difficiliorem: videlicet, cum de Religione ſermo eſt, Scripturam Sanctam (nempe ſenſum, quem eorum ſinguli Scripturæ tribuunt) decidere quodnam ſit unicum fidei noſtræ fundamentum; Traditiones inutiles eſſe, & contemnendas, ipſi Dei Verbo contrarias: nullum in terris eſſe Tribunal, quod indubiam de dogmate ſententiam ferre poſſit; Papam, Eccleſiam, Concilia errare poſſe. Traditio decidendi vim habet contra illos omnes, qui a majorum ſuorum fide diſcedunt. Loquor præſertim de Traditione ſenſibili, & practica, quæ traducens a Patribus in filios acceptam doctrinam perennavit pretioſam hanc hæreditatem ab initio ſine aliqua interpolatione uſque in hanc diem. Quid ante Lutherum, & Calvinum credebatur in Eccleſia? Si cogitaretur, ut illi cogitabant, nihil illis fuiſſet reformandum. Si novam tradiderunt doctrinam, hæc ſane non eſt doctrina JESU CHRISTI, neque Apoſtolorum, & Succeſſorum illius. Mirum ne igitur eſt, ſi Proteſtantes tanta cum pertinacia, & contemptu Traditionem explodunt? *Ephemerides Trevoltianæ menſe Junio 1723.*

Ejuſdem argumenti.

Sectarii probant quidem Scripturam eſſe regulam fidei noſtræ, ſanctam, utilem, neceſſariam, divinitus ad doctrinam noſtram inſpiratam: ſed nunquam probabunt, Eccleſiæ Romanæ traditionem, eſſe adinventiones hominum, quibus fides inniti non poſſit; neque Dominum velle, ut unice conſulamus verbum ejus Scriptum. Nec repetam id quod Theologi noſtri reſponderunt huic objectioni, quam Proteſtantes recoquere conſueverunt. Id unum ex Sectariis quæro, quinam Sacrorum librorum oſtendere poterunt remedium ſtatutum ad peccati originalis labem delendam, antequam Baptiſmus inſtitueretur. Numquid verbum Dei Scriptum de hac fide decidit? quomodo vero cogitari poteſt ab eo factam fuiſſe hujuſmodi deciſionem? Hoc pacto infeſtiſſimi etiam Traditionis inimici illius auctoritatem agnoſcere in pluribus fidei ſuæ articulis tenentur. *Ephemerides Trevoltianæ menſe eodem.*

Si ſemel admittitur Eccleſia infallibilis, omnes de fide diſputationes dirimuntur.

Eccleſia in deciſionibus ſuis infallibilis omnes facile de Religione diſputationes dirimeret, ſi ubique debitam ſibi obedientiam nanciſceretur. Qui ſibi in ſuis erroribus complacent, ſupremum nolunt judicem, cujus auctoritas illos ad reverentiam, & obſequium redigens, auferret ipſis impiam hanc libertatem, quam ſibi vindicant regendi fidem ſuam juxta libidinem, præjudicia, & fallaces ipſorum ideas. Ut hanc tueatur licentiam Lutheranus Profeſſor qualibet ex parte Catholicam laceſſit Eccleſiam; formam ejus, & conſtitutionem, infallibilitatem, dogmata, perpetuitatem, Caput, Paſtores, eorumque ſucceſſionem; Paſtorum eorumdem inſtitutionem, & ordinationem, &c. Re adhuc integra pati nequit, ut de Religione diſputantes initium ducant ab Eccleſia. Hanc enim ſerio, & bona fide ad examen vocantes, reſiſtere nequeunt quominus quamprimum Catholici evadant. *Ephemerides eædem.*

Quanta ſit Traditionis auctoritas.

Magna profecto eſt Traditionis auctoritas: auctoritas enim divini Verbi ubique par eſſe debet, ſive ad nos per Scripturæ, ſive per Traditionis rivum effluxerit. Utrobique Dei verbum eſt. Hoc Patrum omnium teſtimonio probatur. Ecce autem quo pacto verbum illud non ſcriptum ad nos uſque manaverit. Apoſtoli per JESUM CHRISTUM edocti docuerunt Epiſcopos a ſe Ordinatos. Epiſcopi Succeſſores ſuos erudierunt, a quibus alii eruditi, & ordinati ſunt; & hac ratione quoddam veluti depoſitum in Eccleſia conſervatum eſt. Quamvis hoc verbum per tot ora pertranſierit, temporum tamen ſucceſſione vitiari non potuit. 1. Quia Eccleſia ducem habet Sp. ſanctum, a quo nunquam derelinquetur, & qui nunquam illam in errorem incidere patietur. 2. Quia Eccleſia certam habet regulam, & quæ falli nequit in ſecernendis veris Traditionibus a falſis: Hanc autem in S. Auguſtino, & Vincentio Lirinenſi invenimus, quæ eſt. Eccleſia non recipit in numero Traditionum Apoſtolicarum, niſi quod generatim docetur, vel exercetur ab univerſa Eccleſia, quin initium innoteſcat. Regula hæc certa eſt, & infallibilis; neque enim fieri poteſt, ut omnes Chriſtiani ſuper univerſam terræ faciem effuſi, & qui nullum inter ſe commune vinculum habent, & qui plerumque diverſos habent mores, & varias conſuetudines, fide una excepta ſimul valeant conciliari, docere, & exercere unum, & idem in Religione, niſi doctrinam hanc acceperint, vel conſuetudinem a Magiſtro, qui quocumque miſerit Diſcipulos ſuos cum iiſdem præceptis, atque inſtitutis. *Ex Theologis.*

Rationes propter quas tenemur fidem habere Traditioni.

Fieri nequit, ut doctrina, vel praxis aliqua oppoſita ſit, quæ a JESU CHRISTO accepimus per Apoſtolos ſenſim, & ſine ſenſu in Eccleſiam obreperit, & mox ubique recepta fuerit, quin aliquis nonniſi multo poſt immutatum fuiſſe cognoverit. En quatuor rationes, quæ id meridiana luce clarius oſtendunt. 1. JESUS CHRISTUS Eccleſiæ pollicitus eſt, ſe non permiſſurum, ut Eccleſia in errorem labatur. 2. Recto ſenſui repugnat, immutari ubique uſus, & doctrinam generatim receptam; quin aliquis ſentiat, & conqueratur

eo

eo tempore, quo mutationes hujuſmodi magis excitare debent attentionem, atque contradictionem. 3. Nulla momenti alicujus novitas in Eccleſia oborta eſt, quæ explorata non fuerit: & illius auctores palam non fuerint redarguti, & damnati. 4. Mutatio hæc fieri non poteſt, quin ſimul mutetur quidquid ſcriptum eſt in libris, qui poſt Apoſtolorum tempus excuſi ſunt: hi enim meminerunt earum rerum omnium, quæ credit, & exercet Eccleſia non ſecus ac olim omnibus ſæculis credidit, exercuitque. Sed hæc mutatio contraria eſt recto ſenſui, & experientiæ, & omnino fieri non potuit. Hinc ſequitur, ut cum aliquid creditur, docetur, & generatim exercetur ab Eccleſia univerſa, quin agnoſcatur principium; hoc certum ſit argumentum juxta S. Auguſtini, ac Tertulliani animadverſionem, illud non recenter adinventum fuiſſe, ſed profectum eſſe ab Apoſtolis, qui in omnem terram, eodemque ſpiritu effuſi docuerant, & ſtatuerunt quidquid a JESU CHRISTO didicerant. *Idem*.

Probatur contra hæreticos, Eccleſiæ Doctrinam antiquam, & ex traditione deſcriptam.

Arduum non eſt probare hæreticis ea, quæ credimus de Euchariſtia, de Miſſæ Sacrificio, de SS. invocatione, de oratione pro Defunctis, & aliis hujuſmodi controverſiis, antiquam eſſe Eccleſiæ doctrinam, & fidem eorum, quæ noſtræ contraria eſt, utpote quæ recens eſt, falſam eſſe. Nos illos fateri cogimur eorum, quæ nobiſcum tenent de Baptiſmo Infantium, de Baptiſmo Hæreticorum, de mutatione Sabbati in diem dominicum, de quibus nihil ait Scriptura, fidem haberi a Traditione, & veteri Eccleſiæ conſuetudine, & ab illis exploſi Anabaptiſtas propter doctrinæ ipſorum novitatem. Hoc illud eſt magnum principium, quo Patres antiqui uſi ſunt contra hæreticos temporum ſuorum. *Auctor recens*.

Tiſdem argumenti.

Si ſolum conſulimus temporum ordinem, Tertullianus ait, intelligimus ea, quæ nobis primum tradita fuerunt, profecta eſſe a Domino, ideoque eſſe vera: ſed e contra, quæ deinceps recentia ſubinvecta fuerint, aliunde proficiſci, & eſſe falſa: & lib. 4. cont. Marcionem: Quis poterit, ait ille, noſtras lites componere, niſi ordo, & deciſio temporum, quæ probat doctrinæ antiquitatem, & vitioſum declarat, quod ex antiqua hac fide non fluxerit? Huic eidem principio innititur S. Hieron. qui ſub exitum ſæculi quarti florebat: dicit enim cuidam adverſario ſuo novam hæreſim in Eccleſia inſtituere cupienti: Cur moliris docere nos poſt quadringentos annos, quod antea ignorabatur? Papa Cæleſtinus cohortatus Gallicanam Eccleſiam ad coercendos homines quoſdam, qui recentia dogmata invehere conabantur, his verbis, quibus grave quidem robur ineſt, concludit: Id genus homines puniantur, neque permittatur illis licentia effutiendi quidquid illis placuerit; novitas ceſſet vetuſtati inſultare. Sixtus III. eodem ſpiritu percitus ac deceſſor ſuus, & veſtigiis ejuſdem inſiſtens eadem utitur vi, cum Joanni Antiocheno ſcribit: Nihil ultra novitati permittatur; nihil enim addendum eſt vetuſtati. Non ideo tamen dixeris, Eccleſiam quæ novos minime proponit Articulos fidei, non poſſe poſt plura ſæcula a Spiritu ſancto edoctam, qui ſucceſſive aperit illi omnem veritatem, quæſtiones, quæ nondum ſatis ad examen fuerant revocata, ut conſtaret utrum de fide eſſent, necne, re ipſa ad fidem pertinerent, quemadmodum fecit pluribus in occaſionibus, jubens, diſtincte a nobis credi, quæ nondum liquebat eſſe de fide. Sed iis quæ antiquitus credita fuerunt in materia dogmatis, præcipue vero quatuor vel quinque prioribus Sæculis, quibus ipſi etiam Proteſtantes fatentur, nullam in doctrina corruptionem fuiſſe, hærere ita debemus, ut novi doctores nihil marte ſuo addant, nihilque ſtatuant, quod illis adverſetur. *Idem*.

Sententiæ Veterum hac in re.

Eccleſiæ Doctrina J. C. per non intermiſſam ſucceſſionem Apoſtolica eſt.

Si in Doctrina Chriſtiana non intermiſſa invenitur ſucceſſio, hoc probat Catholicorum doctrinam eſſe omnino eamdem ac illam, quam ab ipſo JESU CHRISTI ore acceperunt Apoſtoli: de hoc dubitandum non eſt; & nil facilius eſt, quam oſtendere, non interpolatam ſucceſſionem hanc, de qua Romana gloriatur Eccleſia in Doctrina ſua peculiariter inveniri, & hac potiſſimum de cauſa Eccleſiam & doctrinam hanc Apoſtolicas nuncupari; quod ita probatur. Doctrina ex JESU CHRISTI ore egreſſa tamquam ex fonte, quæ ab ipſo JESU CHRISTO ad nos uſque pervenit, tranſiit per rivum, qui deficere nequit. Hæc inquam Doctrina ad nos uſque defluxit per non intermiſſam ſucceſſionem, & eſſe debet eadem ac illa, quam a JESU CHRISTO Apoſtoli receperunt. Sed doctrina, quæ hodie in Eccleſia Catholica docetur a JESU CHRISTO ad nos tranſiit per rivum indefectibilem: videlicet per univerſalem Traditionem: igitur pervenit ad nos per non intermiſſam ſucceſſionem, & eadem eſſe debet ac illa, quam a JESU CHRISTO Apoſtoli receperunt. *Auctor recens*.

Traditio rivus eſt indefectibilis.

Probaturus univerſalem Traditionem rivum eſſe indefectibilem non indigeo niſi quibuſdam animadverſionibus, quas facile mihi vos ſpero conceſſuros. Prima eſt, JESUM CHRISTUM Apoſtolis ſuis doctrinam ſuam credidiſſe ſucceſſoribus de generatione in generationem tranſmittendam, ac in omnes terras diſſeminandam. Ite, ait illis, docete omnes gentes; prædicate has veritates ſuper tecta. Altera eſt, Apoſtolos revera ſeſe in terras omnes ita effudiſſe, ut intra ſæculi unius ſpatium doctrina hæc quocumque ferre ſeſe effuderit, apud remotiſſimas gentes, idque cum perfectiſſima conformitate. Tertia eſt, regulam hanc ſanctiſſime obſervatam fuiſſe ab iiſdem Apoſtolis, ut nihil tamquam de fide admitterent, & nihil tamquam JESU CHRISTI doctrinam tranſmitterent, quod immediate non accepiſſent a præceſſoribus ſuis, vel a JESU CHRISTO. Ita poſtquam S. Auguſtinus probavit originale peccatum per Patres, qui ipſum præceſſerant; addit, illi non docuerunt, niſi quod didicerant; nihil tranſmiſerunt ad filios, niſi quod a Patribus acceperant. *Quod didicerunt, docuerunt; quod a parentibus acceperunt, filiis tradiderunt*: Quarta, quamvis ſæcula ſint alia ab aliis admodum diverſa, homines, qui in his ſæculis vivunt; non admodum ſeparatos eſſe. Non modica pars eorum qui hoc ſæculo vivunt, vixit cum parte maxima hominum, qui ſæculo ſuperiore vixerunt, & eorum qui ſequenti ſæculo vivent; ideoque nihil facilius eſt, quam homines ſæculi unius tranſmittere ad homines ſæculi inſequentis id, quod acceperunt, & didicerunt ab hominibus ſæculi præcedentis: quæ ſucceſſiva communicatio ritu uniformi in omnibus Orbis Chriſtiani partibus peracta, id eſt quod *nova Traditio* vocatur. Nihil ultra requiritur ad oſtendendam rivi hujus ſecuritatem. Si enim ſæculi alterius homines ignorare non potuerunt, quod Paſtores primi ſæculi poſt JESUM CHRISTUM docuerant, tamquam Chriſtianam Doctrinam & ſi propter regulam a nobis nuperrime traditam ad homines tertii tranſmittere non potuerunt, niſi quod a Paſtoribus ſæculi primi didicerant, liquet, Doctrinam JESU CHRISTI puram, integramque ad ſæculum tertium perveniſſe. Quæ ſi vera ſunt, nonne pari facilitate, eadem integritate, eodemque medio de tertio ad quartum, inde ad quintum, & ſic de ceteris uſque ad remotiſſimos, eamdem ob cauſam tranſire potuerunt. *Idem*.

Doctrina J. C. in noviſſimo ſæculo æque pura invenitur, ac in primo.

JESU CHRISTI Doctrinam æque puram, integramque naſciſcimur Sæculo decimo ſeptimo, ac primo. Sæculorum multitudo hac in re nihil officere debet infallibili ſucceſſioni doctrinæ; nam eadem commixtio hominum Sæculi unius cum illis ſæculi ſubſequentis, & ſuperioris ita in poſterioribus, ac in prioribus invenitur; & omnia ſemper idem habent principium communicationis, *id ſolum tradendi quod acceperunt*. Cum vero Chriſtiana Doctrina conſiſtat non ſolum in theoria, verum etiam in praxi, vel fide, quæ ad praxim refertur, ita nihil aptius eſt hac praxi. & his religioſis [illegible] ritus ad ſervandam Doctrinam Chriſtianam, eamdemque ab oblivione, & variatione præſervandam. Donec celebrabuntur feſti dies Nativitatis Dominicæ Paſchatis, numquam obliviſcentur homines JESUM CHRISTUM natum pro ſalute noſtra, paſſum, & mortuum eſſe; ac reſurrexiſſe. Donec baptiſmus conferetur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, fides Trinitatis Perſonarum in unitatem divina eſſentia non interibit, neque obliviſcemur omnes nos naſci cum originali peccato. Donec Miſſæ ſacrificium celebrabitur, & omnes accedent in partem victimæ illam adorantes, nulla delebitur oblivione memoria Corporis JESU CHRISTI realiter exiſtentis ſub ſpeciebus panis, & vini. Orationes hæ ſic totidem ſunt argumenta neceſſitatis gratiæ, &c. *Auctor recens*.

Traditionem tollere, idem eſt ac Religionem evertere.

Traditio in religione ita neceſſaria eſt, ut illam tollere idem ſit ac fundamentum Catholicæ Eccleſiæ ſubruere. Cum autem aſſerti Reformati videant in Eccleſia Veteri Templa in honorem Martyrum ſuper eorumdem tumulis ædificata, pompam, ſolemnitatem: Eccleſiaſticum concentum in mortuorum tumulatione, ſacrificia Deo pro illis oblata, quemadmodum Epiſcopi Hippone obſeſſi pro S. Auguſtino offerebant; ordinationem Sacerdotum, & Conſecrationem Epiſcoporum qui præſunt Eccleſiis, atque diœceſibus, & ſexcentas id genus alias cæremonias ſacras, quæ ubique occurrunt, cum inquam hæc videbunt, fortaſſe, ſi aliquantiſper animadverterint, fortaſſe temperare ſe ipſos non poterunt, quominus ſemetipſos interrogent, utrum ſe ipſos deceperint, ſub novitatis ſpecie antiquantes, quæ primis Eccleſiæ ſæculis fieri conſueverant, quæ ſe venerari profitentur, & quæ primi ipſi Miniſtri ſui illis tamquam reformationis ſuæ exemplaria propoſuerunt. *Auctor recens*.

Doct. Chriſtiana per Traditionem [illegible]

Doct. Chriſtiana per rivum Traditionis univerſalis eſſentialiter vitiari non potuit, ſi numquam accidere potuit, ut error eſſentialis tranſmitteretur per illam, & ſi univerſe accepta inveniebatur in omnibus Mundi Chriſtiani partibus. Ajo autem id numquam contingere potuiſſe. Nam ut id contingeret, duo requirebantur, quæ ſunt æque impoſſibilia. 1. Ut omnes fideles in diverſas terræ partes effuſi, poſſent, quamvis tanta eſſet locorum diſtantia, & mutuæ communicationis defectus, uno eodemque tempore in eumdem errorem incidere & tamquam Chriſtianam doctrinam admittere, id quod pro tali a majoribus ſuis non recepiſſent. 2. Ad hæc requireretur, ut quidquid Paſtorum Catholicorum, ac Patrum familias eſt ſuper terram, poſſent quantumvis tanta ſit locorum diſtantia, tantuſque mutuæ communicationis defectus, ſimul fortuito conſentire in tradenda filiis ſuis doctrina, tamquam de fide, quæ illis non potuiſſet hoc titulo tradi. Sed utrumque palam eſt impoſſibile. Intelligi

ligi nequit quomodo citra delirium, & univerſalem capitis everſionem, homines, quibus alte primum illud principium inſederat non tradendi tamquam de fide id quod tamquam tale receperant, potuiſſe, quin ulla facta conventio fuerit ſimul omnes conſilium capere relinquendi hoc principium, & novam docendi doctrinam, & quod majus eſt, omnes in eumdem errorem incidendi. *Idem*.

Unanimis multorum conſenſus error non eſt, ſed traditio.

Tamquam principium aliquod conſtitui poteſt; cum videtur aliqua ſententia modo uniformi recepta ab ingenti numero Chriſtianorum Societatum, diverſarum gentium, procul invicem ſeparatarum; ſententiam hanc non errorem eſſe, ſed traditionem. Hoc jam pluribus ante hanc diem ſæculis ſtatuit Tertullianus. Quæ veritatis ſpecies ait, tot tamque varias Chriſtianorum Societates hoc pacto in eumdem errorem incidiſſe, vel fidem, in qua convenerant, errorem eſſe? Non ita. Quod idem apud tot Nationes ſtatutum invenitur non error eſt, ſed Traditio. Poſſunt profecto in privatis aliquibus deprehendi errores aliqui imprudentiæ; ſed omnes Chriſtianas Societates in univerſam terram effuſas per imprudentiam in errorem eumdem lapſas fuiſſe; hic eventus æque impoſſibilis eſt ac ille, quod per inſaniam ceciderint. Ceterum imprudentia adeo univerſalis in iis, quæ tanti momenti ſunt, & quæ ad æternam pertinent ſalutem, vobis ne, quæſo, poſſibilis videtur? Creditis ne tot mortalium myriades, e quibus ſocietates illæ coaleſcunt, omnes ſimul potuiſſe per imprudentiam deficere in eſſentialibus veritatibus, quarum pleræque practicæ erant, vel ſaltem conjunctæ cum actione, & quotidiana exercitatione? Et denique ſæclum totum potuiſſe repente ignorare, vel obliviſci, quod in ſuperiori ſæculo creditum eſt, & fieri conſuevit, quamvis hominum plerique duorum ſæculorum illorum alii cum aliis vixerint ſimul? *Auctor recens*.

In libro Præſcriptionum cap. 28.

Facile eſt erroris arguere eos, qui novam doctrinam ſerere conantur.

Fateor unum, & vel alterum induſtrios homines uno in Regno poſſe errorem ſerere, & efficere, ut pro veteri Traditione habeatur recens doctrina; & id etiam fateor nonnunquam accidiſſe; ſed hi Novatores nonne ſtatim exciverunt in ſe homines doctos? Nonne facile eſt eorum errorem redarguere? Etenim quæcumque tandem ſit illis ingenii vis, atque calliditas, aſſero facile eſſe, dico etiam fidelibus vulgo non ſolum adverſus eorum inſidias ſe tueri, verum etiam illas propulſare. Ad id enim non oportet cum illis diſputare, & jurgari: ſatis eſt illis verbis duobus dicere; doctrinam, quam proponunt a majoribus traditam non fuiſſe, ideoque non eſſe JESU CHRISTI doctrinam. Sufficit probare, doctrinam hanc ab omnibus Chriſtianis ſocietatibus non fuiſſe receptam; pleroſque fideles, maximamque eorum partem non ita ſentire; doctrinam hanc tandem non eſſe omnium temporum, neque omnium locorum, neque fidelium omnium: quoniam hi ſunt eſſentiales characterea doctrinæ Apoſtolicæ: *Quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus*. Unde inferendum eſt, æque impoſſibile eſſe, ut unus vel plures eruditi viri ubique locorum ferant errorem, & privati omnes conſentiant ad illum recipiendum, & ad poſteros tranſmittendum. Tantum facinus in hominum animos non poſſet incidere, quin vis inferretur maxime naturalibus eorum ſtudiis, & quin illi intrinſecus perfidiæ, ac parricidii redarguerentur. *Idem*.

Quid interſit inter Apoſtolicam, & humanas traditiones.

Non eſt Apoſtolicam agnoſcere Traditionem, illam cum humanis traditionibus comparare. Quantum inter utraque diſcriminis intercedit! Nonne liquet nullas unquam Humanas traditiones æque effuſas fuiſſe, ac doctrinæ Chriſtianæ Traditionem? quandoquidem illa in ipſo primo Eccleſiæ ſæculo in omnes fere terrarum plagas perlata eſt ab hominibus de induſtria miſſis, & huic muneri unice deſtinatis, quod plurimum contulit ejuſdem indefectibilitati. Quomodo non conſtat, Chriſtianam Traditionem potiſſimum inniti curæ, & miniſterio Paſtorum in omnes Chriſtianas Societates effuſorum, quorum potiſſimum officium, & munus eſt docere doctrinam Chriſtianam omnes privatos ab infantia ad extremam uſque ſenectutem, cum in humanis Traditionibus nil accidat tale? Nonne liquet etiam Doctrinæ Chriſtianæ traditionem confirmari, & roborari pleriſque praxibus, & Chriſtianæ Religionis exercitationibus, Sacramentis, Sacrificio, & pleriſque cæremoniis, quarum naturalis effectus eſt, renovare memoriam plerumque Myſteriorum noſtrorum in animis exercentium illas, eaſque exerceri videntium. Denique quomodonam Traditio Veritatum, quæ maximi ſunt momenti humano generi, non ne toto Cælo pretioſior videtur, certior, indefectibilior traditione factorum, quæ nullo in diſcrimine habentur? Poſt hæc quamvis omnes hi tituli hanc nobis adeo certam efficiant, non excludimus tamen peculiarem Dei Providentiam, ne unquam deficiat. Non deeſt jugis promiſſionum JESU CHRISTI ſeries, quæ Eccleſiæ ſuæ uſque ad ſæculorum conſummationem ſtabilem manſionem pollicetur. Si divinæ erat Sapientiæ in hunc finem uti mediis maxime idoneis; non minus ejuſdem erat illa ſemper peculiari providentia tueri. *Auctor recens*.

Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. V.

Eccleſiæ infallibilitas innixa Traditionis infallibilitati.

Dubitandum non eſt, quominus non Eccleſiæ tantum indefectibilitas, verum etiam deciſionum ejus, ubi de fide ſermo eſt, infallibilitas accepta referenda ſit infallibilitati Traditionis univerſalis. Ad hanc referenda eſt certitudo rerum omnium, quas credimus. Hoc unicum eſt medium captui noſtrarum mentium accommodatum, revelatas cognoſcere veritates, quod nulli obnoxium eſt difficultati. Fateor Eccleſiæ infallibilitatem probari poſſe per Dei revelationem in Scripturis expreſſam. Et ſi ex me quæſieris, undenam ſciam, Scripturam eſſe Dei Verbum, reſpondebo hoc me ſcire ex Eccleſiæ teſtimonio infallibili; ſed ſi ex me quærere perſtiteris, unde ſciam Eccleſiæ teſtimonium falli non poſſe, iterum redeundum erit ad Scripturam, vel ad Verbum Dei ſcriptum; quare vides nos coarctari in orbem, qui perpetuo redit in ſe ipſum, & ex quo non adeo facile te expedias. Facillima hujus evitandi ratio eſt agnoſcere univerſalis Traditionis univerſalitatem, quam nuper perſpicue demonſtravimus; nam in hac infallibilitate inveniemus infallibilitatem Eccleſiæ, eamque invicte per illam probamus; quandoquidem ſuper univerſali peculiarium ſocietatum conſenſione tuto deciſiones illius conſtitutæ ſunt. Ex ipſa univerſalis Traditionis infallibilitate diſcimus Scripturam eſſe Dei Verbum, & nos certe cognoſcere poſſe, quinam verus ſit ſenſus illius in locis obſcuris, & de quibus eſt controverſia. *Auctor recens*.

Traditio univerſalis eſt rivus indefectibilis Chriſtianæ doctrinæ.

Mihi perſuaſum eſt Traditionem univerſalem, & ſucceſſivam a JESU CHRISTO ad hanc uſque diem eſſe indefectibilem rivum doctrinæ Chriſtianæ. Nullus dubito, quominus hæc ſit ratio infallibilis ſecernendi totum id quod revelatum eſt, ab eo, quod ſecus; quominus hic rivus vera ſit regula deciſionum Eccleſiæ; & JESU CHRISTI Doctrina debuerit ad nos uſque pervenire puriſſima, atque integerrima: & Eccleſia Catholica, quæ ſola cuſtos eſt hujus Traditionis, ex omnibus Chriſtianis ſocietatibus una ſit, ubi Religio vera inveniatur, ac tandem opus ſit in hac Eccleſia recenſeri, & huic rivo inhærere, ut adhæreamus JESU CHRISTO, qui illius fons eſt, & ut ſalutem ſperemus. Hoc poſito facile eſt ad Religionem reducere ſpiritus, qui longiſſime diſceſſerunt, maxime rebelles, atheoſque, non equidem gloriarer, me illos revocaturum; ad id enim cor illorum curandum eſſet; & hujuſmodi effectus ad Dei Spiritum, & JESU CHRISTI gratiam tantummodo pertinet. Sed ſi mens illis eſſet ſana, & bona fides, & ad audiendum ſatis tranquillitatis, crederem, me illis perſuadere poſſe, eis Religionem eſſe amplectendam; & nullam illis extra Religionem hanc in hac, & in futura vita eſſe poſſe requiem, & ſecuritatem. *Idem*.

Eccleſia utitur Scriptura Sancta, & Traditione in omnibus controverſiis ſuis.

Eccleſia nihil unquam in Conciliis decidit niſi Scripturæ, ac Traditioni inſiſtens, quæ duæ ſunt fidei noſtræ certiſſimæ regulæ. Cum agitur controverſia de alicujus loci Biblici interpretatione quod ut plurimum accidit; quippe Hæretici ſæpe abuſi ſunt obſcuritate nonnullorum Scripturæ locorum ad perditionem ſuam, & alienam ſecundum Sancti Petri verba: Eccleſia hos locos explicat per Traditionem, quæ cum has præceſſerit diſputationes, & ab Apoſtolicis uſque temporibus petatur, unica ratio eſt detegendi verum ſenſum, quem ſemper Eccleſia recepit. Divinæ Traditionis, vel Apoſtolicæ habetur id tantum, quod ſemper docuit, & facere conſuevit Eccleſia. Non deſunt variæ rationes palam cognoſcendi, utrum Eccleſiæ omnes in una eademque praxi, eodemque dogmate conſentiant: Quarum una eſt cogere ſimul omnes Mundi Epiſcopos, qui ſunt divini Verbi ſequeſtres, ut eorum ſinguli Eccleſiæ ſuæ Traditionem teſtentur, quod fit in Conciliis generalibus. Verum cum magni cœtus iſti non ita facile habeantur; non deeſt alia brevior, & vulgatior via, ut conſtet Eccleſiæ Traditio. Papa decidit, & Eccleſiæ particulares deciſioni ſubſcribunt. Nonnunquam Epiſcopi ſententiam proferunt de iis, de quibus agitur, vel ſeorſim, vel in Conciliis Provincialibus, aut Nationalibus. Deciſiones eorum Romam deferuntur, & in alias remotiores Eccleſias. Hæ a Papa confirmantur: eas recipit quælibet Eccleſia, & in illis invenit doctrinam, quam ſemper profeſſa eſt. Hic conſenſus omnium Mundi Eccleſiarum in re a particulari Concilio deciſa, certa eſt Traditionis probatio, & re ipſa eumdem parit effectum, quem Generale Concilium. *Ex quodam Theologo*.

Sancti Patres teſtes ſunt Traditionis.

Sancti Patres habendi ſunt tamquam Teſtes Traditionis Eccleſiæ, ſinguli ſæculo ſuo. Si eorum ſententia ſingularis eſt, auctoritas illorum non admodum habetur in pretio, in quo habenda eſt, ſi omnes conſenſerint. Eccleſia plerumque nihil decidit iis in articulis, ubi diviſæ ſunt Patrum ſententiæ; cum enim tunc Traditio neque certa ſit, neque uniformis, non habetur tamquam traditio divina, vel Apoſtolica. Hoc locum præbet varietati opinionum inter Theologos Catholicos pluribus in argumentis, quæ ad eſſentiæ fidem non pertinent. Tunc integrum eſt cuilibet eam amplecti ſententiam, quæ veritati magis conſona videtur: Sed duo ſunt præcavenda; alterum quidem bona fide Eccleſiaſticæ parendum eſſe auctoritati, ſi quid

conſtituerit contra quam ſentiebamus; alterum vero pacem ſemper eſſe ſervandam, & fovendam caritatem cum iis, qui a nobis aliter ſentiunt. Nihil enim Chriſtiano eſſe debet antiquius Caritate; Unitate quidem in rebus neceſſariis, libertate in ambiguis, caritate in utriſque. *Idem.*

De auctoritate Traditionis in iis, quæ pertinent ad Fidem.

Quidquid a nobis credi vult Deus, non eſt ſcriptum in Canonicis libris: plura enim credere tenemur, quæ in illis ſcripta non ſunt; & ſcire non poſſumus verum ſenſum eorum, quæ ſcripta ſunt, niſi per Traditionem. Traditionis neceſſitas innoteſcit ex Scriptura Sancta, ex omnibus Eccleſiæ Patribus, ex uſu eorum qui auctoritatem ejus rejiciunt. 1. *Ex Scriptura Sancta*; S. Paulus Theſſalonicenſes hortatur, ut tueantur Traditiones, quas didicerunt, ſeu verbis, ſeu litteris. Idem pluribus aliis in locis remittit fideles ad Traditionem, & ſignificat ſe non explicare omnia ſcriptis. 2. *Ex omnibus Eccleſiæ Patribus.* S. Ignatius S. Petri diſcipulus, S. Irenæus, qui ſecundo vivebat ſæculo, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Euſebius, S. Baſilius, S. Gregorius Nyſſenus, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Vincentius Lirinenſis, quin loquamur de aliis quinque priorum ſæculorum, & illis, qui deinceps floruerunt, omnes hac de re uno ore loquuntur; & ne unus quidem eſt, qui Traditionis neceſſitatem non fateatur. *Ex uſu eorum, qui Traditionem rejiciunt.* Proteſtantes ipſi credunt, & multa exercent, quæ nonniſi per Traditionem ſcimus. Credunt baptiſmum infantibus per infuſionem, & ab ipſis etiam hæreticis collatum, bonum, & validum eſſe; nos quoque id tenemus: Sed non illi, neque nos fidem hanc probare poſſumus niſi per Traditionem. Loco Sabbati diem Dominicum colunt: plures feſtos dies celebrant, & horum dierum numerus in Eccleſia Anglicana auctior eſt. Non niſi per Traditionem ſcimus hos uſus ſervandos eſſe, Sanctus inquit Auguſtinus. *Ex Theologo.*

Proteſtantes non obſervant omnia quæ ex Traditione profecta ſunt.

Plura quoque ſunt, quæ Proteſtantes minime obſervant, quamvis in Sacris Bibliis præſcripta; eaque non niſi per Traditionem, & Eccleſiæ totius conſuetudinem ſcimus, non neceſſe eſſe, ut illa obſervemus. Non ſervant pedum ablutionem, quamvis JESUS CHRISTUS illam conceptis verbis præſcribat, ita ut ſi quis Salvatoris verba ad litteram explicare vellet, per hanc cæremoniam novum videretur inſtituere Sacramentum. Dicit enim S. Petro: Niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum; & iterum, debetis alterutrum lavare pedes, ſicuti me videtis facere. Per Traditionem haud hæſitanter ſcimus verba hæc non eſſe ad litteram accipienda, & in illis nequaquam contineri Sacramenti alicujus Inſtitutionem. Proteſtantes igitur inviti, & contra ſua eadem principia pluribus in rebus confugere tenentur æque ac nos ad Traditionis auctoritatem. Plura nobis liceret id genus exempla proferre; ſed hæc ſatis eſſe debent, ſuperque. *Idem.*

Plura ſunt in Religione, quæ nobis credenda ſunt, quamvis non niſi per Traditionem acceperimus illa.

Fateor in Scriptura Sancta ſermonem non haberi de invocatione Sanctorum, de imaginum cultu, de quadrageſima, de oratione pro mortuis in celebratione Miſſæ, deque aliis pluribus, quæ in Catholicæ Eccleſiæ uſu poſita ſunt. Verum cum eadem reſtetur Eccleſia ſe hæc omnia recepiſſe per publicam traditionem, generalem, atque perpetuam ab Apoſtolicis uſque temporibus petitam; credendum eſt, illa vere inde eſſe profecta: quia Eccleſiæ hujus teſtimonium falli non poteſt. Itaque hujuſmodi conſuetudines ſunt a nobis recipiendæ perinde, ac ſi Apoſtoli ipſi earum meminiſſent in Sanctis libris, quos nobis reliquerunt: exploratum enim, atque compertum eſt id, quod viva voce tradiderunt non minori dignum eſſe reverentia, quam quod ſcriptis docuerunt. Quod attinet ad feſtorum dierum obſervantiam, jejunium quatuor anni temporum, abſtinentiam ab eſu carnium, ſupplicationes, aliaſque plures praxes poſt Apoſtolos inſtitutas: reſpondeo, Eccleſiam Catholicam illas uſque in hodiernam diem ſervaſſe, quia proſunt ad excitandam in Fidelibus memoriam Myſteriorum Chriſtianæ Religionis; ad ciendam erga illa altiſſimam reverentiam, ad fovendos ſenſus fidei, ſpei, caritatis, humilitatis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum, quas eadem Religio commendat. Et ſane dummodo velis aſſequi ſpiritum harum omnium conſuetudinum, videbis has totidem eſſe adhortationes, & documenta, quæ Eccleſia Catholica tradit filiis ſuis per hæc ſigna ſenſibilia; vel ut melius dicam, hæc totidem ſunt media, quibus utitur, ut illos impellat ad ea facienda, quæ Chriſtiana Religio illis præſcribit. Denique neceſſe non eſt loqui de omnibus peculiaribus articulis, quos Catholica docet Eccleſia; ſatis eſt me probaſſe vobis, Eccleſiæ hujus teſtimonium falli non poſſe; inde enim ſequitur, Religionem, quam docet vere talem eſſe, qualem vobis eſſe teſtatur, videlicet illam, quam JESUS CHRISTUS, & Apoſtoli prædicarunt; ideoque nihil ab illa doceri, quod Sacræ Scripturæ adverſetur. Ratio de hoc dubitare non ſinit. *Ex libro cui titulus: Religionis Defenſio.*

Ubi de fidei dogmatibus agitur tutius eſt rationem ſuam ſubjicere ſupremæ auctoritati.

Nulla difficilior, perículoſior, & minus apta omnibus Spirituum generibus via eſt, illa privati examinis omnium dogmatum Chriſtianæ Religionis: Etenim viæ hujus excluſio, per ſe nos adducit ad viam auctoritatis: Quandoquidem quicumque ſcire tenetur alicujus rei veritatem, eamque a ſe ipſo diſcere non valet, neceſſario illam tenetur diſcere ab aliis. Et in hac quoque neceſſitate perſpicuum eſt, meliorem, qui fieri poſſit rationis uſum, eſſe, ſubjicere illam maximæ, præcipuæque auctoritati, quæ in Mundo ſit, & cui non deeſſe divini luminis opem, ex pluribus liquet ſignificationibus. Hac in re nihil eſt non ſapiens, non prudens, non rationabile. Hoc infirmitati humanæ mentis accommodatum eſt, eximit enim ab infinito examine dogmatum omnium, cui ſimplices certiſſime impares ſunt; nec non humanæ rationi, quis non cogit illam, ut ſe ſubjiciat, niſi graviſſimæ auctoritati, cui plures inſunt veritatis, & luminis notæ. Spiritus ergo videns perſpicue, ſe meliorem rationis uſum facere non poſſe, unice quærit, quænam ſit auctoritas, quæ ceteris emineat, eamque non ægre invenit in Eccleſia Catholica; namque etiamſi minime deſint Sectæ, quæ negent illi dogmatum veritatem, non deſunt tamen ullæ, quæ cum aliqua veritatis ſpecie negare poſſint hanc eminentem auctoritatem, quæ ex notis exterioribus oritur. Eccleſia hæc tota ſimul regit fidem ſuam per Scripturam, & Traditionem, quam ſumma conſulit ſedulitate, ubi novitates aliquæ ſuboriuntur: & ſimplices qui minime pares huic examini per ſemet inſtituendo, tutius agunt illi acquieſcentes, quod ſit ab Eccleſia Paſtorum ſuorum labore, & diligentia. *Auctor recens.*

Traditionis auctoritas neceſſaria ad Catholicas veritates probandas.

Traditionis auctoritas adeo neceſſaria eſt ad nobis plures Catholicas veritates perſuadendas, ut illi ipſi, qui viam hanc ſe explodere profitentur, eo nunquam pervenire potuerint, ut eadem minime indigeant. Profecto licet inviti eo recidunt: & traditio propria ipſorum praxi probatur, non ſecus ac praxi omnium Eccleſiæ ſæculorum: quæ praxis conformis eſt cum ſacris Oraculis, & explicitis Spiritus Sancti præceptis, tum ipſi naturæ Chriſtianæ Religionis. Itaque innoteſcet, hanc auctoritatis viam non ſolum legitimam eſſe in Religione JESU CHRISTI; verum etiam hanc veram, ac ſolam eſſe viam in Religione revelatam: Eccleſiæ auctoritatem ducem eſſe, quæ nos perdere non poteſt, neque in errorem inducere; jure vocari infallibilem; quod in ſocietatibus ſeparatis inveniri non poteſt. *Idem.*

Traditio ubi agitur de Religione tutiſſima via eſt.

Quamvis re penitus perſpecta nulla tutior ſit via, ubi agitur de Religione, niſi via auctoritatis, quæ unum, & idem eſt, ac Traditio, & ſemper neceſſario ad illam ſit confugiendum; tamen via hæc Miniſtris Proteſtantibus prorſus videtur injuſta; qui non aliam fidei ſuæ regulam habent, neque aliam populis deceptis proponunt, præter particulare dogmatum examen, inſtitutum ſuper verbo Dei in Scripturis, independenter ab omni Eccleſiaſtica auctoritate, ita ut plane iniquum ſit, quod Miniſtri ſubjicere adnitantur Mundum univerſum deciſionibus ſuis, & illis aſſertarum Synodorum ſuarum, tunc vero præſertim, cum ipſi detrectaverint ſe Paſtoribus, & Eccleſiæ Catholicæ Conciliis ſubjicere. *Papin olim Miniſter Proteſtantium, converſus.*

Quid conſequitur tolerantiam Proteſtantium, qui omnem complectuntur & hæreticum, & infidelem.

Aſſerunt Proteſtantes nullam eſſe auctoritatem, cui obſequendum ſit, ubi agitur de Religione. Sed ſi hoc verum eſſet, cuilibet jus eſſet ſemet determinandi per examen proprium, & in quovis articulo ſequendi eam ſententiam, quæ ſingulis in ſacra Scriptura probatior videretur? Omnes illi qui hæretici vocantur, Scripturam pro regula ſequuntur. Profitentur, poſtquam illam bona fide ad examen vocarunt, ſe credere ab illa nequaquam doceri ea dogmata, quæ ipſi rejiciunt. Cum ergo ſequantur generale iſtud principium, quo jure Calviniſtæ poſſunt illos anathematizare, & perſequi? Catholicus regulam habet, teſtimonium videlicet Eccleſiæ, & Traditionis. Ille ſequitur regulam ſuam, & ſecundum illam ratiocinatur, cum eos damnat, qui eam ſequi detrectant. Proteſtantes e contra non aliam habent regulam, niſi nullam habendi, & ſingulos ſecundum proprium ſenſum relinquendi. Illi ergo ſtatim ac aliquem damnant, a ſuis principiis recedunt; & ſecundum principia ſua ratiocinari non poſſunt, niſi omnibus plenam libertatem concedant. *Idem.*

Certum eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrinam a J.C. & ab Apoſtolis ejus profectam.

Quamvis Proteſtantes non credant, Catholicam Eccleſiam falli non poſſe, cogitare debent, eos; qui illam componunt, homines eſſe; & ſe illis eamdem debere juſtitiam, quam populis ignotis, narrantibus ſibi regionis ſuæ conſuetudines. Non poſſent profecto illis tantam negare fidem; quantam haberent homini ex remotiſſima, & maxime barbara gente. Non igitur negare poſſent doctrinam eorum a JESU CHRISTO profectam eſſe, & ab Apoſtolis; cum teſtarentur unanimi teſtimonio, hoc factum publicum eſſe, cujus cognitionem ſemper integram, inviolatamque ſervarunt per conſtantem ſæculorum omnium diſpoſitionem ab illo, quod vidit, & audivit ipſos Apoſtolos, & hoc pacto Catholici evaderent. Sciunt enim jam JESUM CHRISTUM, & Apoſtolos nihil docuiſſe niſi verum,

rum, ita ut omnia ed id unum redigantur; utrum videlicet Apoſtoli hanc, vel illam doctrinam tradiderint. Hoc autem factum eſt, de quo non liceret dubitare contra teſtimonium adeo magnum, & adeo unanime, quale eſt illud Eccleſiæ Catholicæ, tunc etiam cum reſpiceretur tamquam compoſitum aliquod ex barbaris, ignotiſque nationibus. *Idem.*

Eccleſia unquam potuit variare doctrinam, quam accepit ab Apoſtolis.

Eccleſia nunquam mutavit fidem Patrum ſuorum neque per ignorantiam, neque per calumniam. Non potuit unquam ignorare ea, quæ Prædeceſſores ſui tradiderunt ipſi, neque celare filios ea, quæ a Patribus didicit. Una igitur reſtat via, per quam mutatio accidere poterat, eaque eſt; ſi elatis cervicibus dixiſſet: Quamquam Patres mei hoc doceant, & hoc; aliter docere volo, & vitiare depoſitum, quod mihi committunt. Sed hoc nec fecit unquam, neque hac de re ne Proteſtantes quidem illam accuſant. Satis norunt ab illa pro hæreticis ſemper habitos fuiſſe, qui ita locuti ſunt. Itaque cum Eccleſia ſemper functa ſit munere teſtis, & fidelis ſequeſtris; bonus ſenſus non patitur nos ſuſpicari, quod illius fides unquam fuerit mutata. *Papin.*

Contra Eccleſiæ teſtimonium diſputari nulla ratione poteſt.

Eccleſia ab Apoſtolis ad nos uſque unum duntaxat corpus erat, ac teſtis unus. Nullum amplius erat diſcrimen inter Eccleſiam ſæculi primi, & Eccleſiam ſæculi decimi ſeptimi, quam inter hominem annorum triginta, & hunc eumdem jam quadrageſimum ætatis annum agentem: in duobus hiſce diverſis ſæculis, teſtimonium ejus æque dignum erat fide, quale eſſet teſtis irreprehenſibilis, qui triginta natus annos narraret ea, quæ vidiſſet, & annos habens quadraginta narraret ea, quæ ante decem annos vidiſſet. Ita diſputare contra teſtimonium Eccleſiæ hodiernæ, quod faciunt Proteſtantes, eſt diſputare contra facta; eodem modo prorſus, quo primorum ſæculorum hæretici, qui aſſerebant Sanctum Paulum non eſſe Apoſtolum, & illum non recepiſſe a JESU CHRISTO doctrinam, quam prædicabat, diſputabant contra facta, *Papin idem, qui ſupra.*

Primorum temporum mortales non didicerunt veritatem Religionis per examen Fidei.

Primis Mundi ætatibus ab Adam ad Moyſem quomodonam Apoſtoli diſcebant eas veritates, quæ Religionem conſtituebant? Patet hoc nequaquam per examen fieri potuiſſe. Nulla adhuc erat Scriptura, ex qua Mundi principium haurire poterant, neque voluntatem Dei circa Religioſum Cultum, victimas, tempora, locos, miniſtros pro Sacrificio eligendos, hominum officia, aliaque id genus plurima &c. Paeres hæc omnia tradebant filiis ſuis; Filii ſe ſe ſubjiciebant Patrum teſtimonio. Hæc vocatur auctoritatis via, & ſubjectio teſtimonio Eccleſiæ. Poſtquam vero Moyſes Pentatheucum conſcripſit, liquer, tunc etiam teſtimonium, & Eccleſiæ auctoritatem non minus fuiſſe neceſſariam. 1. Ut conſtaret Moyſem nihil niſi verum ſcripſiſſe, illum nequaquam commentum fuiſſe Hiſtoriam creationis Mundi, atque diluvii, & poſteris id reliquiſſe tantum, quod Patres univerſæ temporis ſui generationi tradiderant. 2. Ut populus univerſus intelligeret leges cæremoniales, & omnes illas in eumdem ſenſum interpretarentur, & praxis ſemper eſſet uniformis. 3. Ut verum tribueret ſenſum Oraculorum de Meſſia, qui alioquin detorqueri poterat ſecundum methodum, qua Proteſtantes explicant novum Teſtamentum ad libitum ſum. 4. Tandem ut aliæ cognoſcerentur maximi momenti veritates, quas ne attingere quidem videtur Moyſes &c. Conſtat Teſtamenti veteris fideles non potuiſſe perfecte de his rebus omnibus edoceri, niſi Iſraeliticæ Eccleſiæ teſtimonio. *Papin.*

Apoſtoli non reliquerunt nobis accuratam expoſitionem doctrinæ Chriſtianæ.

Apoſtoli variis in occaſionibus ſcripſerunt, nunquam tamen eo conſilio, ut nobis accuratam, completamque relinquerent doctrinæ totius expoſitionem. Scripſerunt duntaxat compendium hiſtoriæ JESU CHRISTI, & ortus Eccleſiæ. Scripſerunt etiam ad privatos nonnullos, vel etiam greges; ſed tantum, ut illos conſolarentur, vel hortarentur, vel ad ſummum, ut quibuſdam in articulis ſpiritum eorum regerent, quorum nondum ſatis æquas ideas conceperant, & in quibus jam hæreſes obrepere inceperant. De aliis vero articulis ne verbum quidem faciebant, qui tamen non levioris erant momenti, quam illæ quæſtiones, quæ Epiſtolarum ſuarum argumentum conſtituebant. Quorſum iſtud? Quia tunc agebatur, non ita quidem de tradendis Chriſtianæ Religionis elementis, quæ jam noverant; ſed tantum de nonnullis difficultatibus enucleandis. Ita ut quod nobis reliquum ſupereſt Operum Apoſtolicorum, longiſſime abſit ab iis, quæ Proteſtantes accurate ſcriptis mandaſſent, ſi in eorum loco fuiſſent, videlicet catechiſmum, vel fidei confeſſionem. *Papin.*

Quo jure Proteſtantes ſe judices juſtitent, ubi ſermo eſt de Religione.

Cum ex Hæreticis quæritur, quiſnam illos judices conſtituerit, ubi agitur de religione, quandoquidem ſe jactitant falli non poſſe, ſe extra ordinem a Deo miſſos eſſe veluti Prophetas, atque Apoſtolos, reſpondent auctoritatem ſuam incumbere legi, cujus verum ſenſum accipiunt, & *veritati, cujus gaudent poſſeſſione.* Tenent pro ſe ſtare veritatem; veritati autem inhærere auctoritatem; ſibi eſſe ſupremam auctoritatem in iis, quæ ad Religionem pertinent, ſecum habere judicem infallibilem, videlicet Spiritum ſanctum in Scripturis loquentem; & ſibi eos calumniari, qui dicunt eos ſine lege eſſe, & ſine auctoritate, & januam licentiæ aperire. Nihil ultra requiritur, ut innoteſcat, viam auctoritatis ab ipſis etiam Proteſtantibus probari, & ab illis haberi tamquam prorſus neceſſaria in Religione: Sed tantum abeſt, quod jactata a Reformatoribus auctoritas aliquod addat momentum contra Catholicos, ut potius animadvertendum ſit hoc recens eſſe contra illos argumentum; illi quippe ſua damnantur auctoritate, quæ illis contradictoria eſt, & omni caret fundamento. Non enim eam fundare poſſunt ſuper Eccleſiæ Nomen; cui enim ſemel ejus auctoritatem abjecerint, & aſſeruerint, licere ſingulis ab Eccleſiæ judicio ad proprium ſuum provocare, ad Eccleſiam reverti non poſſunt, quin ſuam ipſam improbent ſucceſſionem. Igitur aliud quærant auctoritatis fundamentum opus eſt; ſed nullum niſi commentitium inveniunt. Dicunt auctoritatem ſuam divinis inniti legibus, quas ſe ſequi profitentur, & veritati, quam pro ſe ſtare contendunt; videlicet ita argumentantur. *Qui melius legem intelligunt, hi præditi ſunt legiſlatoris auctoritate: Atqui nos melius Dei legem intelligimus: ergo nos præditi ſumus divina auctoritate.* Ita Proteſtantes veritatem in examine ſuo conſtituunt, non autem in auctoritate. *Idem.*

Hendry Bibl. Cent. Theol. de Myſtr. Tom. V.

Non Veritas, ſed miſſio confert auctoritatem.

Veritas, inquiunt Proteſtantes, *confert jus, & legitimam auctoritatem:* Sed propoſitio hæc æquivoca eſt, & omnino falſa. Si enim *veritatis* nomine Proteſtantes intelligerent hic *veritatem facti, & publicæ notorietatis*, ſcilicet veritatem miſſionis, propoſitio vera eſſet: *Veritas confert jus, & legitimam auctoritatem.* Sed cum illi e contra intelligant veritatem theoreticam, & ratiocinii, quam non norunt niſi per examen, & de qua ſinguli ſuam habent ideam peculiarem, propoſitio hæc in ore eorum ad hanc redigitur: *Veritas theoretica, illud, quod pro hac veritate intelligimus confert jus, & legitimam auctoritatem;* in quo ſenſu craſſam involvit abſurditatem. Neque enim hæc veritas, vel ad veritatem iſta prætenſio, fuerunt unquam ullius auctoritatis vel in republica, vel in Eccleſia. Non ne demens haberetur, qui victus judicio diceret nullam eſſe ſententiam; non agnoſco auctoritatem illius, qui tulit eam; ego enim in cauſſa hac judex ſum. Cur? *Quia veritas, & juſtitia mihi conferunt auctoritatem;* ideoque ego in iſta cauſſa præditus ſum auctoritate ſuprema. Ita tamen Proteſtantes argumentantur. *Cum audiunt ſe ab univerſa Eccleſia damnari per os Concilii, dicunt: Judicis hujus auctoritatem minime novimus. Lex, & veritas conferunt auctoritatem; ipſi autem penes nos habemus utramque.*

J. C. inſtituit in Eccleſia ſua Judices, qui Sacram Scripturam interpretentur.

Lex, & veritas per ſe actione carent, & poteſtate. Scriptura Sancta, & Chriſtiana doctrina, per ſe non poſſent prohibere hæreſes, & blaſphemias, non magis quam lex civilis per ſe rapinas, & cædes prohibere non poſſet. Cum lege requiruntur Magiſtratus Principis auctoritate ſuffulti, ut ſint vindices legis. Cum Scriptura requiritur Eccleſia JESU CHRISTI auctoritate prædita, quæ illam explicet, & cogat obſervari. Undenam Advocatus, & Orator nullam habent auctoritatem? Inde quia non conſtituti ſunt legis tutores, atque ſequeſtres. Eadem de cauſſa, omnis Societas, quæ non poteſt probare per facta publicæ notorietatis, ſe a JESU CHRISTO inſtitutam fuiſſe veritatis ſequeſtrem, & ſuorum Oraculorum Interpretem, ſibique ab illo dictum: *Qui vos audit, me audit*, nullam jactare poteſt in JESU CHRISTI regno auctoritatem. *Papin.*

De uſu latinæ linguæ in rebus ad Deum ſpectantibus.

Latinus Sermo in Eccleſiam productus fuit, cum hic naturalis eſſet ſermo, qui ab univerſo Mundo intelligebatur, & in omnibus actis publicis adhibebatur, tamquam maxime univerſalis, cognituſque ex omnibus linguis Romani Imperii. In hoc Eccleſia ſecuta eſt S. Pauli præceptum. Imperio diviſo, conſecuta eſt diviſio linguarum; novæ ſubinde extiterunt, & linguæ univerſalis uſus paullatim interiit. Verum cum intereſſet Eccleſiæ, quippe cujus illius ſalus, & incolumitas agebatur, non ſimul cum Imperio laniari, ſemperque ſimul unari permanere, ſemperque ſervare membra omnia ſpiritualibus verbi, atque intelligentiæ vinculis cohærentia, *ne alia aliis barbara* evaderent; quandoquidem ſecundum S. Pauli ipſius mentem, ſi non eſſet lingua communis omnibus Eccleſiæ membris, per quam omnia ſe ſe mutuo intelligere poſſent, *alia aliis eſſent barbara:* Barbarus ero illi, qui loquetur ad me, & mihi barbarus ille erit, ad quem loquar: Denique cum intereſſet Eccleſiæ tueri ſemper veſtigium ſenſibile ſuæ antiquitatis, & indubium monumentum originis, & ortus ſui; modo nanciſcor illam nil ſapientius facere potuiſſe, quam retinendo ſemper linguam; ut ita dicam *maternam* in rebus omnibus, in quibus retinuit illam, eique per bonum ſenſum licuit retinere. *Papin.*

Ejuſdem argumenti.

Si Eccleſia linguam hanc deſeruiſſet in uſu communi, & quodlibet illius membrum ſubrogaſſet ſermo-

nem patrium; patet futorum fuiſſe, ut membra invicem, & ab unitatis ſuæ centro ſepararentur, & intra pauca ſæcula ſe ſe non amplius mutuo cognoſcerent, quod accedit Eccleſiæ Moſcoviæ, Græciæ, Armeniæ, & Ægypti, quæ inter ſe non magis ſemet cognoſcunt, quam ipſi illas noverimus, & quæ ſibi ultro citroque nulli eſſe poſſunt ſolatio, ædificationi, ſubſidio. Proteſtans Gallus in Proteſtantem Germaniæ, vel Angliæ Eccleſiam ingrediatur, quin noverit illius regionis idioma, non ne verum eſt, illum nullam ibi ædificationem, nullumque ſolatium habiturum; nihilque viſurum, vel auditurum, ex quo ſentiat ſe cum fratribus eſſe, & cum ejuſdem Religionis cultoribus? Illis quidem *barbarus* eſt; & illi ſibi *barbari*. Nequeunt ſe mutuo cognoſcere; cumque ſemet nequeant cognoſcere, nequeunt ſe mutuo affectu complecti; neque ſibimet ultro, citroque opitulari. E contra Polonus, & Hiſpanus in extremis Terrarum plagis occurrant ſimul in Catholica Eccleſia, quin regionis illius linguam edocti fuerint; ſtatim ſe Fratres eſſe cognoſcent, ejuſdem Eccleſiæ membra, & uterque ſimul agnoſcent Eccleſiam univerſalem, ritumque communem. *Papin.*

Teſtimonia SS. Patrum de Traditionibus.

Origenes homilia quinta in Numeros recenſet multa, quæ in Eccleſiis uſum obtinent, quin ullum adſit præceptum, vel teſtimonium in Scripturis: id genus ſunt flexis orare genibus, ſe ad Orientem convertere; adminiſtrare, & recipere Euchariſtiam eo, quo fit, modo; baptizare cum cæremoniis, quæ in more ſunt poſitæ, aliaſque id genus conſuetudines, quas ait ille *velutas, & abſconditas gerimus, & diligentiſſime exequimur, tamquam per Traditionem, & ſpecialem Summi Pontificis commendationem acceptas:* Ex tractatu 92. in Sanctum Matthæum. *Credendum nobis non eſt illis qui nos conantur a prima Eccleſiaſtica Traditione deterrere, neque alia nobis habenda eſt fides præter eam, quæ de manu in manum per Eccleſiæ Traditionem ad nos uſque pervenit.* Sanctus Athanaſius vetat ne Novatoribus aliud reſpondeamus, niſi quod ipſi dicunt non congruere cum iis, quæ dicit Eccleſia, & Patres noſtros aliter judicaſſe. Sanctus Baſilius libro de Spiritu Sancto capite 27. docet Eccleſiæ dogmata veniſſe uſque ad nos, tum per Scripturas, cum per Traditionem; utrique eamdem eſſe vim ad nos perſuadendum, & neminem illis contradicere poſſe, niſi eos, qui ignorant hoc ad Eccleſiæ jura pertinere: alioquin ſi liceret non ſcriptas rejicere conſuetudines, futurum ut ad nihilum redigeretur Evangelii prædicatio, & nomen duntaxat ſupereſſet; nec non ea ipſa damnarentur, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ipſumque Crucis Signum, quod nullibi in Scripturis imperatum, vel commendatum videtur, & quod nihilominus eſt prima, & vulgatiſſima cæremonia eorum, qui ſperant in JESUM CHRISTUM. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Ejuſdem argumenti.

Sanctus Epiphanius in hæreſi quinquageſima quinta ita loquitur. Fidei ædificium ſuum habet fundamentum: videlicet Traditiones Apoſtolicas, Sanctas Scripturas, Doctrinæ ſucceſſionem, & extenſionem, quæ undequaque roborat Catholicam veritatem: Ideo nemo ſibi fabuloſis novitatibus verba dari ſinat. Et in hæreſi ſexageſima prima, ait neceſſe eſſe ad Traditionem confugere; non enim omnia inveniri poſſunt in Sacra Scriptura, quandoquidem Apoſtoli nobis reliquerunt doctrinam ſuam partim ſcriptam, partim per traditionem, juxta Sancti Apoſtoli teſtimonium, qui ait, *quemadmodum tradidit vobis*. Sanctus Joannes Chryſoſtomus exponens illa Apoſtoli verba, *ſervate Traditiones*, ait, ex hoc loco palam innoteſcit non omnia ad nos perveniſſe per ſcripturas, ſed multa etiam per Traditionem, quæ æque digna eſt fide, quemadmodum omnibus eſſe debet perſuaſum. Et ſane ſi ea tantum eſſent vel credenda, vel facienda, quæ ſcripta ſunt, quid feciſſet Eccleſia ab Adam uſque ad Moyſem ſpatio annorum 2699. In quo ſe ſe exercuiſſet a Moyſe, uſque ad JESUM CHRISTUM? Quot extiterunt Sancti extra populum Judaicum ſine Scriptura, ut Sanctus animadvertit Auguſtinus? Poſt vero legem ſcriptam, quis neſcit Judæos adhuc uſos fuiſſe Traditionibus? Quis ignorare poteſt Eſdræ ævo Scripturas Sanctas nondum in librorum formam redactas fuiſſe, ita ut commode haberi, & diſci poſſent; & nonnunquam etiam diu conquiſitas fuiſſe, quin poſſent reperiri; quod videre eſt in quarto Regum libro Capite 22. *Idem.*

Joan. Chryſ. in 2. ad Theſſal. orat. 4.

SYMBOLUM APOSTOLORUM,

In quo continetur

FIDES, ET DOCTRINA ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

M O N I T U M.

Inter veritates, quas docet Chriſtiana Religio, & quæ Fidelibus omnibus credenda ſunt, nihil magis ex corde credendum illis eſt, & ore profitendum, quam quod in Symbolo docet Eccleſia, quod vulgo Apoſtolorum vocatur; & quod ſemper hoc nomine vocatum eſt, ſeu quod Apoſtoli in unum doctrinæ corpus collegerint veritates in Symboli hujus articulis contentas, ſeu quod Eccleſia illas didicerit ab iiſdem in ipſa origine, & de ſæculo in ſæculum traditi fuerint cura ſucceſſorum eorumdem, ut eſſent quædam veluti fidei regula omnibus vere Chriſtianis.

Profecto Symbolum hoc, quod Eccleſia reſpicit tamquam fundamentum, & Compendium fidei ſuæ, continet quidquid nos docuit Deus per illos de unitate eſſentiæ ſuæ, de trium Perſonarum diſtinctione, de perfectionibus, & proprietatibus, quæ tribuuntur illis: de iis, quæ pertinent ad Verbi Incarnationem, & ad JESU CHRISTI Myſteria; & tandem omnes complectitur veritates ad ſalutem neceſſarias, quas profitetur Eccleſia, & quæ in variis Symboli articulis continentur. Hac de cauſſa illud ſæpe recitat, & inde Officii Divini ducit initium; diceres, quemadmodum ſine fide non poſſumus placere Deo, ut docet Apoſtolus, ita nullam orationem Deo jucundam, acceptamque eſſe poſſe ſine profeſſione fidei, quæ in hoc Symbolo continetur. Hoc fuſius explicabimus in hoc tractatu, & oſtendemus nihil Chriſtiano, qui Eccleſiæ membrum eſt, eſſe dignius, quam habitum contrahere illud recitandi, quod primi fideles facere conſueverant.

SYMBOLUM APOSTOLORUM,

In quo continetur

FIDES, ET DOCTRINA ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

Neceſſitas ſciendi & credendi veritates quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur.

Primum omnes Chriſtiani homines tenere debent, quæ Fidei Duces, doctoreſque Sancti Apoſtoli divino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis diſtinxerunt. Nam cum mandatum a Domino accepiſſent, ut pro ipſo legatione fungentes in univerſum Mundum proficiſcerentur, atque omni creaturæ Evangelium prædicarent: Chriſtianæ fidei formulam componendam cenſuerunt; ut ſcilicet id ipſum omnes ſentirent, ac dicerent; neque ulla eſſent inter eos Schiſmata, quos ad fidei unitatem vocaſſent, ſed eſſent perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Hanc autem Chriſtianæ fidei, ac ſpei profeſſionem a ſe compoſitam, Apoſtoli Symbolum appellarunt, ſive quia ex variis ſententiis, quas ſinguli in commune contulerunt, conflata eſt; ſive quia ea veluti nota, & teſſera quadam uterentur, qua deſertores, & ſubintroductos falſos fratres, qui Evangelium adulterabant,

Digitized by Google

bant, ab iis qui vere CHRISTI militiæ Sacramento ſe obligarent, facile poſſent internoſcere. Cum multa in Chriſtiana religione fidelibus proponantur, quorum ſingillatim, vel univerſe certam, & firmam fidem habere oportet, tum vero illud primo, ac neceſſario omnibus credendum eſt, quod veluti veritatis fundamentum, ac ſumma de divinæ eſſentiæ unitate, & trium perſonarum diſtinctione, earumque actionibus, quæ præcipua quadam ratione illis attribuuntur, Deus ipſe nos docuit. Hujus myſterii doctrina in Symbolo Apoſtolorum comprehenſa eſt. Nam, ut majores noſtri, qui hoc in argumento pie, & accurate verſati ſunt, obſervaverunt, in tres potiſſimum partes ita diſtributum videtur, ut in una divinæ naturæ prima perſona, & mirum creationis opus deſcribatur; in altera ſecunda perſona, & humanæ redemptionis myſterium; in tertia, tertia item perſona, caput, & fons ſanctitatis noſtræ variis, & aptiſſimis ſententiis concludatur. Eas autem ſententias ſimilitudine quadam a Patribus noſtris frequenter uſurpata articulos appellamus. Ut enim corporis membra articulis diſtinguuntur: ita etiam in hac fidei confeſſione, quidquid diſtincte, & ſeparatim ab alio nobis credendum eſt, recte & appoſite articulum dicimus. Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Symbola Nicænum, Conſtantinop. & S. Athanaſii omnia continentur in Symbolo Apoſtolorum, qui primi illud compoſuere.

Apoſtoli omnium primi fidei noſtræ Symbolum compoſuerunt: Hoc autem vera eſt, & ſimplex fidei regula; quandoquidem pauciſſimis continent verbis præcipua Myſteria, primaſque Religionis noſtræ veritates; cujus generis quatuor maxime celebrantur. Primum eſt Apoſtolicum de quo hic agimus; Alterum eſt Nicænum, in quo fuſius explicatur quidquid pertinet ad divinitatem Filii Dei: Tertium eſt Conſtantinopolitanum, in quo addita ſunt nonnulla ad Spiritus ſancti divinitatem ſpectantia; Quartum denique reliquis explicatius illud Sancti Athanaſii, quod ab Eccleſia univerſa receptum eſt. Sed Apoſtoli cum poſt Spiritus ſancti Miſſionem juſſi fuiſſent ſe ſe conferre in omnes terrarum plagas, initium fecerunt ſtatuendo quamdam Chriſtiani fidei formulam, quam Symbolum dicimus ea mente, ut fidelibus omnibus inſpirarent ſenſus omnes, ut deinceps eos communicare poſſent iis, qui erant ad fidei unitatem vocandi. Hanc autem formulam Symboli nomine appellaverunt, idque duplici ex cauſa: prima, quia conflata fuit ex diverſis ſententiis, quæ in commune allatæ fuerunt, ut in corpus unum Chriſtiana colligeretur doctrina: Altera vero quia eſt veluti character, & ſignum, cujus ope falſi fratres a veris Fidelibus internoſcuntur. *Ex libro, qui inſcribitur Hortus Paſtorum.*

Quid ſit Symbolum, quando, a quo, & quo motivo fuerit compoſitum.

Symbolum eſt compendium præcipuorum Fidei Myſteriorum, quæ in duodecim articulis continentur, qui totam complectuntur doctrinam Apoſtolorum, qui ejuſdem fuerunt Auctores. Illud autem compoſuerunt poſt Aſcenſionem Domini Noſtri; cum voluerunt Jeroſolymis diſcedere in omnes terras Evangelium enunciaturi. Symboli vero nomen ſignificat doctrinam communi conſenſu conſtitutam. Apoſtoli illud triplici ex cauſa ſcripſerunt; Primum ut Chriſtiani ex hoc Signo ſe ſe ultro, citroque cognoſcerent: mox, ut Fideles ab infidelibus ſepararentur; tertio ut qui ſimplices, & rudiores eſſent, haberent fidei ſuæ compendium, quod facile diſcerent, retinerent, & recitarent. Propterea ab omnibus Fidelibus diſcendum eſt, & crebro recitandum; quia Symbolum hoc eſt ſpeculum fidei noſtræ; ideoque ſæpe illud menti noſtræ repræſentandum eſt; quapropter Sanctus Auguſtinus ait, illud nobis quotidie recitandum eſſe, mane, & veſpere, ut, inquit ille, nobis fidem noſtram recogitantibus, Symbolum hoc nobis eſſe poſſit tamquam egregium ſpeculum, quod conſulere valeamus inſpecturi, utrum vere credamus omnia, quæ profitemur, & quæ in hoc Symbolo continentur. Lætamini, ait ille, in fide veſtra, illam reſpicite tamquam theſaurum veſtrum, & hoc ſingulis diebus ſpiritum veſtrum paſcite. Sanctus Chryſologus etiam ait ſingulis diebus eſſe recitandum, ne quis obliviſcatur fœderis, quod percuſſit cum Deo, & nunquam oculos avertat ab intuitu bonorum cæleſtium, quorum nos participes efficit fides, quæ continetur in Symbolo. Symbolum hoc nobis clypeus eſt contra Mundi, ac dæmonis tela, quapropter Sanctus Ambroſius hortatur ſororem ſuam, ut illud mane, ac veſpere, & potiſſimum in tentationibus recitet: quia, inquit ille, clavis eſt, quæ reſerat dæmonis tenebras, & locum facit lumini JESU CHRISTI. *Ex Horto Paſtorum.*

Fructus quos ex Symbolo percipimus.

Symbolum Apoſtolorum nobis procurare poteſt omnia Spiritualium bonorum genera ſecundum Sancti Joannis Chryſoſtomi ſententiam, qui poſt meditationem bonorum omnium, quæ inde percipimus, ait, doctrinam hanc confirmare fideles in fide; opem illis ferre, qui in illa inſignes progreſſus fecere; conſolari viatores in hac vita; roborare eos, qui perſeverant, ac tandem impertire coronas iis, qui præſto ſunt, ut perveniant in portum. Symbolum autem non ſolum prodeſt augendæ fidei, ſpeique noſtræ, verum etiam nos cumulando omnibus gratiarum generibus; quapropter S. Paulus ad Hebræos loquens ait: *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem.* Si quis interpretari voluerit hunc locum, dicet, hanc illam eſſe fidei profeſſionem, quam fecimus Symbolum recitantes, tunc cum Sacro Baptiſmati regenerati fuimus, per quod polliciti ſumus nos in JESUM CHRISTUM credituros eſſe, & per illum vitam æternam ſperaturos. Quapropter immobiles in fide noſtra permanere debemus, omnes etiamſi in nos deſæviant perſecutiones. Hæc etiam nobis eſſe debet tamquam anchora inter fluctus, ut reſiſtamus procellis omnibus in nos inſurgentibus. *Idem.*

Hebr. 10.

Quærunt Theologi, utrum neceſſe ſit Symbolum didiciſſe.

Quærunt Theologi, utrum neceſſe ſit ſcire omnes articulos, qui in Symbolo continentur; ubi operæ pretium eſt adnotare, non deeſſe quoſdam, qui neceſſarii ſunt de neceſſitate medii, quoſdam vero tantum de neceſſitate præcepti. Aliquid autem vocatur neceſſarium de neceſſitate medii, ſine quo nemo ſalvari poteſt: quamvis nullum adſit illius crimen: ex. gr. fides neceſſaria eſt de hac neceſſitate: unde ſequitur infidelem ſine illa ſalvari non poſſe, tunc etiam cum a nemine fuiſſet edoctus. Aliquid vero dicitur neceſſarium de neceſſitate præcepti, quod ea tantum de cauſa neceſſarium eſt, quod præceptum fuit. Hinc igitur ſequitur, omnem hominem ſalvari poſſe, quin exerceat illud, modo tamen nullum ipſius adſit crimen. Quapropter dicere poſſumus Euchariſtiam neceſſariam eſſe de neceſſitate præcepti. Dico igitur Symbolum eſſe neceſſarium de neceſſitate præcepti, ita ut fidelis quilibet teneatur ſcire, & credere articulos, qui in eo continentur, eos vero præſertim, qui Humanitatem, & divinitatem JESU CHRISTI reſpiciunt: & communis Eccleſiæ totius opinio eſt, mortalis noxæ reum eſſe, qui ignorat illos, quamvis Eccleſia non obliget, ut illos perfecte didicerit; videlicet licet ille non ſatis perfectam eorum habeat cognitionem. Credo enim mortalis peccati noxium non habendum illum, qui de verbo ad verbum omnes articulos recitare non noſſet, vel eorum ordinem inverteret: Sufficit articulorum ſubſtantiam non ignorari. *Ex eodem Horto Paſtorum.*

Symbolū ſciendum eſt, non latine ſolum, ſed etiā vernaculo idiomate.

Non ſufficit hos articulos latine didiciſſe; ſed vernaculo etiam idiomate illos ſcire opus eſt, non ſine aliqua Myſteriorum cognitione pro captu ſingulorum. Hinc ſequitur, Paſtores illos, qui ſatis eſſe putant, Symbolum latino idiomate tradere, quin fidei explicent Myſteria, vehementer errare: ſed væ illis; non enim ſatis eſt panem præbere parvulis; ſed illis etiam frangendus eſt, ac in fruſta comminuendus, ut facilius illum comedere, & digerere valeant. Videlicet, ſimplices erudiendi ſunt, facilibus, planiſque verbis de principiis fidei ſuæ, atque prima illis Verbi Dei tradenda ſunt elementa. Sed communior ſententia de neceſſitate medii eſt, illis explicite, ac perſpicue ſciendum eſſe Trinitatis, & Incarnationis Myſterium: quod quidem in praxi non caret difficultate, nam plerique eorum, qui ruri vivunt, & agros colunt, id ignorant etiam poſtquam docti fuerunt, ita ut ad Pœnitentiæ Tribunal accedentes, vix, & ne vix quidem reſpondeant, ubi de hujuſmodi articulis interrogentur: dicent enim tres eſſe Deos, & Perſonam unam, cum dicere debeant, Tres eſſe Perſonas in uno Deo: ita ut non leve negotium ſit efficere, ut diſtinguatur Naturam a Perſona. Nequeunt aliter concipere Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, niſi tamquam tres Perſonas, inquiunt, tria corpora habentes. Item ſi quæſieris, quid pro Patre intelligant, ſtatim hominem eſſe reddent, ita ut quidquid coneris, atque ſtudeas, ſemper in errore verſentur. Quamobrem mihi potius arridet Theologorum ſententia, cum dicunt ſcientiam, & fidem in his Myſteriis eſſe de neceſſitate medii, quantum concipi valeant. *Idem.*

Senſus primi articuli Symboli Apoſtolici.

Primus Apoſtolici Symboli Articulus continet hæc verba: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cæli, & terræ. His verbis ea ſententia ſubjecta eſt: certe credo, ac ſine ulla dubitatione profiteor, Deum Patrem, Primam ſcilicet Trinitatis Perſonam, qui ſua omnipotenti virtute Cælum ipſum, & terram, & omnia, quæ cæli, & terræ ambitu continentur, ex nihilo condidit, & condita tuetur, & regit: neque ſolum eum corde credo, & ore confiteor, verum ſummo ſtudio, ac pietate ad illum veluti ſummum, & perfectiſſimum bonum contendo. Hæc igitur ſit brevis quædam primi hujus articuli comprehenſio. Sed quoniam magna Myſteria in ſingulis fere verbis latent: ea nunc diligentius Parocho perpendenda ſunt, ut quantum Dominus permiſerit, ad ejus Majeſtatis gloriam contemplandam cum timore, & tremore fidelis populus accedat. Igitur credendi vox hoc loco putare, exiſtimare, opinari non ſignificat, ſed ut docent Sacræ litteræ certiſſimæ aſſenſionis vim habet, qua mens Deo ſua Myſteria aperienti, firme, conſtanterque aſſentitur: Quamobrem is credit (quod ad hujus loci explicationem attinet) cui aliquid ſine ulla hæſitatione certum, & perſuaſum eſt: Neque vero exiſtimare quiſquam debet, fidei notitiam minus certam eſſe, quod*

Digitized by Google

ea non cernantur, quæ nobis credenda fides proponit. Etenim divinum lumen, quo ea percipimus, etiamſi rebus perſpicuitatem non afferat, nos tamen de his dubitare non ſinit. Deus enim qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ut non ſit nobis opertum Evangelium, ſicut iis, qui pereunt. Jam vero ex iis, quæ dicta ſunt, conſequitur, eum qui Cæleſti hac fidei cognitione præditus eſt, inquirendi curioſitate liberum eſſe. Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Publica fidei confeſſio eſt ad ſalutem neceſſaria.

Verum illud præterea doceat Parochus eum qui dicit credo, *præterquamquod intimum mentis ſuæ aſſenſum declarat, qui interior fidei actus eſt, debere id, quod animo incluſum habet aperta fidei profeſſione præſeferre, ſummaque alacritate palam fateri, & prædicare. Oportet enim fideles eum ſpiritum habere, quo fretus Propheta dixit:* Credidi propter quod locutus ſum. *imitari Apoſtolos, quid ad Principes Populi reſponderunt:* non poſſumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui. *Divi Pauli præclara illa voce excitari;* Non erubeſco Evangelium: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. *Item quo maxime hujus ſententiæ veritas confirmatur:* Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Idem.*

Pſalm. 115.

Actor. 4.

Rom. 4.

De momento Primi articuli in Symbolo Apoſtolorum.

Inter varios fidei articulos, quos filiis proponit Eccleſia, primum eſt, credere unum eſſe Deum; videlicet in vaſto hoc Univerſo unum ſupremum eſſe Monarcham, primum Motorem, primam Cauſſam, a qua pendent ceteræ; primum principium, cujus nullum principium eſt, & quod initium dat omnibus creatis rebus; primam veritatem, & primam bonitatem, a qua procedit quidquid verum, & bonum eſt. Hoc eſt fidei noſtræ fundamentum, & primum inter ea, quæ ſunt nobis credenda. Hinc Magnus Apoſtolus ait: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* Veritas hæc etiamſi conſulamus ſolum rationis lumen, adeo perſpicua eſt, ut ſenſibilibus probari poſſit argumentis. Plerique Philoſophi hanc cognoverunt, & omnes Sapientes ad hanc quoque diem norunt illam, cum ex meditatione effectuum admirabilium, quæ in mundo videntur, gradum faciunt ad primam cauſſam, a qua procedunt, quæ Deus eſt. Hinc Sanctus Thomas inquit, Doctos viros non habere hujus articuli fidem, quia illius habent evidentiam, quæ cum obſcuritate ſimul eſſe non poteſt, cum qua ut plurimum fides conjuncta eſt. Sed rudes, qui impares ſunt huic argumentationi, & nihilominus credunt hunc noſtræ Religionis articulum, quia illum Deus revelavit, illum per fidem credunt. *Ex Granat. Catechiſmo.*

Hebr. 11.

Excellentia fidei in primo articulo Symboli Apoſtolorum.

In DEUM. *Hinc jam Chriſtianæ Sapientiæ dignitatem, & præſtantiam, ex eaque, quantum divinæ bonitati debeamus, cognoſcere licet, quibus datum eſt ſtatim ad rei præſtantiſſimæ, maximeque expetendæ cognitionem quaſi fidei gradibus aſcendere. In hoc enim multum inter ſe differunt Chriſtiana Philoſophia, & hujus ſæculi Sapientia, quod hæc quidem naturalis tantum luminis ductu ab effectibus, & ab iis, quæ ſenſibus percipiuntur, paulatim progreſſa nonniſi poſt longos labores, vix tandem inviſibilia Dei contemplatur, primamque omnium rerum cauſſam, & auctorem agnoſcit, atque intelligit: contra vero illa humanæ mentis aciem ita exacuit, ut in Cælum nullo labore penetrare poſſit, ac divino ſplendore circumfuſa, primum quidem æternum ipſum luminis fontem, deinde quæ infra ipſum poſita ſunt, intueri, ut nos* vocatos eſſe de tenebris in admirabile lumen, *quod eſt apud Apoſtolorum Principem cum ſumma animi jucunditate experiamur,* & credentes exultemus lætitia inenarrabili. *Recte igitur fideles primo ſe in Deum credere profitentur, cujus majeſtatem ex Jeremiæ ſententia incomprehenſibilem eſſe dicimus:* Lucem enim, *ut ait Apoſtolus,* inhabitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, *ſed nec videre poteſt. Cum enim ad Moyſem loqueretur,* Non videbit me, *inquit,* homo, & vivet. *Nam ut mens noſtra ad Deum, quo nihil eſt ſublimius, perveniat, neceſſe eſt eam omnino a ſenſibus abſtractam eſſe: cujus rei facultatem in hac vita naturaliter non habemus.* Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Quid ſignificent hæc verba Credo in Deum.

Hæc Symboli verba *Credo in Deum* ſignificant nobis ſemper tenendum eſſe in illum tamquam ſupremum bonum noſtrum; propterea Theologi cum Sancto Auguſtino diſtinguunt aliud eſſe credere Deo, credere Deum, & credere in Deum: nam credere Deo ſignificat credere vera eſſe illa omnia, quæ ille dixit: credere Deum ſignificat credere Deum eſſe unum, & plures ſimul Deos eſſe non poſſe; credere autem in Deum innuit in illum confidere, eumque conſiderare tamquam verum objectum æternæ noſtræ felicitatis. Ita peccatores credunt in Deum per confidentiam quam habent ſe ab illo miſericordiam impetraturos ſi volentes convertant omnes, ut ad eum revertantur: Sed juſti perfectius credunt in Deum, quia ſeſe illi ſubjiciunt, & penitus illi ſe tradunt cum vero amore, qui efficit, ut jugiter eliciant actus fidei. *Ex libro, qui inſcribitur* Hortus Paſtorum.

Omnis cognitio quam habemus de Deo per fidē continetur in Symbolo.

Quæcumque de Deo per fidem cognoſcimus; *hæc Symboli articulis continentur qui nobis divinæ eſſentiæ unitatem, & trium perſonarum diſtinctionem, tum vero ipſum Deum eſſe ultimum hominis finem aperiunt, a quo Cæleſtis æternæque beatitudinis poſſeſſio expectanda ſit: ſiquidem a divo Paulo didicimus,* Deum inquirentibus ſe remuneratorem eſſe. *Hæc quanta ſint, & an ejus generis ſit bona, ad quæ humana cognitio adſpirare potuerit, multo ante eundem Apoſtolum Iſaias Propheta his verbis oſtendit.* A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. *Sed ex iis, quæ diximus, unum etiam Deum eſſe, non plures, confitendum eſt. Nam cum Deo ſummam bonitatem, & perfectionem tribuamus, fieri non poteſt, ut id quod ſummum, atque abſolutiſſimum eſt, inveniatur in pluribus. Quod ſi cui aliquid ad ſummum deeſt, eo ipſo imperfectus eſt: quare nec Dei natura illi convenit. Hoc autem multis ſacrarum litterarum locis comprobatur. Scriptum eſt enim:* Audi Iſrael: Dominus Deus noſter Deus unus eſt: *præterea eſt Domini juſſum:* Non habebis Deos alienos coram me: *Deinde per Prophetam ſæpe admonet:* Ego primus, & ego noviſſimus, & abſque me non eſt Deus. *Apoſtolus etiam palam teſtatur.* Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. *Neque vero nos moveat, quod interdum ſacræ litteræ Dei nomen creatis etiam naturis imponunt, Nam quod Prophetas, & judices Deos appellarunt, non gentium more factum eſt; quæ ſibi plures Deos ſtulte, & impie finxerunt, ſed quadam loquendi conſuetudine ſignificare voluerunt excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quæ Dei munere illis conceſſa ſit.* Ex Catech. Concilii Tridentini.

Hebr. 11.

Iſai. 64.

Deut. 6.

Exod. 20.

Eſdr. 44. 48. 41.

Ad Eph. 4.

Nomen Patris innuit pluralitatem perſonarum in Deo.

Per Patris nomen Eccleſia, quæ nobis proponit verba Symboli tamquam oracula, incipit ad altiora mentem erigere. *Quod enim in luce illa inacceſſibili, quam inhabitat Deus, magis reconditum, & abſtruſum eſt, quodque humana ratio, & intelligentia non conſequi, aut ne ſuſpicari quidem poterat, id Patris vocabulo divina oracula nobis aperire incipiunt. Indicat autem hoc nomen in una divinitatis eſſentia non unam tantum perſonam, ſed perſonarum diſtinctionem eſſe credendam: Tres enim ſunt in una divinitate perſonæ, Patris, qui a nullo genitus eſt, Filii, qui ante omnia ſæcula a patre genitus eſt; Spiritus ſancti, qui itidem ab æterno, ex patre, & filio procedit. At qui pater eſt in una divinitatis ſubſtantia prima perſona, qui cum unigenito Filio ſuo, & Spiritu ſancto unus eſt Deus, unus eſt Dominus, non in unius ſingularitate perſonæ, ſed in unius Trinitate ſubſtantiæ. Jam vero hæ tres perſonæ, cum in iis quidquam diſſimile, aut diſpar cogitare nefas ſit, ſuis tantummodo proprietatibus diſtinctæ intelliguntur, Pater ſiquidem ingenitus eſt, Filius a Patre genitus: Spiritus ſanctus ab utroque procedit. Atque ita trium Perſonarum eamdem eſſentiam, eamdem ſubſtantiam confitemur; ut in confeſſione veræ, ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietatem, & in eſſentia unitatem, & in Trinitate æqualitatem pie, & ſancte colendam credamus.* Ex eodem.

Quomodo Pater ſit prima Perſona.

Nam quod Patrem primam eſſe perſonam dicimus, hoc non ita accipiendum eſt, perinde ac ſi aliquid in Trinitate prius, aut poſterius, majus aut minus, cogitemus. Abſit enim hæc a fidelium mentibus impietas, cum eamdem æternitatem, eamdem gloriæ Majeſtatem in tribus perſonis Chriſtiana religio prædicet. Sed Patrem propterea quod ipſe ſit principium ſine principio, primam eſſe perſonam vere, & ſine ulla dubitatione affirmamus: qui quidem ubi patris proprietate diſtinctus eſt, ita primam illam præcipue hoc convenit, quod Filium ab æterno genuerit: ſemper enim Deum ſimul, & Patrem ſuiſſe nobis ſignificatur, cum Dei, & Patris nomina conjuncta in hac confeſſione pronunciamus. Verum quoniam in nullius rei, quam hujus omnium altiſſimæ, ac difficillimæ notitia, atque explicatione aut periculoſius verſari, aut gravius errare poſſumus, doceat Parochus religioſe retinenda eſſe eſſentiæ, & perſonæ propria vocabula, quibus hoc Myſterium ſignificatur, & ſciant Fideles unitatem eſſe in eſſentia, diſtinctionem autem in perſonis. Sed hæc ſubtilius exquirere nihil oportet, cum meminerimus illius vocis: Qui ſcrutator eſt majeſtatis opprimetur a gloria. *Idem.*

Prov. 25.

Quid omnipotentiæ nomine ſit intelligendum.

Intelligimus autem hoc nomine Omnipotentis, *nihil eſſe, nihil animo, & cogitatione fingi poſſe, quod Deus efficere nequeat. Etenim non ſolum hæc, quæ tametſi maxima ſunt, aliquo tamen modo in cogitationem noſtram cadunt, efficiendi poteſtatem habet, nimirum, ut omnia ad nihilum recidant, atque ut plures mundi ex nihilo repente exiſtant; verum etiam multo majora in illius poteſtate ſita ſunt, quæ humanæ menti, & intelligentiæ ſuſpicari non licet. Neque vero cum omnia Deus poſſit, mentiri tamen, aut fallere, aut falli, aut peccare, aut interire, aut ignorare aliquid poteſt. Hæc enim in eam naturam cadunt, cujus imperfecta actio eſt: Deus vero, cujus perfectiſſima ſemper eſt actio, idcirco hæc non poſſe dicitur, quia poſſe ea infirmitatis eſt, non ſummæ, & infinitæ omnium rerum poteſtatis, quam ille habet. Eum igitur Deum omnipoten-*

potentem eſſe credimus, ut ab eo tamen longe omnia abeſſe cogitemus, quæ perfectæ ejus eſſentiæ maxime conjuncta, & convenientia non ſunt. Ex Tridentini Concilii Catechiſmo.

In Trinitate unus tantum Omnipotens eſt. 1. Petr. 5.

Multa præterea hæc fides commoda, atque utilitates nobis præbet: in primis vero ad omnem animi modeſtiam, & humilitatem nos inſtituit: ſic enim inquit Princeps Apoſtolorum: humiliamini ſub potenti manu Dei: *monet etiam non eſſe trepidandum; ubi non ſit timor, ſed unum Deum timendum eſſe, in cujus poteſtate nos ipſi, noſtraque omnia poſita ſunt. Inquit enim Salvator noſter:* Oſtendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. *Utimur deinde hac fide ad immenſa erga nos Dei beneficia cognoſcenda, & celebranda. Nam, qui Deum omnipotentem cogitat, eum ingrato animo eſſe non poteſt, quin ſæpius exclamet:* Fecit mihi magna, qui potens eſt. *Sed quod patrem omnipotentem in hoc articulo vocamus, neminem eo errore duci oportet, ut arbitretur ita illi hoc nomen tributum eſſe, ut Filio etiam, & Spiritui ſancto commune non ſit. Nam quemadmodum Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, neque tamen tres Deos, ſed unum eſſe dicimus: ita æque Patrem, ac Filium, & Spiritum ſanctum omnipotentem, neque tamen tres omnipotentes, ſed unum omnipotentem eſſe confitemur. At vero præcipua quadam ratione, Patrem, quia omnis originis fons eſt, hoc nomine vocamus, uti etiam Filio, qui æternum Patris Verbum eſt, Sapientiam, & Spiritui ſancto, quia utriuſque amor eſt, bonitatem tribuimus: quamvis hæc, & alia hujuſcemodi nomina communiter in tribus perſonis, & Catholicæ fidei regula dicantur.* Ex eodem.

Luc. 12.

Lucæ 1.

Quid intelligimus per verba hæc ſecundi articuli & J. C. unicum Filium ejus.

Per hæc ſecundi articuli verba, *& in JESUM CHRISTUM Filium ejus unicum Dominum noſtrum:* Credimus JESUM CHRISTUM ſolum, & naturalem eſſe Filium Dei Patris, qui illum genuit ab æterno. Perutile eſt, & neceſſarium homini id credere, quod in hoc articulo continetur, quemadmodum diſcere poſſumus a Sancto Joanne, qui palam declarat: *Quiſquis confeſſus fuerit quoniam JESUS eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.* Et ſi quid certius adhuc quæritis, audite ea, quæ dicebat Sancto Petro Dei Filius: Beatus es Simon Filius Jonæ; quia nec caro, nec ſanguis hoc tibi revelavit, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt. Dicebat autem hæc Petro JESUS CHRISTUS, poſtquam ille confeſſus fuerat, ipſum vere Filium eſſe Dei vivi. Nobis ergo JESU CHRISTI Nomine intelligenda eſt ſecunda Sanctæ Trinitatis perſona: nemo enim unus ignorat nomen JESU datum illi fuiſſe ab Angelo Gabriele Incarnationis nuncio: & Nomen hoc Myſteriis plenum non caſu fuiſſe impoſitum illi, quandoquidem Nomen hoc Salvatorem ſignificat; & ſane non venit ille in Mundum, niſi ut omnes homines ſalvos facerer, eoſque liberaret a peccato, dæmone, ac morte æterna. CHRISTI vocabulum quod cognomen eſt JESU ſignificat illum affluenter unctum fuiſſe gratiis Spiritus ſancti, quæ large ſuper illum effuſæ fuerunt. Quod attinet ad alia Myſteria, quæ in Symboli decurſu continentur, de illis hoc loco nequaquam verba faciemus: ſatis enim de ſingulis verba fecimus in iis voluminibus ubi de Moribus, atque Myſteriis locuti ſumus. *Auctor recens.*

1. Joann. 4.

Quoruſdam procedit ludum hominum ignorantia qui ipſum F. de Symbolo neſciunt.

Non deſunt agreſtes homines, opifices, vagi, qui ne memoriter quidem Symbolum fidei ſuæ tenent, qui illius obliti ſunt, vel qui nunquam didicerunt illud, vel qui illius quidem recitant verba, quin, quid illi ſibi velint, intelligant? Et nihilo ſecius ad fontem reſponderunt per os Patrinorum ſuorum ſe credere quidquid in Symbolo continetur. Si igitur JESUS CHRISTUS, uti loquitur Apoſtolus, manere debet in animabus noſtris per fidem; quomodo permanebit ille quidem in anima eorum, qui vix norunt verba Symboli, & qui ſenſum eorum non aſſequuntur? Si Deus, ut Sanctus Petrus ait, emundat corda noſtra per fidem; qui ignorat ea, quæ ſibi credenda ſunt, quamvis Sacro Baptiſmi lavacro fuerint abluti, poſſunt ne eſſe mundi corde, & a peccatis immunes? De Adultis tantum loquor; infantes enim juſtificantur per gratiam, & per ſanctos habitus Fidei, Spei, & Caritatis; ſed ubi rationis uſum obtinuerunt, fidem ſuam ſcire tenentur: ejus omnes articulos ex corde credere debent, ut juſtificentur, & illos ore confiteri, ut ſalvi ſiant, quemadmodum explicitis verbis Sanctus Paulus declarat. *Ex Opuſculis Cardinalis Bellarmini, Tomo 5.*

Quid ſignificet Nomen JESU.

JESUS *proprium eſt Nomen ejus, qui Deus & homo eſt, quod Salvatorem ſignificat, non quidem fortuito, aut hominum judicio, & voluntate, ſed Dei conſilio, & præcepto illi impoſitum. Angelus enim Mariæ Matri ita annunciavit:* Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis Nomen ejus JESUM. *Ac deinde Joſeph Virginis Sponſo non ſolum, ut eo nomine puerum appellaret, præcepit, ſed etiam cur ita nominandus eſſet declaravit: inquit enim.* Joſeph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt; pariet autem filium, & vocabis Nomen ejus JESUM, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. *At multi quidem hoc nomine fuerint in divinis Litteris. Nam idem nomen Nave filio fuit, qui Moyſi ſucceſſit, & populum a Moyſe ex Ægypto liberatum in terram promiſſionis, quod illi negatum fuerat, deduxit. Eodem etiam nomine Joſedech Sacerdotis filius appellatus eſt. Sed quanto verius Salvatorem noſtrum hoc nomine appellandum exiſtimabimus? Qui non uni alicui populo, ſed univerſis omnium ætatum hominibus, non quidem fame, aut Ægyptiaco, vel Babylonico dominatu oppreſſis, ſed in umbra mortis ſedentibus, & duriſſimis peccati, & diaboli vinculis obſtrictis lucem, libertatem, & ſalutem dederit; qui eis cœleſtis regni jus, & hæreditatem acquiſiverit, qui eos Deo Patri reconciliaverit. In illis* CHRISTUM *Dominum adumbratum videmus, a quo iis beneficiis, quæ diximus, cumulatum eſt genus humanum. Quæ præterea nomina prædicta ſunt Dei Filio divinitus imponenda, ad unum hoc JESUS Nomen referuntur. Cum enim cætera ſalutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent: hoc ipſum univerſæ ſalutis humanæ vim, rationemque complexum eſt.* Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Luc. 1.

Matth. 1.

JESUS *nomini CHRISTI etiam nomen additum eſt, quod unctum ſignificat & honoris, & officii nomen eſt, nec unius rei proprium, ſed commune multorum. Nam veteres illi Patres noſtri CHRISTOS appellabant Sacerdotes & Reges, quos Deus propter muneris dignitatem ungi præceperat. Sacerdotes enim ii ſunt, qui populum aſſiduis precibus Deo commendant, qui Sacrificia Deo faciunt, qui pro populo deprecantur, Regibus autem populorum gubernatio commiſſa eſt; ad eoſque pertinet maxime legum auctoritatem, innocentium vitam tueri, & audentium audaciam ulciſci. Quoniam igitur utraque harum functionum Dei majeſtatem referre videtur in terris, ideo qui vel ad regium, vel ad Sacerdotale munus obeundum delecti erant, unguento ungebantur. Prophetas etiam ungendi mos fuit, qui Dei immortalis Interpretes, & internuncii cœleſtia arcana nobis aperuerunt, atque ad emendandos mores ſalutaribus præceptis, & futurorum prædictione hortati ſunt. At vero cum JESUS CHRISTUS Salvator noſter in Mundum venit trium perſonarum partes, & officia ſuſcepit, Prophetæ, Sacerdotis, & Regis, atque ob eas cauſſas CHRISTUS dictus eſt, & unctus ad illorum munerum functionem, non quidem alicujus mortalis opera, ſed cœleſtis Patris virtute, non terreno unguento, ſed ſpirituali oleo, quippe cum in ſanctiſſimam ejus animam Spiritus ſancti plenitudo, gratiaque, & omnium donorum uberior copia effuſa ſit, quam ulla alia creata natura capere potuerit. Atque id præclare Propheta oſtendit, cum Redemptorem ipſum affatus diceret:* Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *Id etiam, ac multo apertius Iſaias iis verbis demonſtravit:* Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me. *Ex Catechiſmo Tridentini Conc.*

Pſalm. 44.

Iſai. 61.

Filium ejus unicum. *His verbis altiora Myſteria de JESU credenda, & contemplanda fidelibus proponuntur, nimirum Filium Dei eſſe, & verum Deum, ſicut pater eſt, qui eum ab æterno genuit. Præterea illum divinæ Trinitatis ſecundam perſonam aliis duabus omnino æqualem confitemur. Nihil enim impar, & diſſimile in divinis perſonis eſſe, aut fingi animo debet, cum unam omnium eſſentiam, voluntatem, poteſtatem agnoſcamus. Quod cum multis pateat divinæ Scripturæ Oraculis, tum præclariſſime illud oſtendit Joannis teſtimonium:* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Sed cum JESUM Filium Dei eſſe audimus, nihil terrenum, aut mortale de ejus ortu cogitandum eſt; verum ortum illum, quo ab omni æternitate Pater Filium genuit, quem ratione percipere, atque perfecte intelligere nulla modo poſſumus, conſtanter credere, & ſumma animi pietate colere debemus, ac veluti Myſterii admiratione obſtupefacti illud cum Propheta dicere,* Generationem ejus, quis enarrabit? *Hoc igitur credendum eſt Filium ejuſdem eſſe naturæ, ejuſdem poteſtatis, & Sapientiæ cum Patre, ut in Symbolo Nicæno explicatius confitemur:* Et in JESUM CHRISTUM filium ejus Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. *Ex eodem Catechiſmo.*

J. C. eſt Filius Dei, æqualis Patri, ejus generatio eſt ineffabilis.

Joann. 1.

Iſai. 53.

Ex omnibus autem, quæ ad indicandum modum, rationemque æternæ generationis ſimilitudines afferuntur, illa propius ad rem videtur accedere, quæ ab animi noſtri cogitatione ſumitur; quamobrem Sanctus Joannes Filium ejus verbum appellat. Ut enim mens noſtra ſe ipſam quodammodo intelligens ſui effingit imaginem, quam Verbum Theologi dixerunt: ita Deus (quantum tamen divinis humana conferri poſſunt) ſe ipſum intelligens, Verbum Æternum genuerit; etſi præſtat contemplari, quod fides proponit, & ſincera mente

Quomodo comprehendi poſſit J. C. genitum eſſe.

JESUM

JESUM CHRISTUM verum Deum, & verum hominem credere, & confiteri, genitum quidem ut Deum ante omnium ſæculorum ætates, ex Patre; ut hominem vero natum in tempore ex matre Maria Virgine; & quamquam duplicem ejus nativitatem agnoſcamus, unum tamen filium eſſe credimus. Una enim perſona eſt, in quam divina, & humana natura convenit. Et quod ad divinam generationem attinet, nullos aut fratres, aut cohæredes habet, cum ipſe fuerit unicus filius, nos vero homines figmentum, & opus manuum ejus ſimus. At ſi humanum ortum conſideremus, multos ille non ſolum fratrum nomine appellat, ſed fratrum etiam loco habet, ut una cum eo paternæ hæreditatis gloriam adipiſcantur. Ii ſunt, qui fide CHRISTUM Dominum receperunt, & fidem quam nomine profitentur, re ipſa, & caritatis officiis præſtant, quare primogenitus in multis fratribus *ab Apoſtolo vocatur*. Ex Catech. Conc. Trid.

Multa ſunt quæ conveniunt J. C. quatenus Deo; & multa quatenus homini.

Multa ſunt, quæ de Salvatore noſtro in ſacris litteris dicuntur, quorum alia, ut Deus eſt, alia ut homo, ipſi convenire perſpicuum eſt, quoniam a diverſis naturis diverſas earum proprietates accepit. Igitur vere dicimus CHRISTUM eſſe omnipotentem, æternum, immenſum, quod a divina habet. Rurſus de illo dicimus, paſſum, mortuum eſſe, reſurrexiſſe, quæ naturæ hominum convenire nemo dubitat. Verum præter hæc quædam alia utrique naturæ congruunt, ut hoc loco, cum Dominum noſtrum dicimus. Igitur ſi ad utramque naturam hoc nomen referatur, merito Dominus noſter prædicandus eſt. Nam quemadmodum ipſe æternus Deus eſt, uti Pater, ita etiam omnium rerum æque Dominus eſt, ac Pater; & quemadmodum ipſe & Pater non eſt alius, atque alius Deus, ſed idem plane Deus, ita etiam Ipſe, & Pater non eſt alius, atque alius Dominus. Sed recte etiam multis rationibus ut homo eſt, Dominus noſter appellatur. Ac primum quidem quoniam ipſe Redemptor noſter fuit, atque a peccatis nos liberavit, jure hanc poteſtatem accepit, ut vere Dominus noſter eſſet, & diceretur. Ita enim Apoſtolus docet: Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen, ut in Nomine JESU omne genu flectatur Cæleſtium, Terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria eſt Dei

Matth. 18.

Patris. *Atque ipſe de ſe poſt reſurrectionem*, data eſt, *inquit*, mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. *Ex Catech. Conc. Trid.*

Cur J. C. dominum noſtrū vocamus.

Ob eam quoque rem Dominus dicitur, quod in una perſona duæ naturæ divina, & humana conjunctæ ſunt. Hac enim admirabili conjunctione meruit, ut quamvis pro nobis mortuus non eſſet, tamen Dominus conſtitueretur communiter quidem omnium rerum, quæ conditæ ſunt, præcipue autem fidelium, qui illi parent, atque ſummo animi ſtudio inſerviunt. Quod igitur reliquum eſt, Parochus fidelem populum ad eam rationem cohortabitur, ut ſciat æquiſſimum eſſe præ cæteris hominibus, nos, qui ab eo nomen invenimus, Chriſtianique vocamur, & quanta ille in nobis beneficia contulerit ignorare non poſſumus ob id maxime, quod ejus munere hæc omnia fide intelligimus; æquum eſſe, inquam, nos ipſos, non ſecus ac mancipia redemptori noſtro, & domino in perpetuum addicere, & conſecrare. Et quidem cum baptiſmo initiaremur ante Eccleſiæ fores id profeſſi ſumus. Declaravimus enim nos Sathanæ, & Mundo renunciare, & JESU CHRISTO totos nos tradere. Quod ſi ut Chriſtianæ Militiæ adſcriberemur tam ſancta, & ſolemni profeſſione nos ipſos Domino noſtro devovimus: quo ſupplicio digni erimus, ſi poſtquam Eccleſiam ingreſſi ſumus, Dei voluntatem, & leges cognovimus; poſtquam Sacramentorum gratiam percepimus, ex Mundi, & diaboli præceptis, ac legibus vixerimus: perinde ac ſi cum baptiſmo abluti ſumus, Mundo, & diabolo, non CHRISTO Domino, ac Redemptori Nomen dediſſemus. Sed cujus animum amoris facibus non incendat tanti Domini tam benigna, & propenſa in nos voluntas, qui tametſi nos in poteſtate ſua, & dominatu veluti ſervos Sanguine ſuo redemptos habet,

Joann. 15.

ea tamen caritate complectitur, ut non ſervos vocet, ſed amicos, ſed fratres? Hæc profecto juſtiſſima cauſſa eſt, atque haud ſcio an omnium ſit maxima, cur eum perpetuo debeamus Dominum noſtrum agnoſcere, venerari, & colere. Ex Catech. Trid. Concilii.

Quod attinet ad tertium Symboli Apoſtolici articulum, qui in his verbis ſitus eſt: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, &c.* Conſule Tomum Myſteriorum Biblioth. noſtræ, ubi ſatis prolixe actum eſt de Conceptione, Nativitate Filii Dei, Paſſionibus, Morte, Reſurrectione, Aſcenſione & Magnalibus ejus &c. Ibi etiam fuſius locuti ſumus de Sp. S. de Eccleſia Catholica, de poteſtatis ejuſdem latitudine, de Baptiſmo, aliiſque Sacramentis, quapropter non immorabimur hoc in loco differentes de reliquis articulis, qui in Apoſtolorum Symbolo continentur.

Fidei profeſſio circa omnes Symboli articulos.

Per Symbolum Apoſtolorum admittimus, & amplectimur Traditiones omnes Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas, ceteraſque obſervantias, & conſtitutiones ejuſdem Eccleſiæ. Ad hæc admittimus Sanctam Scripturam ſecundum ſenſum, quem tenet, & tenuit Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & vera interpretatione Sanctarum litterarum. Nunquam aliter intelligam, aut interpretabor illam niſi ſecundum unanimem Sanctorum Patrum conſenſum. Confiteor quoque proprie, & vere ſeptem eſſe Novæ legis Sacramenta a JESU CHRISTO Domino noſtro inſtituta ad humani generis ſalutem, quamvis non omnia ſint ſingulis neceſſaria; videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; inter quæ Baptiſma, Confirmatio, & Ordo ſine ſacrilegio iterari non poſſunt. Recipio, & admitto conſuetudines ab Eccleſia Catholica receptas, & approbatas in ſolemni adminiſtratione eorumdem Sacramentorum. Recipio quoque, & amplector omnia, & ſingula quæ definita, & declarata ſunt a Sacro Tridentino Concilio de peccato Originali, & Juſtificatione. Confiteor pariter, verum Sacrificium proprium, & propitiatorium offerri in Miſſa pro Vivis, atque Defunctis, & in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento vere, realiter, & ſubſtantialiter eſſe Corpus, & Sanguinem ſimul cum anima, & Divinitate Domini noſtri JESU CHRISTI, ibique fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus ejus; nec non totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem ejus: quam mutationem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor quoque JESUM CHRISTUM totum integrum, & verum Sacramentum recipi ſub alterutra e duabus ſpeciebus. Teneo Purgatorium eſſe, & animas, quæ ibi detinentur fidelium ſuffragiis juvari. Similiter Sanctos qui cum JESU CHRISTO regnant eo eſſe in ſtatu, in quo honorandi, & invocandi ſunt; ipſos offerre pro nobis Deo preces ſuas; & eorum Reliquias in honore eſſe habendas. Conſtantiſſime etiam credo, imagines JESU CHRISTI, Deiparæ ſemper Virginis, æque ac aliorum Sanctorum colendas eſſe, eiſque honorem, ac venerationem, quæ decet, eſſe adhibendam. Aſſero etiam Indulgentiarum poteſtatem a JESU CHRISTO in Eccleſia relictam fuiſſe, earumque uſum Chriſtiano Populo eſſe ſaluberrimum. Agnoſco Romanam Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam Matrem, ac Magiſtram omnium Eccleſiarum particularium; & juro, atque promitto veram obedientiam Romano Pontifici Vicario JESU CHRISTI, Succeſſori S. Petri Principis Apoſtolorum. Confiteor quoque, & recipio ſine ulla dubitatione cetera quæcumque per traditionem definita, & declarata ſunt per Canones, & Concilia Œcumenica, hoc eſt Generalia, & præſertim quæ a Sacroſancta Tridentina Synodo ſancita ſunt. *Auctor recens.*

De origine Symboli, & quid locum præbuerit, ut fuſius explicaretur.

Credo eſt compendium Doctrinæ Chriſtianæ, & dicitur Symbolum Apoſtolorum, & Symbolum fidei. Symboli nomen ſignificat Signum, de quo fit conventio, ut unum ab alio diſtinguatur. In exercitu militaris teſſera Symbolum eſt, per quod miles ſecernitur ab hoſte, & in Chriſtiana militia recitatio *Credo* facit, ut fideles internoſcantur ab iis, qui non ſunt de Eccleſia. Hinc profecta eſt vetus illa loquendi ratio; *Da Signum Chriſtiani*; dic Symbolum. Ideo Fidei Symbolum dicitur vel Chriſtianorum; & vocatur etiam Symbolum Apoſtolorum, quia inde profectum eſt. Symbolum hoc pluries ſingulis diebus recitatur in precibus. Primis tribus Eccleſiæ ſæculis hoc unum fuit, Chriſtiani memoriæ illud mandabant, non autem ſcribebant, ne fortaſſe ab Ethnicis diſceretur. Sed ſæculo quarto, cum Arius Verbi divinitatem adortus eſt; Patres primi Generalis Concilii Nicææ habiti anno 325. ad Arianam hæreſim explodendam explicuerunt, & amplificarunt ſecundum articulum Symboli Apoſtolici, qui refertur ad Filium, atque inſtituerunt Symbolum, quod definit per verba illa: *Et in Spiritum Sanctum*, Paulo poſt Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Spiritus ſancti divinitatem impugnavit; quod coegit Patres ſecundi generalis Concilii habiti anno 381. articulum explicare, & *in Spiritum ſanctum*, & addere plura Symbolo Nicæno; quapropter tertium factum eſt Symbolum, quod ſemper videretur vocandum eſſe Conſtantinopolitanum. Tamen poſt ſæculum ſextum paſſim dicitur Nicænum, quoniam illud omnino complectitur, ejuſque non niſi quædam eſt amplificatio. Denique poſt hæreſes, quæ oppugnarunt eſſentiam, & proprietates humanitatis CHRISTI JESU, quartum prodiit Symbolum ceteris prolixius, quod eximium habitum eſt, & attributum Sancto Athanaſio præclariſſimo Fidei Propugnatori: *Ex libro cui titulus: Cæremonia Miſſæ per Patrem le Brun Oratorii Presbyterum.*

EXCOM-

EXCOMMUNICATIO.

Jus, quod habet Eccleſia, & poteſtas excommunicandi, & a corpore ſuo ejiciendi Hæreticos, & Peccatores pravi Exempli.

MONITUM.

Poteſtas hæc, quam habet Eccleſia abſcindendi a corpore ſuo membra tabeſcentia, & corrupta, jam in ipſa prima Eccleſiæ ipſius inſtitutione exercita fuit: Videmus enim Sanctum Paulum hac pœna uſum cum inceſto Corinthio, quemadmodum ipſe teſtatur. Nec diſſimulat cauſſam propter quam uſus fuerit; utque oſtendat hanc ſibi collatam fuiſſe non quidem ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, ſuam aperit mentem dicens ſe hoc egiſſe, ut peccator ille ſe ſe colligeret, atque terribili hac pœna deterritus reſipiſceret, & ſalvam faceret animam ſuam.

In hoc igitur argumento oſtendi poteſtatem hanc non legitimam eſſe tantum, ſed dicere etiam, immo neceſſariam eſſe pro regimine Eccleſiæ: quæ ſæpe nequit alia via continere in officio potentes homines, & prohibere publica ſcelera, & pravi exempli, quæ humana juſtitia impune patitur abire, ſed quæ Eccleſia, cui nullum jus eſt in vitam, neque in bona fidelium, impunita ferre non debet.

Si hæc anathemata, quæ Eccleſiaſtica fulmina appellantur, fuerunt olim, & magis terribilia, & frequentiora, quam ſint in præſentiarum, id factum eſt, quia tunc Chriſtiani, qui inter ſcelera ſua fidem ſervaverant, quæ cum criminibus etiam permanere poteſt, quæ fidei minime adverſantur, jure hoc metuebant ſupplicium, quod illis omnem ſalutis ſpem auferebat, niſi per pœnitentiam, & congruam criminibus ſatisfactionem tantam fidelibus ædificationem attuliſſent, quantum eiſdem attulerant ſcandalum. In hoc Tractatu videbimus rationes propter quas gladio hoc Spirituali uti poteſt Eccleſia; effectus, & mala, quæ anathemate percuſſis formidanda ſunt, & modum, quo ſemper illa uſa eſt contra hæreticos, & peccatores, qui populo Dei pravo Exemplo fuerunt.

EXCOMMUNICATIO.

Jus, & Poteſtas, quam habet Eccleſia excommunicandi, & amputandi a corpore ſuo Hæreticos, & pravi exempli peccatores.

Quid ſit excommunicatio.

EXcommunicatio eſt Cenſura Eccleſiaſtica, per quam aliquis ab Eccleſiæ communione prohibetur. Hæc paucis eſt Definitio, & notio, quam tribuunt Theologi, qui duplex Excommunicationis genus diſtinguunt; quarum alteram minorem vocant, per quam aliquis ſola Sacramentorum communione privatur; alteram vero majorem, quæ etiam dicitur anathema, vel Eccleſiæ fulmen, quo, qui percuſſus eſt omnino ex Eccleſiæ communione ejicitur, & ubi in jure ſermo ſit de Excommunicatione, ut plurimum de hac majori intelligitur. Hujus loci non eſt probare jus, & poteſtatem, quam Deus Eccleſiæ ſuæ reliquit amputandi a Corpore ſuo illos, qui per rebellionem, vel ſcelerum ſuorum ſcandala dignos ſe præbuerunt, qui hac poena afficerentur. Jus hoc a nobis ſupponitur tamquam veritas recepta, omnium ſæculorum praxi comprobata, cui acceſſit auctoritas omnium Conciliorum cum particularium, tum generalium, quæ omnia huic poteſtati innixa a fidelium numero eliminarunt Hæreſiarchas, Schiſmaticos, & eos, qui invehere auſi ſunt errores contra fidem & bonos mores. Hinc facile eſt videre: 1. Ad quos hæc auctoritas de jure pertineat; nempe ad Concilium, Sanctam Sedem, Præſules, & Paſtores delegatos ad hoc miniſterium. 2. In quos hoc judicium, & hæc Excommunicatio exerceatur, & quinam illi ſubjecti ſunt; ſcilicet qui ſunt Eccleſiæ ſubditi, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis ſint, habita ratione tamen conſuetudinum, locorum, privilegiorum, exemptionum, conflictus juriſdictionis, quod tamen ſeorſim ad examen revocare nolumus, aſſerentes generatim, quemadmodum Eccleſia recipit in numero filiorum ſuorum eos, qui ſibi ſunt ſubditi, & dicto obtemperantes, poſſe etiam ex illo expungere inobedientes, atque rebelles. *Ex pluribus Theologis.*

Quid ſentiendum de excommunicatione lata ſuper falſis nunciis.

Non eſt a propoſito argumento aberrare, videre, quid ſentiendum ſit de Excommunicatione lata, cum falſa nuntiata ſint; videlicet propter conficta quædam, & non ſatis probata crimina. Semper enim ſupponimus, quamvis Eccleſia in fide, ac moribus falli nequeat, falli tamen poſſe in iis, quæ de facto ſunt, de quibus perperam certior fieri poteſt, ideoque judicium ferre fallax de privati alicujus moribus, & uti gladio ſpirituali, nempe anathemate, quod procul dubio tunc nullum erit, quoniam iis innititur, quæ falſo allegata ſunt. Doctores reſpondent, Eccleſiam erga illum, in quem tulit Excommunicationem, injuſtam non eſſe; poſito, quod bona egerit fide, ut credendi locus eſt; illum vero, contra quem ſententia lata fuit, debere ferre præ ſe ſubmiſſionem ſe ſe gerentem velut hominem Canonicis pœnis ſubmiſſum, ac teſtantem obedientia ſua, ſe vere eſſe filium Eccleſiæ ſalvo jure utendi viis omnibus, quibus per leges licet innocentiam ſuam tueri contra accuſatorum calumnias. *Ex iiſdem.*

Quænam ſint mala Hæreticorum, qui diſceſſerunt ab Eccleſia.

Hæretici ab Eccleſia ſecedentes per ſchiſmata ſua, eodem tempore privant ſe ipſos fructu, quem percepiſſent a Sacramentis, quæ ſunt ſpiritualia bona, quæ ſatis æſtimari non poſſunt; ſunt enim Signa viſibilia, per quæ fideles in unum quodammodo corpus congregantur. Hæc ſunt fontes Salvatoris, unde haurire poſſumus aquas ſalutis, & gratiæ; & profecto ſunt fontes gratiæ; proſunt enim ad delenda omnia peccata; ſunt etiam fontes Salvatoris, quia originem, & virtutem mutuantur ex meritis paſſionis ejuſdem: ita ut qui ab Eccleſia ſecedunt indignos ſe præbeant, qui perfruantur his bonis, ac ſpiritualibus divitiis, quas nobis Dei Filius comparavit. Quapropter non ſatis lugere poſſumus eorum miſeriam, qui tot, tantiſque beneficiis indignos ſe præbent: qui enim ab Eccleſiæ communione ejecti ſunt, non privantur ſolum omnibus Sacramentis generatim, ſed ſi illa ſingillatim conſiderare velimus, excluſi ſunt a Sacramento Pœnitentiæ, donec ad Eccleſiæ Corpus revertantur; quia Sacramentum hoc inſtitutum eſt ad abſtergendas omnes peccati maculas, in quod incidimus, & propter quod ab Eccleſia ejecti ſumus. Vos ipſi conjicite, Auditores quinam ſit deplorabilis ſtatus eorum, qui Pœnitentiæ aquis crimina ſua nequeunt eluere? Verum igitur eſt 1. Eos qui ſibi conflarunt Eccleſiæ anathemata, ſimiles eſſe ægrotanti, qui ſciti Medici opem renuit, ſe ſe offerentis ad illum curandum, quantumvis æger renuat ſubſidium ſibi adeo neceſſarium. 2. Illi, quos Eccleſia anathemate percuſſit, nullomodo poſſunt fieri participes Corporis naturalis Filii Dei in Euchariſtia, donec ſeparati ſunt a Myſtico ejuſdem corpore, quod eſt Eccleſia. Hoc ipſum de aliis Sacramentis dicendum eſt, quibus ſe indignos præbuerunt, quapropter nonnulli Theologi opinantur Chriſtianos non eſſe vocandos eos, qui ex voluntate in hoc permanent ſtatu; illud certe verum eſt, eos non eſſe Catholicos; quapropter omnes Canones vetant ne Eccleſiaſtica ſepultura contumulentur homines, qui moriuntur quin ante in gratiam redierint cum Eccleſia, cenſentes illos indignos eſſe, qui in infidelium numero recenſeantur. Hinc ſequitur nunquam ſatis timeri poſſe anathema; quia Eccleſia, cui JESUS CHRISTUS credidit claves re-

gni

Digitized by Google

gui Cælorum, poteſtatem habet obſtruendi aditum illis omnibus, qui ſe præbent indignos, præſertim vero illis, qui contemnunt eam, eique ſe ſubjicere nolunt, vel qui per contemptum neglagunt abſolvi: ita ut qui per ſcelera, & ſchiſmata ſua in caput ſuum converterunt Eccleſiæ fulmina, & anathemata, primum quidem Sacramentorum receptione priventur; participes nequaquam ſint ſuffragiorum, & precum Eccleſiæ, necnon meritorum Fidelium, a quorum communione avulſi ſunt; & demum prohibeantur etiam ab aditu Eccleſiæ, quæ illos excommunicavit, ideoque minime pares ſint, qui fiant Sanctorum Myſteriorum noſtrorum participes. *Auctor recens.*

Contemptus, in quo habent Heretici Eccleſiæ anathemata.

Hæretici contra quos Eccleſia ſua anathematis fulmina ejaculata eſt, tantum abeſt, ut ſe ab eadem punitos, vel æternum ſibi opprobrium iniuſtum fuiſſe putent, eo quod extra fidelium communionem ejecti fuerint; ut alii ad contemnant, veluti Eraſmus, Wicleffus, & Lutherus, alii id ſibi gloriæ vertant, & hanc Eacommunicationem reſpiciant tamquam cenſuram illius, quem ipſi Antichriſtum appellant; alii denique, ut Eraſmus ſingulariter, inanem, ac ridiculam vim ſpiritus jactitent, cenſentes hæc eſſe puerorum, infirmarumque mentium terriculamenta, quæ tamen, qui majori pollent ingenio, dicam potius impietate palam ſibi vertunt in ludibrium: & paucis ante hanc diem ſæculis viſa ſunt in Principum aulas obrepere, ut hos in rebellione contra Eccleſiam certos faciant, eiſque omnium ſcelerum impunitatem polliceantur. Non deſunt etiam quidam Catholici edeo perperam inſtituti, qui ſibi perſuadent, punitionem hanc, quam in illos eaercet Eccleſia, non niſi quamdam eſſe comminationem, vel ad ſummum remedium, ac pœnam ſalutarem, ideoque minus pertimeſcendam, quam peroptandam; quandoquidem nonnulli Sancti Patres, & inter ceteros Sanctus Auguſtinus illam medicinalem appellat. Sed quibuſnam perſuadebunt hanc potius concupiſcendam eſſe, quaſi brachii, vel alterius cujuſdam membri amputatio eſſet optanda, quia utilis aliquando eſſe poteſt ad reliquam corporis partem præſervandam a tabe, quæ ſenſim adrepit, & mortem poteſt paullatim inferre? Hinc inferendum eſt, Excommunicationem vel abſciſſionem ab Eccleſiæ corpore malum eſſe per ſe maaimum illam patienti; quamvis eſſe poſſit occaſio publici boni eamdem pœnam ſubire timentibus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Duo ſunt hominum genera qui hac pœna afficiuntur.

Hac in re animadvertendum eſt, Eccleſiam, videlicet Concilia, Sanctam Sedem, Præſules, & Paſtores, quibus facultas eſt ligandi, atque ſulvendi peccatores, aperiendi, & claudendi Cœli portas, quarum claves illis traditæ ſunt, duplici modo hac uti poteſtate erga illos, quos de corpore ſuo per eacommunicationem extrudunt; alli enim nominatim ex communione expulſi ſunt propter manifeſta crimina, de quibus convicti ſunt, cujuſmodi ſunt Hæreſiarchæ, & rebelles deciſionibus Eccleſiæ: alii vero etiamſi ſingillatim declarati non ſint, comprehenduntur tamen in eacommunicatione generali, in quam incurrunt illi, qui ſontes ſunt criminum in quæ protulit Eccleſia generatim anathema, & eos, qui illa perpetrarunt, eacommunicatos *ipſo facto* declaravit, ut in Excommunicationis Edicto eaprimitur, cujus generis ſunt, qui renuunt Eccleſiæ deciſionibus ſe ſe ſubjicere, qui palam ejus Leges infringunt per ſcandala notoria, quales ſunt Simoniaci, Fœneratores, Apoſtatæ vel a fide, vel a votis Religionis, qui Eccleſiaſticos injuria afficiunt, & qui alia id genus crimina committunt prohibita ſub pœna excommunicationis, & quæ Paſtores populis aperire ſtudent, ſub quibus pœnis prohibita fuerint. Hoc Chriſtiani vulgo non ſatis attendunt; quamobrem multi eacommunicati ſunt, quin ſciant, & quin hoc illis negotium faceſſat, atque tandem in hoc ſtatu moriuntur, & procedunt ad judicium Dei ſubeundum tamquam infideles, & oves errantes, quæ ſemet ſubtraaerunt regimini divini hujus Paſtoris, & qui non agnoſcit eas amplius, quia non ſunt amplius de ovili ſuo, a quo receſſerunt per eacommunicationem, quam Jure promeritæ ſunt. *Auctor recens.*

Eccleſia excommunicat energumenos, ſed admodum caute.

Quoad Energumenos, vel obſeſſos, multi ſunt antiquorum Conciliorum Canones, per quos a Communione excluduntur; & prohibentur non ſolum Miſſæ Sacrificio, verum etiam publicis intereſſe precibus: cum tamen non deſint Canones alii, qui cum illis mitius agendum conſtituant. En, quid doceant Theologi. Primum Energumeni, qui olim a Communione erant ejecti, & quibus ne licebat quidem ſacris intereſſe, ii erant, qui vel propter aliquod abnorme ſcelus, cujus nondum egerant pœnitentiam, a Sathana torquebantur in pœnam excommunicationis; (tunc enim temporis excommunicationis effectus erat, ut plures punirentur viſibili obſeſſione maligni ſpiritus, qui potiebatur eorum corporibus, quod facile innoteſcit ea capite quinto primæ ad Corinthios epiſtolæ) vel erant Energumeni ita a dæmone obſeſſi, ut omni prorſus rationis uſu carerent; hi enim minime pares erant qui ſe Communioni diſponerent, cumque paſſim tamquam phrenetici agitarentur, perturbaſſent devotionem, ac reverentiam Sanctis debitam Myſteriis, ſi eiſdem adſtare potuiſſent. Sed de Energumenis, quos impœnitentes fuiſſe ſupponere nefas eſt, & qui identidem per intervalla rationis uſum habebant, hi poterant etiam ad Sacram Communionem admitti, quæ nonnunquam illis dabatur hac mente, ut ſpiritus nequam præſentia per JESU CHRISTI præſentiam tolleretur. Licebat igitur adducere Energumenos dum ſacra litabatur Hoſtia, ut JESU CHRISTO in Sacramento præſenti preces funderentur pro liberatione animarum, quarum Sathanas poſſeſſionem adierat. En quomodo vetus Eccleſia utebatur Euchariſtia ad ejiciendos de Energumenis Spiritus nequam. Et ſane quomodonam minime uteretur eadem ad homines obſeſſos ab iis liberandos, quandoquidem utebatur etiam ad expiandas domos, quæ maligni Spiritus præſentia erant infectæ? *Ex libro cui titulus: Clypeus fidei per Dominum Barrault Archiepiſcopum Arelatenſem.*

Tria hominum genera ab Eccleſia excluduntur.

Tria tantummodo hominum genera ab Eccleſia *excluduntur. Primo infideles, deinde hæretici, & Schiſmatici, poſtremo excommunicati. Ethnici quidem, quod in Eccleſia nunquam fuerunt, neque eam unquam cognoverunt, nec ullius Sacramenti participes in populi Chriſtiani ſocietate facti ſunt: Heretici vero, atque Schiſmatici, quia ab Eccleſia deſciverunt: neque enim illi magis ad Eccleſiam ſpectant, quam transfugæ ad exercitum pertineant, a quo defecerunt. Non negandum tamen, quin in Eccleſia poteſtate ſint, ut qui ab ea in judicium vocentur, puniantur, & anathemate damnentur. Poſtremo etiam excomunicati, quod Eccleſia judicio ab ea exeluſi ad illius communionem non pertineant, donec reſipiſcant. De ceteris autem quamvis improbis, & ſceleratis hominibus adhuc eos in Eccleſia perſeverare dubitandum non eſt, idque fidelibus tradendum aſſidue, ut ſi forte Eccleſia antiſtitum vita flagitioſa ſit, eos tamen in Eccleſia eſſe, nec propterea quicquam de eorum poteſtate detrahi, certo ſibi perſuadeant.* Ea Catechiſmo Tridentini Concilii.

Hæretici ex Eccleſia ejecti, & excommunicati.

Hæretici a Fidelium Communione abſciſſi ea Eccleſia eaterminantur, vel potius ipſi per ſe, per Schiſma ſuum, & hæreſim ſe avellunt a fide, & Fidelium ſocietate, privati Sacramentis, & ſalutaribus influxibus gratiæ JESU CHRISTI, & ſpe felicitatis æternæ, neque apti ſunt, niſi ut ab Angelis colligantur, & in æternum ignem comburendi conjiciantur; præterea hæretici ſunt tamquam æſtuoſi pelagi fluctus, videlicet mortales inquieti qui per blaſphemias, & obtrectationes ſuas in Cælum inſurgunt: *Quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Sunt veluti fluctus agitati ſeditionibus, turbis, & perſecutionibus, quas cient ad perturbandam, & evertendam Eccleſiam; quia ſeſe profitentes Eccleſiæ inimicos ſibi merentur pœnam, & fulmen Excommunicationis, quapropter Sanctus Paulus comparat illos ſpumanti pelago, quemadmodum videmus fluctus maris ſeſe ad ſummam attolli altitudinem, & mox cum horrenti fremitu, & concuſſione in ſpumas reſolvi. Simili pacto hæreſis primum quidem efficit, ut mortales fluctuent, ac dubitent in iis, quæ ad fidem pertinent; mox replet eos fremitu, & ea ipſorum ore blaſphemias elicit; ac tandem ori illorum furoris ſpumas aglomerat, ut debacchentur in Eccleſiam in eos anathemata, & excommunicationum fulmina ejaculantem. *Auctor recens.*

Eiſdem argumenti.

Nunquam ſatis illorum conſilium improbare poſſumus, qui per inſignem impietatem contemnunt, vel non timent Eccleſiæ anathema; Qui ſi veros haberent Religionis ſenſus ſtatim in arena cognoſcerent funeſtos eaitus, qui tale ſupplicium conſequuntur. Nam ea malis omnibus nullum gravius eſt, quam indignos haberi Sacramentis, & participes fieri non poſſe orationis Sanctorum, ac tandem videre ſe turpiter ejectos ab Eccleſia tamquam putre membrum, atque ſanioſum. Tanti mali origines ſunt ſuperbia, & licentia; & ex hoc ſonte quamplurima diffluunt mala, quæ in hac quoque vita irrunt in eos, qui ſecedunt ab Eccleſia. *Idem.*

Qui ab Eccleſiæ cœtu prohibentur, non ideo ſemper ſunt excommunicati.

Multi ſunt qui a Fidelium cœtu arcentur, neque eacommunicantur: Nam Cathechumenorum excluſio, quæ olim in more poſita erat, non ideo ſolum fiebat, quia actu nondum pares erant recipiendo Euchariſtiæ Sacramento, cum nondum per Baptiſmum eſſent regenerati, ſed duplici, eaque non mediocri ex cauſſa, quarum utraque veritatem fidei Eccleſiæ confirmant. Prior erat propter infirmitatem fidei Cathecumenorum, cum Eccleſia ſemper compertum habuerit, nullum eſſe myſterium, in quo ſenſus noſtri ſuſtinent prælium, & contradictionem præſentiorem, ac viviliorem, quam in perſuaſione, quæ habenda eſt de præſentia Corporis JESU CHRISTI ſub ſpeciebus adeo abjectis, atque communibus. Cum tanta fides neceſſaria ſit ad credendum hujus Myſterii neceſſitatem, mirum non eſt, ſi vetus Eccleſia noluerit ſtatim confidere ſecretum hoc fidei naſcenti, atque imperfectæ Catechumenorum. Concilium Alexandrinum

a San-

a S. Athanaſio relatum in hanc rem, ait, non licuiſſe illis revelare Myſteria, ne ab Ethnicis in ludibrium verterentur, vel ne Catechumeni per curioſitatem ſcandalizarentur; videlicet ne inde occaſionem cadendi ſumerent, cum fides eorum nimis eſſet imbecilla, ut ſibi perſuaderent veritatem adeo admirabilem, & oppoſitam ſpeciei ſenſuum, Corpus JESU CHRISTI ſub ſpeciebus adeo exilibus: non ſecus ac Judæis ſcandalo fuit Crux Domini noſtri, cum ſibi perſuadere non poſſent, illum eſſe Deum, quem tamquam hominem mori videbant. Altera etiam graviſſima ratio eſt, propter quam Cathecumeni prohibebantur; videlicet debita erga Sanctiſſimum Sacramentum reverentia. Scandalum peperiſſet illis videre adorationem, quæ illi adhibebatur; & aliis ſcandalo fuiſſent non adorantes, quod ignorabant. Sed ubi ſacro abluti erant baptiſmo, & edocti fuerant, ut Sanctum reciperent Sacramentum, tunc illis palam aperiebatur, illud eſſe adorandum quatenus Corpus JESU CHRISTI. *Ex Clypeo Fidei Archiepiſcopi Arelatenſis.*

Terribilis modus quo olim fiebat excommunicatio.

Secundum inſtituti noſtri rationem facere non poſſumus, quo minus deſcribamus modum quo hæc fieri conſueverat excommunicatio, potiſſimum vero cum Schiſmaticis, novarumque hæreſum auctoribus, contra quos ſemper zelum ſuum inſignivit Eccleſia illos a ſuo corpore abſcindens per ſpeciem quamdam publicæ cæremoniæ, ſi ita illam appellare fas eſt; neque enim ſecundum Scripturæ locutionem narrari poteſt, quin *Horripilationem capiti ſtatuat*, quin audientes perhorreſcant. Circumſtantiæ igitur, quæ olim factum hoc comitabantur, dum publice hæc proferebatur ſententia, erant uti terminis execrationis, & horroris, minarum Juſtitiæ Dei, & infamibus nominibus quibus ſontes appellabantur. Eo uſque nonnunquam ventum eſt, ut illis igni, & aqua interdiceretur; ut qui prope illos accolebant prohibebantur, illos videre, illis ſalutem dicere, illis in ſumma neceſſitate ferre opem: adeo in horrore habebantur perſonæ, & ſcelera eorum; & quod inauditum eſt, Concilii cujuſdam Patres olim damnationis ſententiam ſignarunt cum ipſo Salvatoris Sanguine, calamum tamquam atramento imbuentes in Calice conſecrato, quaſi vellent innuere, ipſum JESUM CHRISTUM ferre damnationis ſententiam contra hæreticum cum eodem cruore, quem impius iſte per ſuam polluerat impietatem; & communiter loquendo Canones antiqui non permittebant, ut horum aliquis abſolveretur, niſi in mortis articulo. Profecto hodierna die cenſuit Eccleſia aliquid de veteri ſeveritate imminuendum, ne nimis exacerbaret ſontes, neque eos ad deſperationem adigeret, conſtituens talem objicem eorum reverſioni, & converſioni: Quapropter publica iſta executio, abſit invidia verbo, longe mitius, alterque peragitur pro locorum varietate: quamvis non ideo tamen eo etiam, quo nunc peragitur modo, minus juſtum incutiat metum divinæ juſtitiæ, & horrore ſcelerum, quæ talem promeruerunt excommunicationem. Hoc ſignificant cereorum extinctio, Libri Evangeliorum in reprobationis ſignum ſubverſi, aliaque ſigna horroris, quem teſtatur illa, ob ea ſcelera quæ hoc pacto punire cogitur, & pœnas aliquando ab ipſo Deo repoſcendas. *Auctor recens.*

Eccli. 27.

Excommunicati non ſolum ab Eccleſia puniuntur, ſed ſæpe etiam ab hominum Juſtitia.

Non aggredimur hoc in loco oculis veſtris ſubjicere triſtem illorum ſortem, qui in caput ſuum detraxerunt cenſuras, & Eccleſiæ anathemata; nam præter illa, quæ in eos jaculabatur, illos privans uſu Sacramentorum, & communione precum Sanctorum: aliæ non deſunt pœnæ, quæ corporales vocari non poſſunt, quæ ſunt, illos judicare indignos, qui aliquod Beneficium, & Eccleſiaſticas dignitates poſſideant; qui earum functiones obeant; quin totidem ſcelera committant; & id genus alia, quæ ad exteriorem, & contentioſum pertinent forum. Quod ad corporales attinet pœnis, puta exilium, ſupplicium capitis, bonorum publicationem, neſcit Eccleſia, quid ſit ſanguinis effuſio &c. Quamobrem illi ſatis eſt alios de gradu dejicere, alios vero tradere brachio ſeculari, a quo ſecundum leges, & criminum enormitatem puniantur. Hinc S. Ambroſius, S. Auguſtinus, & S. Gregorius Magnus docent, Hæreticos mulctari poſſe pœnis corporalibus, exilio, aliiſque ſuppliciis, quæ quæſtio eſt non ita pridem agitata; Verum non propter Eccleſiæ excommunicationem hac pœna afficiuntur; ſed quia habentur tamquam publicæ quietis perturbatores, & perfractores Legum, quarum vindices ſunt Principes, & Magiſtratus; qui præterea Eccleſiæ jura tueri contendunt. *Idem.*

Pericula quæ imminent iis, qui conſueſcunt cum anathemate percuſſis.

Innuimus jam non deeſſe locos quoſdam, in Gallia vero præſertim, ubi cum anathemate percuſſis non ea ſervatur ſeveritas, quæ in priſcis Canonibus præſcribitur. Sunt enim plurimi, qui tolerantur, & qui omnem habent libertatem vivendi, & conſueſcendi cum aliis, qui viciſſim nulla tenentur lege illos fugiendi; & evitandi, quorum etiam neceſſitatibus opitulantur; Sunt etiam, qui eorum munera adimplent, & perfunguntur officiis, quin id ſibi religioni vertant; qui denique indiſcriminatim omnia præſtent chriſtianæ caritatis officia, quæ proximo ultro citroque deferre jubemur. Verumtamen prætereundum non eſt, commercium hoc per leges civiles permiſſum non mediocri obnoxium eſſe periculo ſecundum conſcientiæ leges, præcipue vero cum hæreticis, qui de jure ſunt excommunicati. Quis enim ignorare poteſt quantum periculi adſit in hac converſatione? Cum enim unus tantum lethali infectus lue ſatis eſt, ut totam urbem, magnumque populum inficiat; potiori jure timendum eſt, ne inficiamur errore per familiaritatem, ac neceſſitudinem, quam ille contrahit cum illis, qui jubentur ab Eccleſia colloquia, & ſermones evitare, ne eo tabo inficiantur, quo primus ille corruptus eſt. Ceterum non ne urget præceptum naturale evitandi proximam peccati occaſionem, quandoquidem jam peccato ſe ſe eidem objiciens inficitur? Negari non poteſt, periculum eſſe longe gravius amicitias fovere cum iis, quos Eccleſia ex ſua ejicit communione, quippe qui cum palam ſint hæretici, & S. Paulus eorum frequentem converſationem prohibeat, timendum eſt, ne erroribus eorum inficiamur. *Hæreticum hominem poſt unam, & alteram correptionem devita*, Ex Theologis. Ad Tit. c. 3.

Cum hic generatim duntaxat loquamur de excommunicatione, deque poteſtate quam ſemper exercuit Eccleſia abſcindendi a Corpore ſuo illos, quos indignos putat, qui participes fiant Sacrorum Myſteriorum; noſtrum nequaquam eſſe arbitramur hoc loco de infinitis agere quæſtionibus, caſibuſque conſcientiæ, quos Scholaſtici, Caſuiſtæ, & controverſiarum Scriptores in hoc argumento proponunt, quorum ſolutio plerumque pendet a legibus civilibus, velut revelationes criminum, in quibus publica utilitas agitur, & quæ faciendæ ſunt propoſita pœna excommunicationis, & potiſſimum quibus de cauſis Eccleſia hujuſmodi ſeveritate uti velit; quænam ſint excommunicationes, quarum abſolutio ſummo Pontifici reſervata eſt, quænam illæ, quas ſibi reſervant Epiſcopi, & quænam illæ tandem, quæ a quocumque approbato Confeſſario poſſunt abſolvi. Hæc omnia prætermittimus, cum inſtituti noſtri ratio ea ſit, ut videlicet, fidelibus inſpiremus juſtum metum anathematum, ac fulminum Eccleſiæ, & probemus eam, quam hæc habet poteſtatem illis contra ſontes utendi. *Auctor recens.*

Excommunicatus non pertinet amplius ad Eccleſiam per vincula interiora vel exteriora.

Homo lethalis peccati reus non pertinet amplius ad JESUM CHRISTUM niſi quatenus membrum vivens; ſed poteſt etiam pertinere ad eumdem tamquam membrum mortuum, adhærens corpori ejus vinculis exterioribus; & etiam aliquo interioribus, per fidem, ſpem &c. Sed ſi peccator hic omnino ab Eccleſiæ corpore per excommunicationem amputatus fuit; tunc proprie non pertinet amplius ad Eccleſiam, quæ Corpus eſt Myſticum JESU CHRISTI. Non pertinet proprie amplius ad eam, neque per interiora vincula; nam ille omnia fere ſuis criminibus perfregit, neque per exteriora; quoniam per excommunicationem perfracta fuerunt. Hoc poſito, dico Chriſtianos quamvis peccati mortalis reos, tamen adhuc eſſe in pluribus rebus participes Communionis Sanctorum, quod excommunicati non ſunt. Membra ſunt mortua, ſed hærentia corpori, donec amputentur. Sunt membra, ut dictum paralyſi laborantia, quæ omni fere motu deſtituta ſunt; quæ tamen ſemper conjuncta ſunt cum Eccleſia per profeſſionem fidei, & ſpei, per exteriorem obedientiam iiſdem Paſtoribus adhibitam, per jus, quod retinent ad eadem Sacramenta: & per Eccleſiam recipiunt plura interiora, & exteriora ad ſuam converſionem ſubſidia. Idcoque infinite plura habent commoda præ illis, qui omnino ab Eccleſiæ communione avulſi ſunt. *Auctor vetus.*

Operæ pretium erat, ut Eccleſia poteſtatem haberet excommunicandi; Etenim Pater familias ad tempus domo ejicit filios inobedientes, atque rebelles, ut humilientur, ſcelus agnoſcant, ad officium redeant. Hac ratione Præſules utuntur cum iis, quos anathemate percutiunt; Paſtor ex ovili extrudit ovem, cui ſcabies inhæſerit; eamque in luporum prædam relinquit, niſi convaleſcat. Similiter Paſtores ab Eccleſia eliminant rebelles animas, eaſque tradunt Sathanæ, donec reſipiſcant. Principes & Magiſtratus certas habent rationes corrigendi, & coercendi eos, qui ferre nequeunt jugum, & diſciplinam Legum reipublicæ: ita Eccleſiæ Principes, Epiſcopi, & Præſules habent in manu Excommunicationem, quæ eſt quodammodo nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ſpiritualis gladius ſibi datus a Deo non quidem ad occidendum, ſed ad curandum, & ad ſeparandos ab exteriori fidelium communione, & ab interiori bono, quod inde emanat, eos, qui culpa ſua jam ſemetipſos ſeparaverant ab obedientia Deo, & Eccleſiæ ſuæ debita. *Auctor recens.*

DE-

DE POTESTATE,

Quam habet Eccleſia proſcribendi, damnandique pravos libros contra fidem, & bonos mores.

MONITUM.

AMBIGI nequit quominus Eccleſia jus habeat, & poſſeſſionem adierit, cenſoriam notam affigendi, proſcribendi, & interdicendi lectionem pravorum librorum ſub pœna excommunicationis, atque ejectionis a communione fidelium. Hunc ipſum Apoſtoli morem invexerunt in ipſis Eccleſiæ primordiis damnantes libros Infidelium, & primorum Hæreticorum, qui illius doctrinam, & morum ſanctitatem impugnabant. Hac ratione omnibus ſæculis illa uſa eſt ad errores in ipſo ortu ſuffocandos, & prohibendum, ne vires ſumerent, atque dogmatum, & placitorum ſenſibus ſuis adverſantium lectione foverentur; quemadmodum docemur ab omnibus Sanctis Doctoribus, quorum ſcripta ut plurimum non alio tendere videntur, niſi ut eos refellant, qui Chriſtianas veritates impugnant, & Eccleſiam propugnent iiſdem armis utentes, quibus ad illam laceſſendam hoſtes abutebantur. Profecto jure maximo hodierna adhuc die hac ratione utitur Eccleſia, quam perutilem ſemper experta eſt proſcribendi pravos id genus libros tum eos, qui mentem, cum eos, qui cor filiorum ſuorum corrumpunt. Tandem enim ſi tenetur velut bona Mater nutrire filios doctrina ſana, atque ut loquitur Propheta, adducere illos in optima paſcua, ad gratiæ vitam in illis ſervandam; non ne tenetur etiam illos ab iis amovere, quæ tabe aliqua eos poſſunt inficere? Hoc nomine pernicioſos libros intelligo, qui corrumpunt fidem, & mores bonos, quæ duo illa ſunt, quibus nihil illi eſſe debet antiquius. Hæc fuſius deinceps videbimus. Id unum vos rogo, ut animadvertatis, quamvis de hoc argumento a nobis actum fuerit in Tomo Tertio Bibliothecæ Moralis Concionatorum, ubi de bonis, praviſque libris generatim locuti ſumus; hoc in loco nobis eos cancellos conſtituiſſe, ut probemus Eccleſiæ diſciplinam exhibentes tantummodo pravos effectus librorum, qui contra fidem, bonoſque mores paſſim eduntur.

DE POTESTATE,

Quam habet Eccleſia proſcribendi, atque damnandi Libros pravos contra fidem, & bonos mores.

Periculum legendi pravos libros.

ULlum ne periculoſius virus eſt eo, quo libri nequam paſſim adſperſi inveniuntur? Qua vero aviditate venenati id genus libri perleguntur? Quis neſcit horum librorum lectionem venenum eſſe eo præſentius, quo elegantius, ac eloquentius conſcripti ſunt; neque enim deſunt veneres, ac ſales iis, qui opera id genus elucubrantur. Omnia guſtum palpant, omnia ibi nitent, omnia teterrimum virus perflant. Tranquille per otium leguntur ea, quæ narrata cierent pudorem. Pernicioſiſſimæ cupiditates in animam irrepunt, cor ipſum pervadunt per hujuſmodi lectionem. Alibi ubicumque in periculoſiſſimis occaſionibus, & acerrimis tentationibus, mens, & cor diſtrahi poſſunt: periculo deterriti nobiſmet cavere poſſumus adverſus inſidiis inimici: impetum propulſare poſſumus, illata eidem vulnera, vel ſaltem fuga nobis perſpicere; ſed per pravorum librorum lectionem, ipſi per libidinem, & data opera virus ipſum perquirimus, illud medicis hauſtibus potamus, lente, per otium, & ſine teſtibus, qui nos ab his venenatis fontibus avertere valeant, nobiſmet propinamus. *Pater Croiſet.*

Per pravas lectiones Sathanas ad ſe animas trahit.

Non ne per pravorum librorum lectionem Sathanas aditum invenit fallendi cor, & mentem noſtram, quæ numquam minus diſtracta ſunt, ſimulque magis ad cupiditates hauriendas appoſita, cum præcipue, nefarii libri nova ſemper addant illicia? Nullum exterius objectum legentem diſtrahit: lectio animam cupiditatibus omnibus relinquit in prædam. Vitium quamquam perfectum, ubi ſe ſe offerat oculis noſtris quale eſt, aliquid ſemper horroris ciet: ſed libri illud menti, & cordi noſtro exhibent eo illitum fuco, ut illecebris conditum, adeo callidis characteribus diſſimulatum, ut vix, & ne vix quidem reſiſtere valeamus. Dæmon fortaſſe non habet ad animas fallendas artem pravis libris nequiorem. Pauci ſunt, qui hoc in ſcopulo naufragium non fecerint. Heu! quid! Numquid in Mundo, & in nobiſmet ipſis non ſatis eſt inimicorum ſalutis noſtræ, ut alios in libris quæramus? Quæ verſutiæ? ſimulque quot artes? Primum quidem hæc mera curioſitas eſt; ſecurat animum, quod ſcelus ſtatim deterret. Voluptas excipit curioſitatem; & ſenſim ac ſine ſenſu cor deficit. Pii, aſceticique libri plurimos convertunt, mali vero prævertunt longiſſime plures. Malum dare librum eſt præſentiſſimum virus propinare. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Quam periculoſum ſit legere libros pravos, & quæ inde mala proveniant.

Hoc in tractatu non vitium aliquod ſingulare aggredimur; non errorem unum, aut pernicioſum aliquod placitum adnitimur refellere, ſed aperire conamur cauſſam maximorum flagitiorum, & omnium fere vitiorum; adnitimur exhaurire fontem errorum omnium, & quærimus tandem tutum, & efficax medium auferendi ex hominum mentibus placita nequiſſima, quæ illos perdunt hoc infelici ſæculo; & me illud inveniſſe arbitrarer, ſi perſuadere omnibus poſſem, ut imitarentur Epheſios, qui Sancto Paulo prædicante omnes nefarios libros flammis devoverunt. Verum cum hæc medicina nunquam ſit in praxim redigenda: ſaltem conabor omnibus, qui audiunt me, perſuadere, ut nunquam libros hujuſmodi ſe lecturos eſſe profiteantur; ad quam rem ingrediendam illos compellere adnitar, per illud, quo nihil illis antiquius eſſe debet in terris, videlicet per ſalutem ipſorum, quam pravorum librorum lectura apertiſſimis periculis objicit. Hæc autem ad tria capita redigo, omnia periculoſa, habita ratione nequitiæ illius veneni, quod continent, & quod exhibent illis, qui ſe avida hac curioſitate abripi ſinunt. Quidam de inutilibus tantum, facetiiſque argumentis agunt, quæ ad animi tantum ſolatium, ut fertur, leguntur; ſed qui re ipſa animum ipſum corrumpunt, cum lectio in occupationem migrat, eique impenditur tempus tranſmittendum in lectiones alias ſolidiores, utiliores, & de iis, quæ ad ſingulorum officia referuntur. Quidam ſunt prorſus impii, qui Religionem impugnant, & qui non alium habere poſſunt effectum niſi jugulandi timorem Dei, & efficiendi atheos, & in omnem licentiam proclives. Tandem ſunt hæretici, qui continent errores, & ſenſus contra fidem, quos inſpirant illis, quibus ſatis non eſt luminis, ut occultum virus agnoſcant, & ab illo ſibi caveant. Non omnes in eadem nequitiæ claſſe colloco: verum aio omnibus tantum eſſe improbitatis, quantum ſatis eſt ad mentem prorſus corrumpendam, & maximum ſaluti noſtræ obicem ſtatuendum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Funeſti effectus lectionis pravorum librorum.

Libri pravi mentem corrumpunt: videlicet per impreſſionem, quam parit lectio, inſpirant ſenſus oppoſitos vel pietati, vel fidei, vel timori pro varietate argumentorum, de quibus agunt. Quod ſi inutilia tantum complectuntur argumenta; mentem diſſipant mentem, in ea ſalubres ſuffocant cogitationes, applicantes illam nugis indignis homine rationabili, & Chriſtiano. Sed nondum ſatis, neque enim deſunt alterius generis libri ſatis nefarii, qui vitium, atque licentiam inſpirant. Quo elegantius ſcripti ſunt, eo jucundiores, ac venuſtiores ſunt, eo aptiores ad bonos

nos mores corrumpendos, ita ut mentis corruptio, & vitæ noſtræ licentia cum ſint duo effectus pene neceſſarii hujuſmodi librorum, & duo graviſſimi obices ad noſtram ſalutem, debemus procul dubio cohibere noxiam hanc curioſitatem, ne dicam inſanum eorumdem legendorum furorem. *Idem.*

Dæmon ſæpe utitur libris pravis ad mores corrumpendos.

Cum morum licentia non minor ſit obex ad Salutem, quam impietas, & irreligio; ſcitis, humani generis inimicum, utraque arte uti ad illam perdendam: & eos quos per errorem fallere non poteſt, conari illos allicere, vel potius trahere in vitium, ac ſcelus per pravorum librorum lectionem. Librorum id genus cenſuram facere aggredior, quin tamen audeam verba facere de auctoritate Eccleſiæ, & Paſtorum, vel Doctorum ejuſdem judicio; non enim volo niſi compellere vos ad damnandum, quod illi toties fecerunt non quidem ſingillatim oſtendendo quinam ſint libri iſti, qui pares ſunt moribus corrumpendis, quippe infinitus eſt numerus, nec fieri poteſt, ut recenſeantur; ſed generatim dicendo, hos eſſe eos quos plerique ardenter inquirunt, quos perdite amant, & qui ſunt deliciæ eorum, qui ingenii laudem adpetunt, & quorum lectio, ut plurimum, parit obleċtationem. Hi ſunt libri, ut verbo dicam, de re amatoria loquentes; fictas fabulas continentes, quarum feſtivæ narrationes vetas excitant cupiditates: hilares commœdiæ, amatoria carmina, ubi tenerrimi affectus ſumma pertractantur arte, ut in cor facillime, & blande ingrediantur: omnes denique libri, qui ad id unum facti videntur, ut noxium amorem inſpirent. *Auctor in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

Cum Eccleſiæ non minor ſit zelus ad ſervandam, quam propugnandam fidem, omnem ſemper curam adhibuit; ut cenſoria nota perſtringeret, & damnaret libros, qui licentiam inſpirant non ſolum per ea, quæ palam obſcœna ſunt, & quæ illi, quibus adhuc pudor aliquis reliquus eſt, ferre non poſſunt, & quos Ethnici ipſi cum Auctoribus eorum proſcripſerunt; ſed illos etiam, qui virus ſuum celant nominibus, quæ minus lædunt pudorem, & verbis in ſpeciem magis honeſtis, quales ſunt feſtivæ fabularum narrationes, comœdiæ æquo licentiores, hiſtoriæ de variis amorum eventibus confictæ, inter quas recenſeri poſſunt etiam ſatyræ, libelli infames, qui particularium, & ſæpe etiam integrarum ſocietatum exiſtimationi officiunt. Sed Eccleſiæ nemo ſubiraſci debet, ſi tanto ardore nigrum theta figat libris hujuſmodi, quandoquidem Magiſtratus ipſi damnant ſeditioſa ſcripta, quæ contra Rempublicam eduntur, & Principum auctoritatem laceſſunt. *Auctor Recens.*

Docti admiratione ſtyli elegantioris plurimi cum voluptate legunt libros pravos.

Non loquar hoc loco de libris, qui apertius honeſtatem, ac pudorem oppugnant: omnibus enim jam perſuaſum eſt, infames hoſce libros docere non poſſe niſi obſcœnas libidines, quæ ſunt ſcandalum civitatum, & horrorem inferunt illis, quibus reliquus eſt ſenſus aliquis honoris, & probitatis. His ergo temporibus vitium minus turpe effectum eſt; libri enim illius infamiam tegunt honeſtis vocabulis; ſed iis verborum ambagibus, ſententiis, quæ ſunt longe periculo propiores: tanta enim arte, atque elegantia in animos obrepunt, ut ab illis ſibi cavere ſit difficillimum. In his unice moror, velut iis, qui conſcripti ſunt ad ſuadendam, fovendam, augendamque cupiditatem omnium maxime effrænem. Neque arduum opus me ingreſſum puto, probaturus auditoribus meis non ſine gravi periculo id genus libros legi poſſe; quin immo vereor, ne pluribus hoc jam propria perſuaſerit experientia, & ne confiteantur, flagitioſæ juventutis ſuæ licentiam initium duxiſſe ab hujuſmodi lectione, atque teſtentur ſe ſub ſpeciem diſcendi mores, & modum vivendi in mundi luce, dedicitſe turpem vitam ducere, & meliores annos ætatis ſuæ in flagitioſis impudicitiis traducere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Mala, quæ parit lectio libellorum narrantium fictas fabulas.

Nil aptius eſt ad corrumpendos mores illorum, quorum ætas, & ingenium prona ſunt ad periculoſas impreſſiones recipiendas. Ne mihi dixeris, quæſo, in his libris, qui tantam tibi afferunt obleċtationem, & ita te faſcinant, de honeſtis amicitiis verba fieri; quandoquidem earum finis conjugium eſt, quod tamen non concluditur niſi poſt multa adverſa, poſt ſollicitudines, zelotypias, & artes, quæ ſi deſint, lectio nihil habet venuſtatis, ſaporis, illecebrarum. Heu! Hoc ipſum efficit majus periculum, & inevitabilius: hæc honeſtas, quæ in ſpeciem prætexitur; deſiderium, quod videtur laude dignum diſcendi vitæ rationem, agendi, & conſueſcendi cum iis, in quorum medio verſamur, eſt velut eſca, qua tegitur hamus, quo cor ſexcentis conſcientiæ ſtimulis lancinatur; vel tamquam exquiſitæ, accipiparæ epulæ, quibus virus admixtum eſt, & quod nonniſi hauſtum cognoſcitur. Dic quodcumque tibi placuerit, horum librorum auctores omni uſos fuiſſe diligentia amovendi, quidquid poſſet, vel animum polluere, vel lædere urbanitatem. Facile fuit Auctori animi ſui cupiditatem diſſimulare, ubi id e re cenſuit, atque locum mollem, ac periculoſum per tranſennam obiter pertractare: ſed ubi lectoris incaluit imaginatio, longius procedit, quam fieri poſſe putatur, ſupplet iis, quæ reticentur ab Auctore; cujus non honeſtas te allicit ad legendum; ſed argumentum, de quo agitur, quod ſolum accendere poteſt in corde inhoneſtam cupiditatem; tunc enim mens abſtrahens ea, quæ licent, ab iis, quæ ſecus, iis tantum inhæret quæ placent; quod locum præbet ſexcentis impiis phantaſmatibus, ſexcentis noxiis deſideriis, aliiſque malis. Ars, qua Auctor proponit ea, de quibus agit, ab ejus argumento ſeparari non poteſt; cumque res ipſæ per ſe pravæ ſint, periculum ea illis obleċtationis percipiendæ fit præſentius per eum modum, quo illas Auctor inſinuat. Hæc loquendi elegantia, venuſtus hic verborum circuitus, ſpiritus acer, ſenſus molles, ac ſumma induſtria elaborati tantam efficiunt impreſſionem, ut arduum ſit illam tradere oblivioni. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

At enim, inquies, novi equidem horum librorum lectionem pernicioſam illis eſſe, qui quadam in ætate ſiti ſunt, & qui ſuapte natura proni ſunt ad voluptatem, atque ſolatia; ſed cur hoc lectionis genus interdiaeris aliis, qui minime proclives ſunt ad hauriendum hoc virus tanta arte præparatum? Cur hominibus, quorum ætas maturior, & provectior eſt, non liceat ſeſe inter tot ſeria negotia horis ſucceſſivis honeſtæ huic lectioni vacare, cujus apud illos locum tenent aleæ, ludi, ſocietates, colloquia, quæ omnia fortaſſe moleſtiores exitus habere poſſent? En alius color, quo regitur malum, atque periculum, quod in hac inutili, inertique occupatione invenitur, qui me ad dicendum impellit ſecundo loco, hos libros non ſolum appoſitos eſſe ad corrumpendos mores adoleſcentiæ, eamque in licentiam vivendi pertrahendam, verum etiam pares eſſe ad iterum in eam revocandos, qui ſemel ex eadem emerſerint, refricando memoriam criminum præteritorum, ex quibus fortaſſe non omnino evaſerunt. *Idem.*

Periculum retinendi domi ſuæ pravos libros.

Non ſemper hilares inveniuntur ſodalitates; alea ceſſat, cum jactura facta eſt; comœdiæ, & alia ſpectacula quærenda ſunt, & plerumque faſtidium creant; ſed pravi libri nunquam deſunt, nobiſcum peregrinantur, ruſticantur; deſeruntur, ac iterum reſumuntur, atque ex illis obleċtatio percipitur, quin ex penetralibus domus tuæ egrediaris. Ita ut ſicuti ubi boni ſunt, nullos habeas meliores magiſtros, a quibus edocearis quovis tempore, & loco; cum e contra pravi ſunt, jure dicere, & affirmare poſſumus nos nobiſcum geſtare, vel domi retinere virus, quod per intervalla potatur, donec eam, quam quærimus, nobis mortem inferant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Plurimorum curioſitas efficit, ut prohibiti libri conquærantur.

Non deſunt homines ſcientiarum cupiditate adeo incenſi, qui breviſſimo temporis ſpatio ſpiſſa devorant volumina, quæſtionibus, ac dubitationibus ſuis eruditos fatigant; & vix liber in lucem prodiit, cum jam manibus eorum atteritur. Curioſitas iſta minus eſſet improbanda ſi figi poſſet ad ea, quæ utilia ſunt, & neceſſaria; ſed donec eſt inquietum omnia ſciendi deſiderium, nocere potius, quam prodeſſe poteſt; & de illis, qui hunc ſibi ſtudiorum ſuorum finem proponunt, ut ſuæ videlicet ſatisfaciant curioſitati, id dicere licet, quod Sanctus Paulus ait, vocans illos: *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam pervenientes.* 2. ad Tim.

Quod ſi hæc inutilium multitudo cognitionum obex eſt ad ſcientiam ſalutis; profecto alia objecta magis inde mentem curioſam avertunt. Quis enim ignorat curioſitatem ſeſe immiſcere rebus omnibus, quæ ad vitam ſunt maxime neceſſaria? Alimentis ad corpus nutriendum indigemus, veſtimentis ad illud tegendum, domibus ad habitandum, ſupellectili ad uſus varios, & aliis ſexcentis ad commoditatem. Neceſſitas re adhuc integra ſingula in ſimplicitate ſua excogitavit; ſed hoc eſt commune curioſitati ſimul, & cupiditati, ut illa multiplicet, quin tamen neceſſitas augeatur: *Nihil ſatis eſt cupiditati*; Terræ bona vobis neceſſaria ſunt, eſto: ſed ſi quantumvis neceſſaria, ſunt tamen ingens obex ſaluti noſtræ; quid tandem erit de illis, quæ per curioſitatem tanta cura conquirimus, & cumulamus? Quid de tot operibus naturæ, & artis, quibus raritas pretium tribuit? Hinc facile eſt conjicere, a Sapiente non omnino ſcientiam damnari, quandoquidem illam Cælitus acceperat, & reliquis antecellebat hominibus cognitione ſecretorum naturæ; quoniam mentis ſuæ perſpicuitate, & acumine adeptus erat virtutes omnium plantarum ab hyſopo ad cedros Libani; & natura videbatur omnes illi theſauros ſuos aperuiſſe; neque vult accuſare temeritatis, vel præſumptionis nomine perquiſitionem veritatum ſupernaturalium, quarum cognitio adeo neceſſaria eſt ad æternam felicitatem aſſequendam: quandoquidem Filius Dei, in quo continebantur omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ de Cælo deſcendit, ut eos nobis revelaret. Sed Sapiens vetat, ne argumentemur, & diſputemus de iis, quæ in fide ſunt ſublimiora, ad mentis acumen oſtentandum: *Altiora te ne quæſieris, Idem.*

Libri de rebus amatoriis corrumpunt mores adoleſcentum.

Primus effectus librorum de rebus amatoriis agentium, qui tot veneribus, atque illecebris diffluunt, eſt adoleſcentulorum mores corrumpere; & hic primus eſt ſcopulus, ubi puritas, & innocentia naufragium facit; primique duces, qui pleriſque aditum pandunt ad latam viam, quæ ducit ad mortem. Ubi utriuſque ſexus adoleſcens conſilium iniit mundum ſectandi, omnes ad id ſuas curas impendit; credit ſtatim ſibi non ignorandum, quid illic agatur, qui ſermones habeantur, quæ vita ducatur: quia putat idem eſſe ac ſeſe aliis irridendum præbere, ibi novitium videri, & mores atque conſuetudines non callere. Statim igitur prima ex libris diſcit rudimenta; quærit, docerique vult qui reliquis præſtent; qui palmam præripiant; eumque exempla multo facilius doceant, quam verba, vacat lectioni fabuloſarum narrationum, amorum, feſtivarum comœdiarum, ex quibus excerpit locos, ubi melius cupiditas exhibetur, & majores habet illecebras; memoriæ mandat carmina molliſſima, ſalibus procacibus venereiſque locupletiſſima. Dies illi nimis breves videntur in adeo jucunda, & delectabili exercitatione; diurnis horæ accedunt nocturnæ, & quod ſciendi cupiditas in litteratiſſimis efficit, hoc facit in adoleſcentulis voluptas, quæ ex hujuſmodi lectione percipitur, & ne in mundum prodeuntes rudes habeantur, mundani eſſe volunt, ac ut tales fiant, artem addiſcunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pernicioſi fructus, qui ex prohibitorum librorum lectione percipiuntur.

Sed quæſo, Auditores, quid prodeſſe poſſunt hæ fabuloſæ narrationes, hæ hiſtoriæ, hæc lenocinia, niſi inſanis amoribus inſpirandis, qui molliunt cor, & animam inertem, ac voluptuoſam efficiunt, eamque noxiis, turpibuſque impediunt affectibus, poſtquam mentem fatuis repleverunt ideis pulcritudinis, & chimericæ perfectionis? Quid diſcitur in hac lectione, quæ animam faſcinat, niſi caſus inopinati, perturbati affectus, prælia commentitia, technæ elaboratæ, ambages, per quas heros deducitur per omnia infortunia antequam ad votorum ſuorum apicem perveniat. Sed quis fructus, quis effectus deprehenditur in moribus eorum, qui hac lectione quodammodo faſcinantur? Nonne vitam ducunt, ſimili ratione conſcribendam. Perinde ac vellent in praxim redigere quæcumque legerunt, ſentiunt eaſdem turbas, eoſdemque affectuum æſtus, quos graphice ſibi repræſentatos viderunt. Nullas habent mulierum ideas, quas non ſibi tamquam idola proponant. Non crepant niſi amorem, ſervitutem, obſequium, devotionem, conſtantem fidelitatem; denique tota vitæ ſuæ ratione, chimericiſque conatibus exprimere adnituntur quidquid didicerunt. Videntur tandem inanibus imaginationibus repleti otioſam ducere vitam, nulli pares muneri, vel negotio, fieri ludibrium, ac jocum illorum, qui cordati ſunt, & in meliori ſchola eruditi. Putatis vos hoc pacto mundi mores, converſandi artes, elegantiam, atque honeſtorum virorum vitam indipiſci; & jacturam facitis earum diſpoſitionum, quas fortaſſe ad id vobis natura contulerat, & voſmet corrumpitis per eos mores quibus hæc legentes imbuimini; ita ut poſtquam amiſiſtis partem temporis in abſurdis id genus informium formarum commentis hauriendis, alteram amittitis in vita inerti, quæ nihil ad æternam ſalutem acquirendam operatur. *Idem.*

Multiplex majorum librorum varietas, & cauſſæ quæ prætereuntur ad eos perlegendos.

Inter pravos libros, qui tamquam neutri, ac nullo in diſcrimine habendi cenſentur, & ex quibus ſolatium, & oblectatio quæritur, recenſeo illos, qui facetis redundant narrationibus, qui de nugis, ac ineptiis loquuntur, ac fabellis ad libitum adinventis; ſcurriles hiſtrionum comœdias; jucunda, & feſtiva commenta ad triſtem animum exhilarandum inventa, ad avertendam moroſitatem, ac fallendum hominis faſtidium, quid agit, cui vacet, neſcii. Hoc colpa vacuum ſolatium eſt, inquis, aptum ad diſſipandum mœrorem, & teterrimas, atque nequiſſimas etiam cogitationes. Sed cogitas ne, Auditor, ad ea, quæ dicis? nonne pericuoſa illuſio eſt, nihili facere mentis diſſipationem, in quam te lectio hujuſmodi conjicit? Quæ etiamſi non aliud pareret malum, quam inertem alere otioſitatem, & auferre tempus melius in rebus ſeriis inſumendum, nonne ſatis grave detrimentum inferret, ac perniciem deflendam? Heu! te aliquando hujus detrimenti, ac inutilis otii quam pœnitebit! Quot horæ pretioſæ in nugatoria occupatione abſumuntur? Quantum temporis teritur ad mentem replendam ineptiis, quæ omnino tradendæ ſunt oblivioni, ut tandem aliquando vita vere Chriſtiana ducatur. Quod ſi hujus characteris libri adhuc tibi culpa vacui videntur, vel ſaltem cenſuram adeo ſeveram non mereri; non animadvertis nil magis pietatis ſpiritui adverſari, collectioni, vigilantiæ, curæ, quæ neceſſaria eſt ad Chriſtiane vivendum, quam hanc mentis diſſipationem, hanc nugacitatis, & temporis jacturam in vanis, abjectis, ac inutilibus rebus factam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sententia Sancti Antonini, & S. Pauli de lectione pravorum librorum.

Sanctus Antoninus, qui ex omnibus Doctoribus hoc argumentum accuratius pertractavit, hos libros ad fallendum duntaxat otioſorum hominum tempus conſcriptos, pietatis, ac devotionis venenum appellat; ita ut ſi minus aperte in vitium impellunt, quam alii; paullatim ad illud diſponunt per faſtidium quod cient divinarum rerum, omniumque piarum exercitationum. Neque hoc mirum eſſe debet cuiquam; nam Sanctus Paulus in Epiſtola, quam ſcribit ad Timotheum, utitur locutione quadam, quæ neſcio quomodo conciliari poſſit cum hac oblectatione, quam innoxiam putatis; quandoquidem aſſerit illam plurimum ad impietatem conferre: *Profana, & vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem.* Jam fateamini neceſſe eſt, inanes hos, profanoſque ſermones, utor verbis Sancti Pauli, in iis, qui illos vel audiunt, vel legunt, nequaquam ſupponere pietatis ſtudium, vel religionis; neque eos haberi velle ab hominibus tamquam aſceticos, ac religioſos: ſed cum Sancto Paulo dico, eos qui profanæ lectioni vacant, de qua ſermo eſt, eſſe quodammodo in ſchola impietatis, ubi in ſingulos dies proficiunt, ita ut quam primum doctiſſimi evadant, ac laurea donandi propter præcepta, quæ in hujuſmodi libris addiſcunt: *Proficiunt ad impietatem. Idem.* — a. ad Tim

Mala, quæ parit lectio librorum non ſolum inutilium, ſed impiorum.

Maxima, & pernicioſiſſima hodierna die in terris graſſantur mala; ſi enim libri vani, & inutiles, quos adoleſcentuli legere oblectantur, *proficiunt ad impietatem* omnem auferentes curam, quæ nobis eſſe debet, noſmet de officiis noſtris erudiendi, quid porro ſentiendum eſt de illis, qui palam ſunt impii, & qui continent documenta quæ ad atheiſmum viam aperiunt, & quæ prima evertunt Religionis fundamenta? Non ſunt multi fateor id genus libri; nam legum ſeveritas, & Magiſtratuum zelus, qui libros, eorumque auctores flammis adjudicant comburendos, coercent licentiam in lucem emittendi libros adeo pernicioſos, & nequam; verumtamen non deſunt qui ſatis ſunt ad mores, menteſque corrumpendas, eo uſque ut ſub initium præteriti ſæculi viſæ fuerint Sectæ integræ atheorum, ac flagitioſorum hominum qui ex hac Schola egreſſi, & hujuſmodi libris armati bellum indixere, alii quidem Chriſtianæ Religioni, alii vero ipſi Deo, conati e terris eliminare, vel ſaltem exinanire Providentiam, & Juſtitiam illius, ut flagitiorum omnium licentiam inveherent; Morales corrupti libris hujuſmodi execrabilibus, quos hominum curioſitas incendio ſurripuit, cui erant deſtinati, ut funeſtam in mundo cædem compararent. Quod enim hodierna die videntur homines in omnem effuſi licentiam, qui ſe ſpiritus fortes appellant, ut a reliquis vulgo ſeſe ſecernant, qui tamen nefaria placita ſua in vulgus proferre non audent; ſed qui pernicioſo hoc infecti veneno ſecretis colloquiis ſuis alios corrumpunt? Impii iſti nolunt pro atheis haberi, ſed ſibi novum concinnarunt Religionis ſyſtema ſecundum principia librorum, qui abominabilem hanc doctrinam complectuntur, quæ tandem eo cedit, ut perſuadeat, poſt vitam hanc nihil eſſe timendum, & nihil ſperandum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Periculum legendi libros de futuro, & fatis hominum loquentes.

Video, lectiſſimi Auditores, me oleum, operamque perditurum, ſi vellem exhibere vobis quantum adſit periculi in execrabilium horum librorum lectione; videre enim mihi videor, vos illos perhorteſcere: verum non ſatis vobiſmet cavere poteſtis, ne id genus libri alios titulos præ ſe ferentes mortale virus in ipſa uſque inferant præcordia, & ſub ſpecioſo prætextu ſcientiæ, & curioſitatis, ſciendique bonum, & malum arbori vetitæ manum injiciatis, his videlicet libris, qui docent legere in Aſtris hominum fata, & futurorum ſecreta, quæ voluit Deus omnibus abdita, & ignota. Periculum hoc eo magis metuendum eſt, quod ſummi etiam viri hac illecti fuerunt curioſitate æque inani, ac appoſita ad viam impietati aperiendam. Quandoquidem ipſe etiam Sanctus Auguſtinus primum quidem in hunc incidit laqueum, deceptus pernicioſis his libris, qui ævo illo maximam erant celebritatem adepti. Cæca humanæ mentis temeritas! quæ audet ſecreta Providentiæ conſilia introſpicere; vel potius Providentiam ipſam de mundo auferre, aſtris tribuendo cauſſam rerum omnium, quæ in terris fiunt. Quamobrem cum mens hominis nullos conſtituat terminos inquieto deſiderio omnia ſciendi, non ſatis reprehendi poſſunt Auctores, & opera, qui, & quæ volunt docere, quæ Deus voluit ignorari: Non omnibus eſt Auguſtini acumen, ut argumentationibus ſuis ſcientiæ hujus vanitatem agnoſcant: Sed plurimi Cælum contemplati facti ſunt impii, & illius aditum ſibi obſtruxerunt ſacrilega curioſitate, quæ nonnunquam dæmones conſulit, ut penetret horribilia magicæ artis Myſteria, cui aditum aperuerunt libri diabolici, ut in altiſſimum impietatis barathrum præcipites ageret mortales. Nil ultra in hoc argumento addendum cenſemus; nota eſt ſpiritus jam corrupti, & penitus a Deo derelicti, cum per hos execrabiles libros, cum dæmonibus inire quærit commercium. *Idem.*

Nihil magis contagioſi quã legere libros hæreticorum.

Alii ſunt etiam pravi libri, quos non adeo perhorreſcimus, ſed quibus non minus adjacet periculum; quo-

quoniam Spititus tenebrarum, & mendacii pater illis utitur ad mentes corrumpendas, & in errorem pertrahendas. Hi ſunt Hæreticorum libri, quorum auctores non vacant ſuſpicione fovendi ſenſus parum orthodoxos: dicere poſſumus nihil eſſe his magis contagioſum; nam per venenatum hunc rivum virus effunditur in Provincias, & Regna, hæc lues eſt, quæ plures perdidit animas, majoremque peperit in Dei Eccleſia vaſtitatem. Non licet igitur ambigere, utrum veneni hujus hauriendi periculo ſe objiciat, qui operam dat lectioni librorum, qui, & illud continent, & ſenſim, & ſine ſenſu aliis inſpirant. Et ſane quis ignorat præcipuam, & vulgatiſſimam illorum artem eſſe, ſemet celare, & nihil polliceri niſi meras Evangelii veritates, veros primitivæ Eccleſiæ ſenſus, fidem, quam primi Chriſtiani amplexati ſunt? Norunt falſa veris miſcere, ut melius fallant, & errorem doctrinæ ſanæ, ut leniant quidquid in hæreſi deterius eſt, & in lucem proferant, quidquid probatiſſimum eſſe videtur; callent artem eas amplificandi rationes, ex quibus hæreſi roboris aliquid accedere poteſt, & illam tandem, quin ſentiatur, inſinuare. Verum eſt igitur, Auditores, pravis libris vitiari, atque corrumpi mentem, iis vero potiſſimum, de quorum genere locutus ſum. Libri hiſtrionum, qui nos diſſipant, & jugulant in nobis omnes ſenſus pietatis. Libri impii, qui atheiſmum inſpirant, & quorum ſcopus eſt omnia religioois fundamenta ſubruere. Libri execrabiles, qui docent quidquid in impietate horribilius eſt. Libri obtrectatores, ac ſatyrici, qui efficiunt, ut abrenuntiemus Caritati, qua nihil in Chriſtianiſmo antiquius eſt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Satis eſt librum prohibitum eſſe, ut avidius contra Eccleſiæ anathemata perquiratur.

Cui bono prohibitiones, cenſuræ, anathemata Eccleſiæ, quandoquidem nil horum coercere poteſt Chriſtianorum curioſitatem, qui non ſine contemptu Eccleſiæ, Canonum, & cenſurarum ejus; quamvis Præſules adverſentur, ſuæ indulgere volunt curioſitati; ita ut dici poſſit, ſatis eſſe librum aliquem cenſoria notatum eſſe virga, ut oboriatur cupiditas videndi illum, & quolibet pretio comparandi. Omnes conſcientiæ ſtimuli pro nihilo habentur; nullum perditionis metuitur periculum licet manifeſtum; nulla prodeſt Eccleſiæ comminatio, quæ filiorum ſuorum ſtudet incolumitati, & quæ nihil inauſum, & intentatum relinquit ad avertenda mala, quæ prænoſcit: denique nil ſatis validum eſt ad periculoſam hanc curioſitatem cohibendam. Scio aliquem nonnunquam falli poſſe, quia ut plurimum pernicioſorum horum librorum auctores illis fallaces inſcribunt titulos, & ſub nomine conſtantiſſimarum Religionis Veritatum errores ſuos venditant; & ſæpe erroris, & hæreſeos nomine inſimulant, qui ab ipſorum ſententiis abhorrent. Sed hic prætextus excuſare nequit legentes; ubi ſemel locuta fuerit Eccleſia, ubi Epiſcopi, qui invigilant curæ ovium ſuarum, monent, Auctores hoſce lupos eſſe ovina pelle tectos, ubi Doctores illos cenſoria nota damnarunt, ubi tandem cauſſa adeſt de illorum nequitia ſuſpicandi hoc ſatis eſt, ut curioſitas iſta nocens habeatur: quia hoc eſt ſeſe objicere periculo errandi, & nullus dubito quominus in hujus temeritatis pœnam tot videantur corrupti mortales incidere in ſententias periculo proximas, & pernicioſiſſimis erroribus patrocinari. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Magnum eſt ſcandalum legere libros proximo contumelioſos.

Nec deeſt alia ſpecies librorum impiorum, atque execrabilium, a quibus ſatis non cavemus, qui non minori veneno adſperſi ſunt, neque minus ad ſeducendas, & corrumpendas mortalium mentes idonei. Hi illi ſunt, qui effundunt quocumque mortale virus detractionis, & ſæpe etiam contumelioſiſſimæ, ac teterrimæ contra proximum; qui tamen legi non poſſunt incolumi conſcientia; quia non minus peccatum eſt obtrectare alicui, quam obtrectantem audire; neque minus audire, quam legere. Mirum igitur eſt proculdubio, eorum plurimos, qui religioni ſibi verterent aurem præbere detrahenti, non vereri oculos aperire, ut videant aliquem ſatyrico ſale perfrictum, & maledictis actibus lancinatum. Si enim detractio quocumque modo fiat ſeu verbis, ſeu ſcriptis ſemper lethale venenum eſt, æque ſontes ſunt, qui ea legunt, & audiunt. Quanam vero oblectatione perfrueris, mortale hoc bibens venenum, dum hos libros lue manantes evolvis? Nunquid minori cum periculo per oculos, quam per aures venenum admittitur? Famoſi id genus libri efficiunt, ut proximi exiſtimatio intereat; hanc illi ex mentibus noſtris expungunt; & ſæpe etiam non contemptum duntaxat, ſed odium, & horrorem immittunt. Quot ſcelerum accuſæ in iis, qui hos libros evulgant, ut ſuæ ſatisfaciant cupiditati, & ultioni? Sed nonne eſt fovere ſenſus adeo a caritate abhorrentes, expleri improba, & crudeli oblectatione videndi aliquem irriſum, & ludibrium factum, mente ſua repetere, ac retinere contumelioſiſſime dicta, quæ illius exiſtimationi teterrimum vulnus infligunt? Hæc profecto eſt voluptas, & oblectatio eorum hominum, qui ſenſus minime fovent honeſtos, multoque minus Chriſtianos. *Idem*.

Libri pravi poſt S. Pauli prædicationem flammis addicti.

En ſatis ſingulare exemplum fervoris primorum fidelium, ſimulque effectus zeli æque ardentis, ac prudentis incomparabilis S. Pauli. Magnus iſte Apoſtolus Dei Verbum prædicabat, & annuntiabat vias ſalutis Epheſiis; ſed ut digne munere ſuo fungeretur, non ſatis eſſe arbitrabatur luce Evangelii ſuperſtitiones Ethnicorum diſſipare, & Judæorum pertinaciam confundere legis ſuæ cæremoniis mordicus inhærentium; verum etiam adnitebatur malorum cauſſas convellere, & potiſſimum refutare inanes, & criminoſas obſervationes eorum, qui operam dabant Aſtrologiæ judiciariæ, nec non damnabilibus magiæ Myſteriis, quorum numerus ingens erat in illa civitate; cumque hic maximus eſſet obex, quem fidei adverſari poſſe videbat, Cæleſtis Orator iſte, cum jam oſtendiſſet illuſionem, atque calumniam harum ſcientiarum fallacium, atque diabolicarum, talem fecit in animis auditorum ſuorum impreſſionem, ut ad teſtandam ſinceram errorum ſuorum pœnitentiam omnes in medium protulerint libros, a quibus decepti fuerant, eoſque palam in ignem conjicientes, dederint veræ, ſinceræque converſionis monumenta. *Idem*.

Pravi libri omnium malorum cauſſa.

Hodierna die ſentio me, Auditores, correptum eodem zelo, quo tunc fuit magnus ille Apoſtolus; & utinam Deus eumdem mihi ſucceſſum impertiat ita, ut in mentibus veſtris verba mea eumdem effectum obtineant. Eo ſumus ſæculo, quo mihi perſuaſum eſt, pravos libros cauſſam eſſe plerorumque malorum. Fateor auditores me temperare non poſſe, quo minus loquar de calamitate quam ſibi conflant tot mortales per eam, quam ſibi vindicant licentiam contra Eccleſiæ anathemata, & pœnas a Sacris Canonibus inflictas, contra naturale præceptum ſeſe non objiciendi occaſioni peccati, contra omnes leges civiles, per licentiam inquam, quam ſibi vindicant, & quam illis ſuadet nocens curioſitas, legendi genus omne librorum, quorum alii quidem inſpirant ſenſus fidei, & Religioni oppoſitos, alii vero in vitium, atque flagitioſam nequitiam impellunt palam. Nec deſunt, qui id ſenſim, & ſine ſenſu efficiant emollientes cor pernicioſiſſimis cupiditatibus; & alii tandem, in quibus vitium diſſimulatum eſt, & placita e regione Chriſtianæ Religioni oppoſita omnibus lenociniis circumornata ſunt ad hoc, ut cum jucunditate excipiantur. Omnes iſti libri generatim amplectuntur mortale virus conditum ſpecioſis, ac ſuavibus verbis, ut cum voluptate voretur, & paullatim afferat oblivionem Dei, & animæ interitum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Quodnam fuerit conſilium Hæreticorum libros ſuos conſcribentium.

Cum Hæretici populos in errorem inducere non valuerunt dogmata ſua proferentes, & palam errores ſuos venditantes, confugerunt ad libros, & ſcripta; ut quocumque ſubtile hoc, & pernicioſum virus effunderent. Heu! nunquam tetra lues plures ad vaſtitatem urbes redegit, neque incendiorum furor tot peperit cædes: novitas enim ſtatim excivit curioſitatem animorum fluctuantium, atque in religionis ſuæ fide nutantium: ſermonis elegantia illos illexit, & error tandem captioſarum argumentationum furore obrepit; qui antea ob eorum ſententiis longiſſime abhorrere videbantur, earumdem facti ſunt patroni, atque propugnatores. En quid tot populos ſuperiori ſæculo corruperit, quid tot ſchiſmata in Eccleſia pepererit, quid omnia Chriſtianæ Religionis fundamenta concuſſerit; & niſi Eccleſia ſuffulta fuiſſet præſidio, ac promiſſionibus illius, a quo fundata fuit; actum jam fuiſſet: Portæ inferi adverſus illam prævaluiſſent; libri nequam eas reſeraſſent, quandoquidem tot in locis id conſecuti ſunt, quod ſexcenti dæmonis vicarii ad fallendas, ſeducendaſque animas ſæpe in iis laborare fuerant conati. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Hæreticorum ſcripta non minus metuenda ſunt, quam colloquia.

Hinc, Auditores, ſi Apoſtolus palam vetat quodcumque cum hæreticis commercium, ne nobis ſuos ſenſus inſpirent, & ſi jure naturali eos evitare jubemur, cum periculum imminet, ne eorum conſortio vitiemur; quæſo a vobis utrum illorum verba nobis ſint metuenda magis, quam ſcripta? Nonne in libris ſuis nequiſſimum venenum inſtillant? Per hos locorum longinquitate non diſtant a nobis, & mors quæ terrarum orbem a publicis hujuſmodi veneficis liberavit, non prohibet illos, quominus immedicabile vulnus infligant. Per hos nobis commercium eſt cum iis, qui pluribus ante hanc diem ſæculis e mundo exceſſerunt. Per hos hæ humani generis peſtes prædicant, & loquuntur adhuc poſt mortem ſuam, in libris veneno illitis, qui non minus appoſiti ſunt ad corrumpendos lectores ſuos, quam fuerint ſermones, & colloquia eorum ad eos fallendos, qui auctores eorum audivere. Idcirco Eccleſia tantam adhibet ſedulitatem ad curſum inhibendum mali adeo contagioſi; idcirco illos cenſoria nota perſtringit, anathemate percutit, in indicem refert ne quis decipiatur; idcireo pluribus in locis leges civiles vetant, ne ſubinvehantur in urbes, tamquam idonei ad totum terrarum

orbem

orbem inficiendum; idcirco tandem Eccleſia prohibet non ſolum eos legi graviſſimis pœnis propoſitis, ſed eos retineri vetat; tanta eſt hujus mali contagio. Verumtamen longius Eccleſiæ cautio procedit: ſatis enim eſt illos ab Hæreticis fuiſſe conſcriptos, ut eorum uſum interdictum velit: quamvis de rebus agant, quæ nec ad fidem, neque ad bonos mores pertineant; ne Auctorum celebritas, vel operum bonitas iis in argumentis, quæ nullo ſunt in diſcrimine, invehat præjudicium in gratiam religionis eorum, vel ne ſecretum aliquod lateat venenum, quod tunc erumpat, quum minus id accidere poſſe timeatur. *Idem.*

Damnoſa pravorum librorum lectione oſtendenda eſt utilitas lectionis librorum aſceticorum.

Per Orationem loquimur cum Deo, & per aſceticorum librorum lectionem nobiſcum loquitur Deus, & ea nobis dicit quæ legimus. Per aſceticos libros nos erudit, aperit nobis, quid petat a nobis; detegit inimici calidiſſimi inſidias, eaſque evitare, ac ſuperare nos docet. Per ſalutares id genus lectiones nobis reſerat occultiſſimos animæ noſtræ morbos, ſimulque docet pharmaca ad illos curandos præſentiſſima. Per pias lecturas Spiritus Sanctus nobis loquitur ad cor, detegit nobis imperfectiones noſtras, & omnia amoris proprii myſteria iniquitatis evolvit. Ibi diſcimus pretium, meritum, & virtutis ſuavitatem; funeſtos peccati effectus, vias Dei, & artem ad perfectam Sanctitatem perveniendi: Per ipſam hanc aſceticorum librorum lectionem Sanctorum Scientiam percipimus; &c.

Aſcetici libri ſunt velut conſanguineorum, & amicorum Epiſtolæ, qui in patriâ reverſi ſunt.

Aſcetici libri iſti, Sanctus Auguſtinus ait, ſunt velut Epiſtolæ nobis a Cæleſti patria noſtra redditæ. Igitur legamus illas cum eadem feſtinatione, qua qui reciperet illas a patria, a qua diutiſſime abeſſet. Legamus illas audituri, quid nuntient de Parentibus, fratribus, amicis noſtris, qui ibi verſantur, & quæ ſit eorum valetudo, & fortuna, quæ ſit gaudii eorum cauſſa, qua via ad beatam illam manſionem pervenerint, quid de nobis cogitent; quem conceptum habeant gaudiorum, bonorum, honorum, & calamitatum vitæ hujus. Tandem legamus illas viſuri, quid narrent de loco, quo omnes vehementer optamus proficiſci. Aſcetici libri ſunt veluti ſpeculum quod debemus objicere oculis animæ noſtræ, ibi inſpecturi animum noſtrum; & ubi facile eſt omnes maculas ejus intueri, & quidquid ibi vitii deliteſcit, agnoſcere. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Quomodo legendi ſint libri aſcetici.

Nihil eſt utilius lectione librorum aſceticorum; ſed ad profectum inde referendum non eſt feſtinanter pervolvenda, perinde ac aliquid ad ſolam animi oblectationem legeretur; ſed per otium, & magna cum attentione inſtituenda eſt. Conſiderate, atque attente legendum eſt, & ubi aliquid nos pupugerit, iterum, ac tertio repetendum eſt. Legentes ne quæramus duntaxat de rebus divinis edoceri, verum etiam illas guſtare. Animum advertentes ad ea, quæ legimus cum Propheta dicere poterimus. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; ſuper mel ori meo.* Pſalm. 118. Impoſterum oblectabor magis Domine legens teſtimonia tua, quam ſi mel ſuaviſſimum guſtarem. Aſſequi debemus, & ſcrutari non ſecus ac pius ille Rex ſenſus, quos Spiritus Sanctus per hanc lectionem aperit nobis. Hæc nequaquam a nobis habenda eſt tamquam ſtudium aliquod, quod curioſi faciunt, ſed tamquam documentum, quod nobis tradit Deus, ut ſanctas illius voluntates agnoſcamus, eaſque fideliter adimpleamus. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

DE VERBO DEI,

QUOD IN OMNIBUS CHRISTIANÆ RELIGIONIS URBIBUS PRÆDICARI JUBET ECCLESIA.

MONITUM.

Eccleſia *omnium Chriſtifidelium Mater, a quibus Nomen accepit, poſtquam eoſdem peperit, ſumma cura eos alit, & cibus, quem illis præbet, eſt Verbum Dei, & Sana doctrina, quam, qui præſunt illi, curare tenentur, ut in omnibus Orbis Chriſtiani civitatibus prædicetur. Hac de cauſſa divinum hoc Verbum in ipſis Scripturis paſſim Animæ cibus nuncupatur:* Non in ſolo pane vivit homo, ſed omni verbo quod procedit de ore Dei; Matth. 4. *& a Sanctis Patribus dicitur eſca ſpiritualis, quæ alit, atque tuetur vitam gratia, ſine qua illa ſtatim exareſceret, nec diu ſubſiſtere poſſet.*

De neceſſitate, atque effectibus Sancti hujus Verbi, deque fructu, quem in mundo peperit, & ad hanc quoque diem parit, ſatis prolixe verba fecimus, ut poſt ea, quæ a nobis allata ſunt Tomo Quarto Bibliothecæ noſtræ, & alibi, opus non ſit, ut fuſius loquamur; ſed hujus cibi Cæleſtis tædium, & fames, qua laborant tot populi ob defectum Concionatorum, qui illum diſtribuant: Parvuli petierunt panem & non erat, qui frangeret eis, Thren. 4. *nos cogit ſequi Eccleſiæ ſenſum hac in re, ut videlicet hortemur eos, ad quos ſpectat hunc Divini Verbi panem frangere, ut illum accommodent indigentibus, atque illum annuntient eo modo, qui ſit idoneus ad illos nutriendos, ac roborandos, fovendamque vitam gratia, quam in Sacramentis accepimus.*

DE VERBO DEI,

QUOD IN OMNIBUS ORBIS CHRISTIANI OPPIDIS PRÆDICARI JUBET ECCLESIA.

Dei Verbum effunditur miniſterio Prædicatorū.

CUM *fides ex auditu concipiatur, perſpicuum eſt, quam neceſſaria ſemper fuerit ad æternam ſalutem conſequendam doctoris legitimi fidelis opera, ac miniſterium, ſiquidem dictum eſt:* quomodo audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? Roman. 10. Hebr. 1. *& quidem ab ipſius mundi origine, clementiſſimus, & benigniſſimus Deus ſuis nunquam defuit, ſed* multifariam, multiſque modis locutus eſt Patribus in Prophetis, *eiſque pro temporum conditione ad Cæleſtem beatitudinem certam, ac directum iter monſtravit. Sed quoniam prædixerat,* daturum ſe doctorem juſtitiæ in lucem gentium, ut eſſet ſalus ejus uſque ad extremum terræ, *noviſſime* locutus eſt nobis in Filio, quem etiam voce e Cælo delapſa a magnifica gloria, *juſſit, ut omnes audirent ejuſque præceptis obtemperarent. Denique vero Filius* alios dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, atque Doctores, *qui Verbum vitæ annuntiarent,* ne circumferremur tamquam parvuli, fluctuantes omni vento doctrinæ, *ſed firmo fidei fundamento adhærentes coædificaremur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. Ac ne quis verbum auditus Dei ab Eccleſiæ miniſtris tamquam Verbum hominum, ſed ſicut vere eſt, Verbum CHRISTI acciperet: ille ipſe Salvator noſter tantam auctoritatem eorum magiſterio tribuendam eſſe ſtatuit, ut diceret,* qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Quod quidem non de iis tantum, quibuſcum ſermo habebatur, intelligi voluit, verum de omnibus etiam, qui legitima ſucceſſione docendi munus obirent, quibus ſe* omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi *affuturum eſſe pollicitus eſt. At vero cum hæc divini Verbi prædicatio nunquam intermitti in Eccleſia debeat; tum certe hoc tempore* majori ſtudio, & pietate elaborandum eſt, ut ſana, & incorrupta doctrina, tamquam pabulo vitæ *fideles nutriantur, & confirmentur.* Exierunt enim falſi Prophetæ in mundum, *de quibus dixit Dominus:* Non mittebam prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant, *ac variis doctrinis, & peregrinis Chriſtianorum animos depravarent.* Ex Cathechiſmo Concilii Tridentini.

OEcu-

Catechiſmus cur editus:

OEcumenica Tridentinæ Synodi Patribus viſum eſt maxime referre, ſi liber S. Synodi auctoritate ederetur, ex quo Parochi, vel omnes alii, quibus docendi munus impoſitum eſt, certa præcepta petere, atque depromere ad fidelium ædificationem poſſint, ut quemadmodum unus eſt Dominus, & una fides, *ita etiam una ſit tradendæ fidei, ad omniaque pietatis officia populum Chriſtianum erudiendi, communis regula, atque præſcriptio. Ergo cum multa ſint, quæ ad hanc rationem pertinere videantur, nemo exiſtimet, illud S. Synodo propoſitum fuiſſe, ut omnia Chriſtianæ fidei dogmata, uno libro comprehenſa, ſubtiliter explicarentur: quod ab iis fieri ſolet, qui ſe profitentur univerſæ Religionis inſtitutionem, & doctrinam tradere: id enim & infiniti operis fuiſſet, & inſtituto minus convenire perſpicuum eſt: Sed quoniam Parochos, Sacerdoteſque animarum curatores earum rerum cognitione inſtruendos ſuſcepit, quæ paſtoralis muneris maxime propria ſunt, & ad fidelium captum accommodata, ea tantum in medium afferri voluit, quæ hac in re primum Paſtorum ſtudium, ſi in difficilioribus divinarum rerum diſputationibus non ita verſati fuerint, adjuvare poſſent.* Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Doctrina ad captum cujuſcumque accommodanda.

Cum autem in omni re tradenda plurimum interſit, utrum hoc, an illo modo aliquid doceas: tum vero hoc in Chriſtiani populi inſtitutione maximi momenti exiſtimandum eſt. Obſervanda eſt enim audientium ætas, ingenium, mores, conditio: ut qui docendi munus exercet omnia omnibus efficiatur, ut & omnes CHRISTO lucrifaciat, & ſe ipſum fidelem miniſtrum, & diſpenſatorem probare poſſit, ac veluti ſervus bonus, ac fidelis dignus ſit, qui ſuper multa conſtituatur a Domino. Neque vero unius tantum generis homines fidei ſuæ commiſſos arbitretur, ut præſcripta quadam, & certa docendi formula erudire, atque ad veram pietatem inſtituere æque omnes fideles poſſit: ſed cum alii veluti modo geniti infantes ſint, *alii in CHRISTO adoleſcere incipiant: nonnulli vero quodammodo confirmati ſint ætate: neceſſe eſt diligenter conſiderare*, quibus lacte, quibus ſolidiore cibo opus ſit, ac ſingulis ea doctrinæ alimenta præbere, quæ *ſpiritum augeant*, donec occurramus omnes in menſuram ætatis plenitudinis CHRISTI. *Id vero Apoſtolus in ſe ipſo omnibus ſervandum indicavit, cum dixit* ſe Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitorem eſſe, *ut videlicet intelligerent, qui ad hoc miniſterium vocati ſunt, ita in tradendis fidei myſteriis, & vitæ præceptis doctrinam ad audientium ſenſum accommodari oportere, ut cum eorum animos, qui exercitatos ſenſus habent expleverint ſpirituali cibo, ne interim* parvulos fame perire patiantur, ut ſint qui panem petant, & non ſit, qui frangat eis. *Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

Scriptura, & Traditio ſunt unici fontes verbi Dei.

Omnis autem doctrinæ ratio, quæ fidelibus tradenda ſit, verbo Dei continetur, quod in Scripturam, traditioneſque diſtributum eſt: itaque in harum rerum meditatione Paſtores dies, nocteſque verſabuntur, memores illius D. Pauli admonitionis: quam ad Timotheum ſcriptam omnes, quicumque animarum curæ propoſiti ſunt, ad ſe pertinere exiſtimabunt: eſt autem hæc admonitio in hunc modum: Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ: eſt enim omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. *Sed quoniam quæ divinitus tradita fuerunt multa ſunt, & varia, ut nec ita facile aut animo comprehendi, aut etiam, mente comprehenſa, memoria teneri poſſint, ut ſi ſe obtulerit docendi occaſio, eorum parata ſit, & prompta explicatio: Sapientiſſime majores noſtri totam hanc vim, & rationem ſalutaris doctrinæ, in quatuor hæc capita redactam diſtribuerunt, Apoſtolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogum, Dominicam Orationem.* Ex eodem.

Officium Prædicantium verbum Dei.

Itaque viſum eſt monere Parochos, ut quoties uſuvenerit, ut aliquem interpretentur Evangelii, vel quemvis alium divinæ Scripturæ locum, intelligant ejus loci, quicumque is fuerit, ſententiam cadere ſub unum aliquod quatuor illorum capitum, quæ diximus, ad quæ tamquam ad ejus doctrinæ fontem, quod explicandum ſit, confugient. Exempli gratia, ſi explanandum ſit illud Evangelium primæ Dominicæ Adventus: Erunt ſigna in Sole, Luna, &c. *quæ ad eam rationem pertinent, tradita ſunt illo Symboli articulo,* Venturus eſt judicare vivos, & mortuos, *quibus inde aſſumptis Paſtor una, eademque opera fidelem populum, & Symbolum, & Evangelium docebit. Quare in omni docendi, & interpretandi munere, hanc conſuetudinem tenebit, dirigendi omnia ad illa quatuor genera, ad quæ referri univerſam divinæ Scripturæ vim, atque doctrinam diximus.* Ex Catechiſmo Tridentini Concilii.

Neceſſitas prædicandi verbum Dei.

Nulla eſt bene inſtituta reſpublica, quæ non habeat publicos artium, & ſcientiarum inſtitutores, a quibus tradantur ea, quæ utilia ſunt, vel neceſſaria bono communi eorum, qui illam componunt. Ordinem vero adeo neceſſarium non ſervet Eccleſia? Quod in mundo malum eſſet, ſi neque politiorum litterarum, neque Philoſophiæ, Juriſprudentiæ, Medicinæ præcepta traderentur? Attamen defectus hic temporale tantummodo detrimentum afferret: verum ſi in Eccleſia non docerentur ea quæ pertinent ad fidelium profeſſionem, hoc profecto æternam afferret calamitatem. Hinc Salvator præcipiens ut diſcipuli in omnes orbis plagas prædicaturi proficiſcerentur, non jubebat ſolum homines ad fidem converti, ſed etiam in eadem retineri; quod fieri non poterat, niſi fidelibus verbi Cæleſtis pabulum miniſtrare perſeveraſſent. Nam ſicuti Chriſtiana Religio verbo Dei ſuam debet inſtitutionem, dubitari non poteſt quo minus hoc ipſum verbum omnino ſit neceſſarium ad eamdem ſervandam, ejuſque fines latius protendendos; nam hac arte populis fidei veritates, & Evangelii placita explicantur. *Pater Segneri de Curatorum Officiis.*

Canones Concilii, & Patres præcipiunt, ut Eccleſiæ miniſtri prædicent Dei verbum. Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſ. c. 8. Seſſ. 24.

Probari non poteſt ea, quæ dicunt Canones, Concilia, & Eccleſiæ Patres de verbo Dei, ſimplex eſſe monitum, non autem præceptum; pœnæ quippe auſteriſſimæ, quas minitantur nonniſi ſeveriſſimæ obligationis effectus eſſe poſſunt; Præterquamquod præcepti, & imperii nomen paſſim invenitur in Concilio Tridentino, eadem de re: *mandat S. Synodus* &c. dicit etiam in Seſſione 24. *Præcipit S. Synodus*. Sed hæc verba *mandat*, *& præcipit* nonne formalem ſignificant obligationem? Ita ſane S. Congregatio Cardinalium Sacri Concilii Interpretum declaravit. Sin autem his Eccleſiæ legibus adjicere vellemus Sanctorum Doctorum teſtimonia, innumera eſſent in medium proferenda. *Idem.*

Miniſtri nolentes prædicare Dei Verbum quantum ſit crimen.

Miniſtri quibus cura tradita eſt Dei verbum prædicandi, & qui divini hujus verbi pabulum populis negant, eorum ſunt veluti homicidæ, iiſque applicari poſſunt illa S. Auguſtini verba in alio argumento. *Si non paviſti, occidiſti.* Profecto ſecundum juris canones mater, quæ filium non alit ſuum, illum cenſetur occidere perinde ac ipſum jugularet. Nonne hoc ipſum de illo dicendum eſt, qui cum per Baptiſmum pepererit animas JESU CHRISTO, illas ſpirituali fame ſinit intermori? Væ igitur illi, niſi prædicaverit, quemadmodum dicebat olim de ſeipſo S. Paulus Apoſtolus: *Væ enim mihi, ſi non Evangelizavero, neceſſitas enim mihi incumbit.* Propheta quoque eodem modo loquitur: *Væ mihi, quia tacui.* Ita ut cum nobis credita fuerit hæc provincia Cæleſtis hujus ſeminis diſtribuendi, væ nobis, niſi effuderimus illud, væ nobis quibus ſacrum hoc miniſterium creditum fuit, ſi tacuerimus, & ſi neglexerimus prædicare veritates Evangelii, quas prædicaverunt Apoſtoli: Audiri ne poſſunt hæ undique circumſtrepentes minæ quin terreamur? Inferamus ergo hinc, vel rite nobis obeundum eſſe hoc verbi miniſterium, cum animarum ſalus nobis fuerit demandata: vel hanc nobis abdicandam eſſe provinciam: Nil medium. *Pater Segneri de Curatorum Officiis.* 1. Corinth. Iſaiæ 6.

Nulla cauſa poteſt nos deterrere a prædicatione verbi.

Si raro accidit, ut omnes auditores attenti ſint, raro etiam accidit, ut omnes ſint diſtracti; cur illi his officiunt? Ad hæc S. Paulus præcipit Timotheo, ut uſque ad importunitatem prædicet; *opportune, importune.* Ceſſandum igitur non eſt, ſi qui te audire recuſent. Miniſtri Domini, qui ex mera caritate prædicant, abſtinere poſſunt, ubi non libenter audiuntur; tu vero hoc agis ex juſtitia, prædices oportet pro illis ipſis, qui a te ſibi negligunt prædicari, cum ſint e tuo grege. Ratio hæc reſponſionis loco eſſe poteſt excuſationi, quam objicis, Populum exhortationibus tuis non proficere: officium tuum ex id genus circumſtantiis non pendet; proficiat ille, nec ne, ſemper tibi prædicandum eſt, ex quo animarum cura tibi fuit demandata. In Miniſtris verbi Dei Prædicatio officium eſt ſpirituale, ac determinatum: quamobrem hoc munere fungi debent, licet proficere non videantur. Si verbi miniſter animas convertere teneretur, ſeſe a prædicandi munere eximere poſſet: hoc poſito, quod prædicatio ſua non converteret illas: Sed JESU CHRISTI eſt illas convertere: tui vero ad id laborem impendere: *Curam exigeris, non curationem.* Ubi feceris quantum eſt in te, functus es munere tuo: *Si omnia facit, ut ſanaret, peregit medicus partes ſuas.* Miniſter Domini ceſſare ne poteſt quominus animabus ſibi creditis, licet obduratæ fuerint, ſubſidium impertiat precum ſuarum? Immo tunc tenetur magis pro illis preces fundere. Hoc ipſum de Prædicatione dicendum; nam quemadmodum Dominus non indiget orari, & orari vult tamen, ut animas convertat; ſimiliter quamvis illas convertere poſſit ſine prædicatione, tamen vult hanc aliquid conferre. Hæc S. Auguſtini animadverſio diluit omnia argumenta, quæ afferri poſſunt in oppoſitum hoc in articulo. Præterea non ſemper intelligitur, utrum ſpiritualis fructus prædicationem ſemper ſubſequatur, necne. Animabus accidit, quod in fluminibus quibuſdam videmus, quæ adeo lento gradu procedunt, ut redere potius videantur: Dei verbum nunquam perit. Hoc ipſe teſtatur Deus: *Verbum meum non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque voluit, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Una hæc cogitatio excitare nos debet, & in memoriam nobis revocare id, quod dixit Deus Jeremiæ: *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & convertantur unuſquiſque* S. Bernard. Iſaiæ 55. Jerem. 26.

a via ſua mala. Ne ceſſes prædicare; populus enim te audiens, fortſſe convertetur, & a priſtino vitæ genere recedet. *Idem*.

Concionatores verbum Dei prædicare debent bonis exemplis.

Quemadmodum verbi Dei Miniſtro ſatis non eſt prædicare, ſi pravis vitæ ſuæ exemplis everterit quod doctrina ſua ædificaverit; ita non ſatis eſt bona exempla præbere, niſi bonis axemplis ſalutaria acceſſerint documenta. Miniſtro, cui credita eſt verbi adminiſtratio, non ſatis eſſe debet, ſi bonam duxerit vitam, niſi corripuerit eos, qui malam ducunt. Id ſi veretur, vel ſi cum id facere pudor vetat, perit cum omnibus, quos ſuum ſilentium perdiderit. Quid illi proderit, non plecti propter peccata ſua, ſi plectendus fuerit propter aliena? *P. Segneri de Curarorum officiis*.

Excuſatio Parochorum, qui ſe diſpenſant a prædicatione Verbi Dei.

Si polles ingenio, ut tradas doctrinam ſolidam, difficultas, quæ alioquin prohibet, ne ſenſus tuos promas non ſatis valida eſt excuſatio, ut temet a prædicatione diſpenſes. Non exigitur a te Sermo, qui Oratorem ſapiat; e contra nihil te minus deceret; ſed ſermo facilis, qualis inter familiares ſolet, & tamquam Parentis ad filios. Ne quæſieris ergo florentia verba, ſed vivida, & qualia verus affectus inſpirat: hic enim diſertos facit eos, qui alioquin loqui neſcirent. Delectus duntaxat habendus rerum eſt; quæ ſi minus ſuaves, & orationis ſuco ornatæ fuerint, tamen a pleriſque auditoribus tuis æqui, bonique fient, non ſecus ac aurei, argenteiqua nummi, quamvia male tornati, & cuſi, modo juſtum pondus exæquent, ultro, citroque teruntur. Ceterum, ubi aliquis ex iis, qui te audiunt eo uſque delicatus extiterit, ut parum ſublimem orationem contemnat, quid inde? Nunquid tibi ceſſandum ab officio, verito, ne non ſatis placeas hominibus? Num eorum gratia ſarcire poteſt æternæ tuæ damnarionis detrimentum? Cum Apoſtolus in Areopago concionaretur, irridebant illum tamquam hominem nimis credulum pro veris fabulas venditantem. Sed quin eorum cachinnis moveretur eos ridere paſſus eſt, & in miniſterii ſui opere perſeverans lucratus eſt JESU CHRISTO magnam fidelium vim, quam profecto lucratus non eſſet; ſi a prædicatione deſtitiſſet: *Si formidaſſet irridentes, non perveniſſet Apoſtolus ad credentes. P. Segneri de Curarorum Officiis*.

Prædicatores ſubmittere debent Sermones ſuos ad captum ſingulorum.

Aſſerere poſſumus in hoc maximam Evangelici Præconis ſitam eſſe induſtriam; qui ut rite explicet Fidei noſtræ Myſteria, illa aptare debet ad captum omnium; alioquin quidquid dicturus erit eumdem habebunt effectum, quem tela extra teli jactum exploſa: rumorem excitara poſſunt, & nihil præterea. Legite Evangelium; illine haoc methodum ſumite. Videte quomodo Salvator jugitar parabolis utatur, videlicet familiaribus ſimilitudinibus. *Sine parabolis non loquebatur eis*: non ſolum quia tunc temporis apud Judæos ea vigebat conſuetudo, ſed multo magis, quia ignotam illis doctrinam erat traditurus, *Eructare abſcondita a conſtitutione mundi*, & docilem ſibi populum erat paraturus. Itaque uticur ille ſimilitudinibus ductis a feminibus, a vinea, a vite, a Paſtore, a Piſcatore, & aliis id genus æque familiaribus; ut populus intelligeret ea, quæ docebantur; vel ſi non ſtatim aſſequeretur illa propter rudem craſſitiem, atque corruptionem, inde ſaltem arriperet occaſionem interrogandi Salvatorem orandique, ut eas ſibi parabolas explanaret: *Ediſſere nobis parabolam iſtam*. Cum vobis occurrerent id genus vulgares ſimilitudines, eas in adverſariis veſtris adnotate, ut ubi tulerit occaſio illis utamini, & ut aſſueſcatis marte, ut ajunt, veſtro alias ſimiles invenire. *P. Segneri in Curatorum officiis*.

Matth. 13.]

Matth. 13.

Miniſtri verbi tenentur auditoribus ſuis explicare ſenſus ſuos.

Iſai. 62.

Methodus, qua Dominus jubet uti Miniſtros ſuos, cum per Eccleſiam præſcribit illis, ut præparent Populo ſuo viam ſalutis, ea eſt, ut non ſolum illam planam faciant, ſed etiam electis lapidibus ſternant: *Præparare viam populi, planum facite iter, eligite lapides*. Miniſter verbi Dei complanat viam, cum a ſermonibus ſuis aas aufert difficultates, quæ prohiberent, ne facile intelligeretur id quod ſcire opus eſt: eam vero ſternit electis lapidibus, cum replet ſermonem iis circumſtantiis, quæ magis aptæ ſunt, & quibuſdam perſonarum generibus appoſitæ. Talis vera eſt ratio conſolandi Eccleſiam, & abſtergendi lacrymas, quas fundit videns quotidie tantum filiorum numerum ſpirituali fame intereuntium: Non quod ſemper deſit verbi pabulum, ſed quod deeſt, qui frangat panem, eumque aptet ſingulorum imbecillitati, & ingenio: unde accidit, ut cum parvuli illum nequeant digerere, nullum inde fructum percipiant. *Parvuli petierunt panem; & non erat, qui frangeret eis*. Summi cujuſdam viri ſententia eſt, non modicam fidelium partem damnari propter modicam curam, qua verbi Præcones explicant Chriſtianas veritates, neque enucleatius proponunt illas, inde pratictas concluſiones inferendo. Pleraque temporis pars impenditur dicendo ea quæ nimis generalia ſunt, auditores neſciunt vel nolunt ea ſibi peculiariter applicare; igitur vobis ſupplendum eſt. Prædicantes ex. gr. mundi gloriam nonniſi vanitatem eſſe; deſcendite ſtatim ad praxim: ſentiant auditores veſtri, cavendum eſſe ſibi, ne ad evirandum leve aliquod irriſionis dictum, immodeſte ſe gerant in Templo; ne ibi jurgentur, aut colloquantur, quia hoc alii faciunt: ne a Sacramentorum frequentia abſtineant, ob humanas rationes; ne luxum ſequantur, & ea indumentorum genera, quæ cum pudore non ſatis conveniunt. Oſtendite æquum eſſa, ut hujuſmodi in occaſionibus Deo magis placere velint, quam peccatoribus, ita enim facientes quodammodo in auditorum veſtrorum manibus ponitis clavim cordis ſui, ut illa utantur ad ſemet reverſuri: *Clavis aperitionis eſt ſermo correctionis*. Idem.

Thren. 4.

S. Gregor.

Miniſtri Verbi aptare debent ſermones ſuos captui auditorum.

Prædicator, qui ſemel tantum loquitur apud Populum rudem, qualis eſt ruri, non accommodat fere ſermones ſuos captui eorum, apud quos loquitur: ita ut poſtquam illum audiverunt domum redeant plerumque ſine ullo progreſſu: Sed Paſtores proprii norunt, quid ovibus ſuis conveniat; illis utile ſit, quid neceſſe; quid opus ſit, ut de ſuis officiis admoneantur; verbo norunt vitæ eorum rationem æque ac linguam populorum ſuorum, quod ubi deſit, nullus fere fructus ex illis percipi poteſt. *Oportet eum, qui inſtruit animas rudes, eſſe talem, ut pro ingenio diſcentium ſe ipſum poſſit aptare, & verbi ordinem pro audituris capacitate dirigere*. In hujuſmodi occaſionibus Doctrina oſtentanda non eſt, ſed pietas ſuadenda. *Idem*.

Natura & eſſentia Prædicationis.

Natura, & eſſentia Prædicationis eſt audire verbum Dei prædicatum, & annunriatum ab illis, quibus hoc miniſterium demandatum eſt; nam ſermones in lege veteri facti fuere per Prophetas, qui populo Dei voluntatem, ac præcepta nuntiabant; in nova autem per JESUM CHRISTUM, & poſt hunc per Apoſtolos, quos miſit in mundum univerſum, ut docerent homines viam Salutis, & poſt hos per viros Apoſtolicos ad ſacrum hoc miniſterium evocatos. Unde facile inferri poteſt eſſe contra finem, & eſſentiam hujus actionis, ſeſe conferre ad audiendam vocem hominis, & non Dei per os hominis prolatam; non ſecus ae Legati vox, vox eſt Principis, cujus legatione fungitur; vel in prædicatione non aliud inquirere, niſi aurium titilationem humani potius, quam divini ſpiritus ſermone; vel paſci velle mera curioſitate audiendo optima quæque, quibus paſcitur intellectus, & quæ voluntatem relinquunt aridam, & quæ doctiores quidem, non autem Sanctiores, efficiunt. S. Paulus laudans Theſſalonicenſes eo quod habitos a ſe audierant ſermones, ita illos alloquitur, Accepiſtis a me Dei verbum, quod audiviſtis, vel quod ego acceperam a Deo; illud inquam accepiſtis non tamquam hominis verbum, ſed Dei. Itaque actio hæc non habenda eſt tamquam Rhetoris, vel Oratoris alicujus declamatio, ſed oratio Legati a Deo miſſi. *Annus Chriſtianus Patris Suffren*.

Prædicatio verbi Dei actio prorſus divina, & quomodo?

Prædicatio actio eſt prorſus divina, idque quadruplici ex cauſſa. 1. Quia verbum, quod a Concionatoribus pronuntiatur, illis divinitus inſpiratur. *Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, Diſcipulis ſuis Salvator dicebat. Poſui verbum meum in ore tuo, dicebat Deus Iſaiæ Prophetæ; & idem Propheta conqueſtus dixit: Quis credidit verbis, quæ accepimus a te, & annuntiavimus in nomine tuo? Hoc facit Deus loquens Prædicatori; ſuum os illum vocat: Si ſejungis quod pretioſum eſt ab eo, quod eſt contemptibile, tu eris os meum. Gladius, quem vidit S. Joannes ex ore hoc prodeuntem, Symbolum eſt verbi Dei. 2. Fructus prædicationis pendet a Deo, qui illuſtrat, & efficienter movet cor audientis, quemadmodum Lydia purpuraria credidit S. Paulo prædicante quia Deus cor illi aperuerat, dum Apoſtolus ille loqueretur; & S. Auguſtinus dixit, quicumque loquitur ad cor, donec homo loquitur ad aures hominis, hunc habere in Cælo Cathedram ſuam. 3. Finis prædicationis eſt. Deo locum in cordibus præparare; illi filios parere, JESUM CHRISTUM in Auditorum animabus formare, illuſtrare mentes, conciliare, & fovere voluntates, verbo, ſalvara animas, qui finis omnium eſt præſtantiſſimus. 4. Diſcitur ſcientia Sanctorum, quam docuit Sanctus Sanctorum, quæ Auditores ad veram Sanctitatem inducit. Hujus finis eſt rudes erudire, eos, qui deerraverint, in viam revocare, ſive Hæretici fuerint; ſive alii; hominum peccata, & vitia corrigere; virtutes conſtituere in intellectu, & voluntate hominum, ut hominem in omnibus perfectum efficiat. *Idem*.

Actor. 16.

Miniſtri verbi Dei neminem privatim notare debent.

Præcipit Eccleſia Miniſtris Dei verbum prædicantibue, na in ſermonibus ſuis aliquem ſibi notandum proponant, ita ut qui audiunt, intelligant, quis deſcribatur: hoc enim omnino eſt ſemet objicere jacturæ nominis ſui, & exiſtimationis, vel ſaltem benevolentiæ populi, ideoque periculo nullius fructus referendi; quid enim proficient verba veſtra apud eos, qui a vobis fuerint laceſſiti? *Repugnante natura: nihil medicina proficiet*. Amittitis omnem populorum veſtrorum exiſtimationem, qui enim de aliquo obtrectat, cenſetur cenſora mali, de quo obrectat; præſertim vero ubi ſupponi poſſit, Miniſtrum palam indulgere privato dolori. Amittitia etiam ſtatim Populorum benevolentiam, plures enim vel conſanguinei, vel Amici illius, quem notaveritis, in illius partes concedent, & vos odio afficient. Non eſt Miniſtri verbi Dei miſeram Satyrici artem profiteri. Omnes illius correptiones, quamvis alioquin ſalutares, nonniſi hoſtiles ictus, & ultionis effectus haberentur. *Idem*.

Non

Concionator verti non debet, quod ipſi ſæpius repetat.

Non eſt, cur Prædicator timeat, ſibi vitio verti eo, quod eamdem ſæpe tundat incudem, populo refricans veritates, quas intereſt in animabus imprimi; nam de illis bis, aut ter quotannis verba facere, idem eſt, ac ſi ceræ annulus admoveretur quidem, ſed non premeretur. *Prædica verbum, inſta opportune, importune.* Pluries circumeunda fuerunt Jericunthis mœnia, ut proſternerentur; ſimiliter niſi pluries eadem morum præcepta inſtaurata fuerint, abuſus non evellentur e mentibus populorum; ideoque hoc efficiendum eſt Præconi Evangelico qui in partem Epiſcopalis ſollicitudinis vocatus eſt, *ut evellat, & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet.* Creſcunt inceſſanter in Eccleſiæ viridario mala gramina, indeſinenter ſunt eradicanda. Divini Verbi Miniſtro timendum non eſt, quod ſibi probro vertatur, eo quod eadem ſemper recoquat; in promptu eſt, quod reſpondeat, ſibi videlicet eadem dicendi anſam præberi; remedia non eſſe dimittenda, niſi morbus ceſſaverit, neque relinquendam correctionem, niſi error defecerit. *Nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur.* Sancta hæc importunitas tandem fit efficax, ac inveteratis etiam morbis medetur. Ita videmus Sanctos Patres id ævo ſuo facere conſueviſſe, & in animabus tantum fructum peperiſſe. *Idem.*

2. Timoth. 4.

Jerem. 1.

Sen. epiſt. 27.

Tanta eſt Prædicatorum neceſſitas, quanta Fidei.

Neceſſitas Prædicatores habendi, & audiendi verbum Dei per illorum os prædicatum, adeo late patet, ac fidei neceſſitas, ſine qua nemo ſalvari poteſt. Fides, S. Paulus ait, oritur ab auditu, auditus autem per verbum Dei. Quomodo credent illi, quem non audiverunt? Quomodo illum audire poterunt, niſi prædicaverit? Ceterum inutile eſt prædicare, ubi nemo velit audire verbum Dei; nam ſicuti neceſſe eſt prædicare ad Fidem in aliis gignendam, ita neceſſe eſt audire prædicationes, ut hæ in praxim redigi valeant. Quemadmodum infertur obligatio peccata ſua confitendi ex eo quod inſtituit Deus Sacerdotes, cum neceſſitate abſolvendi, tamquam judices; & nemo judicis officium obire valeat, quin cognoſcat cauſſas, de quibus judicium ferre tenetur, ſinguli tenentur Sacerdoti ſua aperire peccata; alioquin hic nunquam agnoſcet illa: ita Prædicationes audiendas eſſe argumentor. Nemo habere, & conſervare fidem poteſt, ſi deſit prædicatio: prædicator vero prædicaturus non eſt, ſi nemo illum audiverit, ergo audiendus eſt. Hinc in Scripturis eodem in loco ponitur non habere Deum, & non habere prædicatorem: Fides enim per quam credimus Deum eſſe, per Prædicationem confirmatur in nobis. Evangelium, hoc eſt, Prædicatio Evangelii vim habet hominem ſalvum faciendi, S. Paulus ait, *Annus Chriſtianus Patris Suffen.*

e

Dei Filius verbum ſuum ſemini comparavit.

Videtur Mundi Salvator ſignificare nobis voluiſſe neceſſitatem audiendi verbum Dei, cum hoc ſemini comparavit. Etenim quemadmodum ſine ſemine terra nonniſi tribulos, ſpinas, urticas, & mala profert gramina, fructus expectari nullus poteſt, ubi nullum jactum fuerit ſemen. Ita fructus bonorum operum, atque æternitatis invenientur in animabus, quæ Dei verbum audiunt, & quæ illud recipiunt in terra cordis ſui docilis, & proni in virtutem. Hoc ipſum ille verbum regni vocat: per illud enim diſcimus, quidnam ſit Paradiſus: quæ via tenenda ſit, ut illuc pervenias; ac tandem aditum aperit in Regnum Dei. *Idem.*

Tria ad ſalutem neceſſaria audiendo verbum Dei, acquiruntur.

Tria potiſſimum ſunt neceſſaria ad æternam Salutem & Chriſtianam Perfectionem. 1. Opus eſt, ut illuſtretur intellectus ad cognoſcenda illa, quæ facienda ſunt. 2. Opus eſt, ut voluntas bonum amplectatur, quod novit, & malum evitet. 3. Requiritur praxis efficax amoris boni, & fugæ mali. Quæ tria nonniſi audiendo verbum Dei poſſunt acquiri. Primum enim illud, quod conſiſtit in lumine intellectus connotatum fuit a David: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*, *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* S. Jacobus Dei verbum comparat ſpeculo, quod nobis oſtendit quidquid in ſe eſt, neque illud diſſimulat, quod pictor poteſt efficere. Secundum, nempe voluntatis affectiones acquiruntur, audiendo Legatos Dei, & per humilitatem, quæ exercetur eundo ad Eccleſiam tamquam ad ſcholam, ubi docent tamquam Magiſtri, & eodem tempore quo homo loquitur ad aures corporis, Deus calefacit cor eorum, quod experti ſunt diſcipuli illi qui proficiſcebantur in Emaus, quorum cor ardens erat in illis donec JESUM ſecum loquentem audiebant. Nonne verba mea ſunt tamquam ignis, & malleus conterens petras? Deus inquit per Jeremiam. Qui audierunt S. Petrum prædicantem ipſo Pentecoſtes die, ſtatim contriti fuerunt, & vera dilectione adeo ſuccenſi, ut cor eorum, quamvis durum confractum fuerit hoc malleo, & anima inflammata ad hujus ignis adſpectum. Viderant ipſa Dominicæ Paſſionis die petras confringi, ſe vero lapidibus duriores occalleſcere. Sed ubi poſt dies quinquaginta primum audiere ſermonem, contriti ſunt, factique flexiles, dociles, parati ad facienda quæcumque illis præciperet Prædicator. Scio equidem aſceticorum librorum ſcripturam plurimum poſſe movere cor, eamque pluries profuiſſe ad peccatores convertendos; ſed in Prædicatione aliquid eſt præterea, quod magis excitat, quam lectio piorum librorum; nempe ipſa Oratoris vox, quæ flectit animas, fovet voluntates, eaſque impellit, quo Oratori placuerit; & non vox tantum, ſed geſtus etiam, oculi, vultus, ita ut in magna populi concione, qui Dei verbum audire non poſſunt, ſæpe geſtibus, ipſoque corporis habitu Prædicatoris permoveantur. Quis non videt Dei verbum, uti decet, prædicatum per os hominis, majorem habere vim ad illum ad virtutem impellendum, & a malo præſervandum, quam omnia hominum omnium verba? Hoc accidit, cum Judæi a Phariſæis miſſi ad JESUM CHRISTUM capiendum, ubi illum audierunt prædicantem re infecta reverſi ſunt; & interrogati cur non abduxiſſent illum, reſponderunt, neminem unquam locutum fuiſſe; ſicut homo ille loquebatur; & cor ſuum eo prædicante mutatum fuiſſe. *Annus Chriſtianus P. Suffren.*

Effectus, quem in nobis producere deberet verbum Dei.

Si hominum, immo etiam Ethnicorum aliquorum ſermo tantam habuit vim, ut corda ipſa mutare poſſet, quid præſtare non debet Sermo Dei, ubi, uti opus eſt, & prædicetur, & audiatur? Legite vitas Sanctorum, conſulite exempla, decies centena vobis occurrent millia converſionum, quas per Prædicationem operatus eſt Deus. Alterum quoque ad ſalutem requiritur, & eſt praxis boni illius, quod cognoſcitur, & amatur, & fuga mali, quod in horrore eſt. Nam, ut dicunt S. Paulus, & S. Jacobus, non ſatis eſt audire verbum Dei; illud enim præcipuum eſt, ut quod docet, adimpleatur. S. Juſtinus Martyr Chriſtianum definiens, illum eſſe ait, qui talis eſt non verbo, ſed opere. Hoc ipſum per Prædicationem acquiritur. *Annus Chriſtianus Patris Suffren.*

Qualitates quas S. Gregorius aliique Patres Prædicatoribus tribuunt.

Prætermittere nequeo præclarum elogium, quod S. Gregorius Nazianzenus Prædicatoribus tribuit; ex quo melius inæſtimabile prædicationis bonum intelligetur. Illos operarios appellat pro mundo ſuperiori; nam ſicuti Salomon ædificavit Deo viventi Templum effoſſis ex latomiis lapidibus neceſſariis, qui optime expoliti fuerunt, & ædificio aptati antequam deferrentur in Templum, ut ſinguli in loco ſuo conſtituerentur; ita JESUS CHRISTUS in Cælo pulcherrimum ædificari voluit Templum compoſitum ex tot lapidibus, quot futuri ſunt beati; de quo Templo ita loquitur S. Paulus. Domum habemus in Cælo non factam hominum manu... & alibi; Expectabat Abraham civitatem bene fundatam: Dominus, qui ædificavit illam eſt Deus. Lapides igitur ex quibus Templum hoc ſtruitur, homines ſunt ex corruptis latomiis educti; videlicet ex genere Adam. Ad eos perpoliendos, dignoſque efficiendos ſancto hoc loco, deſtinavit Evangelii præcones, & poſuit in eorum ore verbum ſuum, quod Propheta malleum conterens petras appellat. Horum officium eſt homines perficere, eoſque erudire, ut cum Deo, cum proximo, & cum ſe ipſis conveniant, quod S. Paulus vocat vivere pie, juſte, & ſobrie. Hinc poteſt quilibet cognoſcere præſtantiam, & egregium prædicatorum munus, non ſecus ac pretium verbi, quod prædicant; & quo ardore, & affectu quilibet audire debeat Prædicatores, qui ad finem adeo nobilem inſtituti ſunt. *Annus Chriſtianus Patris Suffren.*

Prædicatores ſunt veluti parentes J. C.

Prædicatores ſunt veluti parentes JESU CHRISTI, illum gignentes, ac parientes in cordibus Auditorum; quamobrem adniti debent, ut habeant vitam conformem vitæ verbi Incarnati, quæ in interiori, exteriorique parte refulgeat. Filii cariſſimi, S. Paulus ait, quos iterum parturio, donec JESUS CHRISTUS formetur in vobis; & S. Gregorius explicans illa Evangelii verba, qui fecerit voluntatem Patris mei, ille frater meus eſt, mea ſoror, & mea mater eſt: eſt, inquit, frater, & ſoror JESU credens, mater vero prædicans: ille enim quodammodo gignit Dominum noſtrum, qui inſinuat illum in cor Auditorum, & verbo ſuo producit in anima amorem Dei. *Annus Chriſtianus Patris Suffren.*

Prædicatores ſunt legati J.C.

Prædicatores ſunt Legati JESU CHRISTI, ut loquitur Apoſtolus, miſſi ab illo, ſicut ille miſſus fuit a Patre ſuo: deſtinati, ut ſignificent hominibus Voluntates Dei, efficiantque, ut ab illis divina adimpleantur edicta, ad reconciliandas eorum animas cum Deo, & ut illis ferant opem æternitatem lucraturis, ac ſemet ſanctificaturis. Si legati Regum maximo habent in pretio delatum ſibi honorem, quanti faciendum eſt Præconi Evangelico præclarum hoc munus, quod illum Dei Legatum conſtituit? Prædicatores ſunt JESU CHRISTI præcurſores, eodem perfunguntur munere quo Præcurſor S. Joannes Baptiſta, quale eſt parandi vias Domino; quod S. Gregorius ait ſignificatum fuiſſe, cum Dominus noſter mittebat ante ſe diſcipulos ſuos illuc quo mox ipſe erat venturus. Dominus, ait ille, ſequitur Prædicatorem; præcedit enim prædicatio, poſtmodum vero venit Deus ad habitandum in anima per ſidem, & gratiam. Sunt, S. Gregorius Nazianzenus ait, Architecti ad præclaram Paradiſi Civitatem ædificandam in qua tot ſunt lapides, quot animæ beatæ. Sunt ſal terræ, lux mundi, civitas ſuper montem poſita. Sunt Salvatores Mundi, qui convertunt animas, qui in illis efficacem efficiunt Salutem, quam JESUS per mortem illis promeruit, & qui illas ab inferno retrahunt. Hoc Salvatoris nomen debetur illis potiori jure, quam illud Salvatoris Ægypti Joſeph. Conſtitui te, ut ſis

lumen gentium, & ſalus mea, uſque ad extremum terræ, dicebat Deus Iſaiæ Prophetæ. Denique ſunt totidem Angeli amicti carne in opus electi ſicuti Angeli, qui ſunt in Cælo anſervientes ad ſalutem prædeſtinatorum, ut loquitur S. Paulus. *Idem.*

Quomodo nos gerere debeamus audientes Verbum Dei.

Cum aliquis ſe præparare vult ad audiendum Dei verbum, debet; Primo, attollere cor ſuum in Deum, & preces effundere cum pro ſe, tum pro Prædicatore, & Auditoribus, ut hæc actio Dei gloriam conferat, & audientibus proſit. Secundo, inſtaurare debet intentionem habendam in hac actione, & conſiderandum in ſuggeſtu prædicatorem tamquam Legatum a Deo miſſum, & verba illius tamquam litteras, quas adfert de Cælo nomine Dei ipſius, vel tamquam Organum, per quod loquitur Deus. Tertio, Audire debet attente Prædicatorem ejiciens ex mente omnem mundi cogitationem, quæ Sancti hujus ſeminis fructum prohibere poſſit. S. Auguſtinus ait eum, qui oſcitanter audit, & ſinit in terram decidere verbum Dei æque nocentem eſſe ac eum, qui labi ſinit pretioſum JESU CHRISTI Corpus. Dei verbum tanta cura, & reverentia recipiendum eſt, quanta ſi eſſet Sanguis Domini, vel Sanctorum reliquiæ. Quarto, Succenſere non debet Prædicatori vitia corripienti, neque putare, illi mentem eſſe ipſum unum exprobrandi. Miniſter enim Domini ſuo fungitur officio, cum crimina reprehendit; Dominus enim qui mittit illum, hoc ipſi præcepit. Clama, inquit, ne ceſſes; oſtende populo meo iniquitates eorum; niſi annuntiaveris peccatori malum, in quo eſt, ut inde recedat, & vivat, ſi mortuus fuerit in peccato ſuo a te pœnas repoſcam, & rationem repetam ea te animæ, quæ perierit. S. Auguſtinus docet, Prædicatorum munus eſſe peccata exprobrare, quin ulli pareat. Quorſum de illis querendum nobis eſt, quandoquidem ſuo munere funguntur, & Dei mandatis obediunt? Nonne Anticitas mittendus eſſet qui ſuccenſeret ſpeculo, eo quod illud intuitus; omnem faciei ſuæ turpitudinem videt. Mementote quod S. Hieronymus inquit, generalem objurgationem, contumeliam inferre nemini. Et alibi ait, cum ſcribimus, vel loquimur, quin alicujus nomen memoretur, qui ſuccenſet, ſe ipſum accuſat. Prudentia jubet, ut qui ſibi conſcius eſt, diſſimulet, & oris ſui ſerenitate oſtendat, nullam in eorde ſuo umbram deliteſcere. *Annus Chriſtianus Patris Suffren.*

Quæ mens eſſe debeat Concionatori Dei Verbum nunciantis.

Mens Concionatorum vitia corripientium eſt, vel prohibendi, ne in Auditorum ſuorum animas irrepant, ſi nondum obreperint, vel illa extrudendi, & corrigendi, ſi illuc pervaſerint. Cur ergo de illis queramur? Qui accedit Dei verbum auditurus non debet cenſoria note perſtringere miniſtrum illud nuntiantem, nec debet referre ad quempiam ſibi cognitum verba, quæ audit; hoc enim eſſet perperam judicium ferre, & de Concionatore, & de aliis, nec non injuriam facere verbo Dei, illud in pravum ſenſum detorquendo, & prorſus a mente concionantis. Debet autem aditi, ut aliquid divini hujus verbi retineat, ut hoc utatur adverſus dæmonis tentationes, & ad ſuæ ſalutis profectum. Fili mi, Salomon ait, attente audi veræ Sapientiæ doctrinam, ut reſpondeas Sathanæ, ejuſque tentationibus reluctéris: & Auctor Eccleſiaſtici monet, ut Eccleſiam adeamus audituri hominem ſapientem, ejuſque verba in corde noſtro meditaturi. Qui venit ad audiendum verbum nunquam contemnere debet Concionatorem, licet terræ filius eſſet, vel non ſatis diſertus, & eloquens. Cum enim Tabellarius Regis epiſtolas defert, Epiſtolæ reſpiciuntur, leguntur, recipiuntur, Regis voluntas adimpletur, quin illud ſpectetur, utrum qui illas attulerit albus ſit, an niger, dives, an locuples, nobilis, an humili loco natus. Quod ipſum de Concionatoribus dici poteſt. Neque conqueri fas eſt, quod Prædicator dicat communia, vulgaria, omnibus lippis, atque tonſoribus nota, nulla novitatis venuſtate commendata. Quidquid dicitur, jam dictum fuit; non ideo tamen fructus aliquis non percipitur. Panis cibus eſt communis, atque vulgaris; tamen alit corpus, & pharmacum iterum hauſtum curat ægrotantem. *Idem.*

Ut ex Dei verbo fructum capias, oportet, ut tibi illud audiveris, meditéris.

Opus eſt, ut qui Dei verbum audivit illud ſibi proponat ſuæ meditationis argumentum, ne cribro ſimilis ſit aquam recipienti, eamque ſtatim effundenti. Filius Dei beatos dixit non eos tantum, qui audiunt verbum ſuum, ſed qui illud auditum cuſtodiunt, & in praxim redigunt. Qui enim obſonium comedunt, neque digerunt illud, nullum inde fructum percipiunt. Hoc ipſum illis uſuvenit, qui ne animum quidem advertunt iis, quæ in Prædicatione audiverunt. SS. Virgo meditabatur in corde ſuo id, quod Angeli, Paſtores, S. Eliſabeth, aliique dixerant de Filio ſuo, non contenta id auribus ſuis audiviſſe. Ejus exemplum imitari nos decet, neque ſolum nobiſcum meditari, ſed eum aliis colloqui, ut mutuis collationibus ultro citroque ſanctificemur. Si quid proficuum audiemus, ne excidat memoria; operæ pretium erit id in commentariis noſtris recenſere, ut ubi res tulerit, uti valeamus. Hominis memoria non ita firma, ac ſtabilis eſt, ut diu meminiſſe poſſit ea, quæ ſemel audivit. Quamobrem Scriptura huic ſupplet defectui. Ubi iterum legimus, quod ſcripſimus; eædem diſpoſitiones, eademque nobis ſuboriuntur deſideria, quæ primum oborta ſunt, cum illum primum dici audivimus. *Idem.*

Malum, quod illis contingit qui per habitum audiunt Dei verbum.

Malum graviſſimum, quod mihi deprehendere videor in vita devota illud eſt, quod ſufficit nobis ea facere, quæ per ſe bona ſunt, quin ſatagamus ea bene facere; quare fit, ut exiguus ſane fructus inde percipiatur; neque enim requirerentur omnes totius Quadrageſimæ ſermones rite intellecti ad convertendam, ac perficiendam, non dico animam unam, ſed integram civitatem. Illi quot annis audiuntur, & poſt Paſcha modicus æque perceptus fuiſſe fructus videtur, ac ante. Malum hoc contingere nequit ex parte divini verbi, quod per ſe confringere valet duriſſima corda; inflammare frigidiſſima, docere imperitiſſima, curare infirmiſſima, & ea quæ ſenſibus magis abdita ſunt efficere Spiritualia. Inferendum ergo malum hoc ab Auditore oboriri, qui ignorans naturam, atque actionis hujus utilitatem per habitum, & conſuetudinem operatur. *Idem.*

Qualiter ſe Dei verbum audientibus...

Primum Conſilium, quod præberi poſſit accedentibus ad audiendum Dei verbum, eſt omnem imparam intentionem ejicere, quabs ut plurimum eorum eſt, qui auditum veniunt ex animi vanitate, & curioſitate, ut doctiores fiant, non autem Sanctiores: cum illuc accedere deberent ad audiendum Deum per os hominis loquentem. Loquitur Deus in me, & per me, dicebat magnus Prædicator S. Paulus: Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Dei qui loquitur in vobis, dicebat JESUS Apoſtolis; primis Chriſtianæ Eccleſiæ Prædicatoribus. Dei verbum audiendum eſt, ut ab omnibus vitiis emundemur ut ſancti ſimus, & meliores, quam ante. Dementis eſt velle quidpiam ob alium finem præter eum, propter quem inſtitutum eſt. Injuria fit Prædicatori, Prædicationi, & Deo, qui illam inſtituit, ubi in prædicatione quæritur aliquid præter ſalutem, atque profectum animæ. Crimen eſt ad audiendam concionem accedere alium ob finem præter hunc, quoniam eſt contra divinam inſtitutionem. Secundo loco veniendum eſt pura conſcientia, elicito ante Contritionis actu, qui peccati tenebras diſſipet; hæc enim obici eſſe poſſet luminibus, quæ Dei verbum tribuit audientibus ſe, & qui purificant, & detergunt locum, ubi verbum recipiendum eſt; cum liqueat ſapientiam, & cognitionem Dei in malevolam animam nequaquam introituram, neque habitaturam in corpore ſubdito peccatis. Tertio, illuc afferenda eſt magna humilitas, atque docilitas, quoniam verbum hoc *intellectum dat parvulis:* Et ipſa etiam clamitat Sapientia: *ſi quis eſt parvulus, veniat ad me.* Abſcondiſti Myſteria tua ſuperbis, ac Sapientibus Mundi, & revelaſti ea parvulis, dicebat Salvator loquens ad Patrem; & rationem veram Judæis reddens propter quam ex verbo ſuo non proficiebant, dixit illis, quomodo credere poteſtis, ſi honorem, gloriam, & hominum laudes aucupamini? In valles defluunt fontes, & aqua divinæ Sapientiæ in cor humile. Non eſt, ut de vobiſmet alte adeo ſentiatis, ut credatis tantumdem ſcire, quantum Concionator; vel magis. Talis nihilominus eſt plurimorum vanitas, ut propter hanc rationem audire nolint conciones, vel hinc nolint proficere, cum audiunt. S. Ambroſius ait, hominem quantumlibet doctum, & eruditum, ſemper eruditione indigere donec vivit in terris. Plura ſunt, quæ neſcio, quam quæ ſcio, vetus quidam ajebat Philoſophus. S. Virgo ab ipſis etiam didicit Paſtoribus: cur igitur pudet te a Sacerdotibus, & Concionatoribus diſcere, S. Ambroſius inquit? Salomon nil a Deo petiit aliud, niſi cor docile; hoc eſt humile, & paratum ad diſcendum; ideoque magna Sapientia fuit præditus. S. Auguſtinus de ſe loquens in quadam Epiſtola, dicebat: Quamvis ſim ſenior, & jam pridem Epiſcopus, paratus tamen ſum, ut a juniore docear Epiſcopo: & alibi; ſi quid docere me polles, quod neſcio, patienter ſuſtinerem te non ſolum verbo redarguentem, ſed etiam punientem. Piſces quamvis in ſalſa maris aqua nati, & innutriti, tamen ſale condiendi ſunt, ita illi etiam qui doctrina præſtant, opus habent aliquo aſceticæ vitæ Magiſtro, ne relaxentur. Denique cum omnibus detur optio audiendi quem maluerit Prædicatorem, illum audire debet, quem ſibi magis prodeſſe cognoverit. Æger qui curari cupit, medicum quærit, non doctiſſimum, neque ægrotantis indulgentiſſimum, ſed eum, a quo ſperat ſe curatum iri. Deus conqueritur de Auditoribus, qui dicunt Prædicatoribus ſuis: loquimini nobis placentia. *Annus Chriſtianus P. Suffren.*

Socrates.

Puræ Intentiones, quæ in Prædicante requiruntur in officii ſui exercitio.

Miniſter Apoſtolicus docens duas habere debet intentiones cum prædicat. Primo, Honorare debet Deum, eique placere. Secundo, Auditoribus debet prodeſſe, iiſque cum fructu verbum Dei miniſtrare. Prima intentio indigitatur per verba illa: Vos eſtis lux mundi; facite, ut luceat lux veſtra, ita ut homines videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. Intentio altera, quam habere debet Prædicator connotatur per hæc: Ego vos elegi, & conſtitui, ut eatis: & fructum feratis verbi mei. Et ſicuti Oratoris finis eſt perſuadere verbis, ita Concionatoris finis eſt placere Deo, & efficere, ut homines proficiant in officiis ſui veri Chriſtiani; quod non ita intelligendum

eſt

eſt perinde ac omnes conatus ſui illi bene vertere debeant, ſed quod hoc ille velit, & ad id nihil inauſum, vel intentatum relinquat. Actio oſcitanter peracta, non poteſt accendere in corde ignem amoris Dei; quia Dei verbum eſt ignis, ſi ardere, & urere nequit, non habet finem propter quem a Deo inſtitutum eſt, ideoque illum, qui Evangelico præconi quærendus eſt. *Idem*.

Duæ præcipue malæ Concionatorum intentiones.

Concionator, ut plurimum, duas habet malas in muneris ſui exercitatione intentiones. Prima eſt lucrum temporale; tenet enim prædicationem tamquam negotiationem, & mercimonium plus offerenti, & plurimum licitanti tribuendum. Cogitant pietatem temporale lucrum eſſe, quod ſane Evangelicam decorat dignitatem, cum dictum ſit; *gratis accepiſtis, gratis date*; quod Apoſtolis ſuis dicebat JESUS CHRISTUS cum mittebat illos in omnes terras ad prædicandum. Non iden tamen dixerim nefas eſſe honeſtam ad victum remunerationem percipere; operarius enim dignus eſt mercede ſua; & qui ſervit Altari, de Altari vivere debet: ſed non ideo hæc prædicandi provincia cuipiam depoſcenda eſt, ut locupletetur aliquis, & terrenis opibus augeatur; aliter continget fore, ut Auditor ſpirituale, atque æternum acquirat, & Prædicator ſpirituale quidem amittat, atque temporale adipiſcatur: ſed hoc non eſt proximum ædificare, ſed eſt injuriam, & Deo, & proximo inferre; quoniam prædicat non quidem ad proximi Sanctificationem, ſed ad lucrum faciendum; perinde ac argenti vim lucrari pluris eſſet, quam animam lucrifacere. Longiſſime abhorrebat hinc Apoſtoli intentio, cum dicebat: quæro vos; vos lucrari, non bona veſtra, volo. *Idem*.

Prava intentio eſt propter vanitatem prædicare.

Pravam quoque habere poteſt Intentionem Prædicator, cum vanitatis cauſſa prædicat, ut audiatur, & cieat admirationem ſui, alios quidem ad ſe audiendum invitans, prætermittens alios quos contemnit, vel palam, vel clam; ſeu quod ſe Indoctiores putat, ſeu quod hoc munere indignos arbitratur. Utitur etiam Prædicatione, ut Eccleſiaſticas dignitates aſſequatur, vel ut laudetur, laudans ſe ipſum, & invidens aliis, qui plures habent ſectatores, pluribuſque talentis divinitus cumulati fuerunt. Ex prava hac oritur intentione, illum impenſius operam dare, ut hominum plauſus ſibi conciliet, quam ut rationes aptiores excogitet, ut perſuadeat auditoribus ſuis, eoſque ad Chriſtianarum virtutum praxim cohortetur. Pudet illud iterare quod ſemel dictum, & neceſſario ſæpe repetendum eſt; vel diſcere ab illis, qui illud jam dixere, ne ab ullo irrideatur. Mœrore conficitur, eo quod auditoribus ſuis ſatisfacere nequit, quod non ſemper obtineri poteſt; quandoquidem frequenti in Concione multa ſunt hominum ingenia, quorum ſingula aliter ſentiunt. E contra vero inenarrabili efferatur gaudio, cum ſibi populi plauſum comparavit, proſperum laborum ſuorum exitum ſibi potius, quam Deo referens acceptum. Nefas eſſe putat vitia reprehendere, ne quis non ſit contentus. Talis erat prava eorum intentio, de quibus S. Paulus conqueritur, qui per invidiam prædicabant, & ægre ferebant, ipſum pluris fieri. Sed palam faciens intentionis ſuæ puritatem, quæ Deo tantum placere, & aliis prodeſſe quærebat, dicit: Gaudeo, & gaudebo, dummodo CHRISTUS JESUS prædicetur. Et alibi verba faciens de intentione quam habebat in ſermonibus ſuis ſcribens ad Theſſalonicenſes inquit: *Sicut probati ſumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra*: & ſcribens ad Corinthios ait, non ſum ſicuti alii plures, qui corrumpunt, & adulterant verbum Dei: ſed prædico cum ſincera intentione, tamquam ille, qui loquitur de Deo, & JESU CHRISTO per motum, quem mihi imprimit Deus. *Annus Chriſtianus Patris Suffren*.

Una inter alias Prædicatori neceſſarias diſpoſitiones eſt obedientia.

Concionator Apoſtolico ſeſe immiſcere non debet miniſterio niſi vocatus a Deo: Quam ob rem ſuis parere debet Superioribus, ex quorum ore diſcet Dei voluntates atque præcepta. Nemo enim munus hoc aggredi debet, niſi vocatus fuerit, & miſſus ab eo, qui olim conquerebatur de quibuſdam Prophetis, qui inter Judæos ſeſe, non miſſi, prædicatorum numero inſerebant: *Falſoprophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & divinationem fraudolentem, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis*. Et cum Ezechiel prædicare cœpit audit hoc verbum: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me*. JESUS CHRISTUS venit ad prædicandum miſſus a Spiritu ſancto, *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus*. Scriptura vocat S. Joannem Baptiſtam miſſum a Deo, ut teſtimonium perhiberet de lumine. Apoſtoli miſſionem ſuam habuerunt: Euntes docete omnes gentes, dixit illis Dei Filius: Ego elegi vos; ut eatis, & fructum afferatis, & pro viribus operam detis, ut fructus veſter permaneat. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur, S. Paulus ait: orate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam, dicebat JESUS Apoſtolis ſuis. Quis autem venire audeat tamquam Legatus, & Miſſus, niſi ille, quem Rex miſit cum imperio, ac patentibus litteris manu ſua ſubſcriptis, atque ſignatis? Ratio patet; cum enim fructus Prædicationis, ſalus videlicet animarum, non proficiſcatur a ſcientia, vel eloquentia Prædicantis, ſed unius Dei, & qui plantat nihil ſit æque ac ille, qui rigat, & Deus unus præſtet incrementum: quis non videt prædicare non eſſe hominis opus; ſed prædicatorem eſſe vocandum a Deo? Etiamſi Prædicator ſeſe diligenter ita diſpoſuerit, ut prædicandi poſtulat munus; & comparet ſibi retia ad animas capiendas velut piſces; Dei ſemper eſt tangere hominum corda, qui totidem piſces ſunt, ut ingrediantur in retia, iiſque capiantur, quia eorum corda ſunt in manibus ejus. *Annus Chriſtianus Patris Suffren*.

Jerem. 14.

Ezechiel 3.

Luc. 4. 18.

C A T E C H I S M U S.

PRAXIS QUA ECCLESIA ERUDIT PUEROS, RUDES HOMINES, ET IGNAROS,

M O N I T U M.

ECCLESIÆ zelus pro Fide latius propaganda, & religionis puritate ſervanda non in eo tantum ſitus eſt, ut Dei verbum apud Nationes omnes, in omnibus Civitatibus, oppidis, Parœciis, atque in omnibus Religioſis domibus prædicetur: ſed ſe extendit etiam ad accommodandum divinum hoc verbum rudibus, & imperitis per familiaria documenta, quæ vulgo Catechiſmi appellantur, & qui non minus verbi Dei nomen, & qualitatem merentur; quoniam præterquam quod utrinque iidem fructus percipiuntur, ſicuti ex hoc Tractatu innoteſcet, Catechiſmus immunis eſt a vitiis, quæ plerumque Verbum iſtud corrumpunt, quod prædicatur iis, qui eruditores ſunt, qui pabulum flagitant paratius, atque ſapori ſuo accommodatius.

Satis non poteſt celebrari zelus, & cura Præſulum Regni hujus hac in re. Credere juvat hoc ipſum fieri in omnibus aliis Chriſtianæ Religionis imperiis, atque ditionibus: videmus enim hoc ſæculo Succeſſores Apoſtolorum, quibus commiſit Deus Fidei depoſitum, curaſſe, ut ſub eorum auſpiciis, ac nomine, vernaculo idiomate prodirent juxta Sanctorum Canonum Statuta in Diœceſibus ſuis Catechiſmi, quibus pueri, aliique ſimplices, rudeſque mortales ad unguem edocerentur ſingula quæ illis ſcienda, faciendaque ſunt ad ſalutem indiſpiſcendam. Zelus eorum non minus renidet in ea cura, qua ſingulis juriſdictionis ſuæ locis præficiunt huic muneri viros idoneos, qui pro ipſis hoc rite fungantur officio erudiendi indoctos; & admonendi Parentes, & utriuſque ſexus magiſtros, ut eos mittant ad audiendam explicationem rerum earum, quas ſcire tenentur, ut ſalutem conſequantur. Ex hujus Tractatus decurſu videbitur fructus, quem recipit Eccleſia ex hoc genere verbi Dei; a quo dicere poſſumus pendere felicitatem, bonos mores, pietatem, & Religionem eorum, qui a teneris unguiculis egregie docti, erudiſique fuerunt.

CATECHISMUS.

PRAXIS ECCLESIÆ ERUDIENDI PUEROS, ET HOMINES RUDES, AC IMPERITOS.

Quid ſit Catechiſmus.

CATECHISMUS non aliud eſt quam familiare documentum Myſteriorum fidei noſtræ, quod viva voce traditur baptizandis, vel baptizatis; qua in re operæ pretium eſt animadvertere primitivæ Eccleſiæ temporibus neminem auſum fuiſſe ſcriptis mandare noſtræ Religionis Myſteria; timebant enim, ut ſcripta hæc inciderent in manus infidelium, & cognoſcerentur a perſecutoribus fidei, qui illa ſibi in ludibrium vertiſſent, & pedibus conculcaſſent, quod immunda animalia cum pretioſis lapillis facere conſueverunt. Oretenus ergo tantum fidei noſtræ Myſteria docebantur, Magiſtris interrogantibus, diſcipulis autem reſpondentibus; quod catechizare appellatur. Hæc exercitatio nobilis eſt, atque peutilis: hæc enim e primis eſt Eccleſiæ functionibus, & vere Apoſtolica, uti liquet ex Bibliis, ubi Dominus noſter præcipit S. Petro, ac in illius perſona omnibus Præſulibus, atque Paſtoribus, ut paſcant agnos, videlicet pueros, alioſque rudes homines, tradentes illis Chriſtianam doctrinam. Præſules, & Apoſtolorum Succeſſores huic muneri ſuæ dignitatis ſatisfecerunt docentes ſumma cura, & ſedulitate Catechiſmum. Etenim S. Cyrillus Jeroſolymitanus, & S. Auguſtinus ſcripſere Catechiſmos, quos docebant, docerique jubebant a Sacerdotibus, atque Paſtoribus; ſimulque modum in hiſce documentis tradendis ſervandum, S. Gregorius Nyſſenus orationem ſcripſit catechiſticam, aliique Sancti non pauci maluerunt catechizare, ac tradere fidei noſtræ documenta, quam ſermones ſublimiores conſcribere. *Ex Theologia.*

Quia pueris peculiariter tradendus eſt Catechiſmus.

Catechiſmus tradendus eſt potiſſimum pueris baptizatis, qui ad aliquam cognitionis ætatem pervenerunt. Id autem quia omnes indocti docendi ſunt, ſeu pueri ſunt, ſeu ſenes; nihilominus, qui provectiori ſunt ætate ſupponuntur, vel eſſe debere doctiores. Pueri ergo potiſſimum ſunt erudiendi, ubi diſcretionis ætatem attigerint, & a teneris unguiculis mittendi ſunt ad Catechiſmum; quia a parvis rebus incipiunt, & ſenſim cum ætate formantur ad majora, & magis neceſſaria. Dum vero dico pueris baptizatis Chriſtianam doctrinam eſſe tradendam; loquor ſecundum tempus, & locum in quo modo ſumus; nam pueri, qui modo baptizantur in Eccleſia Catholica, in baptiſmo promiſerunt per os illorum, vel illarum a quibus de Sacro fonte ſuſcepti fuerunt, ſe Chriſtianorum more victuros, atque legem, & Dei mandata ſervaturos. Quomodo autem vultis Dei legem ab illis ſervari, niſi illam didicerint; quomodo vero diſcent, niſi Miniſter illos docuerit? *Ex eadem.*

Tenentur Paſtores docere, & curare, ut populi ſui doceantur.

Paſtores generatim docere tenentur, vel curare, ut populi ſui doceantur. Hæc illis incumbit neceſſitas de jure divino, de jure naturali, & poſitivo. Hoc enim proprium eſt officium Paſtorum animarum paſcere oves ſuas Verbo Dei, vel per ſe, vel per alios. Neceſſe igitur eſt, ut aliquis doceat pueros ſecundum captum illorum ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, quod fieri nequit adeo perſpicue, neque cum ordine illo, quo ſermones fiunt, quos pueri non ita facile intelligunt. Paſtor non poteſt perfecte hoc munere fungi prædicans, niſi aptaverit ſermones ſuos ad captum ſimplicis populi, redigens omnia argumenta ad punctum aliquod Catechiſmi, modo ad Symbolum Apoſtolorum, modo ad Orationem Dominicam; alias ad mandata Dei, & mox ad Eccleſiæ Sacramenta, quod re ipſa difficilius eſt, quam ſolum prædicare. *Ex Theologis.*

Eccleſiaſticorum error, qui indignum reputant pueros edocere.

Mirum eſt videre nonnunquam divini Verbi Miniſtros, qui nugas putant, & ſe indignum arbitrantur docere parvulos; ſed hi non advertunt animum ad fructum, qui inde amanat, neque eo habent in pretio, quod meretur, hoc miniſterium. Munus hoc adeo eximium eſt, ut Dei Filius, qui eſt æterna Sapientia, illud inſignioribus prætulerit: *Sinite parvulos venire ad me.* Opus ergo ut qui Catechiſmum exercere aggreditur, omnibus ſtatuat utilitatibus abrenuntiare, profitens ſe pueros docere mere, ac ſimpliciter propter Deum, & animarum ſalutem, atque, ut munere ſuo perfuncturus muniat ſe conſtantia, & patientia, ſummo cum ardore huic operi, cujus tantum eſt meritum, curam, ac manum admovens. Verum eſt Sermonibus majorem ineſſe vim ad permovendos Auditores: verum cum fieri minime poſſit, quod noſtri moveantur affectus, niſi antea doceamur, & niſi ea cognoſcamus, quæ movere nos debeant; Catechiſmus, ubi traditur doctrina Chriſtiana neceſſaria cum omni candore, & familiaritate ad captum eorum, qui maxime ſimplices ſunt, magis neceſſarius eſt ipſis prædicationibus; nihilominus qui docet, & erudit pueros, poteſt etiam ſimul movere auditores ſuos, & omnes ad id conatus debet exerere, & profecto utriſque ſatisfacit, ſi erudiens indoctos moveat etiam cor aliorum, qui ipſum audient. *Ex iiſdem.*

Indulgentiæ iis conceſſæ, qui Catechiſmum docuerint.

Ad ciendos, inflammandoſque Domini Miniſtros, qui pueros erudire tenentur: Summi Pontifices ſeſe benignos præbuerunt erga illos, qui huic muneri opem ferunt, & huic inſtitutioni cooperantur. Quamobrem pluribus gratiis, & indulgentiis eos cumulant ad Chriſtianum populum magis excitandum, & ad Doctrinæ Chriſtianæ progreſſum promovendum Pius Papa V. hortatur omnes Antiſtites, ut omnem opem, ac vim adhibeant, ut Chriſtianæ hæ præceptiones ubique locorum inſtituantur; ut illis præficiant homines aptos ad tradendam Chriſtianam doctrinam, atque, ubi videbitur, inſtituant Confraternitates, & Societates Doctrinæ Chriſtianæ: ad quem obtinendum effectum ſuadet, ut obtinere conentur Indulgentias pro omnibus illis, qui ſeſe in hoc munere exercuerint, niſi jam Summi Pontifices plurimas jam conceſſerint: & Paſtores inferiores excitat, ut liberaliter erogent viris, & mulieribus, quæ operam navant tradituri catechiſmum, & pueros inſtituturi, ad eos pro virili alliciendos, ut eo, qui maximus eſſe poteſt fervore, ac ſtudio actioni adeo Sanctæ cooperarentur. *Ex iiſdem.*

Quiſnam eſſe debeat fructus Catechiſmi.

Catechiſmi fructus non ſolum eſſe debet fidelibus tradidiſſe prima Fidei elementa; verum etiam illos ſubinde pares efficere ſolidioribus præceptionibus, ita ut mentibus eorum inſpiretur guſtus, & primis ſermonis Scripturarum, & Eccleſiæ elementis imbuantur, ut deinceps proficere poſſint ex Sermonibus, quos audient. Ideo Divini Verbi Miniſtri ſemper in Propoſitionibus, & Sermonibus ſuis aliquid Catechiſmi debent inſerere; nam cum hæc attinguntur, inſpirant amorem Dei, & cum amore Dei omnes Virtutes. Hic verus eſt omnium Myſteriorum finis, cum Deus non fecerit res adeo admirabiles, ut paſceret, & curioſis mentibus ſatisfaceret, ſed ut eſſent fundamentum Sanctorum operum, quæ Religio a nobis fieri jubet. Sed liquet, cum a nobis, fidelibus explicent ea, quæ Deus in nobis operatus eſt per baptiſmum, & ea, quæ in eo nos facturos eſſe promiſimus; quænam ſint leges Chriſtianæ pœnitentiæ; quod JESU CHRISTI conſilium in Euchariſtiæ inſtitutione; & quo animo Miſſa audienda ſit, & ad Sacram Synaxim accedendum; ſenſim, & ſine ſenſu produci in cordibus veram pietatem, & homines idoneos fieri, qui ex divino, cui adſtant, Sacrificio proficiant. Credendum non eſt populos, & homines labori natos ex hujuſmodi lectionibus proficere non poſſe: experientia docet e contra, dummodo vera illos inſtituendi ratio adhibeatur, & in illis diſcendi cupiditas excitetur, atque noſmet illis erudiendis paratos oſtendamus, cum publice, & in Eccleſia; tum privatim, ac domi; illos non mediocrem fructum percipere, & in Dei cognitione proficere. *Auctor recens.*

Hæreticorum Exemplum confundit eos, qui pueros negligit erudire.

Hæreticorum exemplum rubore ſuffundere poteſt eos, qui emendicant excuſationem aliquam negligentiæ ſuæ in populorum indocilitate; ibi enim videntur pueri, & rudes Scripturarum locos proferre, de controverſiis loqui; & quamquam hujuſmodi cognitiones degenerent in periculoſam garrulitatem, & in inanes deſinant diſputationes, hoc ſatis nobis oſtendere poteſt, quid diſcere valeant mortales, ſi ea, qua par eſt, cura edoceantur. Verum eſt tamen magnam ad id requiri diligentiam; Catechiſmus habendus eſt magis privatis in domibus, ac ſeorſim, quam in Eccleſia; & non pueris ſolum, ſed etiam Patribus familias, & praxis hæc commendanda eſt ludi Magiſtri, ut paullatim omnes erudiantur familiæ. *Idem.*

Nullus eſt Pater vel Mater familias, cui ſæpe volvendus non ſit Catechiſmus, & attente repetenda Chriſtianæ Religionis principia, quæ in eo continentur. Quo enim ſæpius lectio illa iteratur, eo plures deteguntur veritates; præterea multa ſunt, quæ pueris dicuntur, quæ nonniſi provectiori ætate percipiunt, ita ut non deſint quædam in Catechiſmo ab omnibus perdiſcenda. Quamvis Patres familias Catechiſmum non legerent iterum, niſi ut pares eſſent erudiendis filiis, ac famulis; hæc ſatis valida eſt ratio propter quam id facere teneantur. Sed verum nimis eſt, pleroſque homines, illum nequaquam ſatis didiciſſe, & quod deterius eſt, ubi ad aliquam pervenerunt ætatem, quin illum calleant, eum negligere, ac pudore deterreri ne illum iterum manibus tenerent. *Auctor recens.*

Miti-

Digitized by Google

Quæ in Eccleſiaſticis diſpoſitiones quærantur, ut pueris tradant Catechiſmum.

Miniſtri, quibus cura credita eſt pueros erudiendi, cavendum eſt, non ſolum ut id aſſidue, & peramanter peragant, verum etiam quadam cum gravitate, cui lenitas ſit admixta; ut gravitas reverentiam conciliet, & lenitas ſit quædam illecebra, qua pueri ad illos audiendos libenter accedant. Antequam pueri Catechiſmum recitare jubeantur, ſermo apud illos inſtituendus eſt plenus pietate, & unctione, qui adſtruat illis ideam veritatum, quarum ab illis ratio erit expetenda; ſed oportet ſermonem hunc brevem eſſe, & familiarem, cui finis injiciatur re aliqua ad eos permovendos appoſita, & eorum, quæ dicta fuerunt, quadam veluti anacephaleoſi. Catechiſmo inſpergendi ſunt loci quidam acres, & acuti ad inſpirandum pueris amorem virtutis, & horrorem vitii. Præceptionibus admiſcendæ ſunt quædam hiſtoriæ ex Scripturis, vel probatis auctoribus exceptæ, quæ cieant attentionem, & locum præbeant ad blande inſerendam in corda ſanam doctrinam. Quam ob rem, ubi Catechiſtis explicandum erit Myſterium aliquod, vel Sacramentum, pro fundamento debent ſubſternere, quid acciderit, ut Myſterium hoc adimpleretur, vel Sacramentum inſtitueretur. Omnia in hoc ſita ſunt, ut ſcias ſenſibus ſubjicere ea, quæ narranda erunt, Inculcanda, ſæpe repetenda; ea videlicet quæ difficiliora ſunt; ac magis neceſſaria, quoniam paſtoribus reſervata eſt corona gloriæ propter laborem hunc adeo utilem, ubi illis perſuaſum fuerit hanc viam eſſe reddendi rationem Deo animarum, quarum cura ſibi concredita fuit. *Idem.*

Quæ methodus ſervanda in pueris erudiendis.

Scitu legiſlatores bonam filiorum educationem tanti fecerunt, ut eam reſpexerint veluti fundamentum publicæ ſalutis. Poſſet ne igitur Miniſter Domini eam negligere; vel nonne hæc illi præ ceteris maxime procuranda eſt? Quandoquidem potitur ſpiritu puerorum, antequam dæmon eodem potiatur; & hæc certa eſt victoria, quam lucratur Deo, & cujus Dominus ſummopere zelotypus eſt. Quamobrem teneris ante omnia vi arctiſſimi præcepti, docere pueros prima Chriſtianæ fidei fundamenta, quæ in Apoſtolorum Symbolo continentur; homines enim ab unguiculis ipſis tendere debent ad finem, propter quem creati ſunt; opus eſt S. Thomas ait, ut ab ipſo primo rationis uſu doceantur unitatem Dei, & divinarum perſonarum Trinitatem, quæ futuræ ſunt objectum beatitudinis noſtræ. Oportet etiam, ut cognoſcant viam, qua ad finem hunc perveniant, ideoque ſciant præcipua Myſteria, quæ reſpiciunt Incarnationem Filii Dei, & auxilia, quæ nobis ad ſalutem acquirendam ſuppeditavit. Norint igitur pueri, quantum ſatis eſt, omnia Sacramenta, & ea potiſſimum, quæ ſunt magis univerſalia, & neceſſaria, qualia ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia. Sed quia parum prodeſt viam cognoſcere, niſi illam ſequamur, tradenda etiam pueris eſt ratio ſequendi illam, docendo eos Dei Mandata, ſcilicet id quod ab illis exigit Deus, ut tribuat eis Paradiſum, & quid illis prohibeat propoſita pœna aditum illius ipſis in æternum iri intercluſum. *P. Segneri de Curatorum officiis.*

Quid docendi ſint pueri.

Cum nemo adimplere valeat præcepta ſine opere Gratiæ, quæ nonniſi precibus obtinetur, Miniſtri verbi Dei docere tenentur pueros Orationem Dominicam. Nequeunt enim cito nimis docere illos non utilitatem ſolum, verum etiam inevitabilem orationis neceſſitatem, & obligationem quotidie orandi Deum, ne in peccatum labantur. Sacroſancta Tridentina Synodus præcipit, ut iidem Miniſtri his omnibus adjiciant frequentia, & peculiaria monita, ut pueris immittatur Dei timor, & obedientia, quam debent Patribus, ac Superioribus ſuis: nam quamvis hæc puncta in Decalogo comprehendantur, opus eſt, ut illa diſtinctius noverint præ aliis, quia duo hæc illis magis ſunt neceſſaria, eorumque ætati accommodata; ideoque nunquam ſatis repetendum erit, illos ſeſe rebus in omnibus ſubjicere debere humili cum obſequio voluntati Dei, qui ſupremus illorum eſt Dominus, primuſque pater in Cælo; & voluntati eorum, qui erga ipſos Dei locum tenent in terra. *Idem.*

Quibus mediis uti debeant Paſtores, ut doceant pueros veritates, quæ in Catechiſmo continentur.

Si arcta adeo neceſſitas eſt pueros docendi ipſorum officia, credendum ne eſt, Paſtores ſuo muneri ſatis feciſſe, cum pueri memoriter, longoque uſu ea repetant, quin verborum ſenſum aſſequantur? Hoc ad ſummum eſt panem illis oſtendere, non frangere; immo hoc ne oſtendere quidem eſt, ſed veluti claudere in vaſculo, quod illis exhibetis, quin ad illud aperiendum clavim præbeatis. Quem uſum illi facere poſſunt? Væ Miniſtris Domini, qui hoc modo operantur. Igitur ſingillatim illis quilibet articulus explicandus eſt ita, ut pueri ſenſum intelligant: Utque id bene vertat, operæ pretium eſt uti vulgaribus ſimilitudinibus. Utimini eadem methodo pro veritatibus practicis: & in tradendis Dei, & Eccleſiæ præceptis: Re adhuc integra pueris inſtillate quædam eſſentialia Chriſtianæ Religionis placita illis oppoſita, quæ mundus corruptus ſectatur, ut diluculo incipiant ſeſe componere ad ſuæ religionis principia: ſi enim prima, quibus replebuntur, placita recta non fuerint, cetera, quibus mox imbuentur, rectiora non erunt, ut videre eſt in ædificio, in quo primi lapides male poſiti, ceterorum, qui ſuperædificantur, augent deformitatem. In id autem potiſſimum incumbite, uti Synodus præcipit Tridentina, ut pueris inſtilletis cum Dei timore tantum horrorem peccati, ut audito ſolum ejuſdem nomine perhorreſcant. *Idem.*

Obligatio Parentum mittendi filios in Eccleſiam, ut doceantur.

Quod ad Parentes attinet, ſæpe illis oſtendenda eſt obligatio, qua tenentur optimam filiis ſuis inſtitutionem procurare, ideoque mittere eos ad Eccleſiam, ut diſcant, quod Chriſtianus ſcire debet. Oſtendendus illis eſt maximus ille fructus, quem inde ipſi percipient; hoc documentum effecturum, ut quam primum filii diſcant reverentiam, & obedientiam, quam ſibi debent præſtare; ſine quo eſſent ſylveſtres plantæ nonniſi amariſſimos fructus allaturæ. Ad excitandos etiam parentes, a quibus id petitis, ob eorum oculos ponite plurimas Indulgentias, quas Summi Pontifices conceſſerunt Sanctam Doctrinam docentibus, vel conferentibus aliquid, ut doceatur; quare ſignificare voluerunt, quanti momenti ſit id efficere. *Idem.*

Quomodo cum pueris ſe gerere teneantur Verbi Miniſtri.

Divini verbi Miniſtri uti debent illiciis cum pueris, quos erudire volunt; allicientes eos laudibus, promiſſionibus, munuſculis. Æque difficile eſt illos vi, miniſque compellere, ac facile per ſuavitatem pellicere; & miror quibuſdam in parœciis nullo pacto cogi poſſe ad Catechiſmum: nunquid fumo congregantur Apes; an aliquo ſuavi liquore? Quidam ſunt Eccleſiaſtici, qui vexant pueros, quos erudire volunt, quin excurſent ſicubi errant, durioribus verbis exprobrant eorum ignorantiam, murmurant, terrent, & nonnunquam etiam verberant; & putant illos taliter exceptos libenter accedere poſſe ad ipſos audiendos? Leones ipſi his modis nequaquam aſſueſcerent; quomodo vero Agni parvuli aſſueſcant? Noverat JESUS CHRISTUS qua ratione cum illis utendum eſſet. Videte qua cum benevolentia illos excipiat; quomodo eos complectatur, eiſque manus imponens ſuam illis largiatur benedictionem: *Complexus eos, & manus imponens ſuper illos, benedicebat.* Itaque ubi corripiendi ſunt, & prohibendi, ne obſtrepant; cavete ne faciatis id per vos, ne vos oderint; ſed alicui id negotii tribuite; hoc eſt conſilium, quod præbent, qui rerum experientia imbuti ſunt, vos autem in id unum incumbite, ut eorum vobiſmet concilietis amorem, quos erudire vultis; etenim nihil hoc magis neceſſarium eſt. Hoc nobis palam docet S. Auguſtinus, cum ipſe teſtatur, amorem quo S. Ambroſium proſequebatur patrem ſuum in JESU CHRISTO, inde profectum fuiſſe, quod in ipſo nactus erat, non ſolum veritatis doctorem, ſed hominem ſuavem, atque officioſum. *Eum amare cœpi, non tamquam Doctorem veri, ſed tamquam hominem benignum in me.* Si hoc accidit Auguſtino, qui eo, de quo loquor tempore jam vir erat, & alioquin ſummo præditus ingenio, quid de illis dicendum, qui nondum ætatem illam attigerunt, qua perfectum aſſecuti ſunt rationis uſum? Cum ergo aliquem vocabitis, qui vobis in pueris educandis ferat opem, illi etiam atque etiam commendate, ut eadem utatur ſuavitate, ac ſemper ab acribus verbis, ac verberibus abſtineat. *Pater Segneri de Curatorum officiis.* — *Math. 10.*

Intereſt maxime pueror in inſtitutioni operam dare.

Nemo ſatis operam impendere poteſt puerorum inſtitutioni, inde enim vitæ eorum ſanctitas pendet. Quodnam ergo Paſtoris eſſet meritum, ſi laborem ſuſcipere vellet illos in litteris erudiendi? Qui docent in Scripturis Patres vocantur, & qui docentur dicuntur Filii: *Filii Prophetarum*, ad inneundum nos non minus debere illis, a quibus docemur, recte vivere, quam illis, qui nobis vitam dederunt. Fateor equidem, magnum vobis hæc cura negotium faceſſeret; ſed quem inde fructum non perciperetis? Pleræque curæ, quarum jactura fit in Populo rudi ruſticoque, utiliter impenduntur in populo, qui ab ipſa pueritia excultus eſt. Auferendo, vel præoccupando mores agreſtes, ruſticoſque, ad omnia pares fiunt, & informantur. Si munus ergo, quod propono vobis moleſtum eſt, ſemper tamen verum eſt, illud eſſe poſſe objectum magni zeli, ideoque fieri poſſe facile: zelus enim omnia mitiora efficit, & faciliora. *Idem.*

Exemplum Gerſonis magni Cancellarii.

Gerſon perilluſtris ille Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius, jure habitus inter ſummos ævi ſui viros publice pueris feſtis diebus tradidit Catechiſmum, ſponte cum jam provectiori eſſet ætate. Quidam univerſitatis ejuſdem Theologi, licet eidem rebus in omnibus inferiores quin factum admirarentur, contemnendum putarunt. Quid ille? Eos obloqui paſſus eſt; & ab inſtituto non receſſit. Emiſit duntaxat Apologiam, quam perutilem futuram cenſuit, ut probaret munus illud maximæ eſſe utilitatis, cui vir doctus vacare poſſet; & fieri poſſe, ut temporis beneficio exemplum ſuum maxima efficeret bona, non Pariſiis ſolum, verum etiam in univerſo Chriſtiano orbe qui ab illa civitate feliciſſimos recipiebat influxus ſapientiæ, atque doctrinæ. Utinam aliquot mihi ſuppeterent radii luminum Viri hujus præſtantiſſimi ad eam commendandam exercitationem, de qua verba facimus. Fateor iterum munus hoc

moroſum eſſe, atque moleſtum; ſed quid zelus ſuadere non poteſt, ut JESU CHRISTO certos Servos procuremus? S. Paulus Apoſtolus poſt tot revelationes, & captus non dubitat ſeſe euſque demittere, ut aliqua ratione repuereſcat, tamquam nutrix cum alumno ſuo. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix ſov at filios ſuos:* Mater nonnunquam ex ore ſuo haurit fruſtulum cibi, quod comedendum porrigit filio ſuo; & hoc illi acceptius, & ſapidius eſt præ dapibus omnibus, quas ex opipara menſa poſſet delibare. Simili aliquando lætitia efferri debetis, voſmet vobis ipſis ſurripientes, ut voſmet abditis curæ puerorum Parœciæ veſtræ. Quam mirabili facilitate vos illos deduceretis, ubi adoleviſſent; ſi illi conſueſcerent a teneris unguiculis veſtram vocem audire, & ſequi? E contra vero ne ſperetis, vos ad libitum deducturos eſſe eos, qui a pueris docilcs non fuerint præceptionibus veſtris. JESUS CHRISTUS bis commendavit S. Petro, ut Agnos ſuos paſeeret, & de ovibus ſemel tantum locutus eſt; quod innuere velle videtur, nobis duplo majorem impendendam eſſe curam pueris, qui Agnorum nomine connotantur, quam ceteris, qui Oves dicuntur: Primi enim illi re ipſa majorem nobis ſpem tribuunt. *Pater Segneri de Parochorum officiis.*

Fructus bonæ inſtitutionis puerorum.

Vulgo ſatis perſuaſum eſt ex bona puerorum Inſtitutione pendere felicitatem non ſolum particularium familiarum, & Parentum gaudia, verum etiam totam rempublicam, proſperitatem, & bonum regimen Rerum publicarum, atque regionum: at neſcio utrum æque perſuaſum ſit bona filiorum inſtitutionem pendere etiam a doctrina quæ traditur illis de Myſteriis Religionis noſtræ, de horrore peccati, quod in illis eietur, de timore Dei, ac fidelitate in ejus famulatu; ubi S. Bernardus ait non alias cauſſas eſſe inquirendas, cur multi videantur ſenes repleti vitiis, & omni virtutum genere deſtituti; niſi hoc inde profectum eſt, quia virtutes has adepti non ſunt ab adoleſcentia, quæ opportunum erat tempus illas addiſcendi. Et S. Hieronymus deſcribens egregias qualitates ſenectutis eorum, qui a pueritia virtutibus operam dederunt, ait illam fieri doctiorem ætate, certiorem experientia, prudentiorem diuturnitate; eamque jucunde fructum percipere veterum laborum adoleſcentiæ. Adoleſcentia enim tempus eſt tentationum, atque præliorum; unde ſequitur, cum tentationes eo tempore ſuperatæ fuerunt, non magna difficultate reliquo vitæ ſpatio poſſe ſuperari. Certum eſt vehementiſſimas tentationes illas eſſe, quæ a voluptate proficiſcuntur, quæ nonnunquam ſuperavit illos, quos tormenta vincere non potuerunt: ſed quamvis tentationes ſint omnibus ætatibus communes, conſtat tamen illas frequentiores, & acriores eſſe in Juventute, quæ ſemper, ut S. Hieronymus ait, inter calliditatis certamina verſatur; cumque ſemper ſepta ſit peccati occaſionibus, & agitata ſtimulis carnis, multos ſuſtinet labores ad puritatem ſervandam, ſimilis igni, qui ægre ſervatur ſub virentibus lignis, quibus obruitur. Miſerum itaque eſt videre ſæpe ſenes, qui prima ignorant ſuæ Religionis rudimenta, eo quod illa in prima pueritia non didicerunt, præſertim vero in ruſticis, & ſæpe etiam in iis, qui negotiis operam navant, qui nunquam fere animum adjiciunt Chriſtianis veritatibus, & per inevitabilem fere calamitatem moriuntur in ignorantia, cum non ſint ultra parce excipiendis præceptionibus; quaſi occupatio iſta non eſſet amplius opportuna. Verum illorum negligentia nequaquam medicina careret, ſi alii quidem libros conſulere vellent; alii vero intereſſe, cum Miſſiones ſubinde peragntur in agris, & quædam habere colloquia cum Confeſſario. *Auctor recens.*

Primus obex ad Salutem in adoleſcentibus eſt carentia eorum, a quibus doceantur.

Primus obex ad Salutem in adoleſcente, eſt ignorantia, vel defectus doctrinæ. Ut bonum ametur, cognoſcendum eſt. Docendi ſumus, illud per nos cognoſcere minime poſſumus, quia nobiſcum in mundum nihil præter ignorantiam, & peccatum afferimus. Dicit Deus per Prophetam ſuum, populum in captivitatem abductum fuiſſe, eo quod non habuerit ſcientiam, videlicet Salutis ſuæ cognitionem: & Sapiens addit: *Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum.* Obex hic magnus eſt, & hæc prima eſt origo depravationis adoleſcentiæ. Hic autem eo magis deplorandus eſt, quo magis communis eſt, & ad plures extenditur, cum verum ſit pleroſque adoleſcentes interire, eo quod non ſatis callent virtutum præcepta. Pares negligunt erudire filios ſuos in vera pietate; omnemque operam, curamque tranſmittunt ad eos educandos in vanitate, inter delicias, inter voluptates, in amore terrenorum bonorum, & in placitis mundi. Quamobrem permanent in ignorantia ſua, & pravis habitibus, & in nullam reditus ſpem miſere intereunt. *Auctor recens.*

Iſaiæ 5. Proverb.

DE PUBLICIS PRECIBUS.

MONITUM.

POSTQUAM in Mordis Bibliotheca noſtræ Tomo Tertio tradidimus Collectanea de neceſſitate, & conditionibus Orationis, & poteſtate, quam habet impetrandi a Deo, quidquid ab illo petit: una ex præcipuis Eccleſiæ conſuetudinibus eſt uti valido hoc ſubſidio, ac generali hac, toties repetita, proviſione pro publicis neceſſitatibus per preces æque publicas, atque ſollemnes; videlicet cum tota civitas, vel communitas aliqua ſimul in unum veluti corpus colligitur a Deo favorem, vel opem aliquam in communi, atque urgenti neceſſitate impetratura: quod merito creditur certius Dei Eilius auditurus plures ſimul orantes, quemadmodum ipſe teſtatus eſt, quam cum ſingillatim homines petunt, & ſinguli pro ſua quiſque utilitate deprecantur. Hujus rei cauſſas memorabimus: addo ſolum in precum publicarum numero eas a nobis recenſeri, quæ vere hujuſmodi ſunt; qualis eſt Officii Divini recitatio in Eccleſiis Cathedralibus, & in Paræciis, & in omnibus ferme Religioſorum Communitatibus, juxta ſingulorum Ordinnm Conſtitutiones.

Ubi ſciendum eſt non deeſſe plures alias occaſiones, in quibus conſuevit Eccleſia extra ordinem hujuſmodi preces adhibere; cumque ipſi magis comperta, atque explorata ſint Dei hac de re voluntates, & agnoſcat urgentes neceſſitates; in quibus populorum magis intereſt ad Deum confugere; exempli gratia pro terra hujus fructibus; ad id enim eas inſtituit preces, quas Rogationes appellat: *alias ſimili ratione fieri jubet in publicis calamitatibus, veluti tempore peſtis, in ſumma annona caritate, vel cum in populo morbus aliquis gliſcit; alias ad avertenda impendentia mala; alias ad agendas Deo gratias pro victoria de Religionis, vel Republica hoſtibus relata; alias ad obtinendam Regis valetudinem, a qua populorum felicitas pendet; alias denique ob alias cauſſas, in quibus agitur de publica utilitate, quam omnes pro virili parte procurare debent, pie, ac devote precibus hujuſmodi adſtantes, & pro ſe quiſque nonnihil publicis hujuſmodi celebritatibus conferentes.*

DE PUBLICIS PRECIBUS.

Publicæ preces majorem habēt vim, quam privatæ.

SI unius oratio ſemper eſt efficax, ubi ſit ſuis conditionibus prædita, quænam erit plurium ſimul orantium, & Cælum fatigantium, ut eumdem favorem conſequatur? Hæc prima ratio, quæ ſtatim in oculos incidit, & quæ videtur concluſio quædam ex ipſis Filii Dei verbis elicita: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.* Hoc eſt rite ratiocinari cum S. Joanne Chryſoſtomo: *Qui nihil negat tam paucis, quid in conciliis, & congregatione Sanctorum poſcentibus denegabit?* Hæc illatio deſumitur ex natura ipſa omnigenæ Societatis, & cœtus, qui neceſſario complectitur multitudinem mortalium in unum corpus coaleſcentium, & qui proculdubio major in pretio apud Deum eſt, non ſecus, ac apud homines, quam ſit unicum membrum, vel aliqua privata perſona; unde ſequitur, ut id quod magnus aliquis cœtus petit, vel probat, majoris ponderis habeatur; quam ſententia, vel petitio hominis unius, pro quo longiſſime abeſt, ut par, eademque ratio habeatur, ac pro integra communitate. Itaque videmus juſtas populi alicujus, Urbis, Provinciæ petitiones longe aliter exaudiri a Rege, quam privatorum vota; ideoque ſæpe privatam utilitatem publicæ ſacrificari, & vitam unius, ut exemplo ſit omnibus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Matth. 18.

Hom. 16.

Deum hac in re operatur non ſecus ac terræ principes, qui majorem habēt publicæ utilitatis rationem quam privatæ.

Hanc ipſam agendi rationem ſequi videtur Deus; præfert totum parti, & ſi nonnunquam majorem habere videtur rationem alicujus amicorum ſuorum, puta, Abrahæ, Davidis; aut nonnullorum Prophetarum, quam populorum omnium; hi peculiares extiterunt favores erga viros, quorum merita erant ampliora, ex qua re nihil eſt inferendum: cum e contra videamus ſemper ſe propitium præbuiſſe precibus populorum, ſe flecti paſſum fuiſſe publicis calamitatibus, & ejus iracundiam non ſatis diu obriguiſſe adverſus obſequia multitudinis, ad miſericordiam ipſius confugientis: *Miſereor ſuper turbam*, dixit aliquando mundi Salvator, cum ageretur de reficiendis viribus innumeræ multitudinis, quæ illum in deſertum fuerat ſubſecuta. Quod ſi cor noſtrum communibus flectitur miſeriis, atque gemitibus miſerorum: Si miſeremur etiam ſceleſtiſſimorum hominum, ubi illos objectos judicum miſericordiam implorare intuemur, cogitemus cor Dei toto Cælo mollius eſſe, ac facilius commoveri lacrymis, & precibus fidelium congregatorum: quibus negare nequit, quod petunt: *Vidi afflictionem populi mei*, ait ille in Scripturis. Vidi dolorem populi mei; clamor ejus ad me uſque in Cælum pervenit; me graviter commoverunt: tandem illis tribuam quod petunt, victus eorum precibus, & poſtulationibus. *Idem.*

Marc. 8.

Exod. 3.

Praxis primorū fidelium hac in re.

Primis fidelibus perſuaſum erat de hac veritate; videlicet Deum præferre ſemper publicas preces privatis. Hanc rationem afferebat Tertullianus Magiſtratibus infidelibus, qui illos traducere volebant tamquam ſeditioſos, quia coibant in communi preces effuſuri; & ſuſpicio, quam hujuſmodi cœtus illis ingeſſerant, eo proceſſit, ut obſeſſi fuerint, vincti, & per ſummam inhumanitatem cæſi iiſdem in locis, ubi perfugium contra Dei iracundiam nanciſcebantur. Sed illis oſtenſum fuit ſuſpicionem illorum falſo inniti argumento. Non contra rempublicam, dicebat illis auctor idem, neque contra Principes terræ eas molimur, quas nobis objicitis conjurationes, ſed quodammodo contra ipſum Deum. *Corpus ſumus de conſcientia Religionis, & diſciplinæ veritate, & ſpei fœdere: coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes.* Verum ne ideo nos inſimuletis, quod contra Deum noſtrum vim hanc audeamus inferre: *hæc Deo grata vis eſt.* Scimus Deo vim hanc eſſe perjucundam, hæc ratio eſt, qua vult orari: hac ſe flecti patitur; hac arte conſequimur quidquid petimus, hac voti damnamur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In Apol. c. 39.

Hæc agendi ratio nobis admirationem non debet injicere; ita enim homines etiam agere conſueverant.

Ne miremini modum illum, quo hic loquitur Pater! Qui enim hoc pacto ſuas preces conſociant, eamdem præter propter habent poteſtatem in cor Dei, quam haberet in animum, & cor hominis oratio omnium amicorum ſuorum, ſimul congregatorum ad petendam gratiam, quæ illi quoque eſt profutura. Fratres Joſeph crediderunt hoc certiſſimum ſibi futurum eſſe conſilium ad evellendum ex fratris animo, quem venumdederant tamquam mancipium, ſenſum injuriæ, qua ipſum affecerant, & de qua metuebant, ne pœnas repetiturus eſſet, ſeſe ad illius pedes proſternere, & in patris communis nomine illum obteſtari, ut acceptæ oblviſceretur injuriæ. Paucos invenies corde ita duro, qui non flectantur precibus amicorum ſuorum eadem de cauſa. Hæc in re id accidit, quod in natura vis plurium agentium, qui ſimul ad eumdem finem conveniunt, majoris ſemper eſt roboris, quam cum unus eſt qui petit, & ſine adjutore. Dico igitur publicas preces majorem habere vim ad aliquid obtinendum, quod petimus, quam ſingularis hominis orationes; quoniam facilius eſt, atque vulgatius, ut hæ conditiones occurrant in precibus communibus: tandem enim quod uni deeſt ſuppletur per alterum, atque in hac occaſione locum habere debet illud Sapientis effatum: *Frater, qui adjuvatur a fratre, quaſi civitas firma.*

Proverb. 8.

Eccleſia publicas præcipit preces in gravioribus neceſſitatibus.

Eccleſia quovis tempore publicis precibus uſa eſt; & quædam occurrunt occaſiones, & neceſſitates urgentiores, in quibus ſollemnes indicit ſupplicationes ad Dei miſericordiam flectendam, ad avertenda flagella, quibus divina nos punit juſtitia, cujuſmodi ſunt bella, fames, agrorum ſterilitas. Simili ratione ſollemnes gratiarum actiones inſtituit propter liberationem malorum, quæ nobis impendebant, orationes pro Principibus, publiciſque perſonis, quarum ſalus, & vita cara eſſe debet populis, qui hoc pacto oſtendunt, quantum ipſis illa cordi ſit. Hæc autem omnia ſimul complector generatim nomine precum publicarum, quarum utilitates oſtendi poſſunt eundo per ſingulas. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Preces publicæ privatis præferendæ.

Dico, fideles, publicas preces in majorem Dei gloriam cedere; & in hac re, ſaltem in occaſionibus, de quibus loquimur, præferendas eſſe precibus, quæ ſingillatim poſſent offerri. Sed ad auferendam re adhuc integra æquivocationem, quæ in hoc publicarum precum nomine oboriri poſſet, per vos mihi liceat ideam vobis proponere magis diſtinctam publicæ orationis, quæ multifariam poteſt intelligi. Oratio hoc poteſt nomine nuncupari, ubi ſit in loco publico, veluti in Templo, vel alio loco, ubi pietas plures congregat fideles; etiamſi ſinguli ob alios fines, & cum peculiari intentione, quæ nil habet cum aliorum intentionibus commune, ſua nuncupant vota. Verum non hoc intelligimus iſtic nomine precum publicarum, quamvis loci Sanctitas paſſim illas divinæ Majeſtati gratiores efficiat. Neque publicas preces eas voco, quæ publice concinuntur ab Eccleſiæ Miniſtris, qui divinum celebrant officium tanta pietate; neque illas quibus ſtatis diebus interſunt populi ad celebrandas feſtorum diebus ſollemnitates; quamvis ambigi nequeat, quominus confluentis populi multitudo, quæ majorem efficit ſollemnitatem, reddat etiam preces in Dei oculis acceptiores. Sed proprie eas publicas voco preces, quæ in eumdem finem conſpirant, vel eas per quas populus univerſus, civitas tota, vel integra communitas coit ad vota Deo nuncupanda, & una voce, & ore petendum aliquod beneficium in aliqua earum occaſionum, quarum meminimus; qualis eſt Oratio, quam in publicis calamitatibus Deo fundit Eccleſia. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Publicæ preces Deo majorem tribuunt gloriā quam preces privatorum.

Has autem preces aſſero in Majorem divinæ majeſtatis gloriam cedere; ſi enim oratio generatim in Scripturis vocatur ſacrificium laudis, & honoris, quod ſit Deo, ut debitus illi honor adhibeatur, atque ut confiteamur, nos bonitati illius accepta referre omnia, quæ poſſidemus, & quæcumque ab infinita illius liberalitate exſpectamus; nonne magis colitur votis, precibus, obſequiis plurimorum, qui ſimul conveniunt, atque conſentiunt, & corpus conficiunt, quam iiſdem actionibus cujuslibet hominis ſingillatim accepti? De Deo hac in re idem, ac de Principibus, ac terræ hujus Dominis dicendum. Aulicus Domino ſuo obſequitur, & famulatur; hoc Regi debetur, neque aliquis dubitat; ſed negari non poteſt, ubi Civitatis alicujus Magiſtratus, legati Provinciæ alicujus, & totius Imperii optimates in unum accedunt, ut Regi honorem, & obſequium ſuum præſtent, ut ob acceptas victorias gratulentur, & communis lætitiæ ſe conſortes oſtendant; negari inquam non poteſt, quominus Rex majori ſe affici honore putet, & gratiora habeat hæc obſequia veluti authentica magnitudinis ſuæ documenta. Itaque videmus Regem quoque magnifice excipere accedentes ad ſe, & viciſſim in honore illos habere, a quibus ita honoratur, & colitur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Eſto quidem Oratio ſemper Deo in honorem cedat, atque in omnibus occaſionibus: Tamen quandoquidem publicæ preces ſunt confeſſio publica hujus obſequii, quod majori cum pompa, ac plurimis æſtimationis ſignificationibus, ac humilioribus animi grati ſenſibus exhibetur: hæ preces ideo illi eſſe debent glorioſiores: *Si ego Pater ſum, ubi eſt honor meus, & ſi Dominus ego ſum ubi eſt timor meus?* Dixit olim populo ſuo exprobrans illis interpellationem dierum feſtorum, & ſollemnium cæremoniarum, quas illi præceperat. Heu quid! Nonne beneficia mea ſuper omnes effuſa ſunt? Nonne ſinguli boni communis participes ſunt? Et gratiarum actiones, quæ mihi referendæ ſunt, nonne publicæ eſſe debent? Hinc cum Deus inſigni aliquo beneficio populum hunc affecerat, cum illum de ſervitute, vel inimicorum ſuorum timore liberaverat, volebat, ut facti memoria recoleretur publica ſollemnitate, ut beneficii Auctorem cognoſcerent; & populis omnibus ſemper fuit perſuaſum, ſe non poſſe majorem benefactoribus ſuis gloriam referre, quam per ſollemnes has ſenſuum ſuorum ſignificationes, quæ

Malach. 1.

toti-

totidem ſunt preces, vel factæ illi, qui fons eſt bonorum omnium, vel factæ in eorum gratiam, quibus uſus eſt, ut hæc illis communicaret. *Idem.*

Publicæ preces ſunt ſemper privatis anteferendæ.

Quod ſi honos proprie eſt in honorante, ſecundum morale illud effatum; nonne patet, quomodo totum præferendum eſt partibus ſingulis illud componentibus, jus totius Communitatis præferendum eſſe juri privatorum, quicumque tandem eſſe poſſint; & rem publicam ſemper privatæ cuilibet perſonæ eſſe anteferendam: quandoquidem bonum unius, alterius commodo ſacrificatur: nonne ſimiliter inferendum eſt, ſi preces honorant Deum, ſi præſtant obſequium illius magnitudini, & ſi illi gloriam procurant; publicas preces idcirco Deo glorioſiores eſſe, quoniam illi offeruntur magna populi confluentis frequentia & ad imperium perſonarum publicarum, quæ ſunt in dignitate conſtitutæ, & quod omnes orant voce communi, ad finem eumdem tendentes? *Idem.*

Cum oratio ſit obſequium, & gloria, quæ Deo defertur, quo magis publica eſt, eo eſt inſignior.

Si honor, & gloria uni tantum Deo debetur, ut Apoſtolus inquit, quid gloria vocatur, niſi cognitio, quæ habetur meriti viri alicujus, & optimo favorabilis, quam ſibi effinxerunt, qui illum agnoſcunt? Verum quis ſimul non arbitrabitur, quo magis cognitio hæc, & exiſtimatio publicæ ſunt, & plauſus magis univerſalis, eo inſigniorem hanc eſſe gloriam? Si ergo oratio cum ſenſibus obſequii, confidentiæ, & cultus, quos continet, honor eſt, & gloria, quæ Domino exhibetur, nonne ſequitur, hanc gloriam eo majorem eſſe, quo major eſt multitudo exhibentium illam? Hæc erat cauſſa propter quam legis antiquæ Prophetæ frequentius incitabant populos, ut convenirent ad glorificandam ſupremam hanc majeſtatem precibus ſuis, & oſtendendam venerationem ſuam: *Vocate cœtum, congregate populum*: ideoque antequam in Chriſtianiſmo templa ædificarentur, erant Eccleſiæ, videlicet conventus, ubi communes preces fiebant, & idem S. Paulus recenſet ea, quæ ibi petenda erant a Deo, prò Eccleſiæ ac Religionis utilitate. *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Joel. 2.

Invitatio ad preces publicas Pſalm. 28.

Itaque, Chriſtiana Societas, ſentio me quodammodo percitum cæleſti afflatu, ut eo in argumento, quod vos huc hodie coegit, exclamem: *Afferte Domino gloriam, & honorem*, Populi, Magiſtratus Chriſtiani cujuslibet ætatis, ſexus, & conditionis afferte hodierna die gloriam, quæ univerſorum Domino debetur, ſed illam afferte per publicum teſtimonium, ſollemneſque preces: in eumdem concentum voces veſtras conſociate; clamate, & gemite; clamores, & gemitus veſtros in Cælum attollite, & ſcitote non licere vobis majorem Deo veſtro honorem afferre, quam hoc publico pietatis veſtræ teſtimonio. *Afferte Domino gloriam, & honorem*. Hoc denique invexit conſuetudinem preces effundendi in templis, quæ vocantur Eccleſiæ; hic enim locus eſt, quo ad orandum fideles conveniunt. Quod aliam nobis ſuppeditat rationem honoris, & gloriæ, quam publicæ preces afferunt Deo. Hæc autem deſumitur ex caritate, quæ congregat illos, & in unum corpus cogit, ut ſimul eorum vota, atque intentionem conjungat, ad hoc ut in eumdem finem conſpirent. Rationem hanc tradit S. Auguſtinus, cujus vis ex Dei ipſius conſilio, atque inſtitutione petitur in veteri, & nova lege, ubi hominibus ſignificavit, quomodo cuperet honorari; & Salvator ſæpe in Evangelio edixit futurum, ut fideles per caritatem, atque concordiam ſe ſuos eſſe diſcipulos oſtenderent. Hac mente vult illos vocari fratres, iiſque cor unum eſſe, & animam unam. Quod illi tantum cordi fuit, ut inde ſumpſerit argumentum orationis ſuæ, qua paullo antequam ad mortem proficiſceretur Patrem rogavit; *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te*. *Idem.*

Joann. 17.

Hæc fuit olim Eccleſiæ omniū ſæculorum conſuetudo, fideles cogere, ut in communi preces effunderent.

Cum ſeſe proferre cœpit Eccleſia, Apoſtoli ſecundum Magiſtri ſui ſpiritum, atque conſilium ſemper cogere conſueverunt fideles, ut hanc foverent confeſſionem, ut hæc Eccleſia, quæ Myſticum corpus illius appellatur per congregationem variorum membrorum illam componentium, laudet, & colat Dominum ſuper terram, eodem modo quo laudabit, ac benedicet illi in æternum in Cælo, videlicet omnes una voce, eodem ſpiritu, & corde. Ceterum ſi præcipit, ut lumen exempli bonorumque operum palam eluceſcat, ut inde Pater Cæleſtis glorificetur: *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt*, profecto, cum inter omnia pietatis opera oratio ſibi primum vindicet locum; nonne conſtat, Deum numquam magis glorificari, quam publicis precibus, quandoquidem hæ melius indigitant conſenſionem, & caritatem, quæ cogit fideles, ut Deum eumdem communi voce laudent, eique benedicant? Itaque hoc primum erat officium, & cura, qua primi fideles occupabantur, qui naſcentem componebant Eccleſiam, quaſi in id unum fuiſſet inſtituta. *Erant perſeverantes unanimiter in oratione*. Hinc profecta eſt conſuetudo illa orandi in communi quæ per tot ſæcula ſervata fuit. Eccleſiaſtici primum ſimul commorabantur, ut commodius hoc munere perfungerentur. Si numerus hoc vetabat, ſimul coibant, ut concinerent Pſalmos, aliaſque preces, ex quibus Officium Eccleſiaſticum conſtat, & hoc illud eſt, quod chorum vocamus. Ipſi etiam Anachoretæ, qui in deſertis vivebant non ab hominum tantum commercio ſepoſiti, ſed alii etiam ab aliis ſejuncti, habebant tamen ſtatos dies, & horas, quibus communibus vacarent precibus; & lapſu temporum, ut facilius hoc exequerentur, facti ſunt cœnobitæ, videlicet vixerunt ſimul, ut ſe mutuo ad Dei cultum excitarent, rati, ſe hoc pacto majorem illi gloriam allaturos, & tunc adeo ſpecioſum mundo ſpectaculum; quantum Deo jucundum præbituros: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*. *Idem.*

Matth. 5.

Actor. 1.

Pſalm. 132.

Hæc unio repræſentat illum beatorum in Cælo laudantium Deum.

Hoc illud ſpectaculum eſt in quo ſibi complacet Deus, & ex quo majorem percipit gloriam propter caritatem, quæ illos conjungit ſeu ad preces communes, quod certiſſimum eſt caritatis hujus, & conſenſionis argumentum; hoc enim eſt in terris exhibere imaginem chori Angelorum in Cælo, ubi Beatæ illæ mentes, quemadmodum Regius Propheta teſtatur, non alteri vacant miniſterio niſi laudandi Deum, eique offerendi laudis immortalis ſacrificium. Si ergo, chriſtiana ſocietas, publica oratio ſignum eſt ejuſdem ſpiritus Dei fideles animantis; ſi hic illos in eumdem cogit finem; ſi hic concurſus eſt teſtimonium, illos ſimul cogi per caritatem æque ac per eamdem fidem; quis dubitare poterit, utrum hoc orationis genus Deo ſit glorioſius, quandoquidem Deus de duplici hoc fonte præcipuam haurit gloriam, oratione videlicet, & caritate? *Idem.*

Publicis precibus major vis ineſt, quam privatis.

Videtur ſapiens ex quadam cæremonia, quam celebravit Summus Sacerdos Simon, Oniæ filius, poſtquam reparavit ſarta tecta templi Jeruſalem, occaſionem arripuiſſe oſtendendi, quantam gloriam afferant publicæ preces ſupremo terræ, cælique Domino. *Rogavit populus*, ait ille, *Dominum excelſum in prece, uſque dum perfectus eſt honor Domini*. Populus univerſus communi voce, & ore uno preces fudit donec completum fuit ſacrificium. *Tunc deſcendens, manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael dare gloriam a labiis ſuis, & nomine ipſius gloriari*. Tunc ſummus Sacerdos levavit manus ſuas ſuper populum Iſrael congregatum ut redderet gloriam Deo per preces labiorum ſuorum; *Et iteravit orationem ſuam volens oſtendere virtutem Dei*. Iterum Sacerdos inchoavit orationem ſuam, ut cum populi totius oratione conjuncta melius oſtenderet virtutem Domini, qui eſt Rex gloriæ, & qui meretur, ut mortales omnes ſua vota conſocient, reddituri gloriam illi, quod melius fieri nequit, quam per publicas preces, quæ ſimul cultum, obſequia, adorationes, voces, ſenſus, & corda privatorum in eundem finem, eamdemque mentem conſociant. Procul dubio credendi locus eſt in his præſertim occaſionibus Angelos libentius & adferre, & offerre preces noſtras ante thronum Dei, quaſi majorem haberent vim, ut exaudiantur. Videmus in ſacro Textu illas in Cælum uſque aſcendere, & mox facilius exaudiri, perinde ac ad Dei cor permovendum eſſent validiores. *Idem.*

Promiſſionem quam efficit Deus iis, qui congregantur oraturi.

Noſtis, certus ſum, chriſtiana ſocietas, quam valida ſit oratio generatim accepta, & promiſſionem a filio Dei factam ſe omnia conceſſurum iis, qui aliquid a cæleſti Patre peterent in nomine ſuo. Videtis Evangelii verbis nihil excipi, & extra omnem dubitationem eſt, homines a Dei bonitate obtenturos quidquid cupere poſſent, & quidquid poteſt illis concedere Deus, ſi tanto bono uti ſcirent. Verumtamen plures ſunt in hac oratione conditiones neceſſariæ, ut effectus ſubſequatur; cumque pauci ſint, qui orent, ut opus eſt, vel petant, quod opus eſt, videmus medium hoc, quod per ſe adeo validum eſt, atque efficax, fieri quodammodo inutile pleriſque eorum, qui eodem uti neſciunt, eo quod non adferunt conditiones illi inhærentes. Non hic locus eſt eas vobis explicandi; millies vobis repetitæ fuerunt: ſed pro certo auſim aſſerere, orationem numquam majorem habere vim, & facilius exaudiri, quam cum plures attollunt vocem ſuam a Deo idem beneficium impetraturi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deus audit orationem innocentium, atque nocentium, cum ſimul coaleſcant maturi.

Si inter Ninivitas nulli erant boni, ſaltem erant pauci; ſed conſtat non defuiſſe infinitum fere numerum puerorum, qui expertes erant ſcelerum communium in illa civitate, & qui omnes ſimul attollebant voces ſuas; & Deus alios in aliorum gratiam exaudivit, atque omnium miſertus eſt. Ah! Exclamat hac in re S. Chryſoſtomus: En robur orationis communis, & publicæ. Alii pro aliis impetrant; innocentium juſtitia tegit nocentium crimina; cumque omnes ſimul eaſdem preces fundant, omnes eodem beneficio perfruuntur. *Idem.*

Publicæ preces oſtendunt cupiditatem ardentem obtinendi, quod petunt.

Publicæ preces oſtendunt aliquid vehementer optari, & id quod petitur, nullo a nobis non haberi in diſcrimine; quandoquidem ad id impetrandum tot vota nuncupantur, neque tot homines ſimul conſociarentur ad gratiam eamdem deprecandam; niſi illius obtinendæ magno flagrarent deſiderio; præterquamquod modica horum ſollicitudo aliorum fervore penſatur, & inertiores ferventiorum exemplo excitantur. Denique cum id quod a Deo petitur in hujuſmodi precibus, non ſit ſuperfluum, inutile, aut damnoſum, qualia ſunt, ut plurimum, objecta orationum ferventiſſimarum, quas plerique hominum fundunt; ſed ad Deum confugimus in

urgen-

urgentiſſimis neceſſitatibus, & cum plurimi formidant ne imminentibus malis obruantur, quod fieri conſuevit ad publicam calamitatem, quæ imminet avertendam, quale bellum eſt, fames, vel epidemicus morbus, qui late urbes, & oppida depopulatur. Hæ preces tunc effectu non exaudiuntur ab optimo Parente, qui vult, ut in id genus neceſſitatibus nos ad fontem bonorum omnium confugiamus. Et ſane cum in publicis calamitatibus omnia humana ſubſidia deficiant, non ne tunc intelligimus, auxilium nobis a divina duntaxat miſericordia eſſe expectandum, & ad unam illam nobis eſſe confugiendum, ut diſcamus cum Sancto Rege Joſaphat, qui repente innumeris hoſtium copiis ſeptus, ſe iiſdem repellendis parem non eſſe cognovit: *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, qui irruit ſuper nos.* Scis, Domine, non eſſe nobis tantum virium, & roboris, ut tot inimicorum conatus repellere valeamus, quot in noſtrum conjurarunt excidium. Quæ nobis ſupereſt ſpes in hac inopinata calamitate, niſi confugiamus ad te, qui Deus es Exercituum, perfugium mœrentium, & protector eorum, qui ſub oppreſſionis pondere ingemiſcunt? *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

2. Paral. 20.

Ibidem.

Dominicalis Oratio facta videtur ut publice recitetur.

Præclara quidem eſt animadverſio, & neſcio utrum aliquando ad id animum adverteritis, orationem Dominicam, quam Dei filius reliquit fidelibus tamquam perfectæ orationis exemplum factam de induſtria videri publice recitandam: quoniam quidquid petitur a Deo, æque pertinet ad fratres noſtros, ac nos. Tandem enim S. Chryſoſtomus inquit, Deum Patrem noſtrum vocamus, eumque pro aliis æque ac pro nobiſmet ipſis rogamus. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; non mihi; dimitte nobis debita noſtra, quæ ſunt peccata noſtra: & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Quamvis ſolus hanc recites orationem, publica tamen eſt, S. Cyprianus addit, quia recitas illam pro omnibus, & quodammodo omnium nomine. Nihil tamen erit de meritis tuis, non ſecus ac de fructu, quem cum aliis partitis. *Idem.*

Quod de publicis precibus dicimus, non ideo dicimus, ut a privatis abſtineamus.

Non fert animus, fideles, deterrere vos ab orationis exercitio, cui animæ devotæ domi ſuæ vacare conſueverunt, & clam, & clauſo oſtio, ut loquitur Evangelium, ne ab hominibus videantur, ſed ab uno Deo audiantur. Non deeſt quædam cordis ſolitudo, & collectio mentis, quæ efficit, ut multitudinem, ac ſtrepitum evitemus. Hæc orandi ratio ſemper ſancta eſt, & propria ſublimium animarum, quæ domum ſuam in Eccleſiam convertunt, & cor ſuum in aram geſtatoriam; neque ſatis unquam laudari, aut ſuaderi poteſt hæc exercitatio; ideoque quidquid a nobis dictum fuit, non evertit eos fructus, qui inde percipiuntur. Id enim unum oſtendere adniſus ſum, cum hæ publicæ preces fiant infrequentius, & in occaſionibus tantum præter ordinem fiant, operæ pretium eſt illis intereſſe, & quantum res publica privatæ antecellit, & corpus totum ſingulis membris illud conſtituentibus, ita publicas preces, quæ in majorem Dei gloriam cedunt, majorem obtinere vim, acceptiores eſſe Deo, ac nobiſmet utiliores, cum plures in eodem ſpiritu, eumdemque finem ad precandum accedunt. Quod ſi in alia eſtis opinione, quod non arbitror, quandoquidem hæc conſtans eſt, & unanimis Eccleſiæ ſententia; non deeſſet vobis ſatisfaciendi via. Explete quidem, ut veſter fert animus, pietatem veſtram, & clanculum, & ſecreto orationi vacate, quæ ratio eſt animæ ad altiorem Sanctitatis gradum attollendæ, ſed ſimul obite hominis chriſtiani munus; ad publicas preces convenite, conſociate vocem veſtram cum eo concentu, qui Deo placet; cogitate, vos pro aliis deprecantes in his occaſionibus, pro vobis quoque ſimul precari. *Idem.*

De publicarum precum virtute. Joann. 6.

Nonne mirum eſt, fideles, opus eſſe, ut Dei filius non invitet ſolum, verum etiam cohortetur, ſollicitet, urgeat homines, ut a ſe aliquid petant? *Petite, & accipietis;* ut illis præſcribat quid petendum ſit, & illis probet virtutem, ac poteſtatem orationis per exempla, atque ſimilitudines, & tandem eos doceat, quomodo ſeſe gerere debeant, ut eorum oratio finem, quem ſperant; conſequatur? De una ex his orandi rationibus hodierna die ſermonem habere fert animus. Poſtquam aliis in ſermonibus locutus ſum de præcipuis conditionibus orationis, verba faciam de oratione publica, qualem præcipit Eccleſia ſtatis temporibus, & qualem nos exercere debemus in pluribus occaſionibus, ubi rei publicæ utilitas nos cogere debet in unum veluti corpus certius, & efficientius impetraturos id, quod Deus fortaſſe non concederet ſingulis, qui illud ipſum ſeorſim deprecarentur. De hoc orationis genere inquit Scriptura, modo videri plures unam tantum vocem efformare; modo populum univerſum mille, & mille voces emittere, quæ ſimul in unam vocem coaleſcunt, ut Cælum flectant; & hac oratione Deum ut plurimum ſe flecti ſinere, ut hominibus quidquid hoc pacto petierint, largiatur: *Dico vobis: Si duo ex vobis conſenſerint, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.* Facile eſt videre quantum publica oratio præſtet illi; quam ſeorſim, & domi noſtræ fundimus, & ſpero fore ut ejus utilitas efficiat, ut illi intereſſe velitis cum ſenſibus pietatis, qui ſint optimi exempli, & quos publicæ utilitatis, & privatæ etiam, quam & vos ipſi peculiariter percipietis, zelus excitare debet in vobis: *Idem.*

Matth. 18.

Oratio publica, & privata quælibet ſuum habet meritum, & determinari quælibet debet circumſtantiis temporis, locorum, & occaſionum.

Abſit, fideles, nos locum præbere ſuſpicioni adeo injuſtæ, qualis eſſet credere, quod aliqua eſſe poſſit contradictio aut in voluntate, aut in verbo Dei de oratione, cujus Salvator nobis propoſuit regulas adeo ſecuras, & æquas. Precis publicæ, atque privatæ duo ſunt profecto rationes diverſæ quidem, ſed non contrariæ, nec oppoſitæ niſi ratione loci, ubi fiunt; & ſingulæ ſuum habent pretium, ac meritum; ſed quælibet tempore ſuo, habent peculiaria bona, & occaſiones, in quibus utraque uſurpanda eſt. Eccleſia, cui creditum eſt depoſitum veritatum Spiritus ſancti, varias connotavit occaſiones, in quibus fidelium pietas utraque uti debet. Suadet enim privatam, ſecretamque orationem, ubi agitur de meditandis veritatibus æternis, de exponendis propriis neceſſitatibus, de gratiis Domino agendis ob privata beneficia, quibus per ipſius largitatem ſumus cumulati. Ibi oculorum lacrymæ, gemitus cordis, corporis proſtrationes, elevatio manuum, & exteriora quælibet reverentiæ, cultus, & ſubmiſſionis indicia eo magis ſincera ſunt, & minus vanitati obnoxia, quo minus ſunt hominum oculis ſubjecta. *Idem.*

Divinum officium inter publicas preces recenſendum eſt.

Inter publicas preces, mihi quidem videtur recenſendum eſſe Divinum officium, quod publice recitatur in Eccleſiis Cathedralibus, Collegialibus, Parochialibus, & plurimis Religioſis communitatibus, ubi ſæpe diurnis, nocturniſque horis canitur, quod non abludit ab eo, quod Ethnicus quidam (Plinius junior) nuntiavit Trajano Cæſari, vulgatiſſimum chriſtianorum negotium, qui accuſabantur publicam perturbare quietem, & contra rem publicam conjurationem facere propter frequentes cœtus, quos inter ſe habebant, eorum inquam negotium eſſe, crebro coire ad recitandos Hymnos, & Cantica in honorem Dei ſui, quod quidem nullam conjurationis, aut nefariæ ſeditionis ſpeciem gerebat, ſed ſolum quamdam redolebat ſuperſtitionem, nullatenus Reipublicæ noxiam, cui Imperator ille reſpondit parum prudenter, ac rationabiliter, uti liquet ex Tertulliani Apologia. Hoc tamen teſtatur quænam eſſet fidelium tunc temporis conſuetudo, recitandi nempe ſimul Pſalmos, & preces ex quibus Divinum officium conſtabat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Divini officii recitatio validum eſt Eccleſiaſticis ſubſidium ad Sanctitatem acquirendam.

Suppeditavit Deus Eccleſiaſticis multa ſubſidia ad acquirendam eminentem illam Sanctitatem, ad quam vocati ſunt; inter quæ non minimum eſt Divini officii recitatio. Quapropter plurimum intereſt Eccleſiaſticorum aſſequi mentem Eccleſiæ, & vehementer incumbere; ut Deo gratas efficiant preces, quas ab illis Deo jubet offerri. Ad agnoſcendam vero officii Divini præſtantiam, ſatis eſt ad examen vocare partes, quæ illud componunt. Officium hoc igitur conſtitum eſt potiſſimum ex verbis Scripturæ; excerptum inde fuit quidquid aptius eſt ad permovendum in ſacris Bibliis ſive ad Eccleſiaſticos ſpectet; ſive ad varias ſollemnitates, quæ celebrantur in Eccleſia. Pſalmi vero præſertim quæ egregiam Scripturæ portionem conſtituunt in hoc officio diſtributi ſunt, quod jugis Pſalmodia poteſt nuncupari. Tertio, in officio legimus incomparabiles Sanctorum hiſtorias, & demum homilias Patrum, qui ſunt Sermones, quos illi elucubrati ſunt ad alendum verbo Dei populum; eorum curæ concreditum. Ecce quænam ſunt Divini officii partes, ſimul omnes componunt preces perfectiſſimas, & obſequio noſtro digniſſimas. *Sermones Lambert de vita eccleſiaſtica Tomo 2.*

Divinum officium eſt verbum Dei, ideoque magna cum reverentia recitandum.

Qui divinum Officium recitare tenentur, cogitare deberet, hoc eſſe Dei verbum, quod offertur ipſis veluti pabulum; ideoque ſancta cum reverentia illis excipiendum eſt recitantibus verba, & effata ex ſacris his fontibus hauſta. Nihil Eccleſiaſtico viro turpius eſt eo tædio, quo afficiuntur, donec Officii recitationem perſolvunt. Hoc enim Officium, ut nuperrime dixi, continet verbum Dei. Igitur illud cum faſtidio recitare, eſt nullum Divini verbi guſtum habere; eſt verbum hoc cum mœrore, ac tædio recipere. Videte quam procul abeſtis in iis diſpoſitionibus, quæ in veris Eccleſiaſticis, immo in Chriſtianis omnibus requiruntur. Deteſtemur hanc immodeſtiam, quam populi merito execrantur. Adnitamur hoc reparare ſcandalum, in omnibus actibus noſtris ſummam præ nobis ferentes verecundiam. Ingeminemus conatus noſtros, cum miniſterio noſtro vacamus. Dum oramus, dum Hymnos canimus, & Sacra Cantica, oris noſtri habitus præ ſe ferat quod in cordibus noſtris ſentimus. Quid ſpecioſius Eccleſiaſticorum cœtu, quorum corda conjuncta ſunt, qui ſe viciſſim excitant ad

cele-

celebrandam ſupremi Domini ſui omnipotentiam, qui in Cælum ejaculantur gemitus, ac ſuſpiria ex corde contrito, & humiliato prodeuntia! Ex hoc egrederis cœtu hilaris, & voti compos. Putas te audiviſſe divinos concentus, quos Angeli edunt in Cælo in honorem Omnipotentis. *Lambert in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica Tomo 2.*

Chriſtiani ſæpe orare tenentur.

Chriſtiani ſæpe tenentur Preces effundere. Eccleſia filiorum, præſertim vero miniſtrorum neceſſitatibus intenta voluit illis ſuppeditare medium quo facilius hoc munere perfungerentur. Hac eadem mente officium in varias horas diſtribuit. Hoc ſalutare monitum eſt, quo docemur, debere nos occupari Deo. Sæcularia negotia nimis crebro noſtram attentionem interpellant. Fatemur ſatis prolixa intercedere temporis intervalla, quibus de Deo ne cogitamus quidem. Tempus inquit Officii divini recitationi præſcriptum. Nonne hoc felix eſt ſignum, quo moleſtius abrumpitur ſomnus, & quod nos urget, ut de eo cogitemus, cujus oblivisci non poſſumus? Hinc ſequitur, quemadmodum ſapientiſſime Eccleſiæ Officium partita eſt, & in hac partitione habuit ſanctiſſimas, nobiſque perutiles cauſſas; intereſſe pietatis Eccleſiaſtici viri ſequi Eccleſiæ intentiones, dividendo horas Officii, ac illud recitando ſtatis horis, quas præſcripſit Eccleſia ad revocandam eorum mentem, ſicubi deerrat, & obliviſcitur Dei ſui. *Lambert in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica Tomo 2.*

Pleríque fideles potiſſimum vero Eccleſiaſtici reſpiciunt neceſſitatem Officii divini recitandi tamquam jugum grave.

Eccleſia nihil niſi ſapienter operatur, & nunquam tutius incedimus, quam cum ſequimur vias quas illa nobis indigitavit. Quam parum norunt officia ſua, qui cogitant divini Officii recitandi neceſſitatem moleſtum eſſe jugum, & ægre illum ſuſtinent. Ubi legi huic ſatisfecerunt, quæ quidem ipſis videtur duriſſima; ſe tanquam gravi ſarcina putant expeditos. Non ita; divinum Officium non eſt ſarcina gravis. Fallimini; illud moleſtiſſimum eſt, & homini Chriſtiano nequaquam ferendum, mentem habere diſtractionibus hac illac actam, quam figere arduum eſt, & quæ ægre, & gravate vacat Deo. Quemadmodum hæc alienatio ab iis quæ ad ſalutem pertinent, illam torquet, quidquid illam cogit meminiſſe Dei ſui, tantum abeſt, quod illi moleſtiam afferat, ut e contra illius gaudium, & conſolationem efficiat. Juxta hæc principia cordati Eccleſiaſtici de divino Officio ferunt judicium; & hæc illos adigunt, ut reſpiciant tamquam beatam neceſſitatem in Deum tendere, ac debita illi obſequia perſolvere. *Idem.*

Cum Officii divini recitatio habeatur tamquam oratio publica; omnes Chriſtiani, præſertim vero Eccleſiaſtici tenentur illud ſæpe recitare.

Quatenus Chriſtiani, & multo magis quatenus Eccleſiaſtici, tenemur ſæpe orare. Meminerimus Officii recitationem medium eſſe præſtantiſſimum, ut huic muneri ſatisfaciamus. Sed meminerimus etiam ad id ſciendum eſſe uti præſtanti hoc medio; videlicet quod ut digne fungamur officio, quod nobis impoſitum eſt orandi, validam eſſe rationem, quæ nos cogat attente divinum Officium perſolvere. Cogitemus pro quo preces fundere tenemur, & quot illi ſunt, quibus precum noſtrarum ſubſidia debeamus. Hæc cogitatio nobis recentem ſuppeditabit rationem, quæ non mediocrem habitura vim eſt, ut videamus, quanti momenti ſit offerre Deo preces, quæ ſint eidem acceptæ. *Idem.*

De Eccleſiaſticis qui divinum Officium cum tædio recitant.

Complures Eccleſiaſtici divinum recitant Officium cum tædio. Quænam eſt cauſſa? quia non vacat illis magnas has veritates cogitare, quæ tantam habent vim ad animam confirmandam. Fidelis Eccleſiaſticus ibi ſolatium naneiſcitur, ubi infidelis invenit tædium. Quod gaudium Eccleſiaſtico, qui callet veritates Religionis, & cui Deus gratiam largitus eſt illas guſtandi? Quæ lætitia, eſſe coram Rege ſuo, illum adorare, cum eo loqui, illi ſuas aperire neceſſitates, ad Deum confugere poſſe tamquam ad amicum fidelem, cui tuto penitiora animi noſtri arcana committere poſſumus! Spes noſtra nos fulcit in noſtris miſeriis. In hac vita jugiter tentati ſumus; quis ſibi polliceri poteſt ſe ſtaturum? Tunc etiam cum Deus nobis ſuas opes diſtribuit, quis certus eſſe poteſt ſe conſervaturum in vaſis fictilibus hos theſauros? Vitæ hujus inimici efficere poſſent, ut animos deſponderit ille, qui ſpectaret ſolum ea, quæ in terris accidunt, neque aliquid longius proſpiceret. Chriſtianus fidelis ſuſtinet hujus vitæ miſerias, quia ſcit brevi eſſe duraturas. Scit, quid promiſerit Deus. Igitur Dei promiſſiones illum conſolantur, ſuſtinent, confirmant. Eccleſiæ Officium ſæpe ſolidam hanc illi ſuppeditat conſolationem. Ibi Deum audit ſibi promittentem, ſe fidelem eſſe in promiſſionibus ſuis. Ibi Deum audit ſpem ſibi facientem, ac oſtendentem fore, ut ſpes ſua nequaquam ipſum fruſtretur. *Lambert in Sermonibus de Vita Eccleſiaſtica Tomo 2.*

Gaudium, & conſolationes, quas illi percipiunt qui attente divinum recitant Officium.

Qui attente, & conſiderate divinum recitat Officium, agnoſcit veritatem horum verborum, quæ protulit David: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti.* Eccleſiaſticis afflictionibus obruitur? Officium ſuum præbebit illi ſolida certæ conſolationis argumenta; inter acerbiſſimos dolores leget in officio ſuo, JESUM CHRISTUM, non exaltaſſe caput, niſi poſtquam bibit aquas amaras de torrente: videlicet JESUM CHRISTUM, uti loquitur S. Paulus, ideo adiiſſe poſſeſſionem gloriæ ſuæ, quia *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.* Leget in officio, illos *qui ſeminant in lacrymis, metere in exultatione.* Poterit ne animum ad hæc verba advertere, quin ſtatim experiatur, acerbiſſimos dolores cedere validis argumentis conſolationis, quæ nobis Religio ſuppeditat? Ita qui attente recitat divinum Officium; maxima perfundetur voluptate, neque orationi vacabit, quin ſentiat ſe ſuſtineri, & animari ad viam, quæ ducit ad Deum, percurrendam, *Idem.*

Tres diſpoſitiones illis neceſſariæ, qui proficere cupiunt ex recitatione Officii divini.

Tres requiro diſpoſitiones in eo, qui ex Officii divini recitatione volunt proficere, eaſque voco præparationem, attentionem, devotionem. Audite quid pro tribus hiſce diſpoſitionibus ſit intelligendum. Si Dominus tibi validam inſpirat voluntatem exercendi fideliter eas veritates, quas explicaturus ſum, videbis, te deinceps percepturum maximum fructum ex Officii divini recitatione. Dico eum, qui velit ſancte Officium ſuum recitare, primum debere ſe ad illud recitandum præparare. Qua in re hæc præparatio conſiſtit? In duobus potiſſimum: primum quorum eſt, ut a Mundo ſeorſim recedas, & quantum fieri poteſt, ſæculi commercium, & impedimenta relinquas. Alterum eſt ut ante Orationem coneris colligere mentem tuam, & cor tuum emundare. Nota ſunt animi noſtri ſtudia; quotidie juges audiuntur querelæ, quæ non carent fundamento. Verum ſimulac cognoſcimus evagationes mentis noſtræ, nonne intelligimus nos pares non eſſe, qui accedamus ad Deum tamquam ſupplices, niſi amoveamus quaſcumque alienas cogitationes; & ſerio conatu adnitamur occupare ſpiritum noſtrum de Deo, cui obſequia noſtra ſumus perſoluturi? *Lambert in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica Tomo 2.*

Commune officium recitantium divinum Officium eſt mentis evagatio.

Mentis evagatio communiſſimum vitium eſt: Plurimi Eccleſiaſtici confiteri tenentur, ſe officii ſui penſum perſolventes ſæcularibus, profaniſque cogitationibus diſtineri. Videntur illi ſeſe ſatis excuſare poſſe prætexentes difficultatem figendi humanam mentem: ſed inanis illorum eſt excuſatio. Nocentes ſunt coram Deo, & evagationes eorum non ſunt ex eorum numero, quibus facilem Deus veniam concedat. Si enim ſeſe colligere voluerint, & cogitare modicam præcautionem quam adhibent, cum ſeſe offerunt Deo illum oraturi; videbunt omnem mali cauſſam eſſe in ſe, & evagationem ipſorum effectum eſſe nocentiſſimæ ſuæ negligentiæ. Quomodo enim ad Orationem accedunt. Quæ eſt mentis, & cordis eorum affectio? Mentem afferunt plenam imaginibus prorſus alienis, profanis cogitationibus redundantem, ſæcularibus negotiis refertam. Nonne quædam eſſet miraculi ſpecies repente figere poſſe ſpiritum, cujus compos non es, & quem ſæculis erroribus tradidiſti? *Lambert in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica Tomo 2.*

Multa in precibus fundendis attentio eſt adhibenda.

Arduum non eſt intelligere neceſſariam eſſe attentionem, ubi animum advertimus Deum eſſe, cum quo loquimur in Oratione; Deum, qui videt cor noſtrum, qui cor noſtrum petit, & qui toties ſignificavit, nequaquam placere ſibi noſtra obſequia, & ſacrificia, cum ſunt tantummodo exteriora. Cum Deo oretenus loqui tunc, cum mens, & cor noſtrum cum verbis noſtris minime conſentiunt: nonne hoc eſt, ex illis eſſe, quos Dei Filius damnavit, cum ait: *Populus iſte labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me?* Quot Eccleſiaſtici multa quidem proferunt verba, & nihil orant! Vir iſte jam ab annis pluribus divinum recitat Officium. Oravit ne? Non ita: quod in Oratione præcipuum eſt, in illius oratione non invenitur. Dei filius Ethnicos damnavit, qui arbitrabantur ſe *in multiloquio exauditum iri.* Hoc eſt errorem illorum inſtaurare, orationem collocare in verbis, & ſibi perſuadere, ſe multum oraſſe, quia multum locutus eſt. Orationis eſſentia eſt clamor cordis. Plures loquuntur, ſed Dei habita ratione ſilent. Deus iſtos non audit; Cor illorum non loquitur; & ſola cordis lingua ad thronum Dei poteſt pervenire. *Lambert in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica Tomo 2.*

Matth. 6.

DE

DE ORATIONE DOMINICALI.

MONITUM.

SI Oratio facta in Salvatoris Nomine cum iis, quæ requiruntur conditionibus, ſemper eſt efficax & accepta Deo, ad quem in omnibus neceſſitatibus noſtris confugiendum eſt nobis; quid cogitandum erit de Oratione Dominicali, quam ipſe docuit Salvator ad enixas Apoſtolorum ſuorum preces, & quam univerſa propoſuit Eccleſia tamquam perfectæ orationis exemplar abſolutiſſimum, in quo continetur quidquid nobis petendum eſt a Deo, ratio petendi, & conditiones, quæ petitionem noſtram debent concomitari.

Dei filius nihil largiri poterat Eccleſiæ ſuæ magis utile, ac neceſſarium, cupiens illam ſanctificare, ac tradere illi medium ad æternam beatitudinem perveniendi, quam decens bene orandi rationem ad obtinendas gratias, quæ ad id mere ſunt neceſſaria. Itaque hæc eſt Oratio frequentior, vulgatior, & quæ nobis eſſe debet admodum familiaris: pauci enim ſunt fideles, qui illam ignorent, & qui illam a prima pueritia non didicerint, alii quidem materna, alii vero Eccleſiaſtica lingua.

Hæc autem Eccleſia, cui Dei filius reliquit adeo validum medium ad impetranda ea omnia quæ a nobis petenda ſunt, ſatis oſtendit neceſſitatem, quam ipſa tenet, & utilitatem, quam inde percipit: inde enim ducit initium in omnibus Religionis noſtræ cæremoniis; ſemper hanc recitat Orationem in Miſſæ Sacrificio, in omnibus horis Officii divini, ita ut Dominicalis Oratio vere appellari valeat Eccleſiæ Oratio; quod unum Elogium complectitur, quidquid mox ſumus dicturi. Sequamur hunc uſum cum ſenſibus pietatis, devotionis, & confidentiæ, quos nobis inſpirat Auctoris ejuſdem dignitas, neceſſitas noſtra, & Cæli gratia.

DE ORATIONE DOMINICALI.

Oportet ut quæ petimus æqua ſint; talia ſunt quæ petimus in oratione Dominicali.

ÆQUUM eſt, ut quæ petimus juſta ſint, & rationi conſentanea, ut exaudiri mereamur. Nihil petitur a terræ Principibus, ubi hæc deſit conditio; num audeamus aliquid petere a Deo, quod illi adverſetur? Oratio autem, quam Dominicalem vocamus duo continet, quæ merito, ac jure a Deo petere poſſumus; Quorum primum eſt, ut nobis concedat, quod verum bonum eſt: alterum ut a nobis avertat quod verum malum eſt.

Nomine veri boni intelligimus primum Dei bonum, ſi uti fas eſt hoc nomine: videlicet petimus, ut gloria ejus ſemper extrinſecus magis augeatur: *Sanctificetur nomen tuum*. Præterea nomine veri boni intelligimus etiam bonum noſtrum, bonum cæleſte, *adveniat regnum tuum*: bonum ſpirituale; *fiat voluntas tua*, ut per hoc ad bonum cæleſte perveniamus; bonum temporale: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ut nos in bono ſpirituali ſuſtineat.

Ratione mali, a quo cupimus liberari, intelligimus omne malum oppoſitum diverſis ſpeciebus bonorum, quæ deſideramus. *Dimitte nobis debita noſtra: Ne nos inducas in tentationem: libera nos a malo*. Omnes hujuſmodi petitiones æquæ ſunt; quomodo ergo Deus illas non exaudiat? *Qui recta loquitur, diligetur. Pater Segneri in Meditationibus.*

Proverb. 16.

Ordo rerum petendarum a Deo in Dominicali oratione conſignatus eſt.

In precibus noſtris ordo, & ſubordinatio requiritur, ut coram Deo ſint efficaces. Preces enim ſunt interpretes votorum noſtrorum; & opus eſt ut deſideria ſint ſubordinata alia aliis pro varia objectorum natura. Salvator mirum in modum hunc nobis ordinem prænotavit, qui Patri noſtro preces noſtras reddit acceptas. Præpoſuit ceteris deſiderium gloriæ Dei, mox illud bonorum, quæ pertinent ad nos, ſecundum ordinem ipſorum; denique deſiderium liberandi a malis, quæ oppoſita ſunt his bonis, ut mox diximus. Quis non ſperaret a Domino, hoc pacto deprecatus? Vult Deus te non ſolum æquum eſſe in petitionibus tuis, ſed etiam in ſuis deſideriis compoſitum: vult, ut hæc illi ſignifices ſecundum ordinem, qui illi magis arridet, & quem filius ſuus, qui eadem eſt ſapientia, tibi præſcribit. *Idem.*

Hæc verba: Qui es in Cælis, innuunt cæleſtia primum nobis a Deo eſſe petenda.

Ad captandam Patris noſtri benevolentiam inchoamus ne petitiones noſtras ex hoc elogio? *Qui es in Cælis*. Non ita; id genus artes non decent filios, qui ad Parentem ſuum confugiunt; ſed hoc precum noſtrarum procemium nos tantum admonet, nos cum Patre Cæleſti loqui; ideoque nihil terrenum eſſe debere objectum, ſaltem præcipuum, votorum noſtrorum; ſed omnia hæc deſideria debere eſſe digna Altiſſimo, a quo eadem petimus adimpleri. *Quæ ſurſum ſunt quærite .... quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*. Verum eſt, omnia bona, ipſa etiam terræ hujus a Deo pendere, & ab hoc ubicumque voluerit, concedi: ſed de his bonis cum illo non eſt loquendum, ut de re digna Ipſo loquamur; Non petenda ab illo ſunt bona, niſi ea, quæ nobis largiri gloriatur, qualia bona ſunt ſpiritualia. Cetera, ſi nobis fuerint neceſſaria, etiam non petita nobis affluent: *hæc omnia adjicientur vobis*. Cujus generis ſunt preces, quas funditis Deo? Sunt ne conformes magnitudini illius, & dignitati Patris Cæleſtis? Num humilia, & abjecta a Patre adeo potente petetis? Num irrationabilia a Patre adeo Sapiente? num iniqua a Patre adeo Sancto? Hoc ſane eſſet illi contumeliam inferre: & ille ſe læſum putaret. Cum ergo Dominum rogare volumus, terrenarum rerum obliti mentes noſtras extollamus in Cælum. Viva fide penetremus non ſolum Cælos, ubi regnat tamquam naturæ Dominus, & unde effundit in mundum ſalutares ſyderum influxus; ſed procedamus uſque ad thronum Dei, ubi ſedet amictus lumine inacceſſibili adoratus ab innumerabili multitudine Angelorum, & hominum, quorum æternam conſtituit felicitatem. Ibi proprie reſidet Pater noſter; ibi nobis deſtinat ſedes, quas aliquando repleturi ſumus, ſi conſiliis ejus reſpondere voluerimus. *Idem.*

Coloſſ. 3.

Matth. 6.

Cur velit Salvator, in orationem noſtri ordiri alloquentes Deum tanquam patrem noſtrum.

Salvator orare non incipiebat, niſi ſtatim inciperet oculos in Cælum attollere. *Hæc locutus eſt JESUS, & ſublevatis oculis in Cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*. Qua re docere nos voluit, ut hoc pacto orationem noſtram inciperemus. Cogitemus re adhuc integra, ipſum in Cælis eſſe, Patrem noſtrum ſemper paratum eſſe, ut nos exaudiat; ut hæc cogitantes amoveamus a nobis quodlibet objectum terrenum, & ſpiritus noſter non vacet niſi Deo, cum quo ſumus locuturi. Hæc potiſſima ratio eſt propter quam JESUS CHRISTUS jubet nos dicere: *Pater noſter, qui es in Cælis*: Ut per localem hanc præſentiam in ipſo orationis exordio magis noſtra fides confirmetur. *P. Segneri in Meditationibus.*

Joann. 17.

Senſus cum quibus proferre debemus orationem Dominicam.

Pater. Quænam creaturæ gloria eſt; ſe Deo vota ſua nuncupantem illum Patris nomine appellare poſſe; verum etiam quæ indignitas ſimul, audere illum hoc appellare nomine, quin cogitet, quid dicat! Heu! Hoc peccatum eſt, cujus me fontem conſtitui pluries Deus meus! Heu! quam ſæpe te Patris nomine appellavi, quin attenderem, quid ſibi velit eſſe filium Dei, & Deum habere Patrem! quam ſæpe feſtinanter, per conſuetudinem, & ſine ulla attentione in hanc lapſus ſum temeritatem vocandi te Patrem, id amans, quod me conſtituebat prorſus indignum nomine, & qualitate filii Dei, & in memet deferens id, quo efficiebar inimicus tuus. Fac, Domine, ut impoſterum recitans orationem hanc melius intelligam, quid es, quid mihi es, quid ego ſum, & quid tibi ſum. Singulis noſtrum præcepiſti, ut ita inciperemus: *Pater noſter*, ut omnibus inſpirares ſenſus perfectæ caritatis: tamen millies hæc protuli verba, quin adniterer alloqui perfectam conſenſionem, quam per hoc ſtatuere voluiſti inter illos omnes, qui ad cæleſtem tuam hæreditatem anhelant. Vere dicere non poſſem, me ſemel admiſum fuiſſe, ut evellerem ex

me

me hanc philautiam, quæ efficit ut quiſque omnia referat ad ſe, & omnino obliviſcar neceſſitatum, & ærumnarum alienarum. Nunquam ex corde nuntium miſi ſimultatibus, inimicitiis, ultionibus, odiis, quæ delent caritatem, amabilem hanc virtutem, quæ eſt filiorum tuorum character. Tu nos coegiſti, ut his verbis uteremur in oratione noſtra, ut teneremur nullo in diſcrimine omnes habere mortales divites, pauperes, ſummos, imos, tamquam fratres noſtros vocatos ad eamdem hæreditatem, & hæreditatem Cælorum; ubi eſt manſio communis Patris noſtri, ibi nos præſtolantis. Hodierna die rubore ſuffuſus teneor confiteri me ne ſemel quidem, his verbis uſum fuiſſe, ut delerem in me omnes ideas diſtinctionis, quas ſuperbia, & invidia inter homines ad hoc faſtigium evexere, & quas evertere voluiſti præcipiens, ut per hæc verba te precaremur. *Ex libro, cui titulus; Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Hæc oratio eſt pro animabus ſublimibus, ac pro ſimplicibus. Nunquam penetrantur myſteria, quæ in Oratione Dominicali continentur; litteræ tantum inhæremus, ac per tranſennam admirabilis hujus Orationis ſuperficiem percurrimus. Nunquam aſſequimur divinas ſublimeſque preces, quæ occurrunt ibi, neque divinos theſauros, quos illa complectitur. *Quot voces, tot Sacramenta*, videlicet tot fontes gratiarum. Verba ſunt (S. Ambroſ.) non hominis, ſed Dei. Malum quod parit incuria in oratione hac recitanda, hoc eſt, quod non aſſecuti Myſteria reſpicitnur hanc tamquam formulam orationis, quam JESUS CHRISTUS in terris reliquit in gratiam animarum ſimplicium, & rudium, qui ſine ope hujus libelli ſupplicis ignorarent repræſentare ſuas neceſſitates Patri Cæleſti. Hoc poſito habetur tamquam vulgaris oratio inſtituta pro electis animabus, quas Deus ad perfectionis apicem ſtudet evehere. Fac, Domine Deus, ut hodierna die intelligamus, hanc Orationem, quam ore proprio docuiſti, & propoſuiſti tamquam abſolutiſſimum exemplar omnigenæ Orationis, æque convenire animabus ad ſublimius perfectionis faſtigium adnitentibus, & animabus in conſueta virtutis ſemita ambulantibus. Ah! Quiſnam alius Magiſter præter te Domine aptior eſt ad nos docendos artem orandi, meditandi, contemplandi, & communicandi cum Cælo modis omnibus etiam ſublimioribus; & quod aliud argumentum hac oratione aptius ad formandos, atque attollendos homines ſpirituales uſque ad te. *Ex eodem.*

Senſus, quem habere debet peccator recitans orationem Dominicam. *Pater noſter.* Quamvis nocentiſſimus, audeo tamen ita incipere orationem meam, quoniam filius tuus, Deus, ita præcipit. Verum eſt memet ipſum indignum præbuiſſe qui inter filios tuos recenſerer: facta abjecta, ac turpia, quæ mihi licere volui, vita terrena, immunda, animalis, quam duxi, prohibere me deberet, ne accederem ad te, & hiſcerem; ut hanc tibi orationem offerrem; ſed quoniam Salvator, quem nobis de Cælo miſiſti, loquens generatim ad omnes, ne ſceleſtiſſimis quidem peccatoribus exceptis, præcepit omnibus, ut orationem noſtram per hæc verba inciperemus *Pater noſter:* Amlugere nequeo, quominus, tot etiamſi criminibus inquinatus ſim, adhuc ſerves erga me hoc amabilis Patris nomen. Maxima quidem, & plurima ſunt ſcelera mea, ſed non ſuperant infinitas miſericordias tuas; neque confidentiam abjicere debeo, cum habeam in te Patrem infinitæ bonitatis. Hoc tamen ex me lacrymas debet elicere, mihique infinitum dolorem inferre cogitanti talem Patrem a me læſum fuiſſe. Si poſſem tot lacrymas fundere quot in mari ſunt guttæ, nimis modicæ eſſent ad expiandum malum, quod feci lædens Patrem, quem læſi; nam peccans in te peccavi in Cælum: Igitur mihi prodeundum non eſſet coram te niſi tamquam nocenti coram Judice; & nihilominus jubes te a me Patrem vocari. *Ex eod.*

Bona, quæ nobis contulit J. C. docens orationem Dominicam. Cum orabitis, hoc modo orabitis. Ecce jam magnum confidentiæ argumentum orantibus. Ille, cujus ope indigeo, me docet, quomodo mihi orandum ſit, ut quod cupio aſſequar, ut illum flectam, & mihi propitium efficiam. Ah! anima mea, ille cupit magis conferre mihi, quod peto, quam illud ipſe cupiam accipere. Jam perſuaſum eſt illi, qui oratorem docet qua ex parte movendus eſt.

Pater noſter, qui es in Cælis. Oportebat ne, Deus meus, ut ſollemni, atque authentica promiſſione me certum faceres, te mihi conceſſurum quidquid humili, ac ferventi oratione petiero; ſatis non eſt quod jubeas te a me Patrem vocari, dum oro, ut mihi omnem auferas dubitandi locum, quominus velis exaudire me? Tu enim ipſe dicis: *Qui ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi.* (Lucæ 15.) Eamus fidenter, anima mea, & exponamus Deo noſtras neceſſitates; neque enim Judici, ſed Patri illas debemus exponere.

Sanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut dimittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Sanctificatio divini Nominis per converſionem eorum quidem qui illud ignorant, & perfectionem illorum, qui illud agnoſcunt; poſſeſſio regni Cæleſtis; complementum voluntatis Dei. Panis, qui nos in hac vita nutriat, & viatico nobis ſit ad alteram, venia peccatorum, victoria de tentationibus, & liberatio ab omni malo. Cor fidele, & vere Chriſtianum poteſt ne ulterius aliquid cupere pro vita præſenti, atque futura: Salvator mi! aufer mihi cetera; ſed ne horum quidquam deſit mihi, & quandoquidem tu me docuiſti, ut id a Cæleſti Patre tuo peterem, te mihi adde ſocium, ut illud obtineam. *Compendium Meditationum Patris a Ponte a Patre Aurelianenſi concinnatum.*

Salvatoris menſ in hujus orationis inſtitutione eſt, ut tendamus in Deum Patrem noſtrum. Salvator præcipit nobis, ut confugiamus ad Deum tamquam ad Patrem noſtrum, ut concipiamus primam ſpem obtinendi ab eo illa, quæ a nobis petenda ſunt. Pater familias vulgo non ita durus eſt, ut neget filiis, quæ rationabili cum cauſſa petunt. Pater vero Cæleſtis, qui proprie loquendo ſolus Patris nomen meretur, ita durus erit, ut æquis precibus veſtris non moveatur? *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim Pater veſter, qui in Cœlis eſt.* (Matth. 23.)

Cum igitur Dominus ſit Pater noſter omnibus hiſce de cauſſis: Spes noſtra in illum profecto nimis valida, & firma eſſe nequit. Ita Patris nomen in Dominica oratione poſitum videtur, ut ſit pro fundamento ſingulis petitionibus, quæ in ea continentur; perinde ac in ſingulis diceremus; *Pater ſanctificetur nomen tuum: Pater adveniat regnum tuum; Pater fiat voluntas tua.* Omnia huic nomini Patris innituntur. *Idem.*

De petitionibus orationis Dominicæ. Igitur Deus mi, glorioſi tituli Domini, & Regis minus tibi placent, quam nomen Patris noſtri. Filius tuus nobis præcipit, ut hoc te vocemus nomine in precibus noſtris; reverenter pareo: ſed te Patrem meum vocans, non obliviſcor humilitatis meæ, & magnitudinis tuæ, jam tibi debeo, quidquid ſum, quoniam ex nihilo eduxiſti me, & meus Pater fuiſti ſecundum ordinem naturæ. Quid ergo tibi retribuere potero pro dignitate filii adoptionis, ad quam evexiſti me in ordine gratiæ? Si amor, ſubmiſſio, reverentia poſſunt perſolvere quantum debeo; non ero ingratus erga te. Pater meus es, o Deus meus! Nomen hoc efficit ut benevolentiæ tuæ reminiſcar; efficiet, ut reminiſcar amoris, reverentiæ, & obedientiæ, quam debeo Patrum omnium optimo. Pater meus es, Domine; quomodo non erubeſcam me ipſum de gradu dejiciens, & per inobedientiam meam Dæmonis mancipium me faciens? Quomodo poſſem non recipere æquo, & hilari animo paterna ſupplicia? amor in me tuus mihi infligit illa. Pater meus es: lubens memini, & oblector hinc exordium ſumens orationis meæ; & hæc recordatio me replet confidentia. Nec tu quidem obliviſceris Domine, & paternus amor tuus te in gratiam meam ſollicitat vehementius, quam efficere valeant omnes preces meæ. *P. Segneri in Meditationibus.*

Requirebatur explicitum J. C. imperium, ut Deum vocaremus Patrem. Quod portentum! quod abjecta creatura Domino ſua nuncupans vota dicere poſſit illi Pater, & hoc illum nomine appellare teneatur! *Ita orabitis!* Explicitum requirebatur JESU CHRISTI imperium, ut tantam cum Patre noſtro licentiam nobis vendicare auderemus. Hac de cauſſa Sacerdos, tamquam publicus Miniſter in Miſſæ ſacrificio non recitat Dominicam Orationem, niſi prius dixerit: *Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter.* Quibus verbis Miniſter populo declarat, orationis noſtræ verba omnem præſidentiam abjicere, quoniam illa Salvator ipſe præſcripſit. Antequam ergo lingua veſtra Patris nomen proferat, excitate in corde veſtro ſenſus verecundiæ cogitantes quid ſitis coram Deo, coram quo ſumus cinis, & pulvis: *Et nunc Domine, Pater noſter tu es, nos vero lutum. Idem.* (Iſaiæ 64.)

Deus Pater noſter eſt in ordine naturæ, & gratiæ. Cum ad Deum confugimus, Patris nomen pronuntiamus illud tamquam filii & in ordine naturæ, & in ordine gratiæ. Tamquam filii in ordine naturæ, omnino debemus illi quidquid ſumus; ideoque inevitabiliter tenemur eidem. Quatenus vero filii gratiæ debemus illi eſſentiam, cujus jam nos facere cœpit participes, ut aliquando nos ſibi per gloriam ſimiles faciat, quemadmodum hodie ſumus per gratiam. Hinc judicium feramus quinam eſſe debeant ſenſus cordis noſtri, quotieſcumque Deum Patrem noſtrum vocamus. *P. Segneri in Meditationibus.*

Deus eſt Pater noſter, pudeat nos eſſe Dæmonis mancipia. JESUS CHRISTUS præcipit nobis, ut illum Patrem noſtrum vocemus; primum ut reminiſcamur dignitatis ſtatus noſtri. Filii Dei ſumus: num vellemus degeneres eſſe, & ſervos fieri, quales ſunt tot Chriſtiani indigni nomine, quod gerimus? Numquid deceret nos conſectari contemptibilia terræ bona, ut illi, qui expertes ſunt regni Cæleſtis? *Princeps ea, quæ digna ſunt principe cogitabit.* (Iſaiæ 32.) Filius Regis qui ſe ſe ad turpiſſimam artium omnium, minus ſe abjiceret, quam homo Chriſtianus cum requirit bona, gloriam, & voluptatem ſæculi. Filius Dei factus dæmonis mancipium! Quod monſtrum! Hic eſt prodigus ille, qui ſubulcus effectus eſt. Quomodonam Chriſtianus tunc poſſet dare Deo Patris nomen, niſi ut oſtenderet illi non ſecus, ac prodigus pœnitens dolorem, quo affectus eſt eoquod ipſum dereliquerit? *Pater peccavi in Cælum; & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus. Idem.* (Lucæ 15.)

Hæc verba: Es in Cælis, nobis memoriam excitare debent, Deum gloriari *Es in Cælis.* Verba hæc quæ præcedunt omnes petitiones, quas facturus ſum, eſſe debent etiam norma earum. Efficere debent, ut incipiens orare reminiſcar, cæleſtia bona ea eſſe, quæ præſertim filiis tuis te elargiri

giri

ſe filiis ſuis cœleſtia bona conferre.

giri gloriaris. Non eſſet arduum terræ oliviſci ejuſdem fragilia bona contemnere, cum fides efficit, ut oculos in Cælum attollam; ubi Pater meus eſt, & hæreditas, quam deſtinat mihi? Heu! Adſpectus hic quam acres excitat in me ſenſus confidentiæ! In Cælo regnas Domine Deus meus, & Pater meus: nunquid aptius eſt ad conſolandos filios tuos, & ſpes eorum fovendas? Quid a Patre filius exſpectare non debet, a Patre inquam, cujus bonitas, & potentia nullis finibus continetur? Sed heu! Tu regnas in Cælo, ego vero ſum procul a te in terra aliena? Ingratus ego, neque concupiſco beatum illud momentum, quo ſum cum Patre meo conjungendus! Inſipiens ego ſum; & fortaſſe in exilio meo mihi complaceo! *Idem.*

Petitio hæc ſanctificetur nomen tuum, eſt omnium præſtantiſſima, & veluti finis, ad quem ceteræ referuntur.

Quandoquidem Deum Patrem noſtrum vocamus, noſmet cum illo gerere debemus, non ſecus ac veri illius filii in omnibus, quæ petimus ab illo. Quid ante cetera cupit ſapiens filius, & bene natus? Id quod in Patris ſui cadit utilitatem. Itaque a cæleſti Patre primum nobis id petendum eſt, quod cedit in gloriam illius: *Sanctificetur nomen tuum.* Petitio hæc præſtantiſſima eſt omnium, quas oratio Dominicalis complectitur; nam ita rogans ab omni philaucia integer videtur, & Deum propter Deum ipſum diligere. Eſt etiam omnium prima, ut intelligamus ceteras ad hanc eſſe referendas, tamquam ad finem ſuum. Si Dominum oramus; *adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua; panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: dimitte nobis debita noſtra, ne nos inducas in tentationem; libera nos a malo:* Omnia hæc ad illud referri debent: *Sanctificetur nomen tuum.* Conemur emundare noſtras petitiones; ita ut omnes ad hanc redigantur; *Sanctificetur nomen tuum:* Hanc inceſſanter repetamus: omnia opera noſtra hoc deſiderio animentur videndi nomen Dei ſanctificatum? *P. Segneri in Meditationibus.*

Confidentia animare debet orationem noſtram. Oratio Dominica nobis præbet argumenta.

Quantumvis Juſtæ, & bene inſtitutæ ſint preces noſtræ, a nobis inutiliter fiunt, niſi illas comitetur confidentia. Ipſi ſcimus quam proclives ſumus ad ea efficienda, quæ fidenter a nobis petuntur. Si ita noſmet geſſerimus, licet improbi ſimus, aliterne ſe geret nobiſcum Deus, qui potiſſimum ſe bonum eſſe gloriatur? *Erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam.* Oratio vero Dominica exemplum eſt orationis, quæ plena eſt confidentiæ: Nam haud hæſitanter petimus; *Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua.* Quæ loquendi ratio videretur etiam imperioſa, niſi illam nobis dictaſſet Salvator, ut nobis oſtenderet, non confugiendum eſſe ad Deum tamquam ad homines, dubitando. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Poſtulamus cum amore tamquam filii, qui Patrem orant & pro ſe ipſis, & pro fratribus ſuis: *Pater noſter, qui es in Cælis.* Denique paucis petimus: nihil brevius, nihil ſimplicius oratione, de qua verba facimus. Longos, atque induſtria elaboratos ſermones habere, ut fit apud terræ Principes, certiſſimo eſt argumento, nos nequaquam in illos confidere. Ita nobis inquit Salvator: *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici, putant enim quia in multiloquio ſuo exaudiantur:* Non verba conſiderat Deus, ſed deſideria: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. Idem.*

Jerem. 39.

Jacob. 1.

Matth. 6.

Pſalm. 10.

Neceſſe erat ut Deus doceret nos orare.

Nunquid neceſſe erat docere miſeros, quo pacto malorum ſuorum ſolatium exquirerent? Ita; Deus meus! Miſeriæ noſtræ exceſſus erat illam ferre non poſſe, & ignorare modum illam tibi exponendi, ut opus erat, ut te ad miſerationem flecteremus. Opus fuit, ut filius tuus doceret nos orare, & ſupplicem nobis libellum conſcriberet, quem tibi exhiberemus, traderetque modum, quo te facilius ad miſericordiam excitaremus. Undenam haurirem aliunde præter Dominicam Orationem hos ſenſus humilitatis, & confidentiæ, qui orationis efficientiam conſtituunt? Adſpectus earum rerum, quas tibi exponere debeo ciet in me humilitatem: Vocari vis *Pater noſter.* Igitur non deeſt tibi Deus meus benevolentia, & bonitas: Qualis in me cauſſa confidentiæ? *Idem.*

Qui peccatores, aut vitæ inhærent, non niſi trepidantes petere poſſunt adveniat regnum tuum.

Pſalm. 46.

Non peccatores, qui non cogitant ex criminum cœno emergere, neque ipſi etiam juſti, qui hujus mortalis vitæ bonis inhærent, poſſunt audacter hanc orationem effundere: *Adveniat regnum tuum.* Peccatores enim peterent, ut damnationis ſuæ tempus feſtinaret. Deus certe aliquando omnino regnaturus eſt in bonos, & malos, quamvis modo prorſus alio, ac diverſo: *Regnabit Deus ſuper gentes.* Regnabit ſuper Juſtos in Cælo, & in inferno ſuper impios. Regnabit ſuper Juſtos tamquam amabilis Monarcha ſuper Reges manu ſua redimitos corona, & qui ſibi gloriæ vertunt projicere coronas ſuas ad pedes auguſtiſſimi ſolii ejuſdem. Regnabit in peccatores tamquam Monarcha terribilis in totidem captivos æternis carceribus addictos; quia miſeri illo irrito conatu compedes eos frangere molirentur, ut terribilia, quibus torquentur ſupplicia evitarent. Hoc igitur petunt obdurati peccatores, quin cogitent cum dicunt: *Adveniat regnum tuum.* Petunt videre tempus æternæ captivitatis, quæ illos manet. *Væ deſiderantibus diem Domini ..... Dies Domini iſta, tenebræ, & non lux.* Sed juſti, qui nimis inhærent vitæ huic mortali, dicere nequeant, ut opus eſt: *Adveniat regnum tuum;* Quomodo enim audeant hoc petere a Deo, qui terram amittere reformidant? *Idem.*

Amos 5.

Magna felicitas noſtra non eſt regnare in Cælo, ſed ibi videre Deum regnantem.

Quamvis Regnum nobis paratum ſit hæreditas noſtra, non vult illud a nobis regnum noſtrum vocari, ſed a nobis Patri noſtro dici: *Adveniat regnum tuum:* ut videlicet oſtendamus Domino, nos tamquam dignos illius filios magis amare gloriam ejus, quam noſtram utilitatem, & nos ad hanc hæreditatem non anhelare, niſi ut videamus ipſum perfecte in nobis regnantem. Cum ergo dicimus: *Adveniat regnum tuum,* cogitemus perfectum illud imperium, quod ille habiturus eſt in nos, cum expediti ab omnibus affectibus hominis carnalis, nihil in nobis habebimus, quod divinæ voluntati adverſetur: cum cogitationes, deſideria, motus noſtri, quidquid ſumus, illi omnino erunt ſubjecta. *Regnabit Dominus ſuper illos in monte Sion in æternum, & ultra.* Primum objectum lætitiæ Sanctorum, & actionis gratiarum eorumdem eſt, ſe factos eſſe propter Regnum Dei; eſt, Deum jam omnino, & abſolute regnare ſuper ipſos; & inde magis ſine ulla comparatione lætantur, quam ſi ipſi reges eſſent. Hos teneamus ſenſus, ea proferentes verba: *Adveniat regnum tuum. P. Segneri in Meditationibus.*

Mich. 4.

Petitio hæc, Dimitte nobis debita noſtra, prævertere, poteſt æque, & juſtorum præſumptionem, & deſperationem peccatorum.

Ob oculos Salvatoris petitionem hanc præſcribentis duo verſabantur objecta; Primum erat occurrere præſumptioni noſtræ; alterum noſtram prævertere deſperationem: quæ duo ſunt mala graviſſima, in quorum alterum juſtus, in alterum vero peccator poſſunt incidere. Juſtus aliquando pervenire poteſt ad hunc exceſſum confidentiæ, ut ſibi putet, non eſſe ultra petendam a Deo peccatorum ſuorum remiſſionem: *Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi.* Peccator e contra ad eum diffidentiæ gradum pervenire poteſt, ut deſperet de venia criminum ſuorum: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Sed utrumque malum prævertit JESUS CHRISTUS jubens nos dicere: *Dimitte nobis debita noſtra. P. Segneri in Meditationibus.*

Lucæ 15.

Omnes homines petere debent a Deo: Dimitte nobis debita noſtra.

Omnibus, pro omnibus locis, omnibuſque temporibus, dictum eſt: *Sic orabitis.* Nemo igitur præſumat in innocentia ſua, nemo putet ſibi petendum non eſſe, ut Deus ſua peccata dimittat. Quis enim in terra eſt, qui audeat gloriari ſe expunctum eſſe ex numero eorum, qui Deo ſunt obſtricti? Omnibus generatim hominibus præcipit Salvator, ut ita orent: *Dimitte nobis debita noſtra.* Omnes igitur debita contrahere poſſunt; omnes igitur poſſunt obtinere, ut ſibi dimittantur. Accidere poteſt, verum eſt, ut dimittantur nobis omnia debita noſtra, cum petimus adhuc illa nobis a Patre Cæleſti dimitti; ſed quis hoc nobis teſtatur? Sine explicita revelatione pro certo habere non poſſumus, nobis dimiſſa fuiſſe peccata. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. P. Segneri in Meditatur.*

Eccl. 5.

Omnes debitores ſumus Dei.

Ceterum ſi nefas eſt, quemquam ſe præſumere ab omni vacuum peccato; nemo etiam fas eſt deſperare de venia, dummodo ex corde dicat. *Dimitte nobis debita noſtra.* Nunquid præcepiſſet nobis JESUS CHRISTUS, ut ita peteremus, ſi contrahere poſſemus debita adeo gravia, ut eorum remiſſionem obtinere nequaquam poſſemus hanc ex corde vere contrito petentes? Non ita ſane; quandoquidem vult nos petere, ut nobis dimittantur debita noſtra, tuti eſſe poſſumus ea eſſe nobis dimittenda: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Quod debitum? niſi quod per peccatum contrahimus. Poteſne nimis a nobis exigere, Domine, ut illud nobis dimittas? & poteſne minus ad id exigere, quam quod petis? Ad peccatum delendum non aliud requiritur, niſi dolor peccati; & tibi aliquot pœnæ leves ſufficiunt, ut tuæ juſtitiæ ſatisfiat. Ubinam ergo eſt iſta Dei juſtitia, terribilis iſta juſtitia; & in quibus ejus ſeveritatem exerces? In ipſo te, Salvator amabilis. Pro debitis noſtris ſolviſti totum Sanguinem tuum detrectabimus ne aliquam ſubire particulam paſſionum tuarum, ut earum meritum nobiſmet valeamus explicare. *Idem.*

Matth. 18.

De prima petitione, Pater.

Per hæc verba: *Sanctificetur nomen tuum,* non petimus, ut Deus novum aliquem ſanctitatis gradum acquirat. Ille ipſa eſt ſanctitas; in ſe omnes continet perfectiones; nihil novi poteſt adipiſci: ſed petimus ut ſanctificetur ſanctum nomen ejus, videlicet ſecundum Scripturæ Sermonem, celebretur, laudetur, glorificetur. Primum *ſanctificare* apud Hebræos celebrare eſt; ut dicitur, celebrare jejunium, & ſabbatum, quod innuit hos dies nobis eſſe colendos, & peculiari cultu a ceteris eſſe diſtinguendos. Ita celebrare, vel ſanctificare ſanctum Dei nomen, eſt illud a ceteris nominibus diſtinguere, ſuper ceteros extollere: & non niſi ſumma cum veneratione appellare. Secundo, ſanctificare nomen Dei eſt laudare; & glorificare Deum tamquam bonorum omnium auctorem, tamquam ipſam ſanctitatem, atque veritatem. Cupimus, ut creata omnia narrent potentiam, & infinitas illius perfectiones, ut dictum eſt in libro Sapientiæ. *Decantaverunt Domine nomen ſanctum tuum.* Evulgetur, ad eum honorem, & gloriam pertinere. Omnes Eccleſiæ filii ſpectent gloriam ejus in omnibus actibus ſuis; ac tandem ubique cum

Sapient. 10. 20.

Ange-

Digitized by Google

Angelis cantetur. *Deus eſt Sanctus, Sanctus, Sanctus. Cæremonia Miſſæ per P. le Brun Oratorii Presbyterum.*

De ſecunda & tertia petitione.

Cum dicimus: *Adveniat regnum tuum*, petimus Deum generatim glorificari; quapropter opus eſt, ut regnet in mentibus, & cordibus hominum, uti regnat in Cælo in Beatis Spiritibus. Cupimus, ut Dei regnum quotidie augeatur, & dilatetur per Eccleſiam in omnes terrarum plagas; ut peccatores non ſinant amplius in ſe regnare peccatum; ut infideles atque hæretici convertantur ad illum, & ad ejus Eccleſiam redeant: ut Deus ſolus regnet in corde juſtorum non ſecus ac Cæleſtibus, & tandem ut regnum illius perficiatur per conjunctionem Electorum omnium in Cælo. *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo & in terra.* Deus ibi regnat, ubi fit ejus voluntas. Cupimus ut in terris fiat; ſicuti fit in Cælo; hoc eſt, ut homines id tantum facere velint, quod ab illis fieri vult Deus, ut ament, revereantur, quidquid a Deo eſt, ut ſe divinæ illius providentiæ ſubmittant perfecta cum obedientia, & divinæ voluntatis ſuæ exequantur imperia, quemadmodum Angeli in Cælo eadem exequuntur, ut ſeſe præparent perfecte ad audiendas Dei voluntates per celeritatem exequendi illas, quas norunt. Secundo, petimus ut regnum illius adveniat in nos, ut in præſentiarum adeat poſſeſſionem animæ noſtræ, & efficiens, ut abdicato vitæ præſentis amore, & earum rerum omnium, quæ huic mundo nos adnectere poſſunt, nihil ardentius optemus, quam participes fieri Regni æterni cum Juſtis. Tertio petimus, ut fiat Sancta voluntas ejus, nempe in nobis, ut peramanter facere valeamus voluntatem ejus, S. Cyprianus inquit, ut nobis opem ferat in jugi certamine carnis adverſus ſpiritum, & in iis omnibus, quæ S. Legi illius adverſantur, ut in omnibus vitæ hujus rebus id unum velimus, quod ſaluti noſtræ conferre aliquid poteſt, & æquo animo, & hilari corde acceptemus eventus omnes, qui nobis dolorem poſſunt inferre. *Liber cui titulus: Cæremonia Miſſæ per Patrem le Brun Oratorii Presbyterum.*

De quarta petitione. Panem.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Panis nomen in Scripturis accipitur modo pro illo, quod ad corporalem vitam neceſſarium eſt; modo pro vitæ ſpiritualis neceſſitatibus, & modo pro divina Euchariſtia, quæ antonomaſtice panis eſt, de quo JESUS CHRISTUS dixit: *panis, quem ego dabo caro mea eſt.*

6. Joann.

Omnes id genus eſcæ ſunt panis quotidianus; quippe quotidie alere tenemur animam, & corpus; & Euchariſtia panis eſt quotidianus Eccleſiæ, ſin minus eſt ſingulorum fidelium. Dicere non poſſumus JESUM CHRISTUM velle, ut hic præſertim petamus ea, quæ ſunt corpori neceſſaria, cujuſmodi ſunt victus, & indumentum; quandoquidem JESUS in hoc ipſo capite ait: *Nolite ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus:* & addit: *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*, videlicet hæc quamvis non petita largietur Deus iis, qui ſpiritualia bona conſequi admitentur. Neque aſſerere poſſumus JESUM CHRISTUM præcipere, ut hoc in loco Euchariſtiam potiſſimum poſtulemus: Nam præterquam quod JESUS CHRISTUS hanc orationem docuerit multo antequam divinum hoc inſtitueret Sacramentum, illa quotidie recitanda eſt ab omnibus Chriſtianis non quotidie communicantibus, & pluries ſingulis diebus recitatur, quamvis tunc mortales non communicentur. Reſtat igitur, ut pro pane quotidiano intelligamus præcipue bona ſpiritualia, quæ animam noſtram nutrire debent ad vitam æternam, & quibus inceſſanter indigemus. Denique poſtquam præſertim ſpirituales noſtras reſpeximus neceſſitates, petere poſſumus etiam victum, habitationem, veſtitum; ſed hæc petenda ſunt eo modo, quo petitur panis, videlicet id tantum, quod eſt mere neceſſarium. Illud petendum eſt *hodie* pro die tantum hodierna ad amovendam omnem avaritiam, & ſollicitudinem pro tempore futuro. Petendum eſt, ut jugiter pendeamus a Deo in rebus omnibus. Et profecto in iis, quæ ad has omnes pertinent neceſſitates, inutiles eſſent prævisiones noſtræ, niſi Deus nobis ferret opem. Quantacumque ſit hominis opulentia, vita ejus non pendet a divitiis illius. Quocumque in ſtatu ſimus pauperes, aut divites, unice in Deo nobis confidendum eſt, & velle debemus omnino pendere a poteſtate, & bonitate ſupremi Domini, qui momento poteſt finem imponere egeſtatis pauperis, & redigere ditiſſimum quemlibet ad eum ſtatum, in quo erat Job in ſuo ſterquilinio. Igitur diebus ſingulis panis a Deo petendus eſt, tamquam egenis. Panis hic gratia eſt, non debitum. Deo ſemper benedicere debemus ſive modice, ſive affluenter tribuenti; Inopia quippe ſæpe nobis eſt utilior, quam copia. *Ex libro eodem.*

De quinta petitione.

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Debita noſtra peccata ſunt. Debita vocantur, quia conſtituunt nos debitores juſtitiæ Dei, cui in hoc mundo; vel in altero ſatisfaciendum eſt. Per debita vero, quæ nos pollicemur dimiſſuros, intelligendæ ſunt injuriæ potius quam æs, quod alii nobis debent, vel aliud quodpiam, ut ſcite S. Auguſtinus animadvertit. JESUS CHRISTUS id ſatis aperte declarat, cum ſub finem hujus Orationis ait, fore ut ſi dimiſerimus hominibus ipſorum peccata, Pater Cæleſtis quoque nobis noſtra dimittat. Ideo jure hæc petitio ita aliis verbis offertur: Condona nobis noxas noſtras, ſicut & nos alienas condonamus. Qua ratione Salvator nos jubet in fratres noſtros eſſe miſericordes. Regula, quam vult, ut nobiſmet ipſis præſcribamus petentes a Deo, ut noſtra nobis debita dimittat, non eſt coarctans. Oportet, nos acceptas injurias cujuſcumque ſint generis dimittere; & ratione debitæ pecuniæ ſemper regulæ ſervandæ ſunt, ut nostra dimittatur, & ſimus miſericordes, quos nos eſſe jubet JESUS CHRISTUS, ſi illum in nos eſſe cupimus miſericordem. Secundo loco notandum eſt cum S. Auguſtino ex ſeptem petitionibus quas Dominus noſter a nobis orantibus fieri juſſit, illam quam præ ceteris commendat eſſe veniam peccatorum; qua in re indigitavit nobis tutiſſimam ad nos ex miſeriis noſtris eripiendos viam, eſſe erga alios uti miſericordia. Ita hæc una eſt Orationis Dominicæ petitio, in qua Deum rogamus perinde ac cum illo paciſceremur: illi enim dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Si in hoc fœdere, quod cum illo contrahimus, mala agimus fide, & mentimur; nullum ex Oratione noſtra fructum percipiemus. Ait enim ille: Si dimiſeritis hominibus, quidquid in vos peccaverint; Pater veſter Cæleſtis dimittet vobis, quidqid in ipſum peccaveritis. Verum ſi vos non peperceritis illis; neque vobis parcet Pater veſter. Ille nos arbitros facit ſententiæ, quam prolaturus eſt, nobiſque optionem facit bonitatis, & ſeveritatis, prout alterutra uſi fuerimus cum fratribus noſtris.

Tertio animadvertendum eſt, petitionem hanc nexum habere neceſſarium cum altera, qua cupimus, *Adveniat regnum tuum;* omnis enim difficultas in injuriis dimittendis inde proficiſcitur, quia volumus regnare, ac dominari in fratres noſtros. Si ex animo non aliud cuperemus regnum, quam Dei in corda noſtra, nobis cordi non eſſet niſi honor, & gloria ipſius, erubeſceremus aliquo in pretio haberi, illi traderemus, & abhorreremus ab ultione in fratres noſtros exercenda, quam ſibi uni Deus juſſit reſervari. *Homo*, Sacer Textus ait, *homini reſervat iram, & a Deo quærit medelam; In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe dum caro ſit, reſervat iram; & propitiationem petit a Deo. Quis exorabit pro delictis illius?* Cum etiam per teterrimas calumnias noſtras læderetur irreparabili malo exiſtimatio, omnis tamen jugulandus eſſet doloris ſenſus in eos, qui tantam nobis inferrent injuriam. Sed quomodonam omnibus amoris noſtri motibus reſiſtere poſſumus, niſi Deus omnino regnet in nobis, & totam animam noſtram non poſſideat? Igitur debitorum remiſſio ex ſecunda petitione conſequitur. *Idem.* Eccli. 28

Et ne nos inducas in tentationem. Tentationes, quibus ſumus obnoxii, prohibent ſæpe ne Dei voluntatem adimpleamus; quamobrem petimus, ne Deus nos in tentationem inducat. Tentare autem, vulgo eſt experiri, ut aliquid vel cognoſcatur, vel cognoſcendum præbeatur. Homo tentari poteſt primum, ut qualiter affectus ſit agnoſcatur, cum latet. Deus hoc modo non tentat, quia omnia aperta ſunt in oculis ejus. Secundo tentari poteſt, hoc eſt probari, ut virtus illius innoteſcat. Ita Deus nonnunquam probat juſtos, ut illis locum præbeat promerendi gloriam, eoſve aliis exemplum proponat. Hoc pacto tentavit Abraham, Job, Tobiam, alioſque plures. Sed hæ duæ tentandi rationes minime conveniunt iis, quæ petimus in noſtra oratione. Tentatio in ſequiorem partem accipitur, petimus enim, ne in eam inducamur. Poteſt aliquis in tentationem induci, primum impellendo illum in malum; ſecundo non admonendo illum de tentationibus, quibus oppugnandus eſt; tertio relinquendo illum ſine ſubſidiis, quæ prohiberent, ne cederet tentationi. Non petimus a Deo, ne nos in malum inducat: ſcimus illum neminem hoc pacto tentare, & non niſi duobus poſterioribus modis poſſe nos in tentationem inducere; itaque poſtulamus, ne propter fragilitatem noſtram permittat Deus, ut in tentationem incidamus. Hæc eſt petitio, quam JESUS CHRISTUS Apoſtolis ſuis præcepit, & in hoc ſenſu S. Cyprianus, aliique Patres nonnulli hæc verba interpretantur: *Ne nos inducas in tentationem*, hoc eſt, ne patiaris nos tentari. Verum cum vita hæc ſit perennis tentatio, & ſperare non poſſimus nos evitaturos eſſe omnes tentationes, cum nobis pugnandum ſit contra dæmonem, mundum, & carnem; petimus etiam ne Deus permittat nos a tentatione ſuperari, noſmet nobis derelinquens. Non recedimus a voluntate Dei, & non vincimur tentatione, niſi cum lumen, & robur deficit nobis. Gratia Dei eſt ſubſidium noſtrum, ut bonum operemur, & ſuperemus tentationes; *Et quemadmodum victores ſumus, cum Deus nobis fert opem*, dicit Papa Innocentius I. *neceſſe eſt, ut hoc opem non ferente vincamur;* Deo non impellente, ſed nos deſerente, S. Auguſtinus ait. Petimus ergo, ne nos deſerat Deus, nec ſinat nos tentationibus ſuperari. Scimus, ſi fideles fuerimus promiſſionibus, non permiſſurum unquam, ut ſupra vires tentemur; & ſperamus illum non permiſſurum eſſe tentationem, niſi ut inde victoriam referamus. *Ex libro, cui titulus: Cæremonia Miſſæ per Patrem le Brun.*

De ſexta petitione.

Sed

De ſeptima Orationis Dominicalis petitione.

Sed libera nos a malo. Hæc eſt Orationis concluſio, & petitio, quæ nobis procurare debet effectum, & fructum ceterarum. Jugiter nanciſcimur obices iis diſpoſitionibus, quas in nobis hæ petitiones ſupponunt; in eo tota ſpes noſtra eſt, quod Deus liberet nos a malo, non quidem ab omni malo ſingillatim, ſed generatim ab iis omnibus, quæ prohibere poſſunt, ne ſanctificemur Sanctum Dei nomen, ne Regnum illius deſideremus, ne ſanctam illius Voluntatem perficiamus, ne recipiamus bona, quæ nobis ſunt neceſſaria, ne dimittamus debita, ne criminum noſtrorum veniam conſequamur, & ne a tentatione præſervemur. JESUS CHRISTUS jubet nos iſtic petere, quod ipſe petiit pro Apoſtolis ſuis, pridie quam pateretur: Præſerva illos a malo, hoc eſt, ab eo, quod ſaluti eorum officerent. Non eſt igitur hoc in loco mali nomen coarctandum, ut ſignificet peccatum, dæmonem, vel aliud quodpiam particulare objectum. Peccatum procul dubio malum eſt, & ceterorum maximum; ſed non petimus ſolum liberari a peccato; ſupra jam a peccatis liberari popoſcimus, immo etiam a tentatione, quæ nos ad peccandum impelleret. Dæmon etiam malum eſt, & in Scripturis *Malignum* vocatur; ſed non petimus ſolum a dæmonis incurſionibus liberari: non enim aliæ deſunt cauſſæ, quæ nos in malum inducant. Mali nomen generatim ſumendum eſt pro iis omnibus, quæ nos avertunt a vero bono, ſeu nos in nova peccata pertrahendo, ſeu inſtaurando moleſtas impreſſiones, quas præterita peccata reliquerunt in mentibus, & cordibus noſtris. Verbo, petimus, ut Deus liberet non a malis, quæcumque tandem illa ſint, quæ nos a ſalute noſtra avertunt, & in nobis obices ad ſanctam illius voluntatem perficiendam conſtituunt. *Idem*.

DE SALUTATIONE ANGELICA.

MONITUM.

INter Ceremonias, & Eccleſiæ Catholicæ conſuetudines non extremum ſibi jure vendicat locum Angelica Salutatio; eſt enim unum ex probatiſſimis argumentis devotionis illius, qua Virgo Sanctiſſima colitur, & jampridem uſum obtinuit in omnibus Civitatibus, & recitatur ab omnibus Fidelibus, qui ſe Deiparam colere profitentur. Præter cetera bona, quæ illinc emanant, monitum eſt, ut noſmet colligamus, & animum advertamus ad diei actus, ac tandem mentem noſtram avocemus ab evagatione, in quam ſenſim conjecit illam multitudo occupationum noſtrarum.

Fatentur omnes Sanctam hanc conſuetudinem non eſſe arctæ, & inevitabilis neceſſitatis in Chriſtiana Religione, ſed ſolum praxis quædam pietatis, quæ fidelibus migravit in conſuetudinem. Hinc quin inde fieret titulus, & peculiare Argumentum, confundi poſſet cum devotione erga Beatam Virginem; vel ſaltem cum praxibus, quas Chriſtianus exercere poteſt ſive publice, ſive privatim. Sed cogitans utilitatem, & fructum, quem Eccleſia, & Chriſtiani inde percipere poſſant, veluti inſtaurandi intentionem, quam mane nobiſmet propoſuimus procurandi rebus in omnibus majorem Dei gloriam ſecundum Apoſtoli conſilium; ratus ſum me non modice collaturum pietati fidelium, oſtendere illis meritum, dignitatem, & fructum, quem ex hac Sancta, & religioſa conſuetudine percipere poteſt Eccleſia.

ANGELICA SALUTATIO.

Quid continet Angelica Salutatio.

SALUTATIO Angelica eſt Oratio, quam Sanctiſſimæ virgini nuncupamus, & quæ incipit iis verbis, quibus ab Angelo ſalutata fuit, cum miſſus fuit nunciaturus illam Dei Matrem futuram. Præcipuæ hujus Orationis partes ſunt Salutatio, laus, & petitio; Salutatio quidem per verba Gabrielis Archangeli; Laus per ejuſdem Archangeli, & S. Eliſabeth verba; Petitio vero per Eccleſiæ Orationem. Cum B. Virginem ſalutamus, Angeli ſequimur exemplum, ejuſque utimur verbis teſtaturi cultum, & obſequium ſingulare noſtrum pro inæſtimabili Deiparæ dignitate, ob hanc gratulaturi, & cordis noſtri gaudium exuberans ſignificaturi. Hæc ſunt Angeli verba. *Ave Maria*, dixit illi, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Ita laudamus S. Virginem eo quod concepit, & peperit Mundi Dominum, ob plenitudinem gratiarum, & benedictionum, quas obtinuit, & ob elationem gloriæ ſuæ in cælo, quod meretur, quaſcumque illi poſſumus conferre. En ſimul verba S. Eliſabeth: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus Ventris tui*; & innuimus, quis ſit hic fructus per S. Nomen JESU; eamque peculiari modo debemus orare; cum enim Mater ſit Salvatoris noſtri, & in gloria præ Sanctis omnibus maxime elata, majorem illis habet apud Deum poteſtatem. Non deſunt nobis exempla in Scripturis: primum enim Domini noſtri miraculum patratum fuit ad Matris preces. Quamobrem illam jugiter precari debemus, ut nos præſentet Filio ſuo, & pro nobis illum deprecetur, quandoquidem ſumus indigni, qui propter peccata noſtra ab illo exaudiamur. Sed cum S. Virginem ita vocamus: *Sancta Maria Mater Dei*, id agimus ad excitandam illius bonitatem, repræſentando ipſi Sanctitatem, & qualitatem Matris Dei; quam illa maxime facit, & quæ fundamentum eſt totius Magnitudinis ſuæ. Enixe flagitamus, ut pro nobis preces effundat, & reſpicimus illam tamquam bonitate cumulatiſſimam, ut velit pro nobis petere, & ſatis potentem apud Deum, ut ab eodem obtineat, quod petit per Filium ſuum, non ut hoc ipſa nobis largiatur. Noſmet coram illa peccatores vocamus; ita enim noſmet humiliamus, & confitemur noſtram miſeriam, propter quam indigni ſumus, qui ab illa exaudiamur; ut excitemus illius miſericordiam, & bonitatem generatim patrocinium ejus imploramus, ſed ſingillatim cum noſtræ mortis horam attingimus; illud enim decretorium eſt æternitatis noſtræ momentum, quo maxime indigemus Dei Miſericordia; & hæc neceſſitas noſtra in rebus quatuor peculiariter ſita eſt; 1. ne perturbemur timore mortis, ac tentationibus dæmonis; 2. ut Chriſtiana patientia morbum ſuſtineamus: 3. ut noviſſima Eccleſiæ Sacramenta digni recipiamus: 4. ut ſervemus Spiritum pœnitentiæ, confidentiæ in Deo, & perſeverantiæ in gratia, & in amore ejuſdem. *Auctor recens*.

Tres partes quæ in Angelica Salutatione continentur.

Tres ſunt partes in Angelica Salutatione; prior illa eſt qua Angelus nuntiavit Mariæ dominicæ Incarnationis Myſterium, per hæc verba; *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, & hac de cauſſa Oratio hæc *Ave Maria* Angelica Salutatio nuncupatur. Pars altera continet verba, quæ dixit illi S. Eliſabeth in Viſitatione ſibi obita: *Benedicta tu in Mulieribus, & benedictus fructus Ventris tui*. Tertia vero eſt brevis oratio, quam adjecit Eccleſia dicens: *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in ora mortis noſtræ*. Non dicimus autem proprie loquendo Salutationem Angelicam ab auctoribus noſtris fuiſſe compoſitam; ſed potius aſſerimus ſolum Spiritum S. auctorem fuiſſe hujus Sanctæ ac divinæ Orationis; quamvis verum ſit eumdem Spiritum S. per triplex organum eam pronuntiaſſe; primam ſcilicet partem per os Gabrielis Archangeli; alteram per os S. Eliſabeth, tertiam vero per Eccleſiam. Hæc tamen Oratio ſemper vocata fuit Angelica Salutatio: Angelus enim primam, & potiſſimam illius partem protulit, quatenus Cæleſtis Nuntius de altiſſimo Incarnationis Myſterio, ſalvere jubens B. Virginem, eamque ſuper omnia creata commendans. Ita ut Oratio hæc plurimi facienda ſit, & habenda inter ſanctiſſimas; namque poſt Dominicam Orationem, quam ipſe JESUS CHRISTUS ore ſuo docuit, nobiſque reliquit tamquam perfectiſſimum Orationis exemplum, Salutatio Angelica eſt præſtantiſſima, quippe quæ facta immediate ab ipſo Deo, & prolata per os Servorum ſuorum. Hinc dubitari non poteſt, non exaudiri eos, qui ſæpe repetunt Angelicam Salutationem; & nobis utiliſſimum eſt non amittere memoriam Myſterii Incarnationis, per cujus occaſionem S. Virgini facta fuit hæc ſalutatio. Et ſane quomodo non placeat illi audire ſibi iterari eam Salutationem, per quam declaratur, ut olim declarata fuit,

Dei Matri; quæ prærogativa complectitur ceteras locupletiſſimas, ornatiſſimaſque qualitates, quæ alicui meræ creaturæ tribui poſſent? *Idem*.

Objectio perfecta ex negatione Hæreticorum Salutationem Angelicam recipere nolentium.

At enim, ſi verum eſt Salutationem Angelicam tanti faciendam eſſe, & inde Deum, Sanctamque Virginem tanta affici voluptate, cur ergo Religionis inimici illam & recipere, & recitare detrectant? Sed facilis patet reſponſio; quia Hæretici ab Eccleſia diſcedentes, cui antea parebant, ſtatim percuſſere fœdus cum inimico ſalutis humanæ, qui pati nequit Sanctam Virginem illius eſſe Mediatricem; ideoque ſecum deferunt reprobationis ſuæ characterem; ut plures Patres loquuntur; adulterant etiam ipſam Scripturam, cum dicunt JESUM CHRISTUM ſolum habendum eſſe pro Mediatore, & Advocato apud Patrem ſuum. Fatemur enim Dominum noſtrum ſolum ſufficere poſſe; ſed decuit, ut ſexus uterque aliquid ad noſtram conferret redemptionem, quandoquidem uterque contulerat ad noſtram perniciem. Hæc igitur Oratio Sancta eſt, & omnibus ſæculis uſitata ſalutandi ſub hac qualitate S. Virginem ad imitationem Angeli, quemadmodum docent S. Jacobus Apoſtolus, & S. Joannes Chryſoſtomus in ſuis Liturgiis. *Idem*.

De Salutationis Angelicæ præſtantia.

Quid inter preces vocales comparari poteſt cum Angelica Salutatione? Ex iis omnibus, quæ fiunt Deiparæ, nulla eſt, quæ huic cedere non debeat; continet enim bonum honeſtum ſua præſtantia delectabile, propter voluptatem, quam Sanctiſſimæ Virgini parit, & bonum utile, per ea, quæ ex illius uſu, nobis bona proveniunt. Angelicæ Salutationis præſtantia ex ejus Auctore colligitur; ex perſona illius, cui hæc dirigitur Salutatio, ex fine propter quem fuit inventa. Auctor enim illius eſt Deus ipſe; Angelus enim loquitur ad Mariam Dei nomine, nec dicit, niſi quod illi verbo præit Spiritus ſanctus. Hæc Angeli Salutatio in æterno trium divinarum Perſonarum Conſilio decreta fuit, & ab Increata Sapientia dictata; in libro Vitæ, & in Patris intellectu deſcripta iiſdem characteribus, quibus deſcriptum fuit Decretum æternum Incarnationis Filii ſui, & vere dicere poſſumus, Angelicam Salutationem eſſe clauſulam Decreti illius infinite adorabilis. Si igitur de hujus Orationis præſtantia judicium ferendum eſt ex Auctoris qualitate, quid cogitari poteſt ſublimius? *Ex libro, cui Titulus: Vera devotio erga Deiparam Patris Rupe Recollecti*.

Ejuſdem argumenti.

Angelica Salutatio dirigitur ad primam meritis, & creaturarum omnium excellentiſſimam, veram Matrem Filii Dei, ad unicam Spiritus ſancti Sponſam, ad Reginam univerſorum; & finis ejus eſt celſiſſimum omnium Myſteriorum, quæ manare poſſent a Dei omnipotentia, quandoquidem ad ſtatuendam executionem æterni Conſilii de Verbi æterni Incarnationis nuntius miſſus fuit, ut illud Virgini Sanctiſſimæ proponeret. Humane Spiritus, tuum non eſt ferre judicium de pretio hujus Sermonis; cognoſcendum quippe eſt ex magnitudine Auctoris, ex meritis illius, ad quam dirigitur, & ex fine propter quem miſſus eſt. Itaque ſermo hic prolatus fuit ab uno ex principibus Cæli, a S. Gabriele, qui appellatus fuit Angelus, & Archangelus, Legato a Deo miſſo propter ſummi momenti negotium. Sunt etiam qui putent, hunc ex primis fuiſſe Principibus, quia ſermo hic ſpectabat ad negotium maximi momenti, quo nullum majus excogitari poteſt, & quia habendus erat apud Sanctiſſimam Virginem tamquam Creaturarum omnium præexcellentiſſimam. *Idem*.

Mariæ nomen diſtinguit Dei Matrem a ſublimioribus Cæli Intelligentiis.

De Mariæ nomine loquens mihi videor id dicere poſſe, quod S. Paulus dixit de Verbo Incarnato, cujus illa Mater eſt: Quod videlicet *tanto melior Angelis effecta eſt, quanto differentius præ illis nomen hereditavit*. Quemadmodum autem nomen ad hoc ut jure imponatur, explicare debet naturam rei ſignificatæ, per hoc Mariæ nomen ſtatim concipere debeo id, quod illam diſtinguit, & quod ſingularem ejus differentiam conſtituit inter omnes mulieres, quæ vocatæ fuerunt, Matronæ, Reginæ, & Dominæ; Differt autem ab aliis, quia aliæ nomen hoc habuerunt tamquam ſuperadditum illis, quæ ipſæ mutuatæ fuerant ab ipſa nativitate, vel quæ hæreditatis jure acceperunt a majoribus ſuis; & qualitas hæc non erat niſi habita ratione locorum, in quibus jure aliquo imperitabant, & omnes fere per affinitatem quam habuere cum Regibus, & Principibus, qui illis in auctoritatis ſuæ partem vocarunt; ſed cum S. Bernardus aſſerat, JESUM CHRISTUM ſuum accepiſſe nomen ex ipſa natura ſua, quin illud debeat ſorti, vel libidini hominum aliorum; ſimili ratione Mariæ nomen in prima hac ſignificatione, Dei juſſu, illi impoſitum fuit, quia aliquando erat futura terræ, Cælique Domina; per hoc illam ſecernit ab aliis, quæ hoc Dominæ nomine appellantur; per hoc illam attollit ſuper omnes humanas celſitudines, & inde habetur pro Regina, & ſuprema Univerſorum Domina, quia Chriſtianus audiens hoc *Maria* nomen intelligit, ſtatim illam eſſe Patris æterni Filiam, Verbi Incarnati Matrem, Sponſam Spiritus ſancti; & quidquid magnum eſt in ordine naturæ, gratiæ, & gloriæ, adhibitum fuiſſe ad illam ex . . . . . tuam ſuper quidquid mere creatum eſt. Hoc igitur nomen eſt magnitudinis, potentiæ, atque auctoritatis: quandoquidem commune eſt cum ipſo Deo, qui non aliud aptius invenit, ut ſibi hominum timorem, & reverentiam conciliaret, niſi nomen Domini, quod Sanctum ſimul eſt, ac terribile, inquit Propheta, & debet terrorem incutere, & ſibi reverentiam conciliare. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Reverentia, quam nobis inſpirare debet Nomen Sanctæ Virginis.

Si Mariæ nomen non incutit nobis metum, quia poteſtate, & auctoritate, quam hoc nobis exhibet nomen, non utitur, niſi ut nobis ferat opem, & omnia nobis bonorum genera procuret; ſaltem nobis ſuadere debet venerationem, & reverentiam, quæ debetur Reginæ Angelorum, ac ſupremæ Cæli, terræque Dominæ. Contremiſcant quidem Dæmones audito hoc nomine, quod eſt formidabile omnibus Inferni Poteſtatibus; nos vero, Virgo Sanctiſſima, reſpiciemus te, ac venerabimur tamquam illam, quam Deus nobis dare voluit tamquam Dominam noſtram, & hanc ob cauſam adhibebimus tibi cultum, qui tantam decet Magnitudinem, & Majeſtatem. Cum S. Anſelmo prædicabimus, illum ignorare quantus ſit Deus, qui non ſatis ſublimem concepit ideam Magnitudinis Mariæ; declarabimus ignorare vim, & tanti nominis ſignificationem, qui non profitetur palam ſe tibi eſſe ſubjectum, & ubi conceperimus gloriam, quæ tibi debetur, & quod ſanctum hoc nomen ſignificat, gloriabimur recenſeri in numero ſervorum tuorum; quia hæc qualitas nobis amplior erit, nobiſque in majorem cedet honorem, quam ſi inter ampliſſimorum terræ hujus regum familiariſſimos recenſeremur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Media quibus debemus ad Sanctæ Virginis Nomen celebrandum.

Sed hoc Mariæ Nomen vacuum nobis eſſet, ac aereum, quale eſſet Regis nomen ſine ſubditis, Domini ſine ſervis, Principis ſine ditione, ſi detrectaremus eſſe ex numero Servorum Mariæ per cultum, obſequia, & officia, quæ illi præſtare poſſumus. Et profecto diceture ne illi in Cælo honorem adhiberi, & ipſam ab omnibus gentibus coli; verbo, ab omnibus creaturis, obſequia præberi, & nos in quorum gratiam hoc illi nomen inditum fuit, primos non eſſe, qui illam veneremur? Noſtis Magiſtri, Domini, Principis Magnitudinem plurimum conferre magnitudini ſervorum, ac ſubditorum; & glorioſum eſſe parere illuſtri Domino; & eos qui majori tument ambitione replere titulos ſuos nominibus, & officiis, quæ poſſident apud Principes terræ; non deeſſe, qui nobilitatem priſcam jactitent, oſtentantes hæc officia non defuiſſe olim in familia ſua, quoniam famuli magnitudo ex magnitudine Domini plerumque deſumitur. Proh! quem gloriæ cumulum non reciperemus, ſi recenſeremur inter ſervos illius, quæ jure optimo totius Mundi Regina vocatur? *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

De præſtantia legationis Gabrielis ad S. Virginem.

Ubi cogito legationem, quæ locum præbuit Angelicæ Salutationi, & reputo magnitudinem legantis, Sanctitatem illius, ad quam legatur, & legati ipſius Nobilitatem, mihi videntur Auditores Cælum, ac Terra, cujus utriuſque intereſt æque expectare negotiationis hujus eventum. Pater æternus miſertus humanæ calamitatis init conſilium finem faciendi ærumnis mortalium, & conſilium hoc executurus, mittit Archangelum, juſſitque illum ſalutem dicere Virgini, cui Nomen Maria ex regia Davidis progenie. Sed tantum aberat, ut Virgo hæc Reginæ nomen, & auctoritatem ambiret, ut vitam obſcuram, ac ſolitariam degeret in parvula Nazareth domo. Ibi Cæleſtis nuntius cum illa de Verbi Divini Incarnatione verba facit, nuntiat illam electam eſſe futuram Matrem, ut hoc pacto Myſterium mentibus omnibus invium adimpleretur. In hoc tractatu agitur de pace, & reconciliatione hominum cum Deo, de Regno æterno, de Meſſia, de Mundi ſalute, de temporali Dei Nativitate. Ullumne fuit unquam negotium, quod mereretur attentos ac ſollicitos haberet ſpiritus omnes hominum, & Angelorum? *Idem*.

Quantum honoris recipit Virgo in Angelica Salutatione.

Satis non eſt Angelo Sanctam Virginem gratia plenam dicere, neque illam acceptam eſſe in oculis divinæ Majeſtatis: *Inveniſti gratiam apud Deum*; ſed ait, ipſum gratiæ Auctorem omnes opes ſuas in illam eſſe effuſurum: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*; quaſi diceret, tu jam Sancta eras, ſed hæc qualitas Matris Dei tui, omnino replebit te Sanctitate, jam plena es Cæleſtibus gratiis; ſed ille, qui gratia eſt increata *ſuperveniet* omnibus hiſce donis; jam Deo accepta es, ſed opus eſt ut tibi communicetur gratiæ plenitudo, & Spiritus ſanctus effundat in te omnia ſua bona, ipſe veniens in te: *Spiritus ſanctus ſuperveniet*. Tibi dabitur in perſona, non autem ſolum per effectus ſuos, quomodo illum jam recepiſti in aliis prærogativis, quæ præceſſerant ſublimem hanc, & eminentem Deiparæ dignitatem: quippe ad ſuſtinendum præclariſſimum, & glorioſiſſimum titulum honoris quo mera creatura poterat honorari, opus eſt, ut quidquid præſtantiſſimum eſt in ordine gratiæ tibi conferatur; verbo, opus eſt ut illius recipias plenitudinem; & de te nunc dici poteſt, quod dicetur aliquando de illo, quem paries; Spiritum ſanctum non dari tibi in menſura, ſed quantum ipſa recipere vales, ut exæquet

digni-

dignitatem ad quam te evehit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ad quam dignitatem gratia evexerit Virginem.

Ut feramus judicium de hac dignitate Deiparæ, ſatis eſt perpendere verba Angeli, & ita argumentari. Si gratia perſonam adeo attollit, ut nihil in Mundo ſit, quod cum illa conferri mereatur; quid erit de plenitudine gratiæ ipſius, quæ non eſt niſi tamquam effectus hujus Maternitatis, vel præparatio ad eam recipiendam? Si hæc gratia quidquam eſt adeo pretioſum, ut minimus gradus ſuperet quidquid maximum eſt in rerum natura, quid inferendum eſt ex hac plenitudine, quæ non fuit niſi via, & diſpoſitio ad auguſtiſſimam hanc Maternitatem? Judicemus Auditores de rebus non ſecundum pretium, in quo habentur ab hominibus, qui illas in doloſis ſtateris appendunt, ut ait Propheta; ſed ſecundum ipſum Dei judicium, quod eſt regula Veritatis; ac inde inferamus, gratiam bonis omnibus eſſe præferendam, quia hæc qualitas ſupernaturalis, quæ proficiſci non poteſt niſi a liberali Altiſſimi manu; hæc eſt pretioſum pignus amoris ſui, participatio Spiritus ſancti ſui, ſacrum vinculum, quo illi conjungimur, cæleſtis adoptio, quæ nos attollit, & demum emanatio divinarum perfectionum ipſius, quæ conſtituit ornatum, & pulcritudinem animæ noſtræ, & tribuit illi legitimum jus ad ipſius Dei poſſeſſionem. *Idem.*

Fœdus, quod contraxit Deus cum S. Virgine in ipſius maternitate expreſſum per Angeli verba; Dominus tecum.

Si gratia, quæ non aliud fuit quam diſpoſitio ad divinam Maternitatem, effecit Mariam adeo ſpectabilem coram Deo; quid dicendum erit Auditores de arcto fœdere, quod hæc maternitas cum Altiſſimo pepigit? Hoc expreſſum eſt per illa Archangeli verba, *Dominus tecum*, ut inde validum depromi valeat argumentum, & æque conjectura magnitudinis ejus. Mementote ejus, quod præſupponendum eſſe diximus: Verbum æternum novem menſes in ſinu illius manſiſſe, ubi vitam accepit, ita ut illa eo tempore dicere poſſet, quod dixit Deus ab æterno de hoc eodem filio: *Ego hodie genui te.* Ego tibi vitam contuli, hanc a me recepiſti; quare contrahit cum illo fœdus inexplicabile conſanguinitatis, ut quidam Sancti Patres loquuntur, vel affinitatis, ut alii dicunt; quocumque nomine vocetur parum intereſt; conſtat ſemper nullum arctius eſſe vinculum ſanguinis, aut affinitatis qua perſona perſonæ ſit propior, vinculo quod inter Matrem, filiumque intercedit: unde S. Auguſtinus concludit Carnem JESU partem eſſe de ſubſtantia Mariæ: *Caro CHRISTI, Caro Mariæ. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Gabriel Angelus his verbis nos docet quouſque proceſſerint S. Virginis Magnalia.

Si noſſe vultis quodnam ſit magnitudinis faſtigium, quo divina Maternitas evexit Sanctam Virginem, & quouſque illa aſcendere poſſit; facile eſt hoc diſcere ex Angeli verbo, qui jubetur illi dicere, ipſam ſuper omnes mulieres eſſe benedictam per locupletiſſimam poſſeſſionem Filii, qui Deus eſt, & quem ſola poſſidet, antequam edat in lucem: *Benedicta tu in mulieribus.* Nam ſuppono vos ſcire, benedictionem, quam dabat Deus veteribus Patriarchis, & Juſtis legis antiquæ, potiſſimum reſpexiſſe fructum conjugii, frequentem ſobolem, & eo tantum ſpectaſſe, ut illos potentes efficeret per poſſeſſionem bonorum vitæ hujus. Sed benedictio, quam cæleſtis Legatus hic annuntiat Mariæ prorſus eſt ſingularis; quoniam illam glorioſam reddit, & ſuper omnes mulieres attollit per poſſeſſionem Filii, qui ſupremus eſt Cæli, ac Terræ Dominus, & qui juſtam, atque legitimam tribuit poteſtatem illi quatenus matri ſuper eum, qui Omnipotens eſt. *Idem.*

Quam accepta ſit Virg. Angelica Salutatio. Vide Surium in vita ejus.

De honore, & quodammodo de gaudio, quo Sancta Virgo affecta fuit ex Angeli ſermone ſibi nuntiantis, ſe Dei Matrem eſſe futuram, judicium ferendum eſt. Hæc brevis quidem oratio eſt, inquit B. Alanus, ſed maxima eſt ob celſitudinem Myſteriorum. Quid magis myſticum, quam verba, quæ adhibita fuerunt, ut Sanctiſſimæ Virgini beatiſſimum nuntium, quod a Deo recipere poterat, & quod in compendium continet omnia ejuſdem Virginis hujus Magnalia, & privilegia? Plures non deſunt revelationes, ac præ ceteris illa, quæ accidit S. Mectildi, cui cum Sancta Virgo apparuiſſet, aperuit accepriſſimam ſibi rationem, qua ab Angelis, & ab hominibus ſalutari poſſet, eſſe Angelicam Salutationem. *Ex libro Patris Rupe, cui titulus: Vera devotio erga Dei Matrem.*

Sanctam Virg. melius honorare non poſſumus, quam utendo verbis Archangeli.

JESUS CHRISTUS perfectum nobis Orationis reliquit exemplum, cum docuit nos *Pater*, atque ut cum Deo loqueremur a divina Perſona fuimus eruditi. Ita, ut loquamur, quemadmodum decet cum Deipara, opus fuit, ut erudiremur ab Angelo, & cum Virgo hæc incomparabilis nihil ſub Deo habeat ſibi par, ſaltem diſceremus uti verbis Angeli ad eam ſalutandam, videlicet verbis Creaturæ præſtantiſſimæ, & quæ propius accedere poteſt ad lumina mentis, ad puritatem Animæ, & Corporis ſui, ad firmitatem virtutis, & ad gratiæ ipſius abundantiam. Cum igitur cupimus Sanctam Virginem colere per Angelicam Salutationem, qualitas ipſa auctoris, qui Angelus eſt, nobis eſſe debet documento; & procul dubio, ut laudes noſtræ illi acceptæ ſint, nobis conandum eſt, ut cum illa eaſdem habeamus rationes, per quas Angeli ſunt illi ſimiles, eoſque pro virili parte imitemur per fidei ſinceritatem, per conſcientiæ puritatem, & per inviolabilem in amore, & ſervitio Dei firmitatem. *Auctor recens.*

Quid ſignificet verbum, Ave.

Primum Salutationis hujus Verbum eſt *Ave*, quod Gallice exprimimus, *je vous ſalue*. Sed verbum hoc in tota ſignificatione ſua, obſequii terminus eſt, benevolentiæ teſtimonium, lætitiæ ſignum, & votum felicitatis. Angelus hoc uſus eſt loquens ad Mariam; conſideravit eam tamquam objectum favorum, & amoris Dei. Itaque ſummo in honore, & pretio habens ſublimem ſtatum, ad quem virtutes ſuæ illam evexerant, & incomprehenſibilem Magnitudinem ad quam erat deſtinata, concepit erga illam ſingularem venerationem, & ſalutavit eam eo eum obſequio, quod meræ creaturæ valeat adhiberi. Teſtatus ergo ſimul eſt illi gaudium ob Virginis felicitatem, ſuumque munus apud illam, & oſtendit ſua deſideria pro complemento illius Myſterii, quod nuntiabat, & felicitate illius cum qua loquebatur. Tales fuere ſenſus Angeli primo hoc verbo contenti, & tales noſtros eſſe decet; cum illud proferimus, ſpectare debemus Sacratam Virginem tamquam Dei Matrem, & Matrem pulchræ dilectionis; & ſub duplici hac qualitate illam fateamur dignam ſumma reverentia, & amore perfecto; & cum nihil nobis optandum ſuperſit pro illius exaltatione, quia jam aſſecuta eſt conſummationem gloriæ, quæ nullum admittere valet incrementum, ſaltem habeamus ſenſibilem lætitiam, atque teneram oblectationem pro ſtatu beato, ad quem fuit evecta. Verum eſt, ad perfectionem gloriæ accidentalis, vel exterioris Deum aliquod votis noſtris, atque officiis reliquiſſe exercitium; etenim quemadmodum voluit Filium dilectum ſuum in ſe ipſo infinitam poſſidere gloriam, & extra ipſum creaturas omnes aliquid conferre per obſequia ſua ad nominis ejuſdem exaltationem; ſimiliter præcepit ut ad eſſentialem Sacratæ Virginis beatitudinem accederet exterius teſtimonium hominum, & Angelorum, & ſecundum ea, quæ ipſa prædixit in Cantico ſuo, omnes generationes illam beatiſſimam prædicarent. Hoc in ſenſu cupere debemus, ut omnibus in locis, atque temporibus in honore habeatur, & creaturæ omnes illi ſubjectæ ſint, nullum ſit cor, quod illam non diligat, nulla lingua, quæ illam non benedicat, & recipiat ab univerſa terra cultum, & præconia, quæ exæquent cultum, & benedictiones, quibus a Sanctis in Cælo decoratur. *Auctor recens.*

Explicatio Nominis, Mariæ.

Maria, Nomina eſſe debent rerum imagines, & expreſſiones ſubſtantiæ, & qualitatem earumdem. Homines in nominum impoſitione falli poſſunt propter ignorantiam ſubjectorum, & rationum, propter quas nomina imponuntur; ſed omnis abeſt erroris ſuſpicio, cum Deus ipſe per nomina ſignificare vult merita perſonarum; quia neque fallere poteſt, nec falli. Dubitare non licet, quominus Deus Auctor ſit ſacri Nominis Mariæ, & quomodo Adam cælitus accepit auctoritatem imponendi nomen illi, quam illi dederat ſociam; ita Spiritus ſanctus ſibi reſervaret poteſtatem; & curam imponendi Nomen Sponſæ ſuæ. In Mariæ Nomine S. Patres invenerunt varias ſignificationes, quæ nobis exprimunt id, quod in perſona illius peculiariter nobis eſt conſiderandum. Invenerunt ibi notas imperii, & hæc eſt ratio quam habet ad Filium ſuum, qui creaturarum omnium abſolutus eſt Dominus. Adnotarunt in ea quamdam amaritudinem, & hoc in illa conſiderare poſſumus in vita ejus mortali. Deus enim deduxit illam per juges paſſiones ad præviſionem mortis Salvatoris ab ipſa Simeonis Prophetia, & memoria Paſſionis ejuſdem, ex quo lugubri adſtitit ſpectaculo fuit gladius anceps, quo anima ejus fuit ſemper tranſverberata. Admirantur etiam in Sancto hoc Nomine lumina, & influxus, ex quibus inſignes fructus percipimus. *Idem.*

Cur Virgo placuit in oculis Dei.

Prima laus, quam Cæleſtis nuntius impertit Dominæ noſtræ, his verbis exprimitur: *Gratia plena*: quibus innuere vult non ſolum ipſam Deo acceptam eſſe, ſed aperit etiam principium, per quod habuit eidem placendi felicitatem. Gratia illam effecit caram in oculis Dei, dignam ejus obtutu, & amore. Prævenit illam Deus gratia, & beneficiis, neque enim per ſe potuit a peccato præſervari, non ſecus ac ex nihilo educi. Ex mera Dei liberalitate hæc hauſit magnifica dona, hæc valida ſubſidia, mirabiles gratias, quæ extulerunt illam ſupra meras omnes creaturas, & quæ prima etiam poſuerunt fundamenta Spiritalis ædificii ſui in montibus altis, ut cum Propheta loquar; hoc eſt in perfectiori altitudine præ omnibus Angelis, & Sanctis. Sed illa his gratiis tanta cum fidelitate reſpondit, ut dicere poſſimus veriſſimo gratiam in ea numquam inutilem, vel otioſam fuiſſe. Hanc illam cum grati animi ſenſu recepit; inde retulit incrementa, quæ mentium noſtrarum infirmitas cognoſcere non poteſt; eam omni cura ſervavit, qua res infinite pretioſa ſervari poteſt; & procul dubio gratiam tanti fecit, quanti Salomon Sapientiam, quam omnibus terræ theſauris, fortunæque bonis cenſebat præferendam. *Idem.*

Cur Virgo placuit in oculis Dei.

Placuit in oculis Dei Sancta Virgo, non ob regale genus, non ob corporis formam, non ob naturalia ſpiritus ſui lumina; ſed propter gratiæ dona, quibus anima illius ornata ſuit, propter praxim virtutum omnium, quibus fuit locupletata, propter profundam humilitatem, integram obedientiam, patientiam invictam, zelum ardentem, conſummatam caritatem, perfectamque puritatem cordis, ſenſuum, animæ, cogitationum, & affectionum, quæ non aliud unquam objectum habuere, niſi Dei amorem, atque ſervitutem. En quid concipere debeamus, cum dicimus *Maria gratia plena*; & ſi poſtquam illam ita conſideravimus, ad noſmet ipſos animum advertimus, fateamur nos Dei bonitati, ejuſque infinitæ miſericordiæ debere omnia ſubſidia, quæ nobis ad ſalutem contulit, tempus, quod ad pœnitentiam agendam conceſſit, afflatus, quibus nos ad illam invitat. Agnoſcamus hæc Dei beneficia, tamquam favores, quos meriti non ſumus, & quibus etiam eramus indigniſſimi. Sed gratias has recolamus fideli reſponſione, & ſciamus fieri non poſſe, ut in peccati ſtatu placeamus Deo, & per omnia naturæ bona accedamus ad illum. *Auctor recens*.

Explicatio horum verborum, Dominus tecum.

. *Dominus tecum*. Quoniam anima adhæret Deo per gratiam, Angelus, qui confeſſus fuerat Sanctam Virginem eſſe gratia plenam, merito perhibuit illi teſtimonium præſentiæ Dei, & peculiaris ejuſdem adſiſtentiæ, dicens illi: *Dominus tecum*. Quodnam mihi eſſe poteſt gaudium, dicebat Sanctus quidam tribulationibus vexatus, cum Cæli lumen non videam? Sed quod bonum ſperare poteſt anima, & quam guſtare tranquillitatem, cum ſeparata eſt ab eo, qui creavit Cælos, & qui omnem eorum gloriam conſtituit? E contra quod malum timere, & quo privari bono poteſt, ſi Deus eſt cum illa? Cum ergo Maria præſtantiſſimam hanc percipit certitudinem, habet, unde ſuum expleat animum; non ſolum quia Deus verum eſt, & unicum bonum illius, ſed quia tale erat etiam in illius æſtimatione. Deus igitur fuit cum illa, tamquam ipſius fortitudo, & præſidium: & dicere poterat: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Deus fuit cum illa tamquam lumen ejus; ita illa falli non potuit, & illa millies dicere debuit hæc verba, quæ illi melius quam alteri cuipiam conveniunt: Æternum Verbum tuum, infallibilis Sapientia tua, Verbum, quod mihi dediſti in Incarnatione illius, lux eſt oculis meis, & dux vitæ meæ. Deus fuit cum illa tamquam objectum ſui amoris, cui illa ſemper adhæſit, ideoque illa nihil præter eum cupere potuit; & procul dubio illa verius, quam alius quilibet dixit, quod bonum invenire poſſem in Cælo, aut in Terra dignum corde meo, cujus tu ſupremus es Dominus, & totum, & pars! Hæc igitur verba ſignificant in ore Angeli, unionem Sacratæ Virginis cum Deo per gratiam. Credibile eſt etiam illum extendiſſe eorum ſenſum, ac Myſterium ad unionem, quam habitura erat cum Deo, tamquam Mater cum Filio ſuo; & cum illam ſalutamus, cum illa congratulari debemus de hiſce duabus prærogativis, adjicere debemus illam unionis quam modo habet cum Deo in gloria, eamque in hoc ſtatu reſpicere eo majori cum voluptate, quo hæc unio perfectior eſt. Tamen cum illi magis cordi ſit noſtra felicitas, quam nobis ſit gloria illius, caveamus ne illa nobis objiciat modicam ſenſuum noſtrorum ſinceritatem, & ne illam exiſtimemus tantum felicem, quantum dicimus, in ſupremi boni poſſeſſione, ſi quid aliud ſemper, hoc contempto, perquirimus. Si vero juſtam illius æſtimationem ſovemus, inceſſanter metuamus, ne ſeparemur, etiam ad breviſſimum temporis intervallum, & adhæreamus Deo per conformitatem noſtrarum voluntatum cum ſua, ut hæc unio inchoata per amorem in terra, per gloriam conſummetur in Cælo. *Auctor recens*.

Quid innuere voluerit Angelus Virgini dicens: Benedicta tu in mulieribus.

Benedicta tu in mulieribus, adjecit Angelus, ut Dominæ noſtræ declararet, Deum illi conceſſiſſe gratias omnes, quæ aliis illuſtribus mulieribus fuerant diſtributæ, & favores omnes, qui aliis fuerant diviſi, in una ipſa congregari. Igitur per hæc verba intelligere debemus illam in gratia fuiſſe creatam, & in excellentiori gradu præ illa, quæ Hevæ conceſſa fuit in ipſo ipſius creationis articulo. Ipſa fuit fortior, caſtior, fidelior, illuminatior, ac tandem perfectior in donis omnibus atque virtutibus, quam Mulieres virtute præditæ, quas nobis Scriptura commendat: & dicere poſſumus illas fuiſſe figuras, & umbras imperfectis excellentiæ Sanctiſſimæ Virginis; ſed in illis inveniri non potuiſſe, ne minimam quidem imaginem Privilegii ceteris incommunicabilis, & quod illi ſpecialiter conceſſum fuit, cum electa fuit Mater Dei, futura Mater ſimul, & Virgo. Habet igitur illa puritatem, quam tamquam theſaurum ſuum Virgines jactitant; habet etiam fœcunditatem, quam gloriæ ſibi vertunt Matres. Duo hæc bona, quæ ſeorſim diverſum habent pretium ſuum, in illa collecta ſunt per miraculum, quod illa colligit, & congregat in perſona ſua. Hæc gratia ita ſpecialiter reſervata erat Mariæ, ut una ſit Mater ſimul & Virgo, ſicuti JESUS unus eſt, qui ſimul ſit Homo, & Deus. Et S. Bernardus addidit, ſicut Deus Hominem fieri volens, non niſi ex Virgine naſci poterat; ita Virginem, quæ poſſet eſſe Mater, non niſi Deum Hominem parere potuiſſe. Divina hæc Maternitas, quæ Mariæ eſt inæſtimabilis prærogativa, eſt etiam origo, & fundamentum ceterarum; quapropter Angelus, qui dicere poterat abſolute, Sanctam Virginem benedictam eſſe ſuper omnia creata; quippe re ipſa ſuperat quidquid magnum eſt infra dilectum Filium ſuum in Natura humana, & Angelica, dicere voluit explicite illam eſſe benedictam inter omnes Mulieres, ut oſtenderet rationem ſuæ felicitatis, & Maternitatis. Tamen cum teneamur conſiderare eminentem hanc qualitatem tamquam ceterarum gratiarum fontem, quibus Beata Virgo cumulata fuit; fatendum eſt tamen hanc non eſſe maximam, & Mariam beatiorem fuiſſe quod JESUM CHRISTUM amavit, eique paruit, quam quod illum concepit, & peperit. Benedicta eſt inter Mulieres, & ſuper cetera creata non eo quod præcipue ſit Mater Dei, ſed quia electa, ut Dei Mater eſſet, recepit abundantiam gratiarum, quæ decebant ſtatum, ad quem erat deſtinata; ita ut ſecundum teſtimonium Sanctorum Patrum ſit ſanctitate, quam dignitate beatior. Ne queramur ergo, ſi non licet nobis ad alterutrum horum privilegiorum contendere, cum ad alterum adſpirare valeamus, vel benedicamus potius magnificentiæ Salvatoris, qui utrumque nobis dignatur communicare, & concedere nobis ſecundum ſpiritum privilegium, quod Sancta Mater habuit etiam ſecundum carnem, quandoquidem illis, qui fecerint voluntatem Patris ſui, promittit, ſe facturum illos ſublimis hujus affinitatis participes, & quicumque conceperit in corde ſuo JESUM CHRISTUM, poſſe illum etiam optimis conſiliis, & exemplis parere in corde proximi ſui. Cum his ſenſibus repetere poſſumus Angeli verba ad Sanctam Virginem, gratulantes illi benedictiones, & manifeſto exultantes gaudio, quod illæ effuſæ fuerint in ejus animam, freti fore ut per illius interceſſionem aliquæ cæleſtis hujus roris guttæ ſuper nos effundantur. *Auctor recens*.

Quid intelligendum ſit per hæc verba.

Et benedictus fructus ventris tui JESUS. Eccleſia quæ per Nomen JESU finem facit precibus omnibus, quas Patri ſuo nuncupat, non niſi per idem finem facere potuit laudibus, quas Sanctæ Virgini offert. Spiritus ſanctus, qui præeſt Eccleſiæ, eique ſuos ſenſus inſpirat, infundit poſtrema hæc verba Sanctæ Eliſabeth, eo tempore, quo Maria illam inviſere dignata eſt. *Benedicta tu in mulieribus*, ait illi, *& benedictus fructus ventris tui*; quaſi vellet innuere; Tu matrum omnium feliciſſima quidem es, ſed puer, quem ſinu geris, cauſſa eſt tuæ felicitatis. Quæ veritas non eſt in dubium revocanda; quia patet per ſe, & delecta Verba, quibus Sancta Mulier uſa eſt, hoc ipſum ſignificant. Non dicit illa, benedictus filius tuus, ſed uſa eſt nomine fructus, quia ſæpe accidit, ut filii in Parentum ſuorum gratiam benedictionibus repleantur; quod Filio Mariæ convenire non poterat; & e contra fructus non habetur in pretio propter arborem, quæ illum producit; ſed arbor propter fructum. Hæc benedictio Filii Virginis ſe in illam effundit uberrime veluti ſuper ſubjectum, quod illi propius erat, atque conjunctius: & omnia magnalia, quæ admiramur, in illa ſunt effectus gratiæ, cujus JESUS erat principium. Sed felices hæ communicationes non illic ſubſtiterunt; aquæ ſalubres univerſam terram irrigaverunt, & in omnia ſæcula effuſæ ſunt. Fluvius eſt, qui aſcendit verſus Originem ſuam, ut ſanctificaret antiquos Patriarchas, a quibus Corpus Salvatoris ſuam hauſit originem. Torrens eſt, qui evertit poteſtates inferni, qui peccata ſubmergit, qui roborat animas noſtras; Eſt denique fons aquæ vivæ, qui nobis apertus eſt in Sacramentis, qui nobis terrenarum rerum ſitim auſert, & qui ad principii ſui locum rediens, reſilit uſque in Cælum, ut nos illuc perducat, & ibi fit torrens Sanctarum deliciarum, quibus in omnem æternitatem ſaturabimur. Sanctus Paulus videbat terminum harum pretioſarum exundationum, cum poſtquam retulit verba, per quæ Deus recepit, ſe benedictionibus repleturum omnes Mundi gentes per merita Filii ſui, ſubdit in gratiam, & per unionem capitis hujus adorabilis Patrem Æternum diſtribuiſſe omnes ſpirituales benedictiones, quæ nobis jus conferunt in Cælum, & quæ nos aptos efficiunt ad Gloriam comparandam. Igitur JESUS CHRISTUS fons eſt omnium benedictionum, & omnes benedictiones in illum conferendæ ſunt; non ſecus ac fluvii, qui ex mari ducunt originem, juge tributum aquarum ſuarum mari perſolvunt. De hoc ipſo dictum fuit, ipſum dignum eſſe, qui poſſideat poteſtatem, ſapientiam, & divinitatem, & qui recipiat gloriam, laudes, & benedictiones omnium creaturarum. Ante thronum illius Cæli Principes offerunt coronas ſuas, & ſicuti Sacrata Virgo recepit ab illo præcipuas gratias, & dona magis ſublimia, ipſa etiam illi gratias agit ſumma cum ſubmiſſione. Senſus ejus aſſequitur, qui cum illa, & per illam benedicit JESUM CHRISTUM, conſiderans

Digitized by Google

rans illum tamquam finem omnis conſummationis, videlicet, tamquam objectum omnium perfectarum actionum. Sancta Virgo videt cum gaudio devotos famulos ſuos laudare Filium ſuum dilectum, ac toties multiplicare ſuas benedictiones quoties illam ſalutant. Ipſa illum ore eorum benedicit, & majori cum zelo, quam olim Propheta, dicit illis: venite filii, vobis oſtendam mirabilia, quæ fecit Deus mihi, mecum glorificate illum tamquam communem Dominum noſtrum, & ſimul adorabile nomen illius glorificemus. Hoc illa a nobis petit tamquam potiſſimum officium noſtrum, & illam læderet, qui ſibi non proponeret gloriam Filii ſui tamquam finem ultimum officiorum omnium, quæ illi perſolvuntur. Hæc igitur extrema Angelicæ Salutationis verba illa ſunt, quæ jucundiſſime tangunt cor Dominæ noſtræ, & ea ſunt, quæ a nobis majori cum obſequio, & devotione ſunt proferenda. Verum ut noſtræ benedictiones, & laudes æquis auribus recipiantur, expiemus corda noſtra, vitamque noſtram componamus; quia Deo placere non poteſt laus in ore peccatoris; & inutilis atque ſuperſtitioſus eſt cultus benedicere Nomen Salvatoris precibus, & ſermonibus noſtris, donec illud dedecoramus actibus, qui longiſſime abhorrent ab ejus conſiliis, & exemplis. *Idem.*

Debemus ſingularem præſtare cultum Sanctiſſimæ Virgini, quod facimus cum ad precandum utimur prima illa parte Salutationis Angelicæ: *Ave Maria gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus. Nam Deum ſummis & habendis laudibus, & gratiis agendis celebramus, quod Sanctiſſimam Virginem omni cæleſtium donorum munere cumulavit, ipſique Virgini ſingularem illam gratulamur felicitatem. Jure autem Sancta Dei Eccleſia huic gratiarum actioni preces etiam, & implorationem Sanctiſſimæ Dei Matris adjunxit, qua pie, atque ſuppliciter ad eam confugeremus, ut nobis peccatoribus ſua interceſſione conciliaret Deum, bonaque tum ad hanc, tum ad æternam vitam neceſſaria impetraret. Ergo nos exules, filii Hevæ, qui hanc lacrymarum vallem incolimus, aſſidue Miſericordiæ Matrem, ac fidelis populi Advocatam invocare debemus, ut oret pro nobis peccatoribus, ab eaque hac prece opem, & auxilium implorare, cujus, & præſtantiſſima merita apud Deum, & ſummam voluntatem juvandi humanum genus, nemo niſi impie, & nefarie dubitare poteſt.* Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

CÆREMONIÆ

MISSÆ, ET SACRIFICII EUCHARISTICI:

MONITUM.

DEI Filius non ſolum ex Eccleſia fecit Myſticum Corpus ſuum; voluit etiam ſingulari beneficio, quod ſatis admirari non poſſumus, eidem conferre abſolutam ferre in naturale Corpus ſuum poteſtatem. Hæc enim poteſtas eſt de eodem ad arbitrium diſponendi, offerendi illud in Sacrificium pro vivis, atque defunctis, ad conditum temporis articulum ſubeundi ſub ſpecie panis, & vini omnibus temporibus, omnibuſque in locis, omnibus inſerviendi neceſſitatibus, ac ſe ſo convertendi in omnes uſus ad fidelium ſalutem neceſſarios, qui illum offerre poſſunt cum Sacerdote, & cum eo communem efficere Oblationem, ut eadem loquitur Eccleſia; Ut meum, ac veſtrum Sacrificium acceptabile ſit apud Deum.

Ut igitur illud digne Deo offerat Eccleſia, ſatis non putat cogere Fideles, ut huic adſint Sacrificio cum ea omni devotione, qua fieri poteſt, maxima: Addit de penu ſuo ceremonias maxime conformes, & quæ altiſſimam nobis adſtruunt ideam magnitudinis ejus, & finis divini hujus Sacrificii, videlicet repræſentandi nobis perfectiſſima ratione illud, quod in Cruce peractum eſt: Cæremonias quas per conſtantem tenet traditionem, & quæ ideo præſcriptæ, & inſtituta ſunt ab Apoſtolis; quæ res ſecernit Eccleſiam Catholicam a Proteſtantibus Sacrificium hoc non habentibus, & quibus deeſt illius offerendi poteſtas, vel qui amiſerunt eam, quam legitime acceperant ante ſchiſma ſuum, per Sacramentum Ordinis, quod antea illos Eccleſiæ membra conſtituebat. Fuſius explicabimus has Cæremonias, quin repetamus ea, quæ a nobis dicta ſunt de Sacrificio Miſſæ in Bibliotheca noſtra, ubi Tomo Quarto locuti ſumus ſub titulo Euchariſtiæ in duplici Tractatu ſeorſim, quatenus Sacramentum eſt, & quatenus Sacrificium.

DE CÆREMONIIS

MISSÆ, ET EUCHARISTICI SACRIFICII.

De Sacrificio generatim.

EX omnibus gratiarum actionibus, & obſequiis, quæ homines præſtant Deo propter infinitas ipſius perfectiones, & propter admirabilia bona, quibus homines cumulavit, nullum magis naturale, & legitimum eſt Sacrificio; hoc enim fatemur Supremam Dei poteſtatem ſuper creata omnia, eadem coram ipſo deſtruentes. Profitemur illi, nobis perſuaſum eſſe, illa ex nihilo educta fuiſſe per meram ipſius liberalitatem, quin indigeret illis ad felicitatem ſuam, vel gloriam conſtituendam; illum adhuc potenti manu ſua ſervaſſe, ne cadant in originis ſuæ abyſſum; illum unicum eſſe ſupremum eorum dominum, primum principium, extremumque finem, & ſicuti omnia illa totum eſſe ſuum tenent ab illius poteſtate, ita illa totum debere gloriæ ipſius. Itaque Sacrificium Jus eſt ita proprium Dei, atque ita incommunicabile, ut ipſa ſuperborum Principium vanitas, qui ſibi divinos honores vendicaverunt, nunquam auſa ſit hoc ſibi uſurpare, quemadmodum S. Auguſtinus animadvertit. Omnes populi hoc obſequii genus ſoli tribuerunt Divinitati, quam eorum pietas venerata eſt, vel quam mentium error effinxit. Primi homines ſacrificia obtulerunt vero Deo; Moyſis lex multigena præcipiebat, & lex gratiæ unum tantum habuit admirabile, cujus cetera figuræ fuerunt, quod ſemel in Calvario oblatum fuit, & quod hactenus quotidie in Altari inſtauratur. *Auctor recens.*

Quænam ſint prærogativæ, & characteres Sacrificii Miſſæ.

Eccleſia Catholica in cultu ſuo nil majus habet, quam JESU CHRISTI Sacrificium; continet enim omnia perſonæ ejus magnalia, omnia vitæ ejus Myſteria, & omnem Religionis ſuæ Sanctitatem. Illa ibi poſſidet Hominem Deum, quantuſcumque eſt, impaſſibilem, & morientem, Sacerdotem, & Victimam, Altare, & Donum, Pontificem, & Agnum. Videt in hoc fidei Myſterio realiſſimam inſtaurationem omnium Myſteriorum Salvatoris, qui divinitus gignitur in Altaris ſinu per eamdem virtutem, qua genitus fuit in Sinu Patris; ibi quotidie incarnatur per Verbum ſuum in manibus Sacerdotum; ibi conjungit mortem, & vitam ſuam; opprobria, & gloriam, Crucem, & Reſurrectionem, miſericordias, & judicia. Invenit illa totum cultum hominum erga Dominum ſuum, Deum infinite adorabilem, cui uni Sacrificium debetur, & adoratorem infinite Sanctum, qui unus par eſt offerendo illi dignum ſe Sacrificium: illa ibi nobis oſtendit complementum omnium Sacrificiorum legis antiquæ per ſolam hoſtiam, quam omnia figurarunt; illa denique veros Chriſtianos efformat ex qualibet conditione in hoc fonte gratiarum omnium, per magnum exemplum jugis immolationis JESU CHRISTI, qui nobis perſuadet, Sanguinis ſui communionem non tam eſſe Religionis convivium, quam tyrocinium martyrii, & officiorum omnium exemplar: *non tam cœna, quam diſciplina*, ut ait Tertullianus. Ecce quare Eccleſia ſemper agnoſcens neceſſitatem, & fructus Sancti Sacrificii Miſſæ omnibus ſæculis peperit tot Sanctos Doctores, qui illius veritatem propugnarunt,

tot fideles Interpretes, qui illius Liturgiam collegerunt, tot ſublimes divinarum rerum contemplatores, ad explicandum illius ſenſum ſpiritualem, & tot ſcitos Hiſtoricos ad illius probandam, & aſſerendam antiquitatem. *Auctor recens.*

Sacrificium Miſſæ leg. antiquæ complementum eſt.

Sacrificium Miſſæ non aliud eſt quam continuatio Sacrificii Crucis, & complementum omnium legis antiquæ Sacrificiorum. Judæi ſuis Sacrificiis prænuntiabant Mortem, quam ſubiturus erat JESUS CHRISTUS: & JESUS CHRISTUS Miſſæ inſtituens Sacrificium voluit id a nobis fieri in memoriam Mortis, quam ſubiit. Judæi mortem hanc nuntiabant per mortem victimæ, quæ non erat id, quod repreſentabat: nos vero memoriam illius inſtauramus per victimæ ejuſdem immolationem, quæ jam ſeſe pro nobis obtulit in Cruce, & quæ illud ipſum eſt, quod repræſentat. Judæi per manus Sacerdotum ſui offerebant Sacrificia, & in partem accedebant cum Sacerdotibus victimarum, quibus litabatur. Hoc ipſum a nobis in Miſſa fieri vult JESUS CHRISTUS; tribuit nobis corpus ſuum, ut illud offerentes Deo per manus Miniſtrorum ſuorum, inſtauremus memoriam mortis, quam pertulit pro nobis, atque ut eodem nutriamur, ubi obtulerimus illud. JESUS CHRISTUS poſtquam ſe ipſum in Cruce immolavit propter hominum peccata, non potuit relinquere conſtantius ſui in illos amoris teſtimonium, quam inſtituens Miſſæ Sacrificium, inſtaurans illud quotidie ſuper Aras incruento modo, ac ſeſe illis conjungens, poſtquam pro illis obtulit ſe Patri ſuo, tribuendo illis comedendam Carnem ſuam, & bibendum ſuum Sanguinem. Quæcumque autem ea ſit pietas, qua Sacris hiſce adſtamus; quæcumque præparatio illa qua huic victimæ oblatæ communicamus, poſſumus ne ſatis pares referre gratias tot monumentis, quæ tradidit nobis JESUS CHRISTUS amoris erga nos ſui? *Liber, cui titulus; de puerorum inſtitutione Patris Joannis Pie.*

Si minus commune hoc eſſet Sacrificium, ſelicius eidem adſiſtendi major haberetur.

Si diebus ſingulis una tantum ſuper terram Miſſa celebraretur, licet hoc fieret in plaga ab ea, quam incolimus, remotiſſima, invenirentur tamen animæ ita piæ, ut licet iter moleſtiſſimum, ac periculoſiſſimum eſſet, illud tamen alacri animo ingrederentur, ut auguſto huic intereſſent Sacrificio. Tamen quamvis non deſit quotidie occaſio Miſſam audiendi; & JESUS CHRISTUS quatenus noſtrarum animarum cibus, voluerit per bonitatis exceſſus ſe ita nobis communem præbere, ut nobis communia ſunt ea, quæ ad corporum noſtrorum alimoniam ſunt neceſſaria, adeo modico in pretio hæc omnia commoda habentur, ut Miſſæ jacturam facere nullo ferre in diſcrimine habeatur. Nimium communi uſu hoc vileſcit Myſterium apud pleroſque. Si eſſet infrequentius, majus oculis eorum videretur; majori cum trepidatione, & amore ad illud accederent. *Ex eodem.*

Sacrificii hujus dignitas, & excellentia.

Altaris Sacrificium adeo excellens eſt, ut ſolum omnia contineat legis Antiquæ Sacrificia, quandoquidem offertur ad colendam Dei majeſtatem, cui majus gloriæ pondus procurat, quam omnes ſimul Homines, Angelique poſſent; ad gratias agendas pro beneficiis, ad juſtitiæ illius ſatisfaciendum, & denique ad obtinendas ab illius miſericordia gratias, quæ nobis ſunt neceſſariæ. Tantaque eſt hujus Sacrificii virtus, ut nihil ſit, quod per ipſum conſequi non valeamus; quia ipſe JESUS CHRISTUS intercedit pro nobis. Quid porro negat Pater Æternus Filio ſuo in ſuo hoc victimæ ſtatu? Si quid ergo nobis deeſt, nobiſmet ipſis tantum ſuccenſere debemus; quia non ſatis confidimus in meritis JESU CHRISTI. *Conſiderationes Chriſtianæ.*

Neceſſitas interioris, exterioriſque Sacrificii.

Religio cultus eſt, qui nos alligat Deo per ſubjectionem perfectam noſtrummet ipſorum Enti ſupremo, & qui efficit, ut ad illius gloriam referamus quidquid ſumus, & quidquid operamur. Potiſſimum vero facit, ut inevitabili hoc munere perfungamur per Sacrificium, quod eſt oblatio facta Deo ad profitendum ſupremum ejus dominium ſuper omnia, quæ creata ſunt. Oblatio hæc interius facienda eſt, quia Deus Spiritus eſt, & qui adorant illum, oportet, ut illum adorent in ſpiritu, & veritate. Sed homines compoſiti ex corpore, & ſpiritu, hanc oblationem extrinſecus etiam facere tenentur; præbere quippe tenentur manifeſta, & publica monumenta affectionis cordis ſui erga ſupremam majeſtatem; ideoque interiori Sacrificio adjicere debent exterius, quod aliud non eſt, niſi ſenſibile ſignum oblationis internæ noſtrummet ipſorum, quam efficere debemus tamquam Creatori noſtro, & Conſervatori. Ergo ſubſiſtere non poteſt Religio ſine interiori, exteriorique Sacrificio, quia in eo ſita eſt, ut colligant homines in exterioribus ſignis, quæ debent præbere Deo ſui amoris, atque obedientiæ. *Ex libro qui inſcribitur: Cæremonia Miſſæ per Patrem le Brun Oratorii Presbyterum.*

Sacrificia a mundi principio oblata.

Naturæ lumina ſemper hominibus inſpirarunt Sacrificium, tamquam primum ex omnibus actibus Religioni eſſentialibus. Hiſtoria Sancta nos docet, quid in ipſis mundi primordiis fuerit oblatum, & videmus illos intellexiſſe Sacrificium eſſe neceſſarium, & nonniſi Deo offerendum, quod Natura ſuaſerat. Scripta lex confirmavit, docuitque, quod homines a Sacrificio avocare, vel alicui præter unum Deum Sacra facere, duo erant enormia delicta. *Erat peccatum puerorum* (Filiorum Heli) *grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a Sacrificio Domini.* Et cum homines cupiditatibus ſuis excæcati timuerunt, & coluerunt creata, Angelos, vel dæmones eo uſque ut illis offerrent Sacrificia, lex ut illis horrorem incuteret hujus Sacrilegii, dixit: *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Sacrificium exterius in eo ſitum eſt, ut offeratur Deo aliquid ſenſibile, atque exterius ad hoc, ut deſtruatur; vel aliquam patiatur immutationem, idque quadruplici ex cauſa, quarum prima eſt, ut confiteamur ſupremum Dei dominium ſuper omnia creata; altera ad acceptorum beneficiorum gratias referendas; tertia ad obtinendam peccatorum veniam; quarta ad opem neceſſariam petendam. Deſtructio, vel mutatio oblatæ rei perfecte exprimit duos ex præcipuis finibus Sacrificii, qui ſunt honorare ſupremum Dei dominium, & confiteri, quid per peccata noſtra mereamur. Primum enim homines hac deſtructione, vel immutatione innuunt, Deum eſſe abſolutum rerum omnium dominum, & nulla indigere creatura; quoniam hæc eidem oblata deſtruitur. Secundo per hanc deſtructionem ſignificant, quemadmodum peccatores meriti ſunt per peccata ſua mortem, & in locum ipſorum ſubſtituta fuit victima; ideo qui Sacrificium offerebant, imponebant manum ſuam capiti victimæ ejuſdem. *Ex eodem.*

1. Reg. 2.

Exod. 22.

Cauſa Schiſmatis proteſtantium.

Proteſtantes ingentem emittunt ſtrepitum, cum de Miſſæ Sacrificio loquuntur. Abutuntur nomine *Sacrificii* ad augenda objecta, & ſibi fingenda monſtra in cultu Eccleſiæ Romanæ. Si illos audis, putas illam quotidie inferre velle Mortem Salvatori, & ipſam credere, Mortem, quam ſemel pertulit in Cruce, non fuiſſe ſatis ad redimendum genus humanum. Nequicquam inquit, JESUM non amplius pati, non mori amplius, & regnare ſemper ad dexteram Patris: Miſſæ Sacrificium eſſe *incruentum:* neque fateri volunt, eorum quæſtionem de nomine eſſe, & quod illi *celebrationem, & commemorationem Sacrificii Crucis* appellant, a Catholicis *incruentum Sacrificium* vocari.

De Calice.

Excellentia Sacrificii Miſſæ.

Illis, qui gloriantur ſe Spiritualem effeciſſe Religionem, eamque liberaſſe ab omnibus legis antiquæ cæremoniis, & ſe in ſpiritu, & veritate adorare, hoc ſane eſt non attigiſſe id quod ſe jactitant obtinuiſſe; hoc eſt humilem habere Chriſtianæ Religionis conceptum; nondum intelligere ſpiritum divinæ hujus Religionis; tantopere conqueri, & calicem ſibi oblatum dolere: quaſi hæc cæremonia non poſſet relinqui Eccleſiæ arbitrio; quaſi calix eſſet de eſſentia fidei, vel motum; & ſine illo difficilius eſſet ſperare in Deo, & amare proximum tamquam ſe ipſum. Proteſtantes, qui dicere norunt, *crede, & manducaſti*, nunquam dicere didicerunt, *crede, & bibiſti?* Regnum Dei non eſt eſca, nec potus; non conſiſtit in corporeis elementis; ſed in juſtitia, in pace, & gaudio ſpiritali. Etiam ſi Laicis dixiſſet JESUS CHRISTUS, *bibite ex eo omnes*, creditur ne JESUS CHRISTUS non magnum diſcrimen conſtituere *inter unius cæremoniæ obſervantiam*, & praxim virtutis, *quæ* anima eſt Religionis totius, & ſcopus omnium paſſionum ſuarum? Ambigi ne poteſt, utrum malit nos Calice privari, quam abrenuntiare caritati, & paci, pro qua effundit Sanguinem ſuum, & cujus Calix nonniſi Sacramentum eſt? Si manetis in unitate, & caritate, habetis fructum Sanguinis JESU CHRISTI. Si Calicem ſumpturi caritatem, & pacem infringitis Eccleſiæ unionem frangentes bibitis veſtrum judicium, non eſtis participes Sanguinis JESU CHRISTI, mutatis Calicem caritatis, & amoris in Calicem ſeceſſionis, atque diſſidii. *Papin, ex Proteſtantium Miniſtro Catholicus.*

S. Gregor. Dial. l. 4. c. 58.

Nihil in Religione majus eſt Sacrificio Miſſæ. Alia Sacramenta, & omnia fere Officia, omneſque Eccleſiaſticæ Cæremoniæ non ſunt niſi media, vel præparationes ad illud celebrandum, vel digne ſumendum. JESUS CHRISTUS ſe ipſum offert pro nobis Patri ſuo. Ibi inſtaurat quotidie, tamquam Sacerdos Æternus, oblationem, quam ſemel fecit in Cruce, & ibi ſe comedendum præbet fidelibus qui ita in Altari inveniunt vitæ ſpiritualis conſummationem, quandoquidem ibi Dei ipſius carnibus ſaginantur. Dicere poſſumus, Miſſæ Sacrificium Templa noſtra in Cælum commutare. Agnus divinus ibi immolatur, & adoratur, eo modo quo S. Joannes exhibet nobis illum in Cæleſtis Sanctuarii meditullio. Beati Spiritus edocti, quid in altaribus noſtris agatur, huc accedunt, ut Sacris interſint ea cum trepidatione, quæ maximam inſpirat reverentiam. S. Chryſoſtomus non ſine Patrum antiquorum fide probatiſſima retulit facta; & veritas hæc de Angelorum præſentia, ita ſemper comperta, explorataque fuit, ut S. Gregorius Magnus non vereatur aſſerere: *Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri, in illo JESU CHRISTI Miſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena Cæleſtibus jungi, unum quoque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri?* Ex libro, cui titulus: Cæremoniæ Miſſæ per Patrem *le Brun Oratorii presbyterum.*

In Tem-

In Templis noſtris id agimus, quod Sancti inceſſanter faciunt in Cælo: Hic adoramus Sanctam victimam in Sacerdotum manibus immolatam; & Sancti omnes in Cælo venerantur hanc eamdem victimam Agnum ſine macula, qui ſtans quidem exhibetur, ſed tamquam jugulatus ad oſtendendam illius immolationem, glorioſamque vitam. Omnes preces, omniaque Sanctorum merita aſcendunt veluti ſuaviſſimum thymiama ante Thronum Dei; quod Sanctus Joannes expreſſit per Acerram, quam Angelus manu tenet, & Altare, unde Sanctorum preces aſcendunt ad Deum. Terrena etiam Eccleſia ad aram thus adolet Deo, tamquam ſignum adorationis, & precum omnium Sanctorum, qui in terris ſunt, vel in gloria. Omnes unanimi voce illum in Cælo, & in terra adorant, quia tunc in terrena hac ara id habemus, quod Cæleſti adeſt in Solio. *Idem*.

Origo precum, & cæremoniarum, quæ Sacrificium concomitantur.

Quod eſſentiale eſt in precibus, & Miſſæ cæremoniis, a JESU CHRISTO ad nos profectum eſt. Apoſtoli, Apoſtolicique viri illis id addiderunt, quod perſecutionibus ſævientibus cum a Judæis, tum a Gentilibus, erat addendum; cum quorum cultu ſi noſter aliquam tunc habuiſſet ſimilitudinem, res fuiſſet plena periculi. Nequaquam conſtitutus eſt ritus, qui exterius novam ſuſcepturus eſſet formam; cum Chriſtiani Religio facti Cæſarum, & fulgidiſſima Religio terrarum non eſſet amplius reformidatura impreſſiones, quas in novis Fidelibus parerent Ritus Judaiſmi, vel Gentilitatis. Hactenus modici erant uſus, vel cæremoniæ; ſed quæ obſervandæ erant veluti lex, quemadmodum S. Paulus præceperat. *Idem*.

De Tranſubſtantiatione.

Non conſtat de modo, quo JESUS CHRISTUS eſt in Sacramento; Aliter ſentiunt Catholici, aliter Lutherani, aliter Calviniſtæ. At quæſtio Phyſica, vel Metaphyſica eſſe ne deberet ſeceſſionis cauſa Chriſtianis, qui conjuncti eſſe debent vinculis caritatis, & obedientiæ JESU CHRISTO, & ſubmiſſionis Eccleſiæ? Quocumque modo Eccleſia hanc definierit quæſtionem, quæ omnino ſuperat captum ſimplicium fidelium, poterat, ne ejus definitio aliquod inferre præjudicium pietati, ac ſtudio ſanctificationis? Ubi credatur Tranſubſtantiatio, nunquid difficilius eſt Chriſtianorum more vivere? At enim *definitionem hanc non intelligimus*. Hæc igitur præclara eſt occaſio oſtendendæ humilitatis noſtræ, ac ſubmiſſionis; hoc totum illud eſt, quod petit Eccleſia. Proteſtantes dicere non auderent majorem eſſe contradictionis ſpeciem in Tranſubſtantiatione, quam in eo modo, quo Lutherani concipiunt humanitatem JESU CHRISTI eſſe ubique, quod *ubiquitatem* appellant, eamque realiter in Sacramento eſſe præſentem. Tamen quamvis eorum ideæ hac in re nequaquam concipi poſſe videantur, nullum ſaluti detrimentum inveniunt, non inde ſeceſſionis cauſſam prætexunt, cum illis communicant. Quod his reſpondetur, *Lutheranos nequaquam adorare JESUM CHRISTUM in Sacramento, ideoque non eſſe idololatras*, evaneſcit ſtatim ac probatur, neque Catholicos eſſe Idolorum cultores; quia JESUS CHRISTUS conſtanter eſt unicum adorationis eorum objectum. Ad hæc fatendum eſt etiam, adorationem, quam Catholici præſtant JESU CHRISTO in Sacramento, naturaliter conſequi ea ex perſuaſione, in qua ſunt, vel eſſe debent, illum perſonaliter eſſe præſentem; qua in re proculdubio rectius quam Lutherani argumentantur. *Papin ex Proteſtantium Miniſtro Catholicus*.

Ejuſdem argumenti.

Sunt ex Proteſtantibus, qui dicunt hanc Tranſubſtantiationis doctrinam Phyſicam, & naturam evertere, ac deſtruere argumenta veritatis Religionis Chriſtianæ, quæ ſenſuum noſtrorum teſtimonio innituntur. Argumentum valeret, ſi Catholici aſſererent Tranſubſtantiationem naturaliter fieri, & juxta naturæ leges. Inde ſequeretur, cum ſenſus noſtri minime doceant Tranſubſtantiationem, nobis eorum teſtimonio credendum non eſſe, non quidem in rebus illis, quæ fierent per regulas naturæ, & quæ omnes nobis videri debent quales ſunt in ſe ipſis; ſed explicite admonemur, hoc eſſe Myſterium incomprehenſibile, quod nullam habet rationem, aut nexum cum legibus naturæ, & de quo ideo judicium ferri non poteſt per communes cognitionis, & naturalis judicii noſtri regulas. *Idem*.

Hoc ſublimius, quam Miſſæ nomen nobis adſtruit de Sacrificio.

Arduum erat invenire verbum, quod ſapientius ſignificaret id, quod Eccleſia ſecreto facere volebat pro ſolis fidelibus, & quod ſimul ſublimiorem nobis conceptum aſtrueret; quia hoc Miſſæ nomen innuebat Officium, ad quod illi tantum admitti poterant, qui vel conſervaſſe, vel recuperaſſe Baptiſmi gratiam cenſebantur. Chriſtiani non baptizati, quales erant Cathecumeni, Chriſtiani in pœnitentiæ ſtatu poſiti dimittebantur non ſecus ac infideles, ne ſacris intereſſent Myſteriis una cum illis, qui puritatem ſervaverant, vel expiaverant crimina ſua per pœnitentiam. Per Indulgentiam jam pridem permittit Eccleſia, ut Miſſæ interſint Sacrificio Chriſtiani plures, qui olim fuiſſent prohibiti. Sed ad hanc quoque diem curat, ut inter Miſſæ Solemnia Parochus moneat, quamplures ejiciendos eſſe, & optandum eſſe, ut illi tantum

Hondry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. V.

Sacris admitterentur, qui Baptiſmi gratiam ſervaſſent, & qui illam recuperaſſent, vel qui ad eamdem recuperandam laborarent per pœnitentiam. Ita ſolum Miſſe, miſſionis, vel dimiſſionis nomen metum hanc injicere debet pluribus eorum, qui divino huic interſunt Officio, ſe mereri, ut dimittantur, ac ſibi fovendos eſſe ſenſus humilitatis, atque doloris, ut reparent innocentiam, quam amiſerunt, & mereantur nomen fidelium, quo decorantur. *Ex Cæremoniis Miſſæ Patris le Brun, Oratorii presbyteri*.

Quid intelligitur pro Miſſa ſolemni, alta, magna, privata, ſubmiſſa voce prolata.

Poſt duodecimum ſæculum Miſſa quæ celebrabatur in Templo ad quod populus omnis, viri, & mulieres invitabantur, appellata fuit Miſſa publica, ad diſtinctionem earum, quæ aliquando privatæ appellabantur, quæ dicebantur in peculiaribus Sacellis, ubi celebrabatur pro defunctis, ad quas nonniſi conſanguinei, & amici invitabantur, vel illæ, quæ in Monaſteriorum templis celebrabantur. Illæ, quas Sanctus Ambroſius, Sacerdotes Hipponenſes ſub S. Auguſtino, ac Theodoretus dicebant in domibus, vel cellulis, non cenſebantur publicæ, non ſecus ac illæ, quas Agathenſe Concilium in agreſtibus locis procul a Parœcia dici patiebatur. Secundum Vaſionenſe Concilium præcipit, ut in Miſſis defunctorum dicatur *Sanctus* eo modo quo in *Miſſis publicis*, & S. Gregorius Magnus ſcribit ad Ariminenſem Epiſcopum, ne dicat Miſſas publicas in Cœnobiis, ne per hominum, & mulierum convenientium frequentiam Servorum Dei ſolitudinem perturbet. Miſſa vocatur Magna, vel ſolemnis, quæ majori cum apparatu, pluribuſque cum cæremoniis celebratur; Miſſa vocatur Alta, cum Sacerdos, & Chorus canunt, & ob oppoſitam cauſſam ſubmiſſa, quæ ſine cantu, & parva, quæ celebratur ſine apparatu, & cæremoniis, quæ in Solemni adhibentur. Sed in illis omnes æque preces recitantur, & nihil eorum omittitur, quæ pertinent ad Sacrificium. *Ex libro eodem Cæremoniarum &c.*

Modus adſiſtendi Miſſæ ſacrificio.

Verum eſt, neque ambigi poteſt meliorem adſiſtendi miſſæ rationem eſſe, ſequi Sacerdotem in ſingula verba, & actiones ſingulas. Nihil hoc magis neceſſarium fidelibus fuit, quam edoceri de omnibus verbis, & actionibus iſtis, ut intelligentes ſenſum tum precum, tum cæremoniarum hoc munere perfungi poſſent non ſolum cum affectu, & pietate; ſed etiam cum intelligentia, & fructu mentis ſimul, & cordis. Cæremoniæ in Dei cultu non ſunt aliquid modicum: Sunt actiones reſpondentes verbis; igitur ſunt ſenſus, & documentum maxime naturale, & oculis omnium ſubjectum, eaſque contemnere non eſt, niſi illas ignorantium. Deus in Veteri Teſtamento minimas quaſcumque circumſtantias, & cultus ſui cæremonias præcepit, eaſque ita ad unguem accurate voluit obſervari, ut illas etiam per ignorantiam violare crimen eſſet par peccatis a ſciente, & volente patratis contra proximum, ut ex Levitico videre eſt, & apud Philonem. Verum eſt in Nova lege Salvatorem, qui ritum præſcripſit celebrationis Sacrorum Myſteriorum, integram reliquiſſe Eccleſiæ inſtitutionem, atque determinationem cæremoniarum illam concomitantium; ſed non ideo eſſe ceſſant pars divini cultus, & pars, quæ fideli populo eſt tamquam lampas, illi facem præferens, & dux, animam ejus in Cælum attollens. Propterea voluit Eccleſia dare fidelibus omnibus facillimam cognitionem rerum omnium, quæ ad Miſſam pertinent in explicatione precum, & cæremoniarum illam conſtituentium. *Le Brun Presbyter Oratorii*.

De Nominibus, & partibus Miſſæ.

Miſſa eſt legis novæ Sacrificium, quo Chriſtiani reddunt Deo cultum ſupremum offerentes illi Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI ſub ſpeciebus panis, & vini per Sacerdotum Miniſterium. Quemadmodum JESUS CHRISTUS hoc Sacrificium inſtituens, dixit ſimpliciter Apoſtolis ſuis: *hoc facite in meam commemorationem*, quin actioni huic peculiare aliquod nomen imponeret. Eccleſia a primis uſque temporibus plura illi nomina impoſuit; modo, ut ſignificaret quid agatur in hoc officio divino, modo, ut celaret Myſteria illos, qui nondum in fidelium numero recenſebantur. Dicta fuit Liturgia, hoc eſt, ſervitium, Synaxis, vel Collecta, hoc eſt *Cœtus*, divinorum Sacramentorum officia; ſolemnia, vel divina ſolemnia, Sacrificium, oblatio, ſupplicatio, venerabilia, ſancta, divina, terribilia Myſteria. Sed poſt ſæculum quartum Eccleſia Græca Liturgiæ nomen ſiait, & ab eo tempore ex S. Ambroſio, & aliunde liquet Eccleſiam Latinam divino huic Officio Miſſæ nomen tribuiſſe. Hoc Miſſæ nomen fuit a latino veteri *Miſſa*, pro *miſſione*, quæ vox dimiſſionem ſignificat; nam olim ante oblationem de cœtu dimittebantur illi, qui non erant Sacrificio interfuturi. Quam etymologiam Sanctus Auguſtinus, Sanctus Avitus Viennenſis, & Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis ſatis aperte connotarunt, ut de nominis origine dubitare non liceat. *Idem*.

De origine nominis, & cæremoniarum Miſſæ.

Mirum eſt inimicos Eccleſiæ auſos fuiſſe in dubium vocare veritatem Sacrificii Euchariſtici, quod vulgo Miſſæ vocatur Sacrificium, cum illius nomen, origo nominis, ſubſtantia, partes, cæremoniæ paſſim occurrant in Patribus, & Conciliis ſex primorum ſæculorum. Si diſputandum eſt de origine nominis

adorabilis hujus Sacrificii, aſſereſe poſſum Apoſtolos, qui natione erant Hebræi, illud veriſimiliter deduxiſſe ex nomine *Miſſale*, quod invenitur in capite 16. Deuteronomii, & quod voluntariam ſignificat oblationem. Et profecto nihil eſt, quod ſit magis voluntarium, vel in inſtitutione, vel in praxi, vel in fine, quem ſibi Dominus noſter propoſuit. In inſtitutione quidem, quia tunc nullum habebat motum validiorem, quam zelum pro gloria Patris ſui, neque amorem vehementiorem, quam hominum, & liquet nihil magis eſſe voluntarium, quam amor. Voluntarius eſt in praxi; quia nullus Sacerdos conſecrare poteſt, quin habeat intentionem, hoc eſt voluntatem ſaltem virtualem. In fine vero, quia JESUS CHRISTUS ſibi propoſuit bonum animarum, quod Miſſa certiſſime procurat tam audientibus, quam celebrantibus illam. *Auctor recens.*

Quid ſignificet nomen Miſſah. Jure affirmari poteſt *Miſſah*, ſignificare *abundantiam*, & *ſufficientiam*, quia nullum eſt ſubſidium quod tribui poſſit patientibus animabus, quod in Miſſa non inveniatur, vel per effectum, vel tamquam principium, vel per virtutem aliquam, quæ ſit æquivalens. JESUS CHRISTUS eſt in hoc adorabili Sacramento in perſona propria, ille, qui fidelium eſt liberator. Sacerdotis Communio una eſt ex partibus ſubſtantialibus Sacrificii: Ibi inveniuntur orationes tam publica, quam privata. Publica ſit nomine Eccleſiæ totius, privata ſecundum devotionem, & intentiones particulares, quas habere poteſt Sacerdos. Adeſt etiam mentalis oratio, ſive adhibeatur pro vivis, ſeu pro defunctis; in utroque *memento* præter applicationem quæ ſit omnium animæ facultatum tam ad conſecrandum, quam ad recipiendum Salvatorem, atque ut meretur, excipiendum illi ſubjiciendo quidquid ſumus, & quidquid poſſumus pretioſis illis momentis, quæ Communionem ſubſequuntur; Ibi quoque Oratio adeſt vocalis, cum petuntur a Deo ea quæ in communi, vel privatim ſunt neceſſaria, vel cum illi de acceptis beneficiis agimus gratias. Deinde ſanctæ affectiones ubertim illic diſtribuuntur animabus, quæ ſeſe, uti par eſt, diſponunt, verum etiam Corpus, Anima, divinitas, & omnes gratiarum theſauri, quos recipimus offerentes Deo divinum Sacrificium, & cui adſiſtentes participes efficimur. *Auctor recens.*

Idem eſt Sacrificium in Miſſa, ac in Cruce. Quæritur; Miſſæ Sacrificium eſt ne idem ac illud Crucis? Reſpondetur, Sacrificium Miſſæ eſt JESUS CHRISTUS immolatus in Cruce, qui præſens eſt in altari poſt conſecrationem, & qui ibi offertur tamquam in Cruce immolatus pro nobis. Si ex me quæſieritis, utrum ibi fiat Sanguinis effuſio, ut in Cruce, reſpondebo, ibi fieri quidem ejuſdem Sanguinis effuſionem quoad ſubſtantiam, ſed alio modo; quia hæc effuſio non ſit eo modo, qui videatur, atque extra venas JESU CHRISTI, ut in Cruce; ſed in corporibus, & cordibus communicantium, quæ effuſio eſt Myſtica, Sacramentalis, atque Sanctificans. *S. Aug. lib. 4. de Trin. cap.* 14.

De neceſſitate Sacrificii Miſſæ. Neceſſitas Sacrificii Miſſæ inde patet, quia neceſſario participes fieri debemus oblationis, qua JESUS CHRISTUS obtulit ſemetipſum in Cruce, & Victimæ, quam obtulit pro nobis, quia hoc eſt fundamentum, & unicum medium noſtræ ſalutis. Verum eſt, ipſum abſtuliſſe obicem, cum morti traditus fuit pro peccatis noſtris; delevit enim chirographum decreti, quo æternæ mortis adjudicabamur, affigens illud Cruci. Sed quemadmodum, ut quis particeps fieret fructus veterum Sacrificiorum, comedendum erat de Victima Sacrificata; ita ut ſanctificemur per JESU CHRISTI Sacrificium, & participes ſimus Victimæ, quam obtulit in Cruce, videlicet Corporis ſui, vere comedenda eſt juxta verbum illud Filii ejuſdem Dei, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & Sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Idem.

Sacrificiũ novæ legis in quo differat ab illis legis antiquæ. Liquet autem Sacrificium Miſſæ eſſe proprie novæ legis Sacrificium, quod pluribus appellatur nominibus, & potiſſimum Miſſa vocitur. Hoc illud eſt Sacrificium, quod conſtituit Sacerdotium novæ legis; Sacrificium ſecundum quod JESUS CHRISTUS eſt Sacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedech: *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cum hoc Sacrificium ſit idem, ac illud quod offertur ab univerſa Eccleſia mundi hujus, & quod æternum offeretur in Cælo cum hoc diſcrimine, quod adhuc lateret ſub ſignis, velatum ſub ſpeciebus panis pro hac Eccleſia terreſtri; & non eſt ſub viſibilibus ſignis abſconditum in Cælo. Juvat enim ſemper meminiſſe in Eccleſiæ unitate tres eſſe Eccleſias, Judaicam, Chriſtianam, & Cæleſtem: in quarum priori ſunt figuræ, & ſigna ſine veritate; in altera veritas eſt in figuris; & tertia demum poſſidet veritatem ſine ſignis, ſine integumentis, & palam. *Idem.*

Explicatio cæremoniarum Miſſæ. Non aliunde melius docemur modum, quo cruentum Sacrificium in Cruce fuerit conſummatum, quam ex cæremoniis cum quibus Eccleſia celebrat hoc admirabile Myſterium. Ornatus celebrantis ipſas repræſentat veſtes, quibus Supremus novæ legis Sacerdos amictus fuit; velum, quod illius faciei fuit obtentum, vincula, quibus revinctus fuit, omnia connotata ſunt, omnia depicta, quantum licet repræſentationi. Ibi exprimuntur ſtationes, quas fecit bajulans Crucem ſuam. Ara figura eſt Calvarii; Separatio Sanguinis, qui ſeorſim ponitur in Calice, indigitat effuſionem in Cruce factam, & conſumptio Specierum Sacramentalium eſt viva imago deſtructionis victimæ, quæ in vero Sacrificio eſt neceſſaria. In tota hac auguſta Cæremonia ne minimus quidem eſt geſtus, quod non aliquam habeat cum Mortis Sacrificio relationem. Unde argumentor, ſi hoc verum eſt Corpus Salvatoris, & illud ipſum, quod in Cruce oblatum fuit, & quod modo in altaribus noſtris ſacrificatur, impiorum invectivas, & hæreticorum irriſiones totidem eſſe blaſphemias; nam antequam illis jus eſſet improbandi cultum, quem Salvatori præſtamus; efficientes id, quod nos facere juſſit in ſui commemorationem; opus eſſet, ut liqueret, in figura tantum in divino hoc Myſterio contingere, quemadmodum nunc docent Calviniſtæ. Præterea ſervantne illi ipſi ullas cæremonias in Cœna? Nemo ne inter illos eſt, qui non putent criminoſam eſſe profanationem uti hoc tamquam vulgari pane, ac illo veſci ſine reverentia; neque enim evertere poſſent Sancti Pauli anathemata, qui maximum omnium ſcelerum putant, non diſcernere Corpus Domini ab aliis communibus eſcis. Oportet ergo ut aliquas cæremonias adhibeant; cumque hoc maximum ſit inter eorum Sacramenta, poſſunt ne illi nimium præſeferre reverentiam erga magnum iſtud Myſterium? Quænam autem hæc reverentia, ſine aliqua exteriori cæremonia, quæ ſignificet æſtimationem, & ſenſum intrinſece conceptum? Sunt ergo ſemper injuſti, dum improbant, quod ipſi faciunt, & exprobrant in aliis, quod ipſi in ſe facere nequeunt cum apparatu, & cæremonia, quamvis Myſterium non aliud contineret, niſi quod credunt. Non fert animus hic loci propugnare realitatem Corporis, & Sanguinis Dei in Adorabili Euchariſtia; dico ſolum, id quod in medium proferunt ad deſtruendum cultum qui præſtatur adorabili Sacramento in hoc incruento Sacrificio, ſcilicet cæremonias, quæ in illius honorem adhibentur, illud eſſe, quod illos ipſos eedarguit impietatis; quoniam Eccleſia nullo unquam tempore illas adhibuiſſet, niſi illi perſuaſum fuiſſet, in hoc Sacramento contineri verum Corpus Salvatoris, & hoc Sacramentum ſubſtantialiter eſſe idem, ac Crucis, quia harum cæremoniarum pars adhiberi nequeunt niſi erga Deum, cujuſmodi eſt adoratio; & aliæ ſupponunt illum ipſum realiter recipi, & non in figura ſolum, velut illæ, quibus utimur, ut digne tanto huic Myſterio communicemus, & aliæ, quæ alioquin inanes, & inutiles eſſent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De Miſſæ Subſtantia. Non ultra immorarer detecturus originem nominis Miſſæ; verum ſi illius ſubſtantiam callere velimus, nonne voti compotes eſſe debemus, cum audimus JESUM CHRISTUM hoc præcipientem Apoſtolis, & per Apoſtolos Eccleſiæ ſuæ, ut ſacrificent, & ſacrificantes recolant ſui, ſuarumque paſſionum commemorationem? Legamus veteres Liturgias; id ſatis innoteſcet: Videamus quid doceant primi Eccleſiæ Sæculis Patres. Sanctus Ignatius Martyr hoc palam ſignificat, cum ait: *Nefas eſſe Epiſcopo non conſentiente baptizare, oblationes offerre, & facere Sacrificium*, & idem ubi loquitur de Domino noſtro ait, *docebit ille Sacrificium novum novi Teſtamenti; Sacrificium quod offert Eccleſia Deo pro mundo univerſo, quemadmodum per Apoſtolos edoctu fuit.* Luc. 22. Sanctus Hyppolitus Martyr ſub finem ſermonis quem nobis reliquit de Antichriſto, loquentem inducit JESUM CHRISTUM quatenus Supremum Judicem electis animabus, & incipiens a Sacerdotibus, hæc dicentem exhibet. *Venite Miniſtri Sacri, qui ſancte interdiu, noctuque mihi obtuliſtis Sacrificium, & quotidie immolaſtis pretioſum Corpus meum:* Poterat ne apertius loqui de Sanctæ Miſſæ Subſtantia. *Idem.*

Omnes partes cæremoniarum Miſſæ a Sanctis Patribus probatæ fuerunt. Nulla pars eſt cæremoniarum Miſſæ, quæ ab Eccleſia, Sanctiſque Patribus probata non ſit. Introitus, Gloria in Excelſis, Epiſtola, Evangelium, Præfatio; aliæque partes probatæ fuerunt, & diligentiſſime commendatæ a maximis viris antiquitati. Sanctus Cyprianus, Sanctus Cyrillus, Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Ambroſius, aliique plures egerunt de Miſſæ cæremoniis, eaſque probarunt. Sanctus Hieronymus verba facit de Oratione Dominicali; conſtat *Agnus Dei* Sancti Joannis Chryſoſtomi ævo recitari conſueviſſe. Altaria, Calices, ornatus, & eorum benedictio ita palam in Sanctis Patribus occurrunt, ut obduratiſſimus quiſque teneretur cedere veritati, quam affirmo, ſi oculos habere vellet lecturus, quæ dico, & mentem docilem veræ fidei inſtitutis. Altaria ubique inveniuntur. Calicis veritas probatur a Sancto Cypriano in egregia illa epiſtola, quæ una ſufficere poſſet ad evellendum errorem, quem impugno. Immoror duntaxat iis, quæ Sanctus hic ſcribit de Calicibus his verbis. Declaratur, aquam cum vino eſſe admiſcendam; videlicet in Salvatoris Calice aquam

mixtam

mixtam eſſe eum vino. Sed quid opus eſt Patrum ſententiam eapiſcari: Ubi Scriptura palam ſemet aperit, ut liquet ex verbis conſecrationis Calicis? *Idem*.

Sacrificium Miſſæ non ſolum fit Deo, ſed de Deo, qui eſt Sacerdos, & victima.

Sacrificium Miſſæ fit, & offertur non ſolum Deo, ut illa Legis antiquæ, ſed etiam de Deo, quod novæ proprium eſt; ubi Sacerdos, & Victima ſunt unum & idem, & ubi Salvator nobis relinquere voluit vivam, æternamque ſuæ mortis repræſentationem, ita ut, quemadmodum verba quibus divinum hoc probavit Sacramentum, fuerunt practica, & operantia, ac virtute ſua mutarunt panis, & vini ſubſtantiam in Subſtantism Corporis, & Sanguinis ſui; ita hæc alia verba, *hoc facite*, fecerint ex his Apoſtolis tot Sacerdotes novæ legis, & contulerint illis veram poteſtatem ponendi, & offerendi ſuper Altaribus noſtris hoc ipſum Corpus, & Sanguinem in Altaris Sacrificio, cui vos ſingulis diebus adſiſtitis. Hoc ipſum ſignificat verbum illud *facite*, quod in linguis Hebraica, Græca, & Latina eamdem vim habet, eamdemque ſignificationem: *facite hoc*, videlicet, ſacrificate, ut ego ſacrifico, quaſi diceret illis, amor, quo vos proſequor fecit, ut mortis meæ ſacrificium præverterem, immolans me manibus meis; ſed non ſufficit mihi hic caritatis exceſſus; illud inſtaurare volo manibus veſtris omnibus ſæculis: quapropter conſero vobis poteſtatem hoc ipſum faciendi; incepi mortem meam per hoc Sacrificium, illam continuabitis: Hanc re ipſa quamprimum ſubibo, & illius memoriam ſervabitis per hoc Myſterium, quod offeretis. Jamjam effuſurus ſum pro omnibus hominibus Sanguinem meum, vos illius virtutem ſingulis applicabitis, hoc medio; denique ſi mortis meæ pretium infinitum eſt, vos faciam illius diſpenſatores per hoc ſacrificium, in quo totum continetur. *Idem*.

Unio Religionis, Sacrificii, & Sacerdotii.

Religio, Sacrificium, & Sacerdotium tria ſunt adeo arcte conjuncta, vel potius inter ſe inſeparabili nexu colligata, ut unum ſine aliis nequeat ſubſiſtere; ideoque omnia eidem ſunt obnoxia periculo ſive in inſtitutione, ſive in deſtructione, ſeu tandem in mutatione, quæ temporum lapſu contingere valeat. Hinc Sanctus Paulus Apoſtolus argumentatus eſt, cum legis Antiquæ Sacerdotium mutatum, atque tranſlatum fuerit per Legem Evangelicam, neceſſe eſt ut Religio quoque transferatur, quoniam hæc duo ſunt, quæ ſibimet adhærent, & quæ ſeparari non poſſunt: *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis quoque tranſlatio fiat*. Unde cum Sancto Auguſtino poteſt inferri, nullam unquam fuiſſe Religionem ſeu falſam, ſeu veram, in qua nullum fuerit Sacrificium inſtitutum ad colendam Divinitatem, & debitum illi obſequium præſtandum per cultum exteriorem, & denique ad oſtendendum ſenſum interiorem, quem habebat de illius magnitudine. *Nulla fuit gens tam barbara*, Sanctus hic Doctor ait, *quæ non ſacrificaverit his, quos aut putavit, aut finxit eſſe Deos*. Hoc illud eſt, quod præſuppono in hoc argumento: præſuppono inquam, quia nonniſi noviſſimorum horum temporum hæretici negarunt hanc veritatem, ipſo rationis lumine cognitam; quos perſuaſiſſe deberent tot argumenta, quot extiterunt Sacerdotes, Altaria, & Sacrificia ab ipſa Orbis nativitate, & in omnibus Religionibus, quæ uſquam fuerunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Ad Hebr. 7.

Lib. 10 de Civ. Dei. c. 4.

Religio Chriſtiana ſola vera eſt, & Sanctiſſima, quia continet auguſtiſſima Myſteria.

Alterum, quod non minus verum eſt, & quod ne ipſi quidem negant hæretici, hoc eſt, Chriſtianam Religionem hodierna die non ſolum eſſe unam veram, ſed etiam ſanctiſſimam, atque perfectiſſimam earum, quæ unquam fuerunt; quippe quæ altiſſimos habet ſenſus divinitatis, ideoque magis tenetur illos ferre præ ſe ſolemnioribus proteſtationibus, & Myſteriis auguſtioribus, quod facere nequit niſi per Sacrificium, qui præclariſſimus, & præſtantiſſimus eſt religionis actus, quippe qui pro ſcopo, & fine proprio, ac naturali quærit confiteri, & profiteri excellentiam, & magnitudinem Dei, cui adhibet cultum ſuum, tamquam Supremo rerum omnium auctori. Hoc efficit, ut progrediar, & præſupponam tertiam veritatem, cujus cognitio prorſus eſt neceſſaria, ut nobiſmet proponamus æquam ideam magnitudinis ejus boni, quod poſſidemus in adorabili Altaris Sacrificio; videlicet, cum Religio Chriſtiana ita ſupra omnes Religiones evecta ſit, popoſciſſe, ut Dei Filius in Eccleſia ſua inſtitueret Sacrificium, toto Cælo ſpectabilius, & dignius Majeſtate Dei, & quod magis deceret Inſtitutorem hujus Religionis, eſſetque conformius dignitati Sacerdotii, cujus ille omnis munera exercuit. *Idem*.

Neceſſe eſt, ut Fideles diſtinctam habeant Sacrificii hujus cognitionem.

Altaris Sacrificium una eſt ea fundamentalibus veritatibus, quarum opus eſt, ut Fideles adulti diſtinctam habeant cognitionem. Quid auguſtius eo, quod JESUS CHRISTUS offert in hoc Sacrificio? Hic fons eſt ſalutis ſcientibus penetrare Salvatoris Mundi conſilia. Impii, & peccatores ibi perniciem, atque ſuam damnationem inveniunt, ubi juſti, ac boni affluenter hauriunt ſaluberrimas aquas gratiæ. Ecce cur voluerit Deus, ut tanti momenti argumenta in pluribus Evangelii ſui locis pertractaretur. Non ſatis illi fuit, nos docere, cum amor ſuus illum coegit, ut pro nobis tantum miraculum operaretur. Videtur impatiens fuiſſe explicandi hominibus beneficium, quod præparabat illis. Cum Altaris Sacrificium ſit viva mortis ejuſdem imago, unus ex præcipuis fructibus hujus Sacrificii eſt *annuntiare mortem Domini*; noluit nobis dare Corpus, & Sanguinem ſuum quam cum prope fuit, ut pro ſalute noſtra moreretur. Sed Salvatoris amor pati nequit donec perveniat hoc tempus, ut nobis oſtendat gratias ineffabiles, quas in nos cupit effundere. Longe pridem promiſerat, quod poſtmodum tanta cum miſericordia conceſſit. *Annus Evangelicus Tomo ſexto*.

Altaris Sacrificium perfectiſſimus eſt actus gratiarum actionis pro beneficiis e Deo collatis.

Ea omnibus gratiarum actionibus, & obſequiis, quæ homines Deo præſtant pro infinitis perfectionibus ſuis, nullum magis naturale, vel legitimum eſt, Sacrificio. Per hoc ſupremam confitemur Dei in creaturas omnes poteſtatem; Ea deſtruentes coram illo profitemur nobis perſuaſum eſſe hæc ab ipſo per meram liberalitatem educta fuiſſe, quin eorum indigeat vel ad ſuam felicitatem, vel ad gloriam; ipſum illa ſuſtinere adhuc omnipotenti manu ſua, ne recidant in abyſſum originis ſuæ; ipſum ſolum eſſe eorum Dominum, primum principium, & noviſſimum finem; & ſicuti omnem obtinent eſſentiam ab ejus potentia, eam omnem debent gloriæ ipſius. Itaque Sacrificium jus eſt adeo proprium Dei, & adeo incommunicabile, ut vanitas ipſa horum ſuperborum Principum, qui divinos ſibi honores vendicarunt, nunquam iſtud uſurpare ſit auſa, ut Sanctus Auguſtinus animadvertit. Omnes populi obſequium hoc ſoli Deo contulerunt, quem vel per pietatem venerabantur, vel per errorem Deum eſſe putabant. Homines primi vero Deo ſacrificia obtulerunt; Lex Moyſis omnia Sacrificiorum genera præcipiebat; & Lex Gratiæ unum habet admirabile, cujus cetera erant figura, & quod ſemel oblatum fuit in Calvario, ſed quod quotidie adhuc inſtauratur in Altaribus noſtris; qua de re Sanctus Auguſtinus ait, omnia viſibilia Sacrificia nihil eſſe, niſi fuerint ſacrificia inviſibilia ſpiritus, & cordis, quæ debet homo Deo ſuo. Si ille Sacerdos eſt primorum, eſſe debet ſecundorum Victima, & Deus contemnit, quidquid ſibi exhibetur ab homine, niſi offerat ſe totum in Sacrificium, *Abbas Veyus: in ſermone hujus argumenti*.

Sacrificium quod filius Dei obtulit pro peccatis noſtris in Cruce, non eximit nos e neceſſitate offerendi ex parte noſtra.

Quamvis Dei Filius obtulerit in Cruce Sacrificium infiniti pretii, & dignitatis, ac ſufficiens ad omnia mundi peccata eluenda, certum eſt tamen, non ideo nos eximi, quo minus ipſi etiam Sacrificia pro peccatis noſtris offeramus: e contra virtus, & efficientia ineffabilis hujus holocauſti mortis Dei nobis ſub hac conditione communicatur, futurum ut noſmet conformemur paſſionibus illius, ut gloriæ participes fieri valeamus. Quamobrem Sanctus Paulus Apoſtolus crebro ait, nos non recepiſſe baptiſmum, per quem nobis dimiſſa fuiſſent delicta noſtra, niſi ut moriamur cum JESU CHRISTO, ut noſmet a mundo evellemus, & ut noſmetipſos exuamus; & mundi Salvator nonne profitetur, neminem eſſe poſſe diſcipulum ſuum, niſi ſemetipſum abnegaverit, niſi oderit animam ſuam, niſi quotidie crucem ſuam bajulaverit; & niſi illum in omnibus paſſionibus ſuis fuerit ſubſecutus. *Idem*.

De Inſtitutione feſtivitatis SS. Sacramenti.

Nullum eſt JESU CHRISTI Myſterium, cujus Sanctiſſimum Sacramentum non ſit repræſentatio, & memoria. Nullum quoque, quod non digne celebretur per divinam Euchariſtiam in Miſſæ Sacrificio. Quæ ſolemnitas in Eccleſia, quæ, ut ita dicam, non ſit feſtum Sanctiſſimi Sacramenti? Et certe dicere poſſumus, quod offerre divinum Sacrificium eſt Feſtum celebrare; quoniam eſt ſolemniter celebrare memoriam Inſtitutionis ejus, & in Salvatoris memoriam facere, quod ille operatus eſt in Cœna noviſſima. Divinum Sacrificium id eſt, quod eſt reverentia digniſſimum, ſanctiſſimum, & maxime ſolemne in omnibus feſtivitatibus. Omnes dies feſti, S. Joannes Chryſoſtomus inquit, ſunt feſtus dies divini hujus Sacrificii. Ita ut eadem ratio, quæ tamdiu vetuit, ne in Eccleſiis peculiaris inſtitueretur Feſtivitas in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, vetuerat etiam, ne peculiaris quoque inſtitueretur in honorem adorabilis Euchariſtiæ, donec tandem divina bonitas, quæ omnibus conſulit Eccleſiæ neceſſitatibus, prævidens, deinceps inſurrecturas impias hæreſes, quæ impugnarent, & omni impietatum genere coinquinarent divinum hoc Myſterium, Eccleſiæ mentem injecit peculiarem Feſtum diem inſtituendi. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo quarto*.

Quid ſibi propoſuerit J. C. inſtituens Euchariſtiæ Sacramentum.

Salvator, inquiunt Theologi, inſtituens Euchariſtiam ſingulariter ſibi propoſuit honorem deferre Sacrato Corpori ſuo, vel ad reparandam injuriam Paſſionis ſuæ, vel ob relinquendam fidelibus, qui illum in terris viventem videre non potuerunt, conſolationem dirigendi ad ipſum obſequia ſua ſub ſigno, quo continetur uſque ad finem ſæculorum. Eccleſia ſpiritu divini inſtitutoris ſui animata refert omnes ſolemnitates,

tes, omnem cultus ſui magnificentiam ad glorificandum hoc adorabile Corpus: quæ ſubtilis Doctoris ſententia eſt. *Quaſi omnis devotio in Eccleſia eſt in ordine ad hoc Sacramentum.* Altaria, Templa, Sacerdotes, Dies feſti, Sacramenta ipſa, & Myſteria, quidquid in Religione auguſtiſſimum eſt, inſpirat nobis eam, quam illi debemus venerationem. Divina hæc Victima in infinitis quieſcit Altaribus in omnibus regionibus terræ, ſemper Divinitati conjuncta, ubique continens hæc miracula, quæ nos fides docet; pignus, & compendium effectuum magis admirabilium Miſericordiæ, & Omnipotentiæ Dei, *Sermones Patris la Poſſe, Tomo tertio.*

In 4 diſt. 8 q. 1.

J. C. complectitur quidquid in Sacrificiis conſiderari poteſt, Sacerdotem, & Victimam in Cruce.

In Miſſæ Sacrificio ſimul realiter invenitur in ſolo Sacrificante quidquid deſiderari poteſt, & conſiderari in omnibus Sacrificiis; Deus, cui offerendum eſt; Sacerdos, qui offert; donum, quod eſt offerendum; quoniam divinus iſte mediator, Sacerdos, & Victima unus eſt cum Deo, cui illud offert; & qui conjunctus eſt, vel potius, qui unum ſe fecit cum omnibus fidelibus, quos offert, illos cum Deo reconciliaturus, Certum eſt, ipſum in Cruce ſimul fuiſſe & Victimam, & Sacerdotem. Judæi, & Gentiles, qui mortem ipſi intulerunt, fuerunt ejus carnifices, non Sacrificuli; igitur ipſe obtulit ſe in Sacrificium, & nos ſecum obtulit in Cruce. Hæc ſunt admirabilia Euchariſtiæ, quam JESUS CHRISTUS inſtituit immediate antequam proficiſceretur ſe ipſum in Cruce oblaturus. Illam inſtituit per amorem, quo ſuos diligebat; ſciens, Sanctus Joannes ait, quod omnis poteſtas ſibi data erat a Patre. Et profecto opus erat, & tali poteſtate, & amore infinito, ut mutaret panem, & vinum in Corpus, Sanguinemque ſuum, & ut ante mortem ſuam in anteceſſum faceret effuſionem Sanguinis ſui, ſecundum expreſſionem Evangelii in textu Græco. *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur . . . Hic Calix novi Teſtamenti in meo Sanguine, qui pro vobis effunditur.* Effuſio realis, & myſtica in Corpore, & corde communicantium, antequam Sanguis hic palam manaret ex Corpore ejus in Cruce. *Auctor recens*,

Miſſæ Sacrificium continet omnes conditiones Sacrificiorum Legis antiquæ.

Sacrificium Miſſæ replet omnes conditiones, quæ conveniebant victimis Legis antiquæ in perfectiſſimis Sacrificiis. Quatuor enim requirebantur conditiones, quæ efficiebant partes quatuor Sacrificii. Prima erat acceptatio Victimæ a Sacerdotibus facta; altera oblatio facta Deo. Tertia mutatio, vel deſtructio Victimæ; quarta Victimæ conſummatio, vel communio. Primum delecta requirebatur hoſtia, Sacerdotibus cara, & illis accepta ſecundum ordinem Dei, qui illos docuerat, quid admittere deberent, quid ſecus pro Sacrificio. Sacerdotes novi Teſtamenti acceptant panem, & vinum deſtinata, ut ſint Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI; & hanc acceptationem faciunt poſt electionem Patris Æterni, qui declaravit dilectum Filium ſuum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ideoque offerentem panem, & vinum, ſed panem mutandum in Corpus, quod deſtinavit Deus futurum Victimam veram. Secundo Hoſtia offerebatur Deo per Sacerdotes legis, ideoque ex communi ſtatu excepta. Sacerdotes novi Teſtamenti repræſentantes JESUM CHRISTUM offerunt Deo panem, & vinum, futurum Corpus, & Sanguinem Domini noſtri, pro ſalute noſtra. Tertio in holocauſtis, & in Sacrificiis pro peccatis victima immolabatur, & jugulabatur: mutabat ſtatum. Hic panis, & vinum mutantur in Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI, qui immolatur, & eſt tamquam in ſtatu mortis ſuper Altari; quia caret functionibus vitæ naturalis, quam habebat in terra, & qui eſt cum ſignis mortis per myſticam ſeparationem Corporis ſui a Sanguine, quomodo S. Joannes vidit coram throno Dei agnum viventem, quandoquidem ſtabat; ſed ſimul tamquam immolatum, & mortuum propter cicatrices vulnerum ſuorum, & notas cruentæ immolationis ſuæ, quas in ipſa etiam gloria conſervat. Quarto tandem neceſſaria erat Hoſtiæ conſummatio. Si offerebatur holocauſtum, totum comburebatur in honorem Dei. In aliis Sacrificiis pars abſumebatur pro Deo: reliqua diſtribuebantur Sacerdotibus, & illis, qui hoſtiam obtulerant. Hic victima tota pro Deo eſt, & tota conſummatur ab hominibus offerentibus illam. Tota, & integra ſine ulla diviſione communicatur, & conſummatur in nobis, quin eſſe deſinat. *Liber, cui titulus Cæremonia Miſſa per le Brun Oratorii Presbyterum.*

Eccleſia tota conjuncta eſt cum J. C. in ſacrificio.

Animadvertendum eſt Altaris Sacrificium illud eſſe JESU CHRISTI, ſimulque Sacrificium Eccleſiæ totius; quod offertur cum JESU CHRISTO; hoc eſſe Sacrificium omnium Sacerdotum offerentium illud, & omnium eorum, qui illius fieri volunt participes, qui idcirco debent offerre ſe ipſos in Sacrificium, quemadmodum JESUS CHRISTUS, & Eccleſiæ ſe offerunt Deo. Audiamus Sanctum Auguſtinum, qui mirum in modum nos de hac erudit veritate. Tota civitas redempta, videlicet Eccleſia, & ſocietas Sanctorum, & univerſale Sacrificium oblatum Deo per ſummum Pontificem, qui obtulit ſe ipſum pro nobis in paſſione ſua. Hanc ille obtulit Deo; & in illa ipſe oblatus fuit, quia ſecundum illam mediator eſt, Sacerdos, & Sacrificium . . . . . Atque ut loqui pergam cum Sancto Auguſtino, videt in Altaris Sacramento a fidelibus cognito, & ſæpe adeo inſtaurato, illam offerri in eadem re, quam offert. Quemadmodum qui offert eſt JESUS CHRISTUS Sacerdos, & idem ipſe eſt donum oblatum; Eccleſia illud offerens debuit etiam offerre ſemet ipſam; & Deus oſtendit illi hoc Myſterium, loquitur adhuc Sanctus Auguſtinus, in Sacrificio, quod illa offert quotidie: nam cum illa Corpus ſit hujus Capitis, dicit ſemet ipſam offerre per illum. Igitur Sacrificium Miſſæ eſt Sacrificium JESU CHRISTI, & Eccleſiæ; Solum exterius Sacrificium, quod Deo offerendum eſt, verum, & unicum Sacrificium, quod ceterorum ideam continet; unicum, quod expiat peccata, quod nobis gratias mercatur, & quod uſque in Sæculorum finem perennabitur. *Idem.*

Quomodo fideles ſe præparare debeant Miſſæ cum fructu interfuturi.

Sacri libri etiam atque etiam commendant, ut ante Orationem animam noſtram præparemus: Et cum nulla ſit præſtantior Oratio, quam illa, quæ reddere debet JESUM CHRISTUM Altaribus noſtris præſentem, & nos facit participes adorabilis ejuſdem Sacrificii, ita nulla eſt, quæ majorem exigat præparationem, quam Miſſæ Sacrificium. Prima, & optima præparatio eſt, vita bona, quæ deceat ſtatum Chriſtiani. *Ita vive*, ſæpe dixere Patres, *ut merearis quotidie accipere.* Secundo loco noſmet præparare debemus per ardens deſiderium eundi in Domum Domini, ibique inveniendi ad Aræ pedes omnes conſolationes. Et profecto quam non habent fideles cauſam contendendi ad eum locum, ubi realiter eſt Redemptor eorum? Quæcumque res illis negotium faceſſit, placati debent dicentes cum Jona Propheta inter fluctus Maris: *verumtamen rurſum videbo Templum Sanctum tuum.* Fides eorum tenere deberet animas illorum Sacramento Redemptionis noſtræ inhærentes. Tertia ratio ſeſe præparandi eſt gemere noſtras miſerias, concipere quanta eſt indignitas noſtra, fovere ſenſus Publicani, non audentis fere oculos attollere, cum ingrediebatur in Templum. Nihil magis reverentia dignum eſt, quam Domus Domini, & ſi Deus de Legis Tabernaculo dixit, *contremiſcite coram Sanctuario meo*, quæ illis habenda eſt reverentia in Templis, in quibus offertur Sacrificium Cæli, & terræ, Sanguis Dei hominis facti. Denique ut noſmet præparemus ad hauriendum plurimum fructum, ex Sancto Miſſæ Sacrificio, in quo Eccleſia offertur cum JESU CHRISTO, noſmet diſponere debemus ut noſmet ipſos offeramus, & aſſequamur Spiritum Sacrificii JESU CHRISTI, & Eccleſiæ ſuæ. Opus eſt ut fideles a Deo petant, ut quemadmodum in holocauſtis ignis expiabat, & abſumebat, quidquid in illis terrenum erat, atque carnale, & quod una cum JESU CHRISTO non poteſt offerri; ut non ſolum animæ eorum divino hoc igne expientur, verum etiam ipſorum corpora, quæ non ſecus ac animæ, ſunt offerenda, & dicere poſſint cum Sancto Paulo. Quandoquidem habemus ſummum Pontificem conſtitutum pro nobis ſuper Domum Dei, accedamus ad illum cum corde vere ſincero, ſine ulla diſſimulatione, cum plena fide omnibus officiis noſtris intenti ad intuitum ſublimium horum Myſteriorum, quæ nos docet fides, habentes corda expiata per interiorem aſperſionem, ſine ulla reprehenſione noſtra, & inſtaurantes in corporibus noſtris puritatem, quam habuerunt per ſalutares aquas baptiſmi. Sed ubi non invenerimus in nobis Sanctas has diſpoſitiones, quas Chriſtiani cupere debent; non abjiciamus tamen ſpem noſtram quam habere debemus in Miſericordia Dei, & fidenter accedamus ad Altare, quia gratiarum omnium eſt fons. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno.*

Levit. 26.

Sacerdos non pro ſe tantum offert Sacrificium, verum etiam pro omnibus adſtantibus.

Eccleſia peculiarem habet curam pro illis omnibus, qui adſtant Sacrificio. Sacerdos non orat pro ſe, niſi oret pro illis; ſequitur tantum ordinem, quem tradit Apoſtolus, orans primum pro ſuorum peccatorum remiſſione, & deinceps pro peccatis populi. Offert pro circumſtantibus, qui cum ipſo, quantum fieri poteſt offerunt; & qui Dei indigent Miſericordia. Sacerdos primum orat pro ſe, mox pro illis, qui interſunt, tertio pro omnibus fidelibus vivis, atque defunctis. Sed offerens Sacrificium illud præ ceteris ſpectare debet, ut per expiationem peccatorum noſtrorum nobis ſalutem, vitamque æternam procuret. Sacramentarium Gelaſii Papæ ita loquitur: ut hæc Salutaris hoſtia ſit expiatio peccatorum noſtrorum, & propitiatio noſtra coram Sancta Majeſtate tua. Ita etiam loquitur Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus in Liturgia, & tota vetus Eccleſia, quæ hoc Sacrificium ſemper appellavit hoſtiam propitiationis pro vivis, atque defunctis. *Liber cui titulus: Cæremonia Miſſæ per Patrem le Brun Oratorii Presbyterum.*

Nihil

Digitized by Google

Quid intelligat Eccleſia cum ait; offerre Sacrificium in memoriam SS.

Nihil Sanctis honorificentius eſt, quam conjungi Sacrificio JESU CHRISTI; & nos nihil illis acceptius facere poſſumus, quam eorum memoriam recolere Sacrificio, quod omnem eorum honorem, & gloriam conſtituit. Sed hic aniculus remoratur complures, qui non ita facile aſſequuntur Myſteria, & qui non norunt extenſionem Sancti Sacrificii. Quidam Catholici non longe procedunt, & inimici Eccleſiæ vellent, huc ſcandali occaſionem ingerere; quaſi Eccleſia Deo Sanctos exæquaret, atque JESU CHRISTO præferret. Offertur, inquiunt, Sacrificium JESU CHRISTI, ut cedat in honorem Sanctorum: nonne hoc eſt magis honorare Sanctos, quam JESUM CHRISTUM? Quandoquidem fit, ut JESUS CHRISTUS, eorum honori ſubſerviat, hoc nonne eſt illos exæquare, vel etiam præferre, quandoquidem ad Deum confugimus, ut Sanctis honorem deferamus? Hæc difficultas licet ſpecioſa videatur, nonniſi in maligno ſita eſt circuitu, ac ſenſu, qui appingitur terminis; & ex ſe ſtatim corruit, ubi animadvertatur, Eccleſiam procul abeſſe a voluntate efficiendi, ut Deus, & JESUS CHRISTUS in Sanctorum honorem ſubſerviat; ſed adorans Deum per Sacrificium honorat Sanctos, illos JESU CHRISTO conjungens, cum quo ipſi ſe offerunt Deo in Sacrificium. Enucleemus has Veritates.

De elevatione, & adoratione Hoſtiæ in Miſſæ Sacrificio.

Primum, liquet ab Eccleſia Sacrificium non offerri niſi uni Deo, quoniam in utraque oblatione, quæ ſeorſim fit Hoſtiæ, & Calicis, uni Deo dirigitur Hoſtia Immaculata, & Calix Salutis pro peccatorum expiatione. Liquet etiam, quidquid pertinet ad Sacrificium nequaquam ad Sanctos referri, & longiſſime a veritate abhorrere, quod Sanctis Sacrificia offerantur, cum Eccleſia ſemper profeſſa fuerit ſe dicere, quod dicit S. Auguſtinus: Sacrificamus Deo Martyrum, cum in Martyrum memoriam altaria ædificamus: etenim quis unquam Sacerdos dixit ad Altare: Offerimus tibi Petre, vel Paule, vel Cypriane; ſed quod offertur, offertur Deo, qui coronavit Martyres in locis deſtinatis ad eos honorandos, quos Deus coronavit. *Idem.*

Elevatio, & adoratio Euchariſtiæ non ſemper eodem modo peractæ fuerunt, quo in præſentiarum. Uſque ad initium ſæculi duodecimi ſatis erat Sacerdotibus elevare Sacrata dona, Calicem, & Hoſtiam, dicendo *Per ipſum &c.* vel ſolum ad verba illa: *Omnis honor, & gloria per omnia ſæcula ſæculorum*, quod hodie vocatur ſecunda, vel parva elevatio. Sed a primis Verbis Canonis uſque ad finem, Clerus omnis erat inclinatus adorans divinam Majeſtatem, & Incarnationem, cujus Myſterium Euchariſtiæ non eſt, niſi quædam extenſio. *Qui ſunt retro Sacerdotem, & qui in faciem illius ſunt*, inquit Amalarius, *ſe inclinant adorantes divinam Majeſtatem, & Incarnationem Salvatoris*, & in eodem Corporis habitu perſeverant per totum Canonem in finem uſque Dominicæ Orationis. Et ſane quomodo homines non adorarent Sacratum Corpus hoc, quod ab Angelis adoratur? Eccleſia ſemper præſcribit fidelibus hanc adorationem; quamvis non ſemper præſcripſerit quo corporis habitu eſſet facienda: adoratio enim eſſentialiter conſiſtit in intentione ſeſe ſubjiciendi illi, qui adoratur, tamquam ſupremo principio ſuo, & fini extremo; & circumſtantiæ, in quibus invenimur, innuere poſſunt hanc intentionem, vel interiorem diſpoſitionem, in quocumque corporis ſitu poſiti ſumus, ſtantes, ſedentes, genibus flexis, vel in terram proſtrati. Variæ corporum poſituræ per ſe ipſas nihil ſignificant, neque reverentiam ſignificant, niſi pro ut moribus, aut populorum conſuetudine determinantur. Hinc ſemper aliquod occurrit diſcrimen in hac re, & in tempore, quo efficienda eſt hæc adoratio inter eos, qui fidem eamdem profitebantur. *Idem.*

De Fragmentis Euchariſticis in Altaris Sacrificio.

Semper maxima cura habita fuit in Eccleſia, ne ulla Sanctæ Euchariſtiæ particula interiret, vel laberetur in terram. S. Cyrillus Jeroſolymitanus dicebat recens per baptiſmum regeneratis, magis metuendum eſſe, ne minimum intercidat Euchariſtici panis fragmentum, quam ne jactura fiat auri, aut lapillorum. Græci communi vocabulo Euchariſtiæ fragmenta dixere *Margaritas*. S. Chryſoſtomi Liturgia ait ſub finem Miſſæ *Sacerdotem, vel Diaconum attente, & devote omnia conſummare fragmenta, & operam dare ne ulla ſit reliqua particula, quæ dicitur Margarita*. Latini hæc colligunt fragmenta in Calice, ut eadem conſumment. *Liber, cui titulus: Cæremoniæ Miſſæ per Patrem le Brun, Oratorii Presbyterum.*

DE DEDICATIONE
ECCLESIARUM.
MONITUM.

QUI generatim ſermonem habiturus eſt de Templorum Dedicatione, conſulat Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ut diſcat originem, & progreſſum hujus Cæremoniæ, quæ eamdem cum Eccleſia jactat antiquitatem. Primum Templum in divinæ Majeſtatis honorem ædificatum a Salomone in lege veteri; & in nova illa, quæ extructa fuerunt a primis Chriſtianis Principibus Deo dedicata fuerunt; & mox conſecrata ſingulari ritu, & non communi Magnificentia, quæ quotannis inſtaurata fuit, ſin minus cum eodem apparatu, ſaltem cum peculiari feſtivitate, uti videre eſt in Scriptis Sanctorum Patrum, qui hujus argumenti Homilias conſcripſere.

Inter conſiderationes, ac illationes, quas Sancti Patres ex hac cæremonia elicuerunt, alii quidem latius diſſeruerunt de reverentia in Templis adhibenda propter hanc Dedicationem, quia ſunt Palatia, & locus divinæ Majeſtatis, ut videre eſt in collectaneis, quæ in hoc argumentum edidimus in Bibliotheca noſtra Tomo II. Titulo de Eccleſiis Materialibus. Alii operam dederunt, ut nobis exhiberent Majeſtatem, & multitudinem Auguſtorum Myſteriorum, quæ in hoc eodem loco celebrantur, qui videtur Deum conceſſiſſe omnia Miſericordiæ ſuæ beneficia erga homines. Verum quin de omnibus hiſce rebus loquamur, niſi quantum neceſſe eſt, & attinet ad argumentum, potiſſimum inhærebimus conſiderationi S. Bernardi, utpote quæ huic cæremoniæ accommodatior videtur.

Sanctus iſte putat hanc Dedicationis feſtivitatem non tantum fieri ad inſtaurandam memoriam Conſecrationis Templi alicujus, quam ad exprimendam ſenſibili ſigno conſecrationem animarum noſtrarum, primum factam per Baptiſmum. Multiplex, & æquiſſima relatio, quæ occurrit inter hanc Conſecrationem, per quam facti ſumus viventia Dei Templa, ut loquitur Sanctus Paulus, & cæremonias, quæ in Templorum Dedicationibus adhibentur: Unctiones, benedictiones, illuminationes, &c. Modus, quo Conſecratio iſta peragitur, ea ſunt, de quibus fuſius agemus, ut cum eodem Sancto Bernardo concludere valeamus, feſtum Dedicationis Eccleſiæ eſſe etiam feſtum dedicationis Animarum noſtrarum.

DE DEDICATIONE
ECCLESIARUM.

Antiquitas, & dignitas Templorum & Altarium.

NEmo unus ignorat Templa, & Altaria ſemper deſtinata fuiſſe Auguſtiſſimis Eccleſiæ cæremoniis, quia loca ſunt, ubi altiſſima Myſteria noſtra celebrantur, & Sanctiſſimæ Chriſtianæ Religionis actiones exercentur, cujuſmodi ſunt Sacramentorum adminiſtratio, communio Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, divini Verbi Prædicatio &c. Quemadmodum autem Legis antiquæ Tabernaculum, & Salomonis Templum deſtinata ad Arcam fœderis aſſervandam, & ad ſacrificandas Victimas Legis antiquæ, non aliud fuerunt, niſi umbra, & figura Altarium, atque Templorum, quæ in lege Nova deſervire debent jugi inſtaurationi Sacrificii cruenti Corporis Filii Dei: ita cæremoniæ, quas tanta ſedulitate præſcripſit Deus Moyſi pro conſecratione Tabernaculi, & Salomoni pro illa Templi, non aliud ſunt niſi umbra, & figura illarum, quas Eccleſia ſemper Spiritu Sancto afflata omni tempore obſervavit, & hodie etiam obſervat in Templorum noſtrorum, atque Altarium Conſecratione. Hinc fit his priores illas tantum Sanctitate, virtute, & ſignificatione ſuperari, quantum realitate, ac veritate ſuperantur umbræ, & figuræ, unde inferendum eſt illas efficere debere in Fidelium animis impreſſiones toto Cælo vividiores, & vehementiores, quam illæ facere debebant vel poterant in animis Iſraelitarum. Hoc autem ſatis ex hujus Tractatus decurſu innoteſcet.

Quid Templorum Conſecratio ſignificet, & repræſentet.

Templorum Conſecratio ſignificat, & repræſentat generatim Eccleſiæ Spiritualis Conſecrationem per JESUM CHRISTUM, qui primus eſt illius pontifex, & peculiarem Conſecrationem animarum noſtrarum, quæ omnes ſibi Sanctas illius cæremonias debent applicare. Significat etiam, & repræſentat Sanctitatem loci conſecrati, qui inde majorem indipiſcitur venerationem. Adſperſiones, quæ a magno fiunt in numero, donec cæremonia peragitur, naturalem habent finem Spiritualiter expiandi illa, ſuper quæ fiunt, & illinc abigendi dæmonem, & principem tenebrarum. Donec illæ fiunt extra Templum cogitare debemus per adſperſionem aquarum Salutarium baptiſmi, quibus abluti ſumus a labe originali, dæmonem ejectum fuiſſe de noſtris animabus, & incepiſſe noſtram Deo conſecrationem: Ceteræ vero nos monent, ut pœnitentiæ lacrymis eluamus peccata, quæ ſingulis diebus committimus. *Auctor recens.*

Eccleſiæ Sanctæ ſunt propter Sancta munera, quæ ibi exercentur.

Si ex Sancto Bernardo quæritis, quare Eccleſiæ ſint Sanctæ, reddet ille vobis, quia omnia ibi Sancta munera exercentur; nam, inquit ille, quomodo locus hic Sanctus non ſit, qui toties reſonat laudibus Domini? Locus hic, ubi populus Fidelis congregatur, ut reddat Creatori ſuo cultum, & obſequium, quod debet; atque ut omnia verbo complectar, hic locus, ubi Sanctus Sanctorum, Salvator, & Redemptor hominum interdiu, noctuque habitat, & quem multo magis conſecrat reali præſentia adorabilis Corporis ſui? Inde igitur proficiſci debet profunda reverentia, Sancta formido, qua percelli debent omnes, quibus ſupereſt aliquis Religionis ſenſus, cum in Templa noſtra ingreſſi, quomodo efficerentur ſi cum viva fide ingrederentur in antrum Bethlehemiticum, vel in Sanctum Sepulcrum, ubi hoc idem Corpus requievit; quippe Sancta hujuſmodi loca ſimul excitantia memoriam auguſtorum Myſteriorum, quæ ibi adimpleta fuerunt, illis inſpirarent ſenſus non vulgares pietatis. Hic igitur mente Fidelis in Templum venire debet, & ſibimet dicere: Locum Ingredior, ubi Deus præſens eſſe voluit, hic idem Deus, quem Angeli adorant in Cælo, & coram quo ſemet exinaniunt in hoc eodem loco: In eo ſum loco, ubi idem Sacrificium, quod oblatum fuit in Calvario pro ſalute mea quotidie inſtauratur, & eadem victima immolatur propter amorem mei; vere quidem alio modo, ſed non ideo minus Sancta, minuſve digna adorationibus meis. Hæc ara, coram qua ſum, locus eſt, ubi Sanguis Salvatoris mei, qui in Cruce effuſus eſt, manat adhuc quotidie, & cujus meritum applicatur mihi in ſis Sacramentis, quæ recipio. Denique eo in loco ſum, ubi idem Spiritus, qui alias deſcendit viſibiliter ſuper Apoſtolus, deſcendit hodie inviſibiliter ſuper fideles; ſed in hoc loco tot Myſteriis conſecrato, æque ſancto ut Calvarius eſt, æque digno noſtris obſequiis, quale fuit ſtabulum Bethlehem, & Cœnaculum, in quo congregati erant Apoſtoli, manere ſine attentione, ſine reverentia, ſine mentis collectione, ſine pietate; poſſum ne præ me ferre minorem fidem, devotionem, minoremque ſenſum Religionis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Judæi magna cum ſolemnitate celebrant Templi ſui dedicationem.

Apud Judæos nihil erat ſolemnius Templi Dedicatione. Populi undique affluentis conſpectus, admirabilis victimarum quæ immolabantur numerus, magnificarum cæremoniarum quæ ibi adhibebantur pompa, videbantur potius publicus Religionis triumphus, quam peculiaris Templi feſtivitas. Cum non poſſet Deus illis præſtare majora amoris ſui monumenta, quam apud illos habitare, poterant ne illi inſigniora ei grati animi ſui teſtimonia præſtare, quam feliciſſimæ illius diei memoriam perennare, quam illam uſque in poſteritatem tranſmittere per Solemnitatem, quæ quotannis inſtaurabatur omnium corda ſimul, & voces colligendo, ut præ gaudio, atque ſtupore clamarent: *Ergo ne credibile, quod habitet Deus cum hominibus ſuper terram.* Si tota Cælorum latitudo illum capere nequit; quanto minus illum capiet Templum, quod ipſi ædificavimus? Dubitari non poteſt, quominus Eccleſia juxta hoc exemplum in Chriſtiana Religione celebret Templorum dedicationem; quandoquidem in ea ſervat partem earumdem cæremoniarum, quæ in celebri illo Salomonis Templo ſervatæ fuerunt. Potiſſimum vero animadvertendum eſt, hanc Templorum noſtrorum dedicationem unam eſſe ex functionibus Epiſcopalibus, & quinque genus cæremoniarum complecti, quemadmodum Sanctus Bernardus animadvertit, ad quas redigitur quidquid in hac ſolemnitate fieri conſuevit: videlicet Aſperſionem, Inſcriptionem, Unctionem, Illuminationem, & Benedictionem. Hæ autem nequaquam fiunt ſeorſim, ſed promiſcue per intervalla. Non loquar fuſius de ordine, qui ibi ſervatur; neque de qualibet cæremonia ſingillatim: Conſulenda ſunt Ritualia, quæ ſingula proſequuntur; ſed verba tantum faciam de nonnullis, quæ ſunt potiſſimæ, ut illas applicem conſecrationi animarum noſtrarum, quæ totidem ſunt Templa viventis Dei, cui per Baptiſmum dedicatæ ſunt, & conſecratæ. Quod ſpectat ad ſingulas cæremonias, facile eſt illas Spiritualibus hiſce Templis applicare, & ſufficit dicere, & adnotare omnibus finem imponi cum benedictione, quæ confertur ab Epiſcopo, præter quam quod adhibita fuit in actibus omnibus, ubi fiunt Signa Crucis, & aquæ adſperſiones. Videtis ergo Sanctum Bernardum jure ad quinque præcipuas Cæremonias redigiſſe illas omnes, quæ in Templorum conſecratione fieri conſueverunt, Adſperſionem aquæ benedictæ; Inſcriptionem per ſigna Crucis, & per græcos, latinoſque characteres; Unctionem per aquam, vinum, cinereſque ſimul permixta, per oleum Cathecumenorum, & Sanctum Chriſma; Illuminationem per Purificationes, & luminaria, & Benedictionem, quæ extenditur ſuper res omnes, atque perſonas. *Ex Panegiricis Sanctorum Patris Duneau Tomo Primo.*

2. Paralip.

Cur tot fiant cæremoniæ in Dedicatione Eccleſiæ.

Sed quæſo cur tot adhibentur cæremoniæ ad conſecrandos lapides, atque parietes? *Numquid de lapidibus cura eſt Deo?* Scite S. Bernardus interrogat, opportune applicans lapidibus, quod de bobus inquit Apoſtolus? *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Significare volens præceptum illud Legis antiquæ: *non alligabis os bovi triturantì*, nequaquam irrogatum fuiſſe in bovum gratiam, ſed hominum, qui jus habent vivendi ex laboribus eorum. Similiter non in gratiam lapidum, & parietum ſanctificantur, & conſecrantur, ſed pro nobis, qui ſanctificati, & conſecrati ſumus in Baptiſmo, ut identidem admoneamur, quid ſumus, & obligationis, qua tenemur ſæpe inſtaurate memoriam noſtræ conſecrationis. Hæc celebritas dedicationis noſtræ eſt, *Noſtra ſiquidem illa aſperſio, noſtra illa benedictio, noſtra illa conſecratio fuit.* Vultis ne videre quomodo? Attenti eſtote explicationi, quam inſtituti ſumus de cæremoniis, quæ adhibentur in Eccleſiarum conſecratione, & mementote, nos cum Sancto Bernardo ad quinque redegiſſe illas; Adſperſionem, Inſcriptionem, Unctionem, Illuminationem, Benedictionem. *Idem Ibidem.*

Externæ unctiones, quæ fiunt in Eccleſiæ dedicatione, exterius nobis repræſentant quiſnam ſit character Baptiſmi in perſona illum recipientis.

Exteriores omnes unctiones, quæ fiunt in Templorum dedicatione pertinent ad ſenſibilem inſcriptionem; ſed præcipua fit inviſibiliter, ac intrinſecus per impreſſionem characteris indelebilis in anima baptizati, per quam quodammodo recenſetur in Chriſtiana militia, & adſcribitur in numero militum JESU CHRISTI, quin unquam ab illius cultu valeat diſpenſari. Quemadmodum enim Eccleſia, quæ in Dei honorem conſecrata fuit in uſus profanos converti citra ſacrilegium non poteſt: ita poſtquam ſignati fuimus in corpore noſtro ſigno ſalutis, & in noſtris animabus divina qualitate, quam characterem vocamus, non licet nobis ultra ſine Templi profanatione vacare iis muneribus, quæ Dei ſervitio adverſantur. *Ex Panegirico Sanctorum Patris Duneau.*

Conſiderationes de unctionibus quæ fiunt in Eccleſiæ dedicatione.

Unctiones, quæ fiunt pro Eccleſiæ dedicatione indigitant Regnum, quod per Baptiſmum acquirimus; de quo mihi operæ pretium videtur aliqua conſideratio-

rationes proponere. Antiquitus Eccleſiæ a Græcis Baſilicæ, hoc eſt Regiæ, vel Regum Domus vocabantur. Quod nomen Latini adoptarunt, tunc vero præſertim, cum ſermo eſt de celebrioribus Templis, cujus generis ſunt Patriarchalia, Metropolitana, Cathedralia. Ita dicimus, *Baſilicam Salvatoris*, *Baſilicam Sanctæ Mariæ*, *Baſilicam Sancti Petri*. Hoc nomen illis triplici ex cauſſa tribuitur; quarum prima eſt, quia ſunt Domus Regis Regum. Igitur eo modo quo Ædes Regias dicimus eas, ubi ſedem habet Rex, ita Baſilicæ vocabantur Templa Regi Cælorum dedicata, & conſecrata. Ratio altera hujus appellationis eſt, Eccleſias olim vulgo ædificari conſuevìſſe per Regum, & Imperatorum magnificentiam magno cum ſumpto, qui regius dicebatur, videlicet ſplendidus, ac ſumptuoſus. Ratio tertia eſt, quia Templa in conſecratione ſua inunguntur eo modo, quo Reges ſunt Uncti Domini; & propter hanc unctionem, quæ Eccleſiis, & Regibus communis eſt, Baſilicæ appellantur. *Idem.*

Solemnitas dedicationum Eccleſiæ oſtendit, nos ipſos eſſe viventia Dei Templa ex Apoſtoli ſententia.

a Cor. 6. Ibid.

Liquet nos a Deo conſecratos fuiſſe per Baptiſmum, ut eſſemus Templa ejus, & Apoſtolus jure ſuo dixit: *Neſcitis, quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Templa materialia Dei, ſancta ſunt: *Templum Dei Sanctum eſt*; ſed eorum Sanctitas ad noſtram, noſtra vero refertur ad Deum. Unde ſequitur ſolemnitatem dedicationum, non tantum Eccleſiarum eſſe, ſed noſtrum? *Noſtra eſt, quia de Eccleſia noſtra; magis autem noſtra, quia de nobis ipſis.* Mirabimini fortaſſe, & erubeſcetis audientes veſtram celebrari feſtivitatem, quaſi jam eſſetis per Apotheoſim in Sanctorum album redacti; ſed non puto vobis adeo modicum eſſe ingenium, ut cogitetis a nobis celebrari feſtum diem lapidum, atque parietum, qui non habent Sanctitatem niſi quatenus ad nos referuntur. *Veſtra eſt igitur, veſtra eſt hodierna feſtivitas: vos dedicati eſtis Domino, vos elegit, & aſſumpſit in proprios.* Cum Apoſtoli, Martyris, Confeſſoris, Virginis feſtivitas celebratur, dicimus, hic eſt feſtus dies Petri, Stephani, Auguſtini, Catherinæ. Sunt dies feſti Domini noſtri, ſunt Dominæ noſtræ. Hodie vero non eſt feſtus dies Sancti alicujus, qui ſit in Cælo, neque alicujus Myſterii Domini, vel Dominæ noſtræ; & nihilo ſecius magnam recolimus feſtivitatem. Cujus hæc Sancti eſt, vel cujus Sanctæ? *Panegyricus Sanctorum Patrum Duneau. Tomo I.*

Templorum dedicatio vere nobis repræſentat dedicationē animarum.

Apocal. 21. 2. Corinth.

Sanctus Joannes dicit in Apocalypſi: *Vidi Sanctam Civitatem novam deſcendentem de Cælo a Deo, paratam ſicut Sponſam ornatam viro ſuo.* Si de Cælo deſcendit; eſt igitur in terra. Sed in terra non alia Sancta Civitas eſt, JESU CHRISTI Sponſa, niſi animæ Sanctæ redemptæ, & ſanctificatæ per Sanguinem ejus; de illis enim Sanctus Paulus locutus eſt: *Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere CHRISTO.* Igitur harum Sanctarum animarum hodie celebramus dedicationem. Cum Sanctus Bernardus auditoribus ſuis hanc prædicaſſet ſententiam, quæ ſolidiſſima eſt, & optimis innixa rationibus, non autem ſimilis minutis quibuſdam conceptibus, qui nonnunquam de ſuggeſtu venditantur, & qui nonniſi ab indoctis, & illiteratis laudantur; Vereor, ait ille, ne aliquis in hac concione inveniatur, qui vel intumeſcat eo quod ſua celebretur feſtivitas, vel per quamdam ſpiritus puſillitatem id credere nolit; quorum utrumque fugiendum eſt. Deus impertit humilibus gratiam ſuam; igitur fugienda eſt vanitas; ſine fide placere Deo impoſſibile eſt: incredulitas ergo fugienda. Itaque cupio, Sanctus idem ſequitur, ut magnam foveatis veſtrum metipſorum æſtimationem, cogitantes vos eſſe Templa Dei, & nihilominus habeatis perexiguam, cognoſcentes indignitatem veſtram, veſtraſque infirmitates. Si quid magnum eſtis, hoc per gratiam Dei eſtis, & cum Apoſtolo dicere debetis: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Quod autem in vobis eſt modici, vel nihili, hoc ex vobis eſt, qui nihil habetis, quod mere ſit veſtrum, niſi peccatum. *Ex Panegyrico Patris Duneau. Tomo I.*

Quid ſimus ex nobis, & quid Deus nobis voluit conferre.

Ipſi nihil ſumus; quia ſumus peccatores, ignari, infirmi, noſtris obnoxii cupiditatibus, & in malum proni. Ipſi aliquid magnum ſumus, quia placuit Deo nos magnos facere, dignatus noſmet ſua benevolentia, & eligens nos, ut ſimus templa viventia, in quibus inhabitet: *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* dicebat Job. Dicens *quid eſt homo*, innuit illum parvum aliquid eſſe. Et ſane comparat illum floſculo, qui pedibus calcatur, & folio, quod vento rapitur. Fatetur tamen a Deo magnificatum fuiſſe, & ab illo cor ſuum in ipſo fuiſſe repoſitum. Si Deus poſuit in homine cor ſuum, dicendum eſt Dei theſaurum illic eſſe: *Ubi eſt enim theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Nunquid nihil eſt eſſe theſaurum Dei, theſaurum Sacrum, quod eſt illi pro templo? Neſcitis, quia templum Dei eſtis vos; *& Spiritus Dei habitat in vobis.* Cogitatio hæc magnam adfert conſolationem. Nos ſumus theſaurus Dei; ſumus Templum Dei, ubi inhabitare dignatur. *Idem.*

Job. 7.

Matth. 6.

2 Cor. 6.

Unum eſt, quod nobis terrorem poteſt incutere: *Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Conſecrati fuimus Deo in Baptiſmo: ſervavimus ne ſartam tectam hanc conſecrationem? Id ſi fecimus, o nos beatos! Sin autem, trepidandum eſt ad terribilia hæc verba: *Si quis Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Quis autem audebit aſſerere, ſe illud nequaquam violaſſe? Templa, & Eccleſiæ multifariam violantur, & Doctores hoc triplici modo fieri poſſe docent. Modus primus eſt ibi quædam facere, poſt quæ non licet amplius Sacris operari, vel divinum peragere officium, niſi iterum benedicantur; puta, ſi ibi tumulatus fuiſſet infidelis, vel excommunicatus; ſi quis occiſus ibi fuiſſet, aut ſauciatus cum Sanguinis effuſione, ſi ibi aliquis notabilis actus impudicitiæ patratus fuiſſet. Omnibus in hujuſmodi caſibus vetitum eſt per Sanctos Canones ibi celebrare, vel Sacrum aliquod Eccleſiaſticum obire munus, niſi benedictio inſtauretur. Secundo loco ſacrilegium eſt uti Eccleſia tamquam profano loco; quale eſt, ibi jus dicere ſecundum formas, quem Juriſconſulti *ſtrepitum forenſem* appellant. Ita vendere ibi, & emere, ut in nundinis fit; illuc oves cogere, & ſupellectilem, extra urgentem neceſſitatem reponere; ludos, atque inhoneſta repræſentare ſpectacula. Tamen id ſacrilegiorum genus, non cogit, ut prima illa, Eccleſiam reconciliari. Tertio loco ſacrilegium eſt Eccleſiaſticam violare immunitatem, quale eſt vi ſacta ex templis extrahere eos, qui confugerunt illuc ob aliquod delictum, exceptis illis, quæ in jure excipiuntur. Addi poſſet quartum ſacrilegiorum genus ceterorum teterrimum, cujuſmodi eſt demoliri Templa, confringere imagines, Aras evertere, & alias committere impietates contra res Sacras, cujus generis non deſunt nobis funeſtiſſima exempla in hiſtoria Calviniſmi. *Ex Panegyrico Sanctorum Patris Duneau Tomo primo.*

Quandoquidem facti ſumus Dei Templa per Baptiſmum cavendum eſt, ne per peccatum violemus hoc Templum.

1. Cor. 3.

Teſte Apoſtolo conſtat, Deum perditurum eſſe eum, qui violaverit Templum ſuum. Nos ſumus Templa Dei, igitur nobis timendum eſt, ne in nos ruant hæ comminationes. Templa violantur, ubi ſuam amittunt Sanctitatem: *Templum enim Dei Sanctum eſt.* Quodvis mortale peccatum nos privat Dei gratia, ſine qua Sanctitas nulla eſt. Igitur quicumque committit mortale peccatum, polluit, & violat in ſe Templum Dei: *Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Argumentum concludit, neque ullam reſponſionem admittit. Sed ſtatim ac Eccleſiæ carent uſibus ſuis per Altarium everſionem, per humani ſanguinis effuſionem, & per impudicitiam, illico tria ſunt peccatorum genera, quæ Sanctitati opponuntur, & per quæ Dei templum violatur; impietas, homicidium, & impudicitia. Impietatis nomine complector omnia peccata, quæ directe adverſantur Deo non ſecus ac blaſphemia, atheiſmus, Sacrorum contemptus; ſub homicidii nomine intelligo odium proximi: *quia qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, dicit dilectus diſcipulus: & ſub nomine impudicitiæ continentur omnia peccata; *per quæ quis peccat in corpus ſuum*, ut cum Apoſtolo loquar. Hæc tria profanationum genera peccatorem magis imparem faciunt divinis muneribus obeundis, quam reliqua, & de his criminibus potiſſimum intelligenda ſunt verba illa: *Si quis Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Tamen, ne qui ſentiunt conſcientiam ſuam oneratam crimine, eo quod in ſe violaverint templum Dei ſui, deſperent de ſalute ſua, quaſi Deus illos perdere vellet; ſciant ſubintelligendam eſſe tacitam conditionem, niſi per pœnitentiam expiaverint violationem ſuam. Eccleſiæ quæ pollutæ fuerunt, iterum nequeunt conſecrari, ſed reconciliantur, & per hanc reconciliationem, quæ fit per adſperſionem aquæ benedictæ, & aliquot ſigna Crucis in priſtinos uſus reſtituuntur; ita qui animam ſuam polluerunt, & Dei Templum violaverunt, iterum baptizari non poſſunt; ſed poſſunt reconciliari in Pœnitentiæ Sacramento per benedictionem Sacerdotis, quæ eſt abſolutio, per aquas lacrymarum, quæ comitantur Confeſſionem, & per opera ſatisfactoria, quæ per ſigna Crucis repræſentantur. *Idem.*

Cum ſimus Templa Dei cavendum eſt, ne violemus hæc Templa, quia perdet Deus, qui violaverit Templum ſuū.

1. Joann.

In templis iterum benedicendis, & reconciliandis non adhibetur unctio, neque illuminatio, ut intelligamus æquum non eſſe, ut Pœnitentes leniter, & blande excipiantur. Non dico illos non eſſe recipiendos cum ſpiritu manſuetudinis; & non laudo Confeſſarios, qui pleni ſunt exprobrationibus, minis, injuriis, fulmineiſque verbis in miſeros pœnitentes. Neque illis blandiri opus eſt, neque diſſimulare ſcelerum enormitatem, ſed vehementer illos hortari, ut juſtam agant pœnitentiam, & cognoſcant neceſſitatem, quam habent mutandi vitæ rationem. Conſolationes interiores, quæ ſunt animarum Sanctarum deliciæ per unctionem ſignificatæ, non ſtatim illis concedendæ ſunt, nec lumina, quæ Deus perfectioribus duntaxat communicat. Dicere debent cum David:

Cur non adhibeatur unctio, & illuminatio cum iterum benedicuntur Eccleſiæ aliquo ſcelere pollutæ.

Pſalm. 50.

vid: *Aſperges me Domine Hyſſopo, & mundabor.* Hyſopus amara eſt, & vim habet abſtergendi. Peccata cum amaritudine ploranda ſunt, & lacrymis eluenda. Noſmet Signo crucis notare debemus, hoc eſt, deferre in corpore noſtro JESU CHRISTI mortificationem. Non hac arte reconciliabimur, ac reſtituemur in primam dignitatem Templorum Domini, eorumdem honorum, ac olim participes. *Panegyricus Sanctorum. Patris Duneau. Tomo primo.*

Quinam erant ſenſus Prophetæ David quem pudebat in magnificis ædibus habitare, & non ædificaſſe Templum longe magnificentius Deo viventi.

Regius Propheta dicebat olim; me pudet ſuperbas Ædes incolere, & nondum Domino meo domum ædificaſſe. Hoc quidem extruere cupiebat; ſed Deus acquievit bonæ illius voluntati, ejuſdem Filio executionem reſervans. O anima Chriſtiana i habitas in corpore formoſo, quod tibi inſtar eſt ſpecioſi palatii, quod Deus ipſe tibi propriis manibus ædificavit. Nonne æquum eſt, ut aſſumens ſenſus David, Deo habitaculum præſtes? Hanc invenies in te ipſo ſine difficultate. Cædendæ non ſunt ex Libano cedri, non colligendum eſt aurum, & argentum, atque alia metalla, neque adhibendus eſt numerus ingens Architectorum, opificum, lapicidarum, & fabrorum: *Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Tibi bonum tantummodo verbum dicendum eſt, & ſufficit. Tu ipſe, & architectus eris, & domus; tu opifex, & opus. Quodnam autem hoc verbum eſt? Opus eſt, ut æque in corde ſit, ac in ore: *Prope eſt verbum in ore tuo: & in corde tuo.* Verbum hoc non aliud eſt, quam dicere Deo: amo te. Ubi illud protuleris, ſtatim eris templum Sanctiſſimæ Trinitatis. Neque aliam volo probationem, quam hæc Salvatoris Verba, quæ ſatis ponderare, repetere, meditari non poſſumus, adeo plena ſunt ſuavitate, & conſolatione. *Si quis diligit me, Pater meus*

Joann. 14.

diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Si Pater, & Filius veniunt, & manſionem ſuam in amante conſtituunt; non deerit Spiritus Sanctus, quominus in eumdem veniat, ibique cum Patre, Filioque permaneat. O amor, quam potens es? Quandoquidem trahis ad te Omnipotentem, & efficis, ut in illo per beatam æternitatem maneamus. *Idem.*

Quinam eſſe debeant ſenſus gaudii, & gratitudinis, cum ingredimur in Templum poſt illius conſecrationem.

Si Rex David adeo libenter, ac tanta cum voluptate permanebat in Monte Sion, ubi quieſcebat Fœderis arca, quæ nonniſi figura erat Tabernaculorum noſtrorum, in quibus Sanctus Sanctorum perſonaliter reſidet, quinam eſſe debent ſenſus cordium noſtrorum, ubi ingredimur in Eccleſias divinæ Majeſtati dicatas, & ſacras? Profecto nunquam in illis pedes inferre deberemus niſi ſumma affecti lætitia, cogitantes Deum nobis honorem largiri permittendo, ut in domum ſuam ingrediamur. Sed ſi ullus in anno dies eſt, quo hæc gratia recipienda ſit cum omni gratiarum actione, & ſancte lætandum ſit; hic ille ſane eſt, quo dedicatio celebratur, quæ cum ſemel facta fuerit, quotannis inſtauratur per Sanctam Inſtitutionem ob duas præcipuas rationes: quarum prima eſt, ut omnes admoneamur, Deum orari velle in Templis materialibus, ubi ſibi offertur Sanctiſſimum adorabilis Euchariſtiæ Sacramentum; altera vero, ut meminerimus eſſe nos Dei Templa illi per baptiſmum conſecrata. *Panegyricus Sanctorum Patris Duneau. Tomo primo.*

Templa poſt eorum conſecrationē aptiſſima ſunt, ut Deo ibi cum præſtemus cultum eidem debitum.

Certum eſt Templa præ aliis quibuſcumque locis aptiſſima eſſe ad ciendam attentionem, pietatem, & reverentiam noſtram, cum qua nobis orandum eſt poſt illorum conſecrationem: cum enim non alium habeant uſum, niſi qui ad Dei cultum, atque honorem pertinet, videamus iiſdem parietibus, Altaribus, potiſſimum vero ea re, quæ in Tabernaculis noſtris aſſervatur, videlicet adorabili Euchariſtiæ Sacramento admoneri, ut modeſti ſimus, in omne obſequium compoſiti, & precibus noſtris intenti. Quid ibi eſt, quod non ſit magnum, quod non ſit admirabile? Ibi ſunt omnes divitiæ noſtræ, ibi omnia ſpes noſtra. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Si homines vellent reddere Deo cultum ſuum pro ſupremæ Majeſtatis ejuſdem dignitate, vel beneficiorum, quæ ex prorſus divina liberalitate ejus recipiunt, opus eſſet, Auditores, ut omnes Urbium domus, & agrorum, immo etiam omnes terrarum loci in tot Templa converterentur; & ut omnes homines tot eſſent Sacerdotes, & creaturæ omnes tot victimæ, & omnia vitæ noſtræ momenta in offerendis eidem Sacrificiis impenderentur. Sed cum hic Univerſorum Dominus dignatus fuerit noſtræ indulgere infirmitati, & modulo noſtro ſeſe accommodare, ſibi quoſdam duntaxat locos reſervavit magis peculiariter miniſterio huic dicatos, locos, quos palam ſua replet præſentia, & ubi coli vult majori cum obſequio a populorum pietate. Loci autem, quos ita delegit, Templa ſunt, illi ſolemniter dicata per publicas Cæremonias, quas dedicationem, & Conſecrationem vocamus; quod nos cogit, ut illos habeamus tamquam locos deſtinatos cultui divinæ hujus Majeſtatis, locos Sanctos, & conſecratos, ut ibi inhabitet: unde ſequitur, eos, qui illuc ingrediuntur, & illos frequentant, debere concipere ſenſum timoris, atque reverentiæ erga illum, qui ibi præſens eſt modo prorſus ſingulari: ſed altera ex parte pleni eſſe debent vera confidentia eorum participes efficiendi beneficiorum, quæ illic ſuper omnes effundit, qui cum pietatis, & Religionis ſpiritu illuc accedunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quo cultu celebranda ſit Templorum dedicatio.

Videtis, auditores, mihi non aliam eſſe mentem, quam oculis veſtris ſubjiciendi rationem propter quam hodierna die omnes convenimus; videlicet celebraturi peculiari cæremonia Templi hujus dedicationem, quæ locum hunc Sanctum efficit faciens illum Templum, & Domum Dei: terribilem quidem illis, qui per Immodeſtias, ac impietates ſuas illum polluunt, ſed iis deſiderabilem, qui ex vera Religionis cauſſa huc accedunt. Mihi videtur ergo hodierna die illud ipſum contingere quod olim Sancto Paulo, qui cum Athenis ingreſſus eſſet in Templum aliquod invenit ibi Aram poſitam *ignoto Deo*, ex qua

Actor. 17.

occaſionem arripuit docendi eos, quinam hic eſſet Deus, quem ignorantes credebant. Hoc mihi accidit hodie; Non equidem video in Templi hujus fronte, neque in Altarium faſtigio inſcriptum *ignoto Deo*, ſed ex modica reverentia, devotione, pietate, quam hic plurimi præſeferunt, intelligo Deum, quem adorant, ab illis nequaquam cognoſci: ſi enim animum paulliſper adverterent, hunc Deum eſſe Majeſtatis gloriæ ſuæ zelotypum, & honoris, qui ſibi debetur; terribilem in pœnis, quas ſumit de impietatibus, quæ coram ipſo committuntur, & in ipſa domo ſua; intelligerent locum illum eſſe terribilem, & illud prodeundum non eſſe niſi cum cordis trepidatione, ſilentio, reverentia, ac verecundia, timerent Sanctum hunc locum polluere Sanctificatum tot Myſteriis, quæ ibi celebrantur, quæ res illos compelleret aſſumere ſenſus conformes magnitudini illius, qui ibi honoratur. Igitur illos etiam atque etiam hortor, ut cogitent, & melius agnoſcant, quinam ſit Dominus hujus domi, & Dominus Templi hujus: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quam læſum putet Deus modicam curam quæ habetur de Templis, quæ negliguntur, quam privatarum ædes ſervantur.

Dubitare non poſſumus quo minus ſe læſum putet Deus modica ea cura, quæ nobis eſt de Ædium ſuarum nitore, atque munditie. Non loquimur de urbanis Templis, neque enim magnæ nobis ſuppetunt cauſſæ conquerendi; ſed profecto omnem ſenſum abjeciſſe oporteret, ne moveret nos campeſtrium templorum turpitudo, & immunditia. Ingrediamur in Templa, ingrediamur in oppida, ingrediamur in privatas domos; & ſi aliquis nobis ſupererit pietatis ſenſus, nonne merito lugentes dicere poterimus, Regem Regum pejus habitare, quam plurimos ex minimis ſubditis? Principis palatium, domus hominis, nulla nobilitate præditi, tabulis pictis, auroque oblinitis locupletata videtur; oculus nullo poteſt in loco conquieſcere, ubi non aliquid pretioſum tueatur. Templum ingredimini, atros ibi videbitis parietes, ſemeſos, ſine laqueato lacunari, ſine aliis ſulæis quam aranearum telis. Aras vero deſcribere non audeo; nonnuiſi perhorreſcens ſpiritus meus eas ſibi fingere poſſet, qui quidem horror quantumvis extremus, non ceſſat tamen meritis eſſe minorem. *Pater Heliodorus e Capucinorum familia.*

Deus in Templorum noſtrorum conſecratione id facit, quod olim in celebri Salomonici Templi dedicatione.

Quod olim fecit Deus in dedicatione celeberrimi Templi Jeroſolymitani, id hodierna quoque die facit in Templorum noſtrorum conſecratione, illuc deſcendit eadem cum Majeſtate, quam habet in Throno gloriæ ſuæ; illuc venit, & ibi ſe præſentem conſtituit non ſolum inviſibiliter per effecta ſua, ſed etiam realiter, & in perſona ſua per Sacrificium, quod ibi offertur Corporis divini, per gratias, quas ibi communicat, & per ineffabilia miracula, quæ ibi operatur: Hunc cum ſemel divino cultui illa conſecraverit, quotannis memoria recolitur ſolemni feſtivitate, quæ dedicatio appellatur; & hæc ea eſt cæremonia, quæ nos in hunc locum coegit, tamquam recens profeſſuros Deo obſequia, quæ propoſuit, cum Templum hoc primum ſibi elegit in Domum: Ita ut conſecratio, & exterior Templi Sanctitas non aliud ſit, niſi quædam veluti repræſentatio, & Figura Templi alterius, ubi manet adhuc libentius per præſentiam magis intimam, ac nobis quodammodo utiliorem, quale eſt illud animarum noſtrarum, quas ſibi conſecravit, & delegit inhabitandas per interiorem Sanctitatem, propter quam a Sancto Paulo Dei Templum vocantur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Templorum dedicatio extrahit illa ex uſu communi aliorum locorum.

Primum illud, in quo ſita eſt conſecratio Templorum, & dedicatio eorum, quæ tanta fit cum apparatus magnificentia, eſt illa ex communi uſu extrahere, ita ut actiones, quæ alibi ubicumque licere poſſent, noxiæ evaderent, ſi hoc in loco peragerentur, qui per hanc conſecrationem ſanctificatus eſt. In hoc ſita eſt reverentia, quam Templis debemus, in quæ

pedem

Digitized by Google

pedem non debemus inferre, quin radius divinæ Majeſtatis, qua implentur, ſenſibilem efficiat impreſſionem timoris, & venerationis; & ſi quis nobis ineſt zelus Domus Dei, gemere debemus non ſolum propter impietates, quæ ibi patrantur, verum etiam propter eas, quæ cum neutræ ſint, non amplius ſunt tales, ex quo fiunt coram aris, & iis in locis, ubi nobis perſuaſum eſt, illic Deum eſſe præſentem. Hoc excivit zelum Salvatoris, qui ſancta actus indignatione cum probro ejecit de Templo ementes, atque vendentes, & ſubvertens eorum tabulas, & nummos dixit illis: *auferte iſta hinc*. Auferte iſta profana e loco, qui Sacer eſt Patri meo, & nolite Domum orationis in negotiationis domum convertere. *Idem*.

Joann. 2.

De Filius ejiciens vendentes de Templo docet, quæ debeatur reverentia Templis illi conſecratis.

Hic Homo-Deus qui adeo zelotes erat honoris Patris ſui per hanc actionem æque, ac per verba hæc erudire nos voluit, ſicut prima, & maxima eſſentialis perfectionum Dei Sanctitas eſt; ita Templis, quæ ſunt domus, & manſio ejus, ineſſe Sanctitatem conſecrationis, per quam ita pertinent ad cultum Dei, ut in alio quopiam uſu non ſint adhibenda; quia ſicuti Dominus Sanctus eſt, Domus quoque Sancta eſſe debet, videlicet unice facta, ut ibi honorificetur Deus Sanctitatis, eique debitus honor tribuatur. At enim inquies, quid huic ædificio, quod eſt opus manuum hominum, eſt peculiare, quo ſecernatur ab aliis? Nonne ex lapidibus, ligniſque compactum eſt? Quod illic ſumptuoſum, & magnificum eſt nonne ſumptuoſius, & magnificentius invenitur in ædibus Regum? Numquid ornatius eſt domibus plurium privatorum? Si hominum voluntas deſtinavit illud uſibus nobilioribus, ſanctioribuſque, voluntas aliorum hominum nonne hunc uſum poteſt mutare? Verbo: Sanctitas adhærere ne poteſt loco, & exteriori huic formæ, quæ oculos noſtros perſtringit? Heu! quam male arguitur! Sanctus Bernardus ait. Nulla enim fuit unquam Religio, quæ non habuerit Templa, & deſtinatos locos, ut ibi numini, quod adorabatur, debitus cultus tribueretur, & qui non conſecrarentur per cæremonias conformes ſenſibus eorum, qui illic adoratum congregabantur. Sed in Chriſtiana religione hic Sanctus addit, cur non vocemus Sanctos hos lapides, & parietes, quos Caritas, & Religio extruxerunt; quos Pontificum manus conſecrarunt cum publicis adeoque ſolemnibus cæremoniis, & quo pietas ſæpe cogit Fideles, ut iis, quæ vero Deo debentur, muneribus perfungantur? Illorum inſtitutio, Dei ipſius conſilium, electio, & acceptatio, officia quæ ibi exercentur, beneficia, quæ recipimus; auguſta Myſteria, quæ ibi celebrantur, nonne ſatis palam hanc diſtinctionem oſtendunt, & efficere non debent, ut reſpiciamus hæc Templa tamquam Sancta, tamquam domum Dei, tamquam locum, quem ipſe ſibi delegit habitandum, ut ipſa

1 Paral. 29. loquitur Scriptura? *Neque enim hominis præparatur habitatio, ſed Deo*, *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Nonniſi in utilitatem noſtri Templi dedicatio peragitur.

Quantumlibet ſancta ſint hæc Templa propter tot cæremonias, atque Myſteria, tamen ſancta ſunt per exteriorem Sanctitatem, quæ illis non prodeſt: Etenim tandem non ſunt niſi lapides ſenſu carentes; ſed nobis hæc prodeſt, ut ibi decentius divinæ Majeſtati noſtra perſolvamus obſequia, & certius eas aſſequamur gratias illis inhærentes. Illud vero quod nobis dicendum eſt ex hac exteriori Conſecratione, quæ adhibetur, hoc eſt, illam figuram eſſe alterius interioris, quæ in nobiſmet ipſis peragitur; namque, ut dictum fuit cum Apoſtolo, nos Templa Dei ſu-

1 Cor. 3. mus: *Templum Dei Sanctum quod eſtis vos*. Et cum hæc Templa animata ſint, & realis Sanctitatis capacia, debent ſeſe digna præbere, quæ recipiant illum, qui eadem Sanctitas eſt; quia ibi habitare non poteſt, niſi ſanctificentur per gratiam, quæ nos Sanctos efficiat, adnectentes hunc eumdem Deum animabus noſtris ita arcte, & intime, & per unionem ita admirabilem, ut ſi, per adinaton, non eſſet ubique, neceſſario in anima Juſti reperiretur. Poſita igitur hac veritate, tamquam in dubium non revocanda, dico cum eodem Sancto Bernardo, a nobis vere diem feſtum noſtrum celebrari in Templorum noſtrorum de-

Sermone de dedicatione. dicatione: *Veſtra eſt, fratres, veſtra, & hodierna feſtivitas*; nam, Sanctus hic ait, quod viſibiliter fit in lapidibus templorum noſtrorum, in nobis inviſibili ratione peragitur. Deus enim eligens animam noſtram ſibi in habitaculum neceſſario effectu ſeparat illam ab omni uſu profano per eaſdem cæremonias, quæ in Templorum Conſecratione adhibentur, & quæ ſunt potiſſimum Adſperſio, Inſcriptio, Unctio, Illuminatio, & Benedictio. Hæc ea ſunt, quæ conſtituunt exteriorem materialis hujus loci Sanctitatem; verum hæc ipſa interiorem operantur Sanctitatem animarum noſtrarum, quæ totidem ſunt Templa divinæ Majeſtati dicata. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Templum domus Dei eſt, idque triplici ex cauſſa.

Eccleſia hæc, cujus dedicationem colimus, eſt domus Dei, & Templum gloriæ ipſius, idque triplici ex cauſſa. Primo, per peculiarem electionem a Deo in id factam. Secundo, per ſingulares, & eximias operationes divinæ potentiæ, & bonitatis. Tertio, per adorabilem JESU CHRISTI præſentiam in Myſteriorum omnium auguſtiſſimo. Primum enim quamvis Deus ſit Rex omnium Sæculorum, ac tempora omnia in illius honorem conſecranda ſint, videmus tamen in Scripturis ab ipſis mundi primordiis ipſum ſibi ſeptimum delegiſſe diem, jubens omnes ab operibus ſervilibus abſtinere, & ſeptimam diem impendi tribuendo illi ſigna grati animi propter beneficia collata per preces, & Sacrificia; & apud Chriſtianos, quamvis dies omnes ſint pro Deo impendendi, unus tamen per antonomoſiam vocatur *dies Domini*. Ita quamvis per immenſitatem ſuam Deus repleat omnia loca, nihilominus aliqua ſibi delegit, jubens Templa ſibi ædificari, ubi ſe adeſſe velle profitetur ad excipienda obſequia, preceſque noſtras audiendas. Secundo loco ſignum eſt præſentiæ cauſſæ ad actionem, & effectum; ita ut quo nobilius agit in loco, eo verius dicatur, eſſe præſens in eo loco. Ita dicimus hominis intellectum, qui realiter ab animæ Subſtantia diſtinctus non eſt in capite magis, quam in oculis eſſe, quatenus exercet operationes præſtantiores, & magis naturæ ſuæ præſtantiæ congruentes. Secundum hanc loquendi rationem David in Pſalmis dicit, Deum duas ingentes habere domos, ubi peculiariter ſuam præſentiam conſtituit, & ſolium ſuum firmavit. Prima Cælum eſt; Altera Templum. *Domi-* Pſalm. 10

nus in Templo ſancto ſuo: Dominus in Cælo ſedes ejus. Cauſſa vero eſt, addit David; quia Deus in Cælo præſens eſt per effuſionem, ac manifeſtationem gloriæ ſuæ, & eſt in Templo per uberrimam gratiæ ſuæ communicationem. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. *Pater Texier in Dominicali, Tomo ſecundo*.

Tertio loco, ſi Deus olim præſens erat in Templo per Arcam fœderis, per Tabernaculum ſuum, aliaque viſibilia bonitatis ſuæ teſtimonia, quæ revera nonniſi umbræ erant, & figuræ, jure aſſerere poſſumus Templa novæ legis poſt conſecrationem ſine figura, atque metaphora eſſe habitaculum, & auguſtam manſionem Magnitudinis Dei noſtri, quoniam continent inter ſepta ſua ſub ſpeciebus Adorabilis Sacramenti veram, realemque JESU CHRISTI Perſonam. Super Altaribus noſtris JESUS CHRISTUS adimplet ad litteram promiſſionem, quam fecit, ſe nobiſcum futurum uſque ad ſæculorum conſummationem: *Ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi*. Math. 28.

Ejuſdem Argumenti.

Ibi autem eſt potiſſimum, ut duas functiones exerceat, Regis videlicet, & Sacerdotis. Regis quidem, ut recipiat cultus noſtros, & obſequia, & ut ſupplicibus libellis ſubſcribat; Sacerdotis autem, ut noſtras expiet noxas, reddatque nobis propitium Patrem ſuum per commemorationem, atque extenſionem Sacrificii Crucis; ita ut fideles omnes, qui templa ingrediuntur noſtra poſt eorum Conſecrationem vere, & potiori jure, quam olim Jacob, dicere poſſint: *Terribilis eſt locus iſte, vere Dominus eſt in loco iſto*. *Idem*. Geneſ. 28.

Preces, quæ fiunt in Templis poſt eorum Conſecratione, ſunt preces publicæ, & quatenus tales majorem vim habent, quam privatæ.

Preces in Templo effuſæ poſt illius Conſecrationem fiunt preces publicæ, & cum Eccleſiæ totius precibus conjunctæ; & quatenus tales majorem vim habent. Ibi nobis accidit felicitas conſociandi Orationes noſtras, & permiſcendi laudes noſtras cum laudibus Spirituum Beatorum, & Sanctorum Omnium Paradiſi: *Et ideo cum Angelis, & Archangelis una voce dicentes*. Offerre debemus cordi Dei, qui eſt in Templo, cor bene præparatum, ſubmiſſum ejuſdem imperiis, & pronum ad divinas illius voluntates perficiendas, cor ardens, & amore ejuſdem incenſum. Quemadmodum, ut apud Principes viros, atque ut in eorum ædibus facilis nobis aditus pateat, ut plurimum valido quopiam indigemus patrono: ita ut ingredi valeamus per hanc Myſticam Eccleſiæ januam ad Deum perventuri, & ab eo recipiendi quemadmodum optamus, opus eſt ut adeamus Sanctum illum, cui peculiariter Eccleſia dedicata eſt. Hic erit Sanctus Eccleſiæ Patronus, qui preces ſuas cum noſtris conjungens propitium hunc nobis aditum procurabit, & mox obtinebimus quidquid deſideramus. Ita poſtquam admiſſi fuerimus in domum Domini ſuper terram; poſtquam per felicem hunc aditum commercium inire inceperimus cum Deo propter temporalia, & ſpiritualia bona, tandem in gloria bona æterna obtinebimus. *Idem*.

Quid ſignificent cæremoniæ, quæ in Templorum dedicatione fieri conſueverunt.

Inter cæremonias, quæ in Templi dedicatione adhibentur, numeratur *Adſperſio* veluti ad eluendum quidquid in illa immundum eſt, & inquinatum, hoc primum etiam illud eſt, per quod Chriſtiani fieri incipimus in Baptiſmo, & ex quo incepit Deus adire poſſeſſionem noſtram, quoniam nihil inquinatum pati poteſt in Templo, quod Sanctum eſſe decet: *Domum tuam decet Sanctitudo Domine*; & hoc primum eſt illud, in quo ſita eſt Sanctitas, & horror peccati. Ita ſicuti prima cæremonia, quæ adhibetur in Tem-

plorum

plorum Conſecratione, eſt illa emundare, & lavare per hanc aquæ adſperſionem, & per virtutem, quam illi impertit Eccleſiæ benedictio, dæmonem extrudere de loco, ut Deus integram adeat illius poſſeſſionem; ita Dæmonis ſumus ex primo illo temporis articulo, quo eſſe cœpimus. Igitur per originis noſtræ miſeriam ſervs eramus: Deus vero, ut habitaret in nobis, & nos faceret verum Templum ſuum, ejecit illum tamquam iniquiſſimum uſurpatorem de domo, cujus potitus erat, & ne illi ulla ſupereſſet cauſſa, quam prætexeret antiquam poſſeſſionem aditurus, jubemur in Baptiſmo omnem cum illo infringere neceſſitudinem, & mox abrenuntiare Mundo, cujus Princeps vocatur; etenim per hunc nos in dura ſervitute tenet, legibus ſuis ſubditos, ac placitis ſubjectos. Opus eſt ergo, ut nos illinc ſeparet Sanctitas, vel inde dimoveat; quod fit per primam hanc noſtræ Conſecrationis cæremoniam in Baptiſmo, ubi ducitur initium ex ablutione peccati, quo inquinati fuimus; mox devovendi actionibus prorſus ſanctis; ita ut ſicuti quidquid mundanum eſt, polluit Templum Sacris uſibus deſtinatum: ſimiliter quidquid nos mundo alligat, & quidquid mundi ſenſus nobis inſpirat, polluat animam noſtram, quam ſibi delegit inhabitandam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sicuti Deo conſecrati ſumus per Baptiſmum, ſtatim ac in peccatum lapſi ſumus, Deo iterum conſecrari debemus per pœnitentiam.

Si poſt Baptiſmum, per quem abluti fuimus in Sanguine Salvatoris, relapſi ſumus in crimen, & iterum aditum aperuimus dæmoni in animam noſtram; hæc eadem anima iterum eſt conſecranda, quomodo cum Templis agitur, quæ polluta fuerunt, & aquis Pœnitentiæ eſt eluenda. Rurſus imprimenda ſunt novæ poſſeſſionis veſtigia, quam recipit Deus per aliam cæremoniam, quæ in Templorum Conſecratione adhibetur, qualis eſt illa per quam Epiſcopus ſcribit diem, & annum quibus illa conſecravit, imprimens variis in locis glorioſum Crucis ſignum, ad innuendum locum hunc eſſe Salvatoris, quippe qui illius ſtemmate connotatus eſt; quod Sanctus Bernardus *inſcriptionem* appellat. Additur etiam nomen Sancti alicujus, in cujus honorem Templum hoc Supremo Rerum Domino dedicatur, quaſi ad ſignificandum, Dæmonem nihil habere aliud quod ibi ſibi præſumat: inſcribitur in fronte nomen illius, qui ibi colitur, ita ut ignorari nequeat, cum aliquis illuc pedem infert, ſe eſſe in loco Sancto, & in domo Dei; quandoquidem omnibus hiſce notis, atque inſcriptionibus admonetur, quæ oculos ejus incurrunt. *Idem.*

Quod exterius fit in Templi dedicatione inviſibili ratione fit in animabus noſtris.

Quod palam fit in lapidibus in Templorum noſtrorum dedicatione, quotidie inviſibili ratione pergitur in animabus noſtris. Cum Deus illa delegerit ſibi, ea connotavit imprimens illis characterem Baptiſmi nunquam obliterandum; mox ibi digito ſuo ſuam legem inſcripſit. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*, & ſecundum Scripturæ linguam deſcripſit mandata ſua, non quidem in tabulis lapideis, ſed in corde noſtro; cumque hæc lex, & illa præcepta contineantur in Caritate, Spiritus ſanctus effundit illa in animam noſtram, ut liqueat, hanc unice ſuam eſſe, ita ut Deus noſtrum ſingulis dicere poſſit illa Prophetæ verba: *Meus es tu*; & nihil mihi in dubium revocare poteſt hanc poſſeſſionem. Sed cum perfecte ad ipſum pertinere nequeamus, niſi alteri cuipiam Domino abrenuntiantes, exigit omnimodam ſeparationem ab iis omnibus, quæ profana ſunt, non autem diviſionem aliquam, & pactum, quo utrumque Deum videlicet, & mundum in eodem corde recipere contendamus, ut olim Philiſtiim Arcam Dei, & idolum Dagon voluerunt conſociare. Nam ſicuti pollueretur Templum, quod in ſacros ſimul, profanoſque uſus impenderetur, idem eſſet ac velle ea ſimul connectere, quæ ſibimet invicem parant excidium. Ut ergo Deo ſimus, tamquam vera ejus Templa, opus eſt prorſus abhorrere ab iis, quæ illi adverſantur, & hoc illud eſt, quod ſignificant aſperſio, & inſcriptio, quæ in Templorum dedicatione fieri conſueverunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Unctiones, quæ in dedicatione adhibentur, fiunt etiam in pluribus Eccleſiæ Sacramentis.

Unctiones, quæ adhibentur in hac cæremonia ad Altaria conſecranda, quæ quidem Sanctiſſima eſt pars Templorum noſtrorum; quandoquidem in illis immolatur Agnus ſine macula, & fit Deo Sacrificium victimæ, qua nulla ſanctior eſt in mundo; adhibentur etiam in pleriſque Eccleſiæ Cæremoniis, puta, pluribus in Sacramentis, & in Sacerdotum Ordinatione, qui per hoc fiunt Sacræ perſonæ, propius accedentes ad Deum, & qui mox a ceteris vulgo hominibus ſecernuntur. Sed addendum eſt, Chriſtianum, qui Dei viventis templum eſt, recipere etiam unctionem in Confirmationis Sacramento, quæ illi fortitudinem immittit palam profitendi Religionem, contemnendi opinionem, & ſenſus mundi; qui prohibent, quominus Deo penitus adhæreamus. Profecto Chriſtiani profeſſio plures obices ſuperare debet, plures hoſtes debellare, plura ſuſtinere certamina; ſeparatio enim, quam cum mundo tenemur efficere, ut cum omnibus illecebris ejus, fortitudinem poſtulat, & firmitatem, & opus eſt, ut Deus hanc illi inſpiret per interiorem unctionem gratiæ; alioquin hoc Templum quam primum pollueretur, & profanaretur, & dæmon ſimilis armato forti, de quo ſermo fit in Evangelio, ſemel ejectus reverteretur cum ſeptem aliis nequioribus ſe, & in priſtinam rediret manſionem. Ideo nulla virtus eſt homini Chriſtiano magis neceſſaria, quam fortitudo, quæ per unctionem repræſentatur; quæ ſi deſit, virtutes ceteræ, quibus Templum hoc ornatum eſt, deficerent. Prudentia ſæpe ageret contra officium ſuum, niſi fortitudo illi animum faceret, & conſtantiam adjiceret in conſiliis ſuis exequendis; Juſtitia ſe corrumpi ſineret, niſi fortitudine excitaretur; Temperantia voluptatibus cederet, & quam primum vinceretur in prælio, quod illi voluptas inferret, niſi fortitudo præberet illi vires ad ſuperandas illecebras; & timor noſmet contemnendos objiciendi hominum cenſuræ ab optimis quibuſque conſiliis averteret, niſi Chriſtiana virtus nos ſolidaret contra humanum reſpectum, qui periculoſiſſimus Chriſtianæ pietatis eſt inimicus: ita ut ſine fortitudine virtutes omnes eſſent infirmæ, brevi duraturæ, parum ſubſidii, ac reſiſtentiæ habituræ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Illuminatio, & benedictio quibus utimur in hac cæremonia aliquam habent cum noſtris animabus rationem.

Ratio, quam Templa fabrefacta cum noſtris habent animabus, deprehenditur ex reliquis cæremoniis, quæ ſervantur in Conſecratione duplicis hujus generis Templorum, ut digna fiant, in quibus inhabitet Deus; ſunt autem illuminatio, & benedictio. Templa illuminantur facibus, quæ ibi incenduntur, ad innuendum, ibi Deum ſua lumina effundere; & benedictiones, quæ ibi omnibus in locis fiunt, nos docent, ibi nihil eſſe non Sanctum, & Conſecratum. Animadvertentes autem has cæremonias, quæ non carent Myſterio, conſideramus, alibi Principem tenebrarum exercere poteſtatem, quam in homines habet, illos falſis luminibus ſeducere, vel denſis tenebris excæcare, quæ auferunt illis cognitiones magis neceſſarias, ut ſuæ conſulant conſcientiæ, atque ſaluti. Sed in Templis potiſſimum Deus nos illuſtrat, & cumulat gratiis, & benedictionibus; vult ibi peculiariter nos emittere fulgorem bonorum actionum noſtrarum per exempla pietatis, & Religionis univerſum terrarum orbem ædificantia, ut glorificetur Deus, & nomen ſuum ibi ſit benedictum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quemadmodum Templa [illegible] Sanctitatem.

Quemadmodum cum S. Bernardo animadvertimus, animam noſtram fieri Dei Templum, ubi conſecratur, per eaſdem cæremonias, quæ in Templis dedicandis ſervantur, dico etiam cum eodem Sancto propter hanc Conſecrationem non ſolum nos debere ab omni uſu profano abhorrere, verum etiam quodammodo iiſdem fungi muneribus, quæ in materialibus templis exercentur, ut vita prorſus Chriſtiana, & Sancta ducatur. Hæc autem munera ad triplex genus redigenda mihi videntur, quæ aptiora ſunt ad nos ſanctificandos, & efficiendos Templa digna Majeſtate Dei; videlicet Sacrificium, quod in his Sanctis locis offertur, oratio, cui potiſſimum deſtinata ſunt; ac tandem Verbum Dei, quod ibi nuntiandum, & ad quod audiendum eo populus confluit. Hi ſunt uſus, qui ibi fiunt, poſtquam Templa dedicata, & Conſecrata fuerunt; & hi ſunt illi, quibus animæ noſtræ debent devoveri quatenus templa viventia, quæ Deus Sanctitatis delegit ſibi, ut illic inhabitet. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Templa poſt Conſecrationem deſtinata ſunt Sacrificio novæ legis.

Templa noſtra loca ſunt, ubi offertur Deo novæ legis Sacrificium, ut noſtis; ſicuti in lege veteri Templum Salomonis unicus erat locus, ubi liceret offerre Deo Sacrificia: ſed Chriſtianus propter Conſecrationem animæ ſuæ a Deo factam offerre debet huic ipſi Deo juge ſui ipſius Sacrificium, & fieri quodammodo Ara, Sacerdos, & Victima non ſecus, ac Templum Dei Viventis. *Obſecro vos, ut exhibeatis corpora veſtra Hoſtiam viventem*, dicit idem Apoſtolus, qui docuit nos eſſe Dei templa, quod ipſum ex ejuſdem doctrina conſequitur. Sed quodnam eſt hoc Sacrificium a nobis faciendum. Non enim omnes Chriſtiani facti ſunt Miniſtri Domini, non omnes receperunt poteſtatem offerendi Sacrificium incruentum Corporis, & Sanguinis Dei: ſed præter quam quod poſſunt ſaltem una cum Sacerdote immolante illud offerre, omnes alio modo ſunt Sacerdotes; & nemo eſt, qui non poſſit alia Deo offerre Sacrificia, quæ illi ſint accepta, & jucunda: quapropter S. Petrus laudans primo fideles, illos Regale Sacerdotium appellat: *Vos vero genus electum, gens Sancta, regale Sacerdotium.* Idem. Rom. 12. 1. Petr.

Cum ipſimet [illegible] Templa, poſſumus offerre [illegible] Sacrificia, quot ſunt [illegible] noſtri affectus.

Ut Miniſtrorum fungamur officio neceſſe non eſt ingredi in Eccleſias, neque alia, niſi noſmet ipſos, Templa invenire; tot poſſumus offerre Sacrificia, quot ſunt cupiditates, quæ in noſtro corde excitantur, & ſicuti eſſe poſſumus ſimul Sacerdotes, & victimæ, debemus ſacrificare Deo omnes animæ noſtræ facultates. Intelle-

teſt. Quos enim illi per fidem immolandus eſt, abrenunciando luminibus rationis noſtræ, & illa ſubmittendo auctoritati verbi Dei; Illi offerendum a nobis eſt integrum voluntatis, ac ſenſuum noſtrorum holocauſtum, omniumque facultatum, illis interdicendo uſum eorum omnium, quæ Dei præceptis, legibuſque adverſantur: opus eſt, ut corpus noſtrum fiat vivens hoſtia, quotidie mactanda per jugem mortificationem. Cumque omnia opera bona, eleemoſyna, caritas proximi, jejunia, aliæque auſteritates ſacrificii nomine in Scriptura vocentur; Chriſtiano deeſſe non poſſunt victimæ quas offerat Deo, non ſecus ac templa, quoniam utrumque invenit in ſemetipſo; & quoniam in omni ſacrificio opus eſt, ut adſit quædam ſpecies mortis, atque deſtructionis victimæ, Chriſtianus facit ſacrificium ſuimet ipſius, ex quo vult vitam ſanctam ducere legi, & Evangelicis placitis non abnormem. *Idem.*

Eccleſiæ ab ipſa conſecratione Orationi ſunt deſtinatæ. Matth. 21.

Si functio hæc, cui templa deſtinata ſunt, eſt ita ſancta, non minus ſancta eſt altera, nempe oratio; quippe quæ illa ad hanc potiſſimum ſint inſtituta: *Domus mea, domus orationis eſt.* Hæc omnium populorum ſententia eſt numini alicui templum ædificantium. Quodcumque tandem illud ſit; efficere videlicet aptum locum ad illud invocandum, atque implorandam opem in neceſſitatibus ſuis: ita ut dubitare non liceat templa facta eſſe, & conſecrata, ut ibi preces noſtras offeramus Deo; & Eccleſia in Miſſa, quam celebrat in dedicationis templi ſollemnitate, his utitur verbis, & hac ratione, ut ad illud frequentes preces feramus: *Domus Dei eſt: omnis, qui in ea petit, accipit*, & obtinet effectum precum ſuarum; quia Deus illas benigne acceptat in hoc loco magis, quam alibi, quippe qui peculiariter in uſum hunc deſtinatus eſt, inſtitutus, & acceptatus a Deo pro exercitio adeo ſancto. Quamobrem ſanctus quidam Pater dixit: omnia ibi aliquo modo orare, quia omnia, quæ ibi videntur, nos ad orandum invitant. *Idem.*

Matth. 7.

Nobis ſæpius orandum eſſet in templis quæ Deo ſunt dicata.

Si oratio non aliud eſt, quam ſanctum animæ commercium cum Deo, & Dei cum anima; Chriſtianus cogitare ne poteſt, Deum in ſe permanere modo ita particulari, & reali, quin cum eo colloquatur, quin ſaltem ſæpe ad illum confugiat, & illum audiat? Nonne mirum eſt, exercitium, quod eſſe deberet aſſiduum, & fere nunquam interpellatum, quantum infirmitas naturæ noſtræ pati poteſt, hodierna die adeo eſſe rarum, & infrequens, ut videatur hoc illud eſſe noviſſimum, de quo ſolliciti ſimus; vel ſaltem officium, cui nonniſi ſucceſſivas horas impendimus, cum e contra nobis maximi momenti eſſe deberet, & maxime neceſſarium? Ad id enim dies, noctesque non ſunt templo traducendæ, ut ibi Deum inveniamus, & cum eo domi ſuæ loquamur: nos ipſi ſumus templum illius, atque ut oremus, ut in rebus dubiis illum conſulamus, ut ad illum in neceſſitatibus confugiamus, in noſmetipſos ingrediamur ſatis eſt, & noſmet coram illo colligamus, aperiamus illi cor noſtrum, illi noſtras exponamus miſerias, & nos ejus ope indigere oſtendamus. Hæc ſpiritualis oratio fuit ſemper vulgatiſſima ſanctorum occupatio: hæc illa oratio eſt adeo neceſſaria iis, qui aliquid volunt in virtute proficere; hoc tandem mutuum eſt commercium, quod homines habere poſſunt cum Deo, qui hora qualibet, & in ſingula momenta audiendis illis eſt præſto. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cum anima ſit templum Dei, ubique hunc orare poſſumus.

Mihi videtur Salvator in præſentiarum nobis dicere poſſe, quod olim Samaritanæ mulieri reſpondit quærenti utrum in templo Jeruſalem, an in monte ubi Patriarchæ veteres ſacrificaverant, divina Majeſtas eſſet adoranda; tempus jam veniſſe, quo oratio a locorum diſcrimine nequaquam pendere deberet: Deus enim ubique poterat adorari in ſpiritu, & veritate; quod innuit, animam eſſe templum ſuum, & ſe illam replere ſpiritu ſuo. Ita orare non eſt prolixos habere ſermones; neque eſt ſeſe in terram proſternere, neque manus in Cælum attollere, ſed loqui cum Deo multo magis corde, quam ore; ita ut oratio ſit clamor, & vox cordis ipſius, cujus ſenſus, affectus, & vota explicat: orationem denique eſſe debere illo igne ſacro ſuccenſam, de quo loquitur Propheta: *Concaluit cor meum, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* Pſalm. 38.

Templa poſt conſecrationem deſtinata ſunt verbo Dei.

Templa poſt conſecrationem ſuam deſtinati ſunt verbo Dei, quod ibi prædicatur, & auditur. Munus hoc proculdubio dignum eſt eo nomine, quod gerunt; Templum eſſe domum Dei, ubi de Deo verba fiunt, ubi reſonant inceſſanter Dei laudes, quo homines confluunt ad Dei voluntates audiendas, ut de ſuis edoceantur officiis: ita ut de alia re qualibet ibi verba facere, ſit indecorum, ac pravum. Dei verbum in omnibus ferre templis reſonat poſt eorum Conſecrationem; ſed a templis viventibus ibi annuntiatur. Ibi recipitur, concipitur, conſideratur, exercetur tamquam verbum ſalutis, quo nomine ab Apoſtolo vocatur, & præterea hoc illud eſt, quod nos excitat ad alia quæcumque officia obeunda; quandoquidem per illud edocemur. Ita ut ſicuti templa conſecrantur, ut ſint locus aptus ad populis nuntiandum divinum hoc verbum; ita non extremum Chriſtiani officium ſit illud audire, ut ſuam mentem illuminet, & in cordis ſui ſanctuario foveat ignem divinum. Hinc ſequitur, ſi divini verbi effectus eſt nos a rebus terrenis avellere, ut Deo unice adhæreamus; ita hinc innoteſcere, nos omnino Dei eſſe, & animam noſtram vere eſſe illius habitaculum, ac templum, cum verbum hoc guſtamus, meditamur, & in praxim redigimus; hoc enim eſt oſtendere, nos avulſos eſſe a nugis, ab ineptiis, & mundi hujus curis, ut Deo ſoli vacemus. *Idem.*

Cum animæ noſtræ baptiſmum receperint, repræſentare debent templa poſt dedicationem.

Animæ noſtræ per virtutem conſecrationis, quam in Baptiſmo receperunt, repræſentare debent conſecrationem templorum; hinc quidem procul eſſe debent a profanis mundi uſibus, & ab iis omnibus, quæ illas poſſunt coinquinare; inde vero vacare debent uſibus ſanctiſſimis videlicet operando pro divini nominis gloria: ideoque quemadmodum Eccleſiarum dedicatio celebratur ad ſervandam, colendamque memoriam Dedicationis earum, & altius figendam in fidelium animis cognitionem ſanctitatis locorum eorumdem, ubi facere non debent ea, quæ in privatis domibus fierent: quia Eccleſiæ iſtæ factæ ſunt domus Dei; ita inferendum eſt cum Sancto Bernardo in eodem argumento: *Veſtra eſt, fratres, veſtra eſt hodierna Celebritas.* Eccleſiæ hujus dedicatio veſtra feſtivitas eſt, quandoquidem eſtis totidem templa Deo conſecrata. Et quemadmodum lapides, atque cæmenta, unde hoc templum ædificatum eſt, antea neutra erant per ſe, ut ex iis fieret Palatium, vel templum, ſed per Pontificis conſecrationem, ab omni uſu communi ſublata fuere; ita nos qui antequam ſacro baptiſmate eſſemus regenerati, eramus ſub dæmonis poteſtate, mundi mancipia, vaſa iræ, & a Deo alieni, cum modo conſecrati fuerimus Deo, ejuſque cultui, ac ſervitio deſtinati quatenus templa illius, caveamus, ne per vitam prorſus mundanam illa polluamus. Quod ſcelus, quod ſacrilegium nos patraſſe crederemus, ſi in Eccleſia actionem aliquam non ſatis decoram admiſiſſemus? Vel ut olim Balthaſſar, ſi fuiſſemus abuſi ſacra ſupellectili in impuritatis convivio? Altarium miniſtri proculdubio ſancta exardeſcerent iracundia, contra hanc profanationem; quam hominum juſtitia cognoſcere vellet ad avertendam a cervicibus populi totius Domini ultionem. Heu! quid ergo erit de templo vivente, quod Deus ibi habitaturus ſibi delegit? Patietur ne Deus corpus, & animam Chriſtiani, quæ illius Templa facta ſunt per conſecrationem adeo ſollemnem tot ſordibus coinquinari? Minor ne erit Deo zelus pro ſpiritualibus templis, cui tantus ſemper fuit pro materialibus? Et illorum profanationes ſunt ne minus puniendæ, quam horum? *Si quis violaverit templum Dei diſperdet illum Dominus:* Ita Dominus ipſe per os Sancti Pauli profitetur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* 1. ad Cor.

DE INDULGENTIIS, ET JUBILÆO.

MONITUM.

Satis non eſt, ſcire filium Dei Eccleſiæ ſuæ, videlicet Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ac præcipuis Miniſtris contuliſſe poteſtatem dimittendi peccata, quotcumque, & quantumcumque fuerint; ſed perſuaſum nobis etiam eſſe debet, Salvatoris miſericordiam ſeſe extendiſſe etiam ad remittendas pœnas peccatis noſtris debitas, poſtquam illa nobis condonavit quoad noxam, & culpam per Sacramentum Pœnitentiæ; quod vocatur Indulgentia, & Jubilæum pro varietate temporum, occaſionum, rationum, & conſiliorum, quæ habentur a Summis Pontificibus, & ab Epiſcopis intra terminos poteſtatis, quam receperunt, & quos agnoſcit Eccleſia.

De hoc argumento loquentes iis abſtinebimus, quæ a nobis dicta fuerunt Tomo II. Bibliothecæ noſtræ Concionatorum; neque attingemus diſputationes, turbas eaſdemque hæreſes, quæ duobus poſterioribus ſæculis obortæ ſunt per occaſionem Indulgentiarum, ſed verba faciemus tantum de inæſtimabili beneficio Dei erga Eccleſiam ſuam concedentis huic talem poteſtatem. Latius loquemur de modico pretio, in quo a pleriſque fidelibus habetur tantum hoc bonum, cujus contemptus coegit ſæpe Summos Pontifices, ut illud revocarent. Verum quæcumque ſit fidelium hac in re negligentia, ipſi oblata occaſione uti debemus, ut modico ſumptu divinæ Juſtitiæ in hac vita ſatisfaciamus pro peccatis, quæ in altera fortaſſe expianda erunt graviſſimis ſuppliciis in plures annos, & ſæcula fortaſſe permanſuris. Præterea conabimur excitare vigilantiam fidelium, ne inutilem ſibi reddant theſaurum adeo pretioſum, ſed illum in eum uſum convertant, quem cupit Eccleſia, eum nobis adeo large, effuſeque concedentis.

DE INDULGENTIIS, ET JUBILÆO.

Per Indulgentias, pœnæ peccatis jam dimiſſis debitæ remittuntur.

HÆc ſemper fuit catholicorum fides, Dei filium Eccleſiæ ſuæ contuliſſe poteſtatem ſolvendi peccatorem pœnitentem non ſolum a vinculis peccatorum per merita Paſſionis JESU CHRISTI, quæ illi applicantur in Pœnitentiæ Sacramento, verum etiam a vinculis pœnæ, quam ſubiturus eſt in hac, vel in altera vita; ut divinæ ſatisfaciat juſtitiæ propter peccata ab illo poſt baptiſmum commiſſa. Hoc Indulgentia vocatur, neque confertur unquam niſi plene ſatisfiat Deo per infinitum pretium Paſſionum filii ipſius, quod illi offertur ad hujus debiti diſſolutionem. Hinc S. Paulus ad Corinthiorum preces Inceſto illi quem ex Eccleſiæ communione ejecerat, remiſit reliquam pœnæ partem, quam tanto pro ſcelere perlaturus erat; & Epiſcopi primorum ſæculorum pacem largiebantur Apoſtatis, eoſque cum Eccleſia reconciliabant coarctantes tempus Canonicæ pœnitentiæ per interceſſionem Martyrum, & in gratiam paſſionum eorumdem, quæ cum illis Salvatoris Mundi permixtæ, coram Deo pretioſæ efficiebantur. *Ex Hiſtoria Arianiſmi, T. 1.*

Uſus Indulgentiarum probatur a Summis Pontificibus, & Conciliis.

Uſus Indulgentiarum, qui ſemper viguit in Eccleſia poſt perſecutiones, probatus fuit non ſolum ab antiquis Pontificibus, veluti S. Gregorio ex animadverſione Divi Thomæ, & Leone III. verum etiam a Conciliis Nicæno, Ancyrano, & Laodicæno: a Claromontano, a quo initium duxerant Indulgentiæ pro iis qui Sacræ Militiæ nomen dabant; nec non a Lateranenſi, Lugdunenſi, Viennenſi, & Conſtantinenſi. Clemens VI in Decretali, vel Conſtitutione ſua, quam generatim tota adoptavit Eccleſia, exponens hoc fidei dogma, dicit JESUM CHRISTUM reliquiſſe nobis infinitum meritorum theſaurum, & ſuperaffluentes Paſſionis ſuæ ſanctificationes, merita Sanctiſſimæ Virginis, quæ ipſiſſima fuit innocentia, & Sanctorum, qui pœnitentiis ultro ſuſceptis, atque Martyrio, abunde ſatisfecerunt pœnis, quas pro peccatis ſibi per Pœnitentiæ Sacramentum remiſſis meriti fuerant. Præterea Paſtores Eccleſiæ, ac ſummos præſertim Pontifices, qui ſupremi ſunt hujus theſauri diſpenſatores per clavium poteſtatem poſſe illum applicare viventibus, atque defunctis per modum ſuffragii, ad eos liberandos ab noxis ipſorum; offerentes Deo theſaurum hunc, quoad ſatisfacere poſſit huic debito. *Idem.*

Abuſus, qui obrepſerant in hanc Indulgentiarum diſtributione.

Fatendum eſt tamen, quemadmodum ſanctiſſimis quibuslibet rebus, optimeque inſtitutis hominum abuti poteſt nequitia, obrepſiſſe inſignes abuſus in diſtributionem Eccleſiaſticarum harum gratiarum, vel Indulgentiarum. Et ſane Sanctus Cyprianus ſæpe de hoc abuſu conqueritur ſeu quod Martyres indiſcrete traderent paſſim omnibus indiſcriminatim peccatoribus Epiſtolas ſuas, ſeu Epiſcopi nimis faciles, vel nimis celeriter illis hujuſmodi Indulgentias concederent, ſeu ipſi etiam Sacerdotes ſimplices ſibi hanc vindicarent auctoritatem impertiendi Indulgentias, quæ non niſi per Epiſcopos erant concedendæ. Qua in re Tertullianus, Novatianus, aliique nonnulli, qui his adhæſerunt in re, quæ adeo a recto rationis ſenſu abhorrebat, quin hunc ipſum abuſum evertere admitterentur, ut ſi fieri poſſet ex agro Eccleſiæ lolium convellerent, quod bonis officiebat frugibus, ipſas impugnarunt Indulgentias, contra quas impotenter inſurrexerunt, non videntes ſe per voluntariam cæcitatem pravum uſum, in quem converti poſſunt quæcumque in religione Sacra, & ſancta ſunt, nemini conferre jus ſuccendendi, ac invenendi in rem Sacram, quam impii abutuntur. Hoc ipſum fecit auctor ſchiſmatis, & hæreſeos de qua ſermo eſt in hac occaſione. *Ex hiſtoria Arianiſmi.*

Quod olim facerent chriſtiani ad peccatorum veniam obtinendam.

A Tertulliano aliiſque Patribus, qui ſecundo ſæculo, vel ſub illud præter propter tempus vixere, docemur, Pœnitentium morem fuiſſe, curſitare ad carceres eorum, qui martyrium erant ſubituri, illos obſecraturi, ut fierent ab illis meritis ſubeundarum paſſionum participes; ita ut cum Pœnitentes opportunis, importuniſque precibus obtinere poterant Epiſtolas, quibus teſtarentur, ſe petentibus gratiam hanc conceſſiſſe, has ſtatim ad Epiſcopos deferebant, quas Præſules recipiebant in ſubtractionem pœnarum Canonicarum, quæ illis fuerant impoſitæ. Videmus S. Paulum ita ſe geſſiſſe eum Inceſto Corinthio, & ad preces Eccleſiæ Corinthianæ dimiſiſſe illi partem pœnarum, quæ illi fuerant impoſitæ, & Apoſtolus ille teſtatur id ſe feciſſe quatenus Domini Miniſtrum, repræſentantem ejuſdem JESU CHRISTI perſonam, & per eam poteſtatem, quam ab eodem receperat. Ergo Indulgentia non eſt nova inſtitutio, qualem jactitant hæretici; inferre tantummodo poſſunt illius uſum hodierna die eſſe paullo frequentiorem; quod Eccleſia, apud quam eſt theſauri hujus depoſitum, modo cenſuit neceſſarium, quo primus chriſtianiſmi fervor intepuit, ut magis, magiſque excitet chriſtianos ad Pœnitentiam, & ad peccata ſua in hac vita expianda, quod fit per ſatisfactionem hanc compendiariam; quo nomine S. Cyprianus illam appellat. *Non per momenta temporis, ſed compendio gratia maturatur. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Indulgentiæ ſunt remedia facilia & ſalutaria.

Quem fucum allinere poteſtis, auditores, ignaviæ veſtræ, ſi ad tanta hæc curanda mala negligitis remedium adeo facile, quod cum morbi diuturnitate vobis condonat dolores, quos vobis afferret aliorum pharmacorum acerbiorum auſteritas vobis alioquin ſuſtinenda? Si vobis prolixæ, ac aſperæ ſubeundæ eſſent pœnæ; ſi in pane, & aqua vobis omnibus vitæ veſtræ diebus eſſet jejunandum, ſi in cinere, & cilicio lugendum, omnia bona veſtra in pauperum victum inſumenda, ſi ſanguinis veſtri pars effundenda per inſtrumenta, quæ induſtrioſa caritas tot ſanctis Pœnitentibus ſuaſit; inſignis etiam eſſet gratia vobis tempus, ac ſpatium permittere expiandi in hac vita peccata potius quam expectare aliam, in qua punit Deus tamquam Judex ſeverus, & irritatus. Poterat juſtus hic Judex a vobis omnes has exigere ſatisfactiones; & eſſet adhuc effectus miſericordiæ, &

boni-

bonitatis ſuæ permittere, ut vos ipſi a vobis criminum veſtrorum pœnas exoterretis; ſed per ſolam miſericordiam vos diſpenſat ab hujuſmodi ſeveritatibus, atque auſteritatibus, quæ vobis horrorem injiciunt. Aperit vobis theſaurum meritorum ſuorum, & Sanguinis ſui bal/neum, ut alterum vobis baptiſmum ſuppeditet: breviorem facit, & ad paucos redigit dies diuturnitatem pœnarum, quas meriti eſtis; verbo, adeo parum exigit a vobis, ut inexcuſabiles ſitis, ſi adeo propitia occaſione uti detrectatis. Negabitis ne parum illud conferre, quod petit a vobis, & quod ipſi conferre debetis, ut incomparabili hoc Dei beneficio perfruamini? Non ita, & certo ſcio vos ſapientiori uſuros conſilio, quale eſt fideliter iis perfungendi conditionibus, quibus adnexæ ſunt hujuſmodi Indulgentiæ, ne culpa veſtra tanta hac gratia privemini. *Idem.*

Indulgentiæ ſunt compendiaria ſatisfactio pro pœnis quæ ſuſtinendæ eſſent pro peccatis.

Alia quoque percipitur utilitas ex Indulgentiis, vel Jubilæo, propter quam illas compendiariam ſatisfactionem appello: neque enim ſolum integrior eſt, atque perfectior; verum etiam minori temporis ſpatio peragitur. Nam quamvis peccatum ſæpe unico momento patratur, noſtis tamen illius nequitiam eſſe tantam, ut peccatorem pœnarum æternitati ſubjiciat; & quamvis in Pœnitentiæ Sacramento pœna mutetur, & pro illa, quæ erat æterna, Deus non diuturnæ ſatisfactionis pœna acquieſcat, quam fervor noſter ad brevius temporis intervallum redigere poteſt: tamen ſi pœnitentiæ diuturnitas parum eſt, ſi cum ſuppliciorum æternitate comparetur, quam unum duntaxat mortale peccatum meretur, non eſt adeo levis, ut juxta eam rationem, qua plerique hujus temporis peccatores agunt pœnitentiam, illis gravis, ac moleſta videri debeat. *Legere* ſatis eſt antiquos Canones, ut intelligamus in primitiva Eccleſia exigi conſueviſſe annos octo, & decem pœnitentiæ pro peccatis quibuſdam, pro quibus auſteriſſimus quiſque Confeſſarius imponeret aliquot abſtinentiæ, aliarumque auſteritatum hebdomadas. Quod igitur lucrum fit per Jubilæum, atque Indulgentias? Pœnam peccati noſtris debitam faciunt breviorem: *Compendium pœnæ*, quo nomine a Sancto quodam Doctore appellatur. Brevi perſolvimus, quod fortaſſe toto hoc vitæ tempore vix eſſemus perſoluturi, & quod coegiſſet, ut in altera plurium annorum ſpatio diſſolveremus. Et hæc potiſſima ratio eſt propter quam inſtituit Eccleſia uſum Indulgentiarum, uti docemur a S. Cypriano, & ab antiquiſſimis Patribus, ipſoque Nicæno Concilio. Hoc ſatis eſt ad coarguendos malæ fidei hæreticos, qui hoc diſſimulant, & tenent hanc eſſe conſuetudinem ab Eccleſia nuper invectam, atque ante ſæculum octavum ignotam. Sciendum ergo eſt, cum primus adhuc chriſtianiſmi fervor vigeret, peccatoribus imponi conſueviſſe in criminum ſatisfactionem pœnas, & ſeveritate, & diuturnitate, quam hodie fieri conſueverit, graviores; ſed ubi perſecutiones inſurrexerunt, & pœnitentes chriſtiani confirmandi fuerunt contra mortis terrorem, ac vim tormentorum in jugi periculo poſiti, ut in carceres traderentur, & raperentur ad ſupplicia: Eccleſia in eorum gratiam nonnihil de priori ſeveritate remiſit, & Indulgentiæ viam arripuit condonans reliquam pœnarum, quæ per Canones erant inflictæ, & illos admittens in partem ſacrorum Myſteriorum, quibus carebant tempore publicæ pœnitentiæ, ut ad martyrium ſubeundum fortiores, & alacriores efficerentur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pœnitentia eſt baptiſmus alter, eique ſatisfieri poteſt per Indulgentias.

Verum eſt, auditores, ab Eccleſia Pœnitentiam ſemper alterum baptiſmum fuiſſe vocatam; hoc enim nomen melius exprimit ejus naturam, atque effectus; tandem enim ſi baptiſmus eſt prima chriſtiani regeneratio, pœnitentia eſt ſecunda nativitas, quæ eamdem divinam vitam, quam per recens aliquod peccatum amiſeramus, reſtituit. Utrumque delet omnia noſtra delicta, eaque abluit in Sanguine Salvatoris: & verbo hæc inter utrumque ratio intercedit, ut vieiſſim alterum alterius nomen mutuentur, & baptiſmum nonnunquam Pœnitentia, & Pœnitentia ipſa alter, novuſque baptiſmus dicatur: unde hæretici perperam arripuere anſam utrumque confundendi. Verum tanta ſit quamvis inter illos ſimilitudinis ratio, hoc tamen ſemper eſt eſſentiale diſcrimen, quod minime latet: alterum videlicet baptiſmum eſſe juſtitiæ, & ſeveritatis, alterum vero dulcedinis, & miſericordiæ. Sed in Jubilæo, quem vocare poſſum Indulgentiæ baptiſmum, fit juſtum quodam utriuſque temperamentum, & quid medium inter extrema. Non deeſt Pœnitentia, & aliquid ſeveritatis admiſcet; efficit enim, ut aliqua pœnalia opera fiant, jejunare, orare, eleemoſynam erogare, quæ omnes ſunt conditiones, ſub quibus conceditur Jubilæus: Sed adeſt etiam non modicum facilitatis, & efficaciæ baptiſmi: quandoquidem remittit omnem pœnam noſtris peccatis debitam; neque ſatisfactionum noſtrarum meritis innititur ſcelerum noſtrorum venia, ſed meritis Salvatoris, qui cum obtulerit æterno Patri ſuo pretium infinitum, & toto Cælo majus debitis noſtris; quod ſupereſt ex his ſatisfactionibus, vel ut ita loquar, quod ſuperit ex hoc pretio ſuperabundanti, eſt veluti publicus fundus, & theſaurus inexhauſtus, qui ſemper ſatis erit perſolvendis hiſce debitis, quantumvis immenſa fuerint. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Oſtendit Dei miſericordiam [illegible] de jure juſtitiæ [illegible] Indulgentiis.

Inde vero Dei nitet miſericordia, juſtitiæ ſuæ jura relaxantis, quia hæc, quæ nobis fit applicatio, cedit in imminutionem perſonalium debitorum noſtrorum, tamquam ſi immenſam deberes auri vim, & creditor centeſimam duntaxat a te partem repoſceret, dicens reliquam debiti tui partem ab alio pro te jam diſſolutam fuiſſe. Hoc illud eſt, quod baptiſmum Indulgentiæ vocavi, qui non omnino illi ſimilis eſt, qui remittit nobis & noxam, & pœnam Originalis peccati, quin aliquid nos ex nobis conſeramus, vel quin aliquid aliud contribuamus præter actum contritionis; qui in adultis requiritur. Hic non niſi pœnam remittit; ſed remittit illam per ſatisfactionem fere alienam; quippe ſatis eſt, nos confugere ad hunc theſaurum, haurire ex hoc fonte, & ſumere quidquid neceſſe eſt; ex hoc fundo qui omni tempore patet fidelibus omnibus juxta ſingulorum neceſſitatem; quemadmodum in baptiſmo, qui illum reciperet poſt vitam flagitioſiſſime anteactam, non minus reciperet remiſſionem pœnarum omnium peccatis ſuis debitarum, quam ille, qui unica originalis peccati labe fuiſſet infectus. Hic autem de quo loquimur baptiſmus recens, communi præſtat eo quod iterari, & pluries recipi poteſt; quia frequentes ſunt Indulgentiæ, & Jubilæus, qui primitus poſt ſingula ſæcula concedebatur, hodierna die in ſexcentis aliis conceditur occaſionibus, & quotieſcumque theſauri hujus diſpenſator e re futurum cenſuerit. *Idem.*

Veteris Legis Jubilæum [illegible] figura novi.

Ne putetis, auditores, chriſtianam Eccleſiam judaizare; quamvis nuntiari vobis audiatis annum ſimilem remiſſionis, & Jubilæi qui tantam habet rationem cum illa antiquæ Legis cæremonia, ad id prænotandum, quod vere adimplendum erat in nova; dicamus potius, hoc tempus adeo propitium peccatoribus, & annum hunc Indulgentiæ, & remiſſionis, eſſe umbram, & figuram Jubilæi, quem Eccleſia per temporum intervalla nobis annuntiat, quo peccatorum noſtrorum vincula infringuntur; per quem qui jampridem gemunt in turpi ſuarum cupiditatum ſervitute, felici libertate congaudent, & debitorum omnium impetrata remiſſione, gratiam recuperant, & ea repetunt jura, quæ habent ad Cæli hæreditatem. Judicate, fideles, utrum felix hoc nuntium, quod Evangelii præcones vobis ſancto hoc tempore portendunt, recipiendum ſit cum exuberantis lætitiæ ſenſu. Ego ſpero, cum vos parati ſitis ad hæc omnia commoda peculiari cum attentione auribus excipienda, vos diligentius operam eſſe novaturos, ut illis perfrui valeatis. *Idem.*

Bona, quæ ex Indulgentiis, & Jubilæo percipiuntur.

Ut te adhuc integra vobis exhibeam commoda, quæ beato hoc tempore chriſtianis omnibus concedit Eccleſia, arbitror non eſſe cur prolixius vos doceam, ſed potius præſupponam in peccato duo eſſe, quæ ſeparati minime valeant: videlicet noxam, quam committimus contra Dei majeſtatem, & pœnam, vel obligationem, quæ manet, ſatisfaciendi juſtitiæ ejuſdem poſtquam illatæ injuriæ veniam ſumus conſecuti. Quod autem operatur Indulgentia, & Jubilæum, quæ duo nomine tantum differunt, exceptis duntaxat aliquibus circumſtantiis, vel formulis ſollemnioribus, & magis authenticis? Effectus Indulgentiæ vel Jubilæi, non eadem, ut noſtis in pœnas peccatis noſtris debitas, pro quibus certiſſime ſatisfaciendum eſt quocumque modo. Sed ecce bonum, & commodum quod Eccleſia nobis concedit in Jubilæo per poteſtatem, quam a Dei Filio recepit, qui illam ſequeſtrem conſtituit potentiæ, & gratiarum ſuarum in hac re; videtur obtinendi plenam, integramque remiſſionem debitorum, quæ non niſi per bona, eaque moleſta, ac difficilia opera perſolvere nobis licuiſſet: videlicet modico tempore ſatiſfaciendi pro iis criminibus, pro quibus in plures annos proferenda fuiſſet pœnitentia ultro ſuſcepta; videlicet tandem modicis ſumptibus ſatisfaciendi pro peccatis, quæ fortaſſe in altera vita ſeveriſſimis irritatæ divinæ juſtitiæ ſuppliciis fuiſſent expianda. Hoc nonnullos impulit Doctores, ut dicerent, hunc eſſe tamquam iteratum baptiſmum propter facilitatem, ac virtutem ſuam; compendiariam ſatisfactionem, quæ brevi perſolvit, quod diutius, auſteriuſque perſolvendum eſſet pœnitentiis, ac tandem miſericordem juſtitiam, quæ modico eſt contenta pro numero ingenti graviſſimarum iniquitatum. *Idem.*

Indulgentiæ [illegible] peccatis noſtris.

Gratia ſanctificans, qui primus eſt fructus Sacramenti Pœnitentiæ, reddit quidem chriſtiano vitam divinam, & qualitatem filii Dei, ſed non liberat illum a malo pœnæ, cui obſtrictus remanet tunc etiam cum per abſolutionis vim liberatur a noxa, & a peccati labe mundatur. Verum quidem eſt, debitum hoc non eſſe æternum, ut debitum miſerorum, qui ex hac excedunt vita in ſtatu peccati mortalis; qui æternum pœnas luent, & nihilo ſecius æternum debitores erunt divinæ juſtitiæ; quia nunquam erunt ſolvendo, quamcumvis æterna ſit eorum ſolutio; quia pœnæ eorum æternum ſunt duraturæ: quod dici non poteſt de obligatione ſolvendi, quod ſolvendum ſupereſt poſt rectam confeſſionem; nam ſimulac Dei gratiam recuperamus, ab inferni flammis liberamur. Sed heu! quiſnam intelligere poteſt quanta ſit ſeveritas

pœnarum pinculariun Purgatorii? *Ex libro Patris Rupe, cui titulus: Domus Virginis.*

Indulgentiæ ſunt neceſſariæ ad obtinendum æ... in quas labimur ... facienti.

Verum eſt, Pœnitentiarum ſeveritatem, patientiam in adverſitatibus, bonum Sacramentorum uſum, virtutum praxim, aſſiduitatem in bonis operibus, & contritionis conatus non minus eſſe ſatisfactoria ad nos a Purgatorii pœnis præſervandos, vel eorum diuturnitatem imminuendam, quam meritoria ad Cæli gloriam nobis procurandam, & chriſtianæ intereſſe prudentiæ ſanctis hujuſmodi conſuetudines amplecti, uſum perennare, & ad mortem uſque pœnitentiam producere. Verum cum conſtet optimis etiam actionibus noſtris ſexcenta vitia admiſceri, & naturæ noſtræ fragilitatem quotidie ſanctiſſimum quemque in plures lapſus impellere, certum quoque eſt pauciſſimos chriſtianos per ſolum pœnitentiarum, & bonorum operum uſum omnino Purgatorii pœnas evitare; & neceſſario confitendum eſt, præter vitam pœnitentem, quæ eſſe debet bonorum chriſtianorum vitam, nullum tutius eſſe conſilium ad vitæ alterius pœnis prævertendas, quam curam utendi opibus Eccleſiæ, & ſedulitatem lucrandi Indulgentiæ. *Idem.*

Quid bonum bonis procurent Indulgentiæ.

Sacerdotis abſolutio nos quidem liberat a peccato quoad pœnam; nos in gratiam, & Dei amicitiam reſtituit, nos ab æternæ pœnæ obligatione expedit: ſed nos conſtituit debitores divinæ Juſtitiæ pœnarum temporalium, quibus omnino ſatisfaciendum eſt nobis vel in hac, vel in altera vita, niſi per Indulgentiarum lucrum illæ nobis fuerint dimiſſæ. Indulgentia, quæ reſpicit ſolum temporalem pœnam, in quam per peccatum incidimus, ſupponit eadem peccata nobis jam remiſſa fuiſſe quoad nomen per Sacerdotis abſolutionem, & illam remittere pœnæ hujus debitum vel ex aſſe, vel ſaltem ex aliqua parte. Unde inferendum eſt eos, qui Indulgentiis lucrandis jugiter vacant, perutile exercere commercium; etenim præter magnum meritorum acervum, qui pro Cælo congeritur, adimplendo opera, quæ præſcripta ſunt, ut hoc favore fruantur, in eum ſtatum adducuntur, in quo vel nihil, vel certe parum illis ſupereſt Purgatorii flammis expiandum. *Idem.*

Inexhauſtus eſt Indulgentiarum theſaurus.

Eſt in Eccleſia quidem theſaurus collectus primum quidem & potiſſimum ex meritis, & ſatisfactionibus JESU CHRISTI, & Sanctiſſimæ Virginis, mox vero ex ſuperabundantia ſatisfactionum Sanctorum. Indulgentiam concedere non aliud eſt, niſi applicare hujuſmodi ſatisfactiones indigentibus ad ſolvenda pœnarum debita, quæ ſuperſunt poſt noxam in Pœnitentiæ Sacramento dimiſſam. Oportet theſaurum hunc eſſe inexhauſtum; quoniam jugiter plures conferuntur Plenariæ Indulgentiæ pro humanorum criminum ſatisfactione. Hic autem theſaurus exhauriri non poteſt, quandoquidem merita, & ſatisfactiones JESU CHRISTI pro Mundo univerſo ſufficiunt, ſi applicarentur ad delendam pœnam omnem, & culpam, quod fit cum iis, qui ſacro baptiſmate regenerantur. Omnes enim liberarentur a pœna, & prorſus emundarentur a culpa, ſi ſimul omnes baptizarentur. Quoad Sanctorum ſatisfactiones inde non modicum cedit in Eccleſiæ utilitatem incrementum; nam licet plenam pro meritis acceperint remunerationem, quandoquidem gloriam æternam receperunt; nihilominus quod pertinet ad illorum ſatisfactionem, ſæpe fuerunt ſuperaffluentes, illæ ſaltem plurimorum Sanctorum, qui cum nullum commiſerint peccatum, ut Beatiſſima Virgo, vel ſaltem modicum, ut S. Joannes Baptiſta, aliique plures, tamen plurimum paſſi ſunt, & plures ſatisfactiones adepti: ita S. Job dicebat: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas quam patior in ſtatera! Quaſi arena maris hæc gravior appareret. Auctor recens.*

Eccleſia ſola poteſtatem habet conferendi Indulgentias.

Poteſtas, & auctoritas diſpenſandi theſaurum meritorum, & ſatisfactionum JESU CHRISTI, & Sanctorum in Catholica tantum Eccleſia invenitur; quandoquidem Indulgentiarum fundamentum eſt communio Sanctorum, quæ eſt in Eccleſia Catholica; verum ſi in tota Republica poteſtas eſt impendendi, & diſtribuendi bona communia; cur JESUS CHRISTUS Salvator noſter, qui Eccleſiæ ſuæ, atque Epiſcopis ejus reliquit poteſtatem diſpenſandi ſua merita, atque ſatisfactiones pro redemptione, & abſolutione pœnæ æternæ per Sacramenta, etiam in gratiam inimicorum ſuorum; ſimili pacto non potuit relinquere facultatem diſpenſandi eadem merita, & ſatisfactiones in gratiam amicorum ſuorum pro remiſſione pœnæ temporalis, quæ illis eſſe poteſt reliqua? Tota hæc doctrina innititur verbis Domini noſtri, cum

Matth. 18. Joann. 20. ait: *Quidquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælo; & quidquid ſolveris ſuper terram, in Cælo quoque ſolutum erit.* Sed peccata ſolvuntur, & dimittuntur celeriter, ubi dimittitur pœna, quæ poſt culpæ dimiſſionem ſupererat dimittenda. Ita loquitur David: *Am-*

Pſalm. 50. *plius lava me Domine ab iniquitate mea.* Hinc liquet Indulgentiarum uſum in Eccleſia catholica eſſe vetuſtiſſimum; quia cum ſævirent perſecutiones, plures chriſtiani, qui in grave aliquod crimen lapſi erant, cujuſcumque tandem generis eſſent, cum vellent cum Deo in gratiam redire, conveniebant Martyres, qui in carceribus detinebantur, ut ab illis aliquam obtinerent epiſtolam ad Epiſcopos, & Præſules Eccleſiæ, qui crimina dimittebant, ac pœnam ſin minus totam, ex parte ſaltem condonabant, unde orta eſt conſuetudo, non ſecus ac poteſtas minuendi, ac temperandi pœnas injunctas, prout pœnitentes magis contriti, & ferventiores videbantur. *Idem.*

Indulgentiæ non ſemper ita copioſæ fuerunt ut modo ſunt, in Eccleſia.

Conſtat Indulgentias non eſſe in Eccleſia catholica recentes: cum enim initium duxerint ævo Apoſtolorum, de ſæculo in ſæculum uſque ad hæc tempora pervenerunt. Verum eſt non ſemper adeo frequentes, & amplas fuiſſe, quales noviſſimis hiſce ſæculis fuere. Et ratio conſtat: cum enim caritas intepuerit noviſſimis hiſce temporibus, chriſtiani non retinent amplius auſteritatem veterum pœnitentiarum atque ſatisfactionum debitarum juſtitiæ Dei: ita ut oportuerit magis quam antea Eccleſiæ theſauros aperire, & liberalius ſpirituales Eccleſiæ reditus erogare, ut hac arte populus chriſtianus facilius alliceretur ad religionis exercitia, & excitaretur modo quidem ad Sacramentorum frequentiam, modo ad feſtorum dierum celebrationem, modo ad colendas Sanctorum reliquias, modo ad hæreſes execrandas, nonnunquam ad preces pro defunctis fundendas &c. cum ſpe lucrandi Indulgentias. *Auctor recens.*

Qua in re differat Jubilæus, a plenaria Indulgentia.

Duo ſunt Indulgentiarum genera, quarum aliæ plenariæ vocantur Indulgentiæ, aliæ Jubilæi, quæ tamen rei ſubſtantia perſpecta ſunt unum, & idem. Indulgentia alia eſt, per quam tota remittitur pœna ſecundum Dei judicium ſolvenda in Purgatorio pro omnibus peccatis; alia, per quam pars ſolum pœnæ hujus remittitur. Verum eſt, Jubilæum quoad veniam, nil concedere majus plenaria Indulgentia: nihilominus paſſim aliquot habet gratias, & privilegia non mediocris momenti, veluti cum agitur de eligendo Confeſſario, qui valeat ab omnibus reſervatis abſolvere, mutare vota, & alia id genus ſimilia. Sunt etiam publicæ cauſſæ, quæ Jubilæum præcedunt, & quæ in aliis Indulgentiis non inveniuntur. Pro Indulgentiis vero annorum centum, vel mille, quas ſummus largitur Pontifex, intelligendum eſt, tantum pœnæ dimitti per applicationem meritorum, & ſatisfactionum CHRISTI Domini, quantum dimiſſum fuiſſet per pœnitentias olim per ſanctos Canones inſtitutas, cum Eccleſia meriebitur pœnas alterius vitæ ad durationem pœnitentiæ, quæ in præſenti vita fuiſſet peragenda. *Idem.*

Diſpoſitiones afferendæ ad Indulgentias lucrandas.

Qui lucrari cupiunt Indulgentias ab Eccleſia conceſſas, eſſe debent in ſtatu gratiæ, & exequi ea quæcumque in Bulla præſcripta ſunt. Debent, inquam, eſſe in ſtatu gratiæ, & ſine peccato. Verum eſt tamen, Indulgentias, ut diximus, non remittere culpam contra Deum commiſſam, ſed pœnam duntaxat, quæ reſtat vel in hac, vel in altera vita perſolvenda. Aſſerti Reformati dicunt, cum Deus remittit peccatum, remittere etiam pœnam peccato debitam, atque ut omnino ſimus immunes a pœna, ſatis eſt in gratiam rediiſſe; cum e contra doceat catholica Eccleſia, ubi peccatum deletum eſt, non ſemper & pœnam eſſe deletam; ſed ut plurimum, & paſſim cum Deus in gratiam recipit, miſericordiam quidem illius dimittere culpam, ſed juſtitiam ſibi reſervare pœnam; unde ſequitur, quod ſicuti per contritionem, & confeſſionem ſatisfaciamus Dei miſericordiæ; ita per ſatisfactionem tenemur ejuſdem mulcere juſtitiam; ſi enim pœna peccato debita ſemper cum ipſo peccato dimittitur; cur obnoxii ſumus tot morbis, atque mortalitatibus, quandoquidem peccatum nobis in baptiſmo condonatum eſt? Cur Deus cum Moyſi remiſiſſet errorum, quod ad aquas contradictionis commiſerat, prohibuit, ne in terram promiſſam ingrederetur? Cur deleto crimine Davidis, ille tot obrutus fuit calamitatibus ad peccati ejuſdem expiationem? Inferendum eſt igitur, ubi crimen deletum eſt, non ſemper & pœnam fuiſſe deletam, & per reconciliationem cogitandum eſſe, de ſatisfactione divinæ juſtitiæ tribuenda: idque ſemper per merita JESU CHRISTI ſine quo nihil eſt meritorium, aut ſatisfactorium in terris. Ratio autem ſatisfaciendi juſtitiæ Dei omnium facillima, eſt bonus uſus Indulgentiarum, per quas JESU CHRISTI ſatisfactiones, quæ plerumque nobis applicantur per Sacramenta, nobis præter ordinem communicantur ab illo, qui habet facultatem eas nobis largiendi tamquam promus condus theſaurum Eccleſiæ; quod Indulgentia, ut peccatorum remiſſio vocatur. *Auctor recens.*

Errores quos Proteſtantes falſo catholicis exprobrant.

Proteſtantes falſo exprobrant nobis hoc in Indulgentiarum argumento errores aliquot; quorum palinodiam canere debebunt, ubi illis probatum fuerit, nobis credendum eſſe, poteſtatem conferendi Indulgentias a JESU CHRISTO conceſſam fuiſſe Eccleſiæ, earumque uſum eſſe populo chriſtiano ſaluberrimum. Quamobrem Theologorum plerique docent eſſe in Eccleſia theſaurum meritorum, atque ſatisfactionum, quarum Epiſcopi, & præſertim Summus Pontifex ſunt diſpenſatores, illas per Indulgentias diſtribuentes prout neceſſarium eſſe judicant ad Divini nominis gloriam, & fidelium ſalutem; Qua in re Doctores nuidam dicunt, per Indulgentias remitti ſolum pœnas Canonicas, quas pœnitentibus impoſuiſſet Eccleſia; alii vero tenent, remitti etiam pœnas, quas pœnitentes divinæ debent juſtitiæ, alioquin Eccleſia nihil

nobis

Digitized by Google

nobis tribueret; quandoquidem pœnæ canonicæ jam obſoleverunt. *Idem*.

Indulgẽtiarum antiquitas probatur.

Si hoc in loco mihi munus vindicarem probandi Indulgentias, earumque originem referendi, dicerem, Concilia adeo perſpicue de hac re loqui, ut apud Catholicum dubium nequeat ſupereſſe, quominus infinitæ Salvatoris ſatisfactiones, theſauri, quos fidelibus acquiſivit, claves Cæli, quas S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus tribuit, ſint ſatis tuta, & valida argumenta illis, quibus aliquid inſit docilitatis. Adderem has eamdem cum Eccleſia antiquitatem habere; quandoquidem S. Paulus illis uſus eſt cum inceſto Corinthiaco; quod ſatis norunt eruditi: probarem remiſſiones, quas Martyres peccatoribus largiebantur eſſe etiam pro pœnis, quas divinæ Juſtitiæ debebant; nam S. Cypriano teſte pœnitentes a Martyribus juvabantur in peccatorum ſuorum apud Deum ſatisfactione. Afferrem D. Thomæ auctoritatem aſſerentis a S. Gregorio conſtitutas fuiſſe Romæ indulgentias Stationum; videlicet illum dediſſe indulgentias annorum ſeptem illis, qui haſce viſitarent Eccleſias; quemadmodum illius ſucceſſores deinceps plenariam conceſſerunt indulgentiam iis, qui hoc pietatis officio perfungerentur. Videte, auditores, utrum poſt hæc Concilium Tridentinum jure aſſerat uſum Indulgentiarum a primis Eccleſiæ temporibus initium duxiſſe, & utrum verum ſit S. Gregorii ævo viguiſſe. *Idem*.

Indulgentiæ omnibus ſæculis in uſu fuerunt.

Non repetam hoc in loco quomodo S. Paulus ſe geſſerit cum inceſto Corinthio, quandoquidem alibi de illo verba feci, ſatis erit mihi proferre deinceps teſtimonia S. Cypriani, ac Tertulliani de remiſſione, quam largiebantur Epiſcopi per interceſſionem Martyrum. Tertullianus in libro, quem ſcribit ad Martyres, Indulgentiam, quam in eorum gratiam concedebatur *Pacem* vocat, perfectam, & ſanctam conſenſionem; monet Martyres, ut diligentiſſime caveant pro quibus intercedunt. Animadvertendum eſt tamen, cum Tertullianus in hæreſim lapſus fuiſſet negare incepiſſe id, cui antea fuerat aſſenſus: videlicet uti non licere Indulgentiis erga eos, pro quibus Martyres intercedebant. Tertio, & quarto ſæculo habemus antiqua Concilia cum Œcumenica, tum Provincialia, in quibus indulgentiæ conceduntur Pœnitentibus ſecundum judicium, & prudentiam Epiſcoporum, & in primo Concilio Nicæno, poſtquam Patres conſtituerunt annos pœnitentiæ ſecundum magnitudinem criminum, de quibus tunc quæſtio habebatur: Concilium addidit, Epiſcopum uti poſſe humanitate, videlicet Indulgentia ergo illos, qui ſerio pœnitentiam fuerint amplexi. Sæculo quinto, & ſexto S. Gregorius Magnus largitus eſt Indulgentias viſitantibus Urbis Romanæ Stationes, quemadmodum S. Thomas, & Guillelmus Antiſſiodorenſis teſtantur. Septimo, & octavo ſæculo S. Leo Papa plures conceſſit Indulgentias Eccleſiis Germaniæ, & Galliæ, ut ſcribit Ludgerus ad Sanctum Swibertum, in ſecundo Surii Tomo. Papa Sergius, cui nomen *Junior* tenebat S. Petri Sedem anno 884. quo conceſſit Indulgentiam trium annorum, ac trium quadragenarum viſitantibus Romæ Templum S. Martini ad Montes die feſto ejuſdem Eccleſiæ. At probabile non eſt Leonem III. vel Sergium II. vel Gregorium I. Sanctiſſimos viros invehere voluiſſe tanti momenti conſuetudinem, cujus nullum in Eccleſia extitiſſet exemplum. Summi Pontifices, & generalia Concilia variis in occaſionibus varias conceſſerunt Indulgentias, ut fuſius legere eſt apud Patrem Coton, alioſque, quos recenſere longi operis eſſet, atque laboris. Ad hanc veritatem confirmandam addi tantummodo poſſunt miracula, quæ Sanctus Bernardus operatus eſt prædicans pluribus in locis Indulgentias, quas Eugenius Papa conceſſit illis, qui ſeſe conferret ad Jeroſolymæ, terræque Sanctæ acquiſitionem, & præterea revelationes Sanctæ Birgittæ factas, a Concilio Baſileæ ad examen vocatas, & approbatas, ubi legimus Sanctam hanc Mulierem divinitus certiorem factam fuiſſe magnarum Indulgentiarum, quæ ſunt in Urbe Roma. *Auctores recentes*.

Admirabilis conſenſio inter Dei juſtitiam & miſericordiã in Indulgentiis vel Jubilæo.

In Jubilæo, vel Indulgentiis fit admirabile temperamentum Juſtitiæ, & miſericordiæ Dei, & nuper vidimus, quomodo potiorem partem ſibi vindicavit miſericordia, ſin minus omnem: ſed dico nobis aſſumendas eſſe partes juſtitiæ adverſus noſmet ipſos, & ſi ille nobis remittit maximam pœnitentiæ ſeveritatem, nobis alacriter adimplendum eſſe, quod reliquum eſt, & abſolute neceſſarium eſt ad obtinendum effectum Jubilæi. Profecto quam maximi intereſt nihil detrahere ex iis, quæ a nobis præſtanda ſunt, cum Deus ipſe totum, quod in ipſo erat, impleverit; & ſi attulerimus omnes illas diſpoſitiones quas poſtulat, ut incomparabili hoc beneficio perfruamur, aſſero adhuc locum ſupereſſe veræ, ſinceræque pœnitentiæ. En autem quomodo pœnitentia, uti bene noſtis, duplici ratione conſiderari poteſt, vel quatenus Sacramentum, vel quatenus virtus. Sed utraque requiritur tamquam neceſſaria conditio, ut Indulgentiarum, & Jubilæi gratia perfruamur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Cur Sacramentum pœnitentiæ ad lucrandas Indulgẽtias requiratur.

Pœnitentiæ Sacramentum neceſſarium eſt ad Indulgentias lucrandas; atque videtis hoc ſemper præſupponi, quoniam remiſſio pœnarum peccatis noſtris debitarum illis tantum conceditur, qui jam conſecuti ſunt veniam noxæ, quod centies repetitum eſt. Etenim per Sacramentalem Confeſſionem, peccati culpa, ſi mortalis fuerit, vulgo dimittitur, & quantumvis parum de cetero exigatur, nemo ſeſe ab hac inevitabili conditione poteſt eximere. Jam noſtis hujus rei difficultates, etenim quantumvis Indulgentiæ, vel Jubilæus ſeſe extendat in partem hanc, facultatem tribuens peccata ſua confitendi Sacerdoti cuilibet approbato, & cuivis Confeſſario poteſtatem omne criminum genus dimittendi, omnes cenſuras auferendi, a votis particularibus abſolvendi, vel in alia bona opera convertendi, aliaque permittat lenimenta, quæ non ſemper in communibus confeſſionibus inveniuntur; tamen ſemper neceſſe eſt verum, ſincerumque dolorem concipere; alioquin cum nullum Sacramentum, ſatisfactio, & pœna peccato debita non dimittitur, qui tamen proprius eſt Indulgentiarum, vel Jubilæi effectus. Præterea opus eſt, ut confeſſio hæc ſit integra pro peccatis gravibus, & dolor ſaltem ſeſe ad ceteros extendat; quod ſi deſit, nunquam Indulgentia vel plenaria eſt, vel integra, ſi quid ipſi ſcientes, ac volentes retinuerimus. Sinceræ huic confeſſioni accedet quidquid illi cum ceteris commune eſt; propoſitum relinquendi peccatum, & adhæſionem peccato, firmum, & conſtans eſſe debet, & æque neceſſarium, utpote quod in eodem dolore patrati ſceleris continetur. Quæ enim ſperari poſſet remiſſio pœnæ non ſecus ac culpæ ejus peccati, quod non decreviſſes relinquere? Si ergo nobiſmet hac in re gratificari voluerimus, Deus promiſſam nobis revocaret gratiam; nulla nobis ſperanda eſſet Indulgentia, non ſecus ac nulla criminum venia. Hoc autem non eſt tam modicum, uti aliquis fortaſſe arbitrari poteſt; quoniam in hoc conſiſtit vera peccatoris converſio; & ſi fideliter iſta adimpletur conditio, dicere poſſumus jam factum eſſe quod potiſſimum eſt, & validiſſimum pœnitentiæ obicem ademptum fuiſſe. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Conditiones ſine quibus Indulgentiæ & Jubilæus effectum ſuum habere non poſſunt.

Si per Indulgentias vel per Jubilæum nobis exteriores pœnæ, & pœnitentiæ remittuntur, quæ corpus affligunt, aliæ ſunt non minus graves, quas Deus, & Eccleſia nunquam remittent. Hujuſmodi ſunt effectus quorumdam peccatorum; occaſiones, quæ efficere facile poſſunt, ut relabamur; loci occurſus, ſocietates, quas noſtræ infirmitatis experientia docet, ſuſpicione vacuas non eſſe, & quas omnino evitare tenemur. Etenim quomodo ſincere peccato abrenuntiare poſſumus, niſi abrenuntiemus iis, quæ nos in peccatum impellunt, & alliciunt? Præterea quædam ſunt pœnæ quibuſdam peccatis inhærentes, ſine quibus locum habere non poſſet quæcumque Indulgentia. Talis eſt alienorum bonorum, & honoris, ac famæ, cui labes adſperſa fuit, reſtitutio, reparatio ſcandali proximo dati, ſincera acceptarum injuriarum remiſſio, reconciliatio ex intimo corde cum gravioribus inimicis facienda: alioquin diceret nobis Deus non ſecus ac Evangelico Servo: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me; nonne igitur oportuit te miſerere conſervi tui?* Hæc ea ſunt, ipſi noſtis, qui in chriſtiana religione ſunt maxime ardua, & difficilia; & a quibus nonniſi abſoluta impoſſibilitas eadem præſtandi diſpenſare non poteſt; & ſine quibus non indulgentiæ, non Jubilæus ullum conſequi poteſt effectum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Matth. 18.

Ejuſdem argumenti.

At enim, inquies, hæ conditiones, vel obligationes inhærent neceſſario omnibus confeſſionibus: Ideo inhærent etiam confeſſioni quæ propter Jubilæum lucrandum facienda eſt, tantoque magis, quia in gratiæ ſtatu eſſe debet, qui perfrui vult hoc inæſtimabili beneficio, & quia ſi hæ deſint conditiones, impoſſibile eſt gratiæ ſtatum acquirere, & conſequenter beneficii hujus participes fieri. Si igitur elucet Dei miſericordia in ea agendi ratione, qua utitur cum peccatoribus in Indulgentiis, vel Jubilæis, quantum in nobis eſt adimplenda ſunt nobis omnia juſtitiæ officia, ſumma cum ſedulitate, ac fide ea præſtantes omnia, quæ Deus a nobis requirit. Certus ſum autem, ſi rite attenderitis hoc modicum, quod a vobis exigitur, vos intellecturos eſſe illud late patere, & peculiares difficultates involvere, ita ut ſæpe facilius eſſet maximas ſubire corporis auſteritates, quam ex corde nuntium mittere vinculis, quibus peccato ſumus adſtricti, & replere conditiones omnes veræ huic converſioni neceſſarias. *Idem*.

Pœnitẽtia ipſa quatenus virtus neceſſaria eſt in Indulgentiis, & Jubilæo.

Si Pœnitentiam conſideres, quatenus virtus eſt, & cujus finis eſt ſatisfactio a nobis facienda juſtitiæ Dei: conſtat, Deum erga nos uti admirabili ac indulgentia acquirendi in Jubilæo, atque Indulgentiis, quas nobis largitur Eccleſia, re tam modica remiſſionem pro ſceleribus aliquando enormibus, & etiam fortaſſe multoties repetitis: ſed cum debiti hujus remiſſio non ita integra eſt, ut non aliqua pars dimittenda ſuperſit; ne juſtitia divina prorſus de ſuo jure decedat; quod reliquum eſt, a nobis replendum eſt cum omnibus illis ſenſibus pietatis, quos meretur favor eximius, quo cumulamur. *Idem*.

Theſaurus meritorum Salvatoris, atque Sanctorum quam-

Non deeſt difficultas, quæ nobis negotium faceſſere poſſet, & quæ proculdubio aliqua indiget elucidatione: nempe, cum Summus Pontifex non ſit niſi Œconomus,

Theſaurus perſonis delictarum ſingillatim non prodigitur a Summo Pontifice in Jubilæo; & quare.

mus, & diſpenſator hujus theſauri meritorum Salvatoris, atque Sanctorum, cumque illo uti non poſſit niſi ad majorem Eccleſiæ utilitatem, cujus Summus eſt Paſtor, majoremque gloriam illius, qui credidit ipſi reditum ſuorum adminiſtrationem, non ſecus ac gregis ſui curam; quomodonam, quæris, concedere poteſt omnibus fidelibus omnium ætatum, omnium regionum, quin ullum habeatur diſcrimen, culparum remiſſionem adeo generalem, atque integram pœnarum omnium tot peccatis debitarum? Hoc eſt, dicent aliqui fortaſſe, eſſe prodigum hujus theſauri diſſipatorem potius, quam fidelem Æconomum? Quæ propno inter hos tres jejunii dies, viſitationem aliquarum Eccleſiarum, preces aliquot, quarum multitudo permittitur ſæpe devotioni ipſorum pœnitentium, & integram immenſi debiti remiſſionem? Quæ ratio ita juſta eſt, & ita urgens, quæ cogat Eccleſiæ caput, ut hunc theſaurum profundat? Hic ſcopulus eſt, & lapis offenſionis hæreticorum ſæculi tranſacti, & quod ſæculi etiam noſtri licentioribus præbet murmurandi occaſionem. Eſto quidem Eccleſiæ, & Chriſtianorum Principum Pax, hæreſum extirpatio, funeſti exitus bellorum omnia igni, ferroque vaſtantium, rationabile ſit argumentum Summi Paſtoris cura, & zelo digniſſimum, quæ tamen ratio eſt inter hæc media, ac tantos effectus? Oratio ad horæ quadrantem producta ex Dei Juſtitia extorquebit id, quod Sancti nonniſi plurimorum annorum lacrymis, ac vitæ totius auſteritatibus obtinuerunt? Ecce auditores omne robur propoſitæ difficultatis, quæ plurimorum fovet incredulitatem, ubi agitur de Indulgentiis. Fatentur illi in Summo Pontifice non deeſſe illarum diſtribuendarum poteſtatem; ſed æternum contra aſſertum abuſum declamant. His igitur reſpondeo, id genus homines fallaci zelo præoccupari, non illo, qui cum ſcientia, & perfecta ejus rei, de qua agitur, cognitione eſſe debet conjunctus. Eccleſia ſuas habet indigentias, & neceſſitates, nemo negat; Bella licentiam creant, & mala furentia: illam infideles laceſſunt, & inſignes referunt progreſſus; hæreſes inſurgunt, & fides debilitatur. Scelera augentur, & in terram Cæleſtia detrahunt flagella. De his avertendis agitur, de procella fuganda, de flectenda divina Juſtitia, & de Cæleſtibus benedictionibus in omnem chriſtianitatem promerendis. Cauſſa hæc nunquid ſatis magna, & gravis non eſt? Non eſt effectus Sanctæ prudentiæ? De hoc dubitas? Verum quæris mediorum cum hoc adeo nobili fine proportionem? Ecce illam. Ad tantum hoc bonum obtinendum, ubi de totius chriſtianitatis pace, ac bono agitur; opus eſt proculdubio multis precibus, jejuniis multis, plurimis eleemoſynis, plurimiſque piis operibus, & pœnitentiis ad mulcendam numinis iracundiam, & obtinendum magnum illud bonum, quod petitur, & enixius flagitatur. Sed aſſero hæc omnia a nobis obtineri non poſſe mediis tutioribus, atque certioribus quam per eam rationem, eaſque conditiones, ſub quibus Indulgentiæ vel Jubilæus proponuntur: Hic nodus eſt totius difficultatis: diligenter attendite. Concedo igitur Auditores, id, quod quiſque ſingillatim ad id confert, modicum eſſe; ſed quod faciunt ſimul omnes Chriſtiani omnium Urbium, & omnium regionum, magnum eſt aliquid; cumque maxima quælibet flumina coaleſcant ex multitudine plurimorum rivulorum in ea confluentium: ita multitudo jejuniorum, precum, eleemoſynarum, quæ his ſanctis temporibus fiunt, efficiunt acervum, & congeriem quamdam bonorum operum aptam ad cohibendam iram Dei, & ad ſatisfaciendum Juſtitiæ illius. Omnes hæ communiones in eumdem finem conſociantur; omnes iſtæ preces ſimul junctæ idem habent objectum, & hæ pœnitentiæ in eumdem ſcopum collimant. Non ambigendum ergo eſt, quominus maximam habeant vim ad obtinendum quidquid per hæc omnia impetrare conamur; nam ſi centum, vel mille pii viri dies, noctesque in jugi oratione perſiſterent. Nunquid eleemoſynæ tot myriadum; majorem auri, argentique vim conſlant, quam ſi viginti, vel triginta univerſa bona ſua pauperibus erogarent? Hoc alia in occaſione dicebat Tertullianus loquens de fidelibus, qui in unum congregabantur, & preces ſuas colligebant, ut quamdam veluti violentiæ ſpeciem inferrent divinæ miſericordiæ; *Coimus in cœtum, & in congregationem, ut quaſi manu facta, miſericordiam ambiamus orantes.* Hac arte Ninivitæ uſi ſunt ad iram Dei flectendam, qui alioquin Urbem illam ſubvertiſſet. Summi, & imi, Principes, & privati induti ciliciis, ac cinere caput adſperſum habentes jejuniis, & gemitibus pro omnibus obtinuerunt, quod ſinguli fortaſſe, pro ſe quiſque, non obtinuiſſent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Ut omnes ſimul chriſtiani in corpus unum conjungerentur, & fieret acervus harum ſingularium ſatisfactionum, opus erat, ut ſinguli propria utilitate compellerentur; bonum quippe, quod generatim pertinet ad omnes, non ita prope nos tangit, ut vehementer nos moveat. Quid autem homines magis movere poteſt, quam promittere ſingulis propriorum debitorum veniam: Juſtitia, quæ æqualitatem poſtulat, lædi non poteſt, ubi in communi ſatisfiat; per hoc fit quædam compenſatio alienæ tum copiæ, cum inopiæ; præterquam quod non diffitebimini Deum magis coli converſione hæreticorum, & infidelium, Eccleſiæ pace, religionis incremento, & frequenti bonorum operum praxi; quam ſi peccatores aliqui in hac, vel in altera vita extrema cum ſeveritate expiarent patrata flagitia. Quoniam alterum quidem publicum bonum eſt, tendens ad ipſius religionis incolumitatem, alterum vero privatum tantummodo bonum eſt. Hic igitur theſaurus melius nequit impendi; finis æquior eſſe non poteſt; non urgentior neceſſitas, non uſus utilior, neque melius conſuli poteſt Juſtitiæ Dei, quam in hac Indulgentiarum, & Jubilæi cum ejuſdem miſericordiæ conſenſu. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De poteſtate concedendi Indulgentias peccatoribus.

Quod pertinet ad virtutem, ac poteſtatem Indulgentiarum, quæ ſita eſt in remittenda peccati pœna per meritum JESU CHRISTI & Sanctorum, cur iniquo fertis animo Eccleſiam hoc ſæculo vindicare ſibi hanc poteſtatem; quandoquidem conſuetudo nos docet, hac ſemper gaviſam fuiſſe poſſeſſione, cum in ipſo ortu Canonicas pœnas remiſerit, quod fecit S. Paulus cum Inceſto Corinthiaco? Eutichianorum Epiſtola in Chalcedonenſi Concilio relata nonne meminit, tempore Paſchatis peccatoribus dimitti conſueviſſe, quod ſuis criminibus meriti fuerant? Nonne hoc innuere vult Sanctus Cyprianus cum ait: poſſe Deum Indulgentias concedere, lenire judicium ſuum, per clementiam ſuam dare veniam illi, qui pœnitentiam agit, qui bona opera operatur, & approbare, atque acceptas habere Martyrum poſtulationes, & quidquid in eorum gratiam a Sacerdotibus conceſſum fuiſſet? Verba hæc palam oſtendunt, Martyres conſueviſſe petere ab Eccleſia remiſſionem pœnarum debitarum peccatoribus pœnitentibus, & Eccleſiam nonnunquam ratas habuiſſe petitiones eorum, & ſupplicibus eorumdem libellis ſubſcripſiſſe. Hoc autem non placuit Tertulliano, in libro de Pudicitia, ubi poſtquam locutus eſt de remiſſione pœnæ per JESUM CHRISTUM exprobrat Eccleſiæ, a qua jam receſſerat, quod *Martyribus ſuis hanc conceſſerit poteſtatem.* Verum cum Eccleſia habeat poteſtatem imponendi pœnas Canonicas, cur non habeat etiam illas auferendi? quandoquidem ratio evicit alteram cum altera neceſſario nexu eſſe conjunctam. *Ex libro, cui titulus; Præcipua fidei capita Cardinalis de Richelieu.*

Reſponſio objectioni, quæ fieri poteſt de Indulgentiarum poteſtate.

Si dicis pœnas Canonicas, quæ ab Eccleſia remittebantur, impoſitas non fuiſſe ad perſolvendum id, cujus noſtra peccata nos debitores conſtituunt coram Deo, ſed tantum ad ſatisfaciendum Eccleſiæ per peccati ſcandalum læſæ; damnaris ratione, ac teſtimonio Patrum, & confeſſione illorum etiam, qui Eccleſiæ ſenſui adverſantur. Dico primum te damnari ratione eo quod ſatisfactiones, quæ imponebantur, non ſolum propter publica delicta, ex quibus ſcandalum ad Eccleſiam pertingeret, verum etiam ad illa, quæ ipſa non noverat, propter delicta occulta, quemadmodum S. Cyprianus teſtatur. Hinc ſequitur, pœnam, quæ in Indulgentiæ formam remittebatur, præſcriptam fuiſſe, ut Deo ſatisfieret, & non ſolum populo. Ad hæc pœnæ, quæ præſcriptæ fuerant, & quæ remittebantur, nonnunquam clam, & ſecreto adimplebantur, ut docet Gennadius. Nonnunquam imponebantur propter levia peccata, teſte eodem S. Cypriano; & improbantur ad iram Dei mulcendam per pœnitentiam, & veniam eo facilius obtinendam, quo difficilius nobiſmet parceremus, Tertullianus ait, ne peccatorum punitio reſervaretur in finem; hoc eſt in alteram vitam, S. Auguſtinus inquit, Omnes id genus conſiderationes locum non habent in ſatisfactionibus illis, quæ ſolum fiebant habita Eccleſiæ ratione: quoniam imponebantur propter ſecreta peccata, non propter leves noxas, & fiebant ſecreto. Quapropter pœnæ impoſitæ non ſolum erant ut Eccleſiæ ſatisfieret, ſed Deo, qui læſus fuerat. *Idem.*

Chriſtianorum eſt, quibus cura ſit ſalus ſua, proficere ex beneficio, & propitia occaſione Jubilæi.

Modo veſtrum eſt, auditores, uti occaſione adeo propitia, & inde quam maximum fieri poteſt lucrum percipere. Non immorabor in ſingulis, quæ ſunt neceſſaria, ut tanto bono fruamur. Bulla ad rem hanc edita nihil relinquit explanandum; & ſi vobis aliqua ſupereſſet dubitatio, hæc proponenda eſt Confeſſario, qui vos fuſius poteſt edocere. Mihi dicere ſatis eſt, quamvis integrum ſit cuilibet initium facere vel a jejuniis, vel ab eleemoſynis, vel a ſtationibus præſcriptis, & imperatis, & poſt hæc omnia peracta, Jubilæus, vel Indulgentia acquiratur; tamen utilius, & opportunius cenſeo initium facere a Confeſſione; quia re adhuc integra noſmet in gratiæ ſtatum recipientes, cetera cum merito ſolvimus, quod nobis ad æternitatem computatur; cum alioquin eorum in altera vita mercedem amittimus, ſi a nobis in ſtatu peccati peragantur: præterquam quod preces, poſt reconciliatam gratiam cum Deo illi ſunt magis acceptæ, & majora cum facilitate exaudiuntur. Reliquum eſt ergo ut adjuvem vos per veſtram utilitatem, ut tantum, tantique opus momenti adimpleatis ea cura, quæ eſſe poteſt maxima, cum omni ſenſu pietatis, & grati animi, cogitantes hoc Jubilæi tempus eſſe vere tempus acceptabile, & dies ſalutis: *Ecce nunc tempus acceptabile, nunc ſunt dies ſalutis.* Hoc tempore potiſſimum imitari debemus Apoſtolum ita loquentem, adimplentes cum illo ea quæ deſunt paſſionum Domini: videlicet applicatio earum a nobis facienda in Jubilæo, vel Indulgen-

tia, quæ nobis conceditur, eſt, veluti compoſitum quoddam ex Sanguine Salvatoris, & bonis operibus peccatoris. Hæc ſimul miſcenda ſunt, ita ut, ſicuti Salvator ex ſe, ſua confert merita, paſſiones, & fructum Sanguinis ſui: nos etiam conferamus opera noſtra bona, cum omnibus ſenſibus grati animi, pietatis, & Religionis. Quod ſi neglexerimus hanc gratiam, & occaſionem adeo opportunam, divina juſtitia aliquando ſua repetet jura, quæ modo in gratiam veſtram remittit: quas pœnas, quæſo paulisper advertite, vel potius, quam terribilia evitatis ſupplicia hoc pacto in altera vita, & quam auſteras pœnitentias non condonat vobis divina bonitas in præſenti? Si Deus hanc concederet gratiam illi, qui in Purgatorii carceribus piacularibus utuntur ignibus, quibus illi ſe non ultro ſubjicerent pœnitentiis, & ſatisfactionibus? Beneficium, quod vobis offert nequaquam inferius eſt illo, quod illis conferret educens eos de triſtibus locis; e contra majus eſt, id enim agit, ut condonet vobis cruciatus non ferendos pro re modica quam petit a vobis: ut pœnitentiam vobis diutius proferendam faciat breviorem, & denique ut celerius adire poſſitis poſſeſſionem gloriæ, & beatæ æternitatis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Eccleſia ita clemens eſt, ut nobis aperiat theſauros Salvatoris, atque Sanctorum, ut debita noſtra ſolvamus; certe credo Indulgentias tutiſſimas eſſe vias, per quas noſmet expediamus. Ad id afferendæ ſunt omnes diſpoſitiones, quæ præcipiuntur: ſed quotuſquiſque id operatur? Opus eſt eſſe in gratiæ ſtatu: quiſnam certo ſcit, ſe eſſe? Oportet peccati veniam obtinuiſſe: quiſnam illam obtinuit? Oportet aliquem patrati ſceleris dolorem concepiſſe; & fortaſſe quiſnam ad id animum advertit? Crederetis ne, Auditores, ullas animas damnatas fuiſſe piacularibus flammis in finem uſque ſæculorum torquendas? O Deus, quæ diuturnitas! quot abituri ſunt dies, menſes, anni, ſæcula uſque ad mundi finem? Homines id neſciunt. Apoſtoli hoc ſcire cupierunt, & ſcire non valuerunt. Sancti in Empyreo id ignorant: beatæ Paradiſi mentes hoc Myſterium non aſſequuntur. Hoc ſecretum eſt Deo, & JESU CHRISTO reſervatum, & adeo terribilis diuturnitas tempus eſt pœnarum animæ patientis. *Ex libro cui titulus: Chriſtiano caritatis exercitium P. Auger.*

Indulgentiæ media ſunt certiſſima ad nos a Purgatorii flammis liberandos.

DE ECCLESIÆ PRAXI
IN CULTU IMAGINUM SALVATORIS,
ATQUE SANCTORUM.
MONITUM.

Poſtquam fuſius locuti ſumus de Cultu, quem ſemper adhibuit, & adhiberi permiſit Eccleſia Sanctis; inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut verbe faciamus de honore quem præſtamus coram Imaginibus, & illis Salvatoris noſtri, Beatiſſimæ Virginis, Angelorum, & eorum, quibus Eccleſia patitur a nobis eo modo coli, quem nobis præſcribit.

Si Concionator hoc ſibi ſermonis argumentum proponit, mea quidem ſententia opus eſt, ut ſe a Controverſiæ Scriptura diſſimilem prebet, atque extra omnem dubitationis aleam ſupponat. 1. Primitivæ Eccleſiæ conſuetudinem, ideoque antiquitatem cultus, qui conſtanti, atque immemorabili innititur traditioni. 2. OEcumenici Concilii decretum, quo adverſus Iconoclaſtas ſancitum fuit, hunc cultum licere ita, ut de fide ſit Imagines coli poſſe.

Chriſtianus orator non debet prolixius de Cultus hujus natura verba facere, neque omnes ejus conditiones exponere; illis ſatis eſt docere, honorem, qui adhibetur imaginibus, referri ad perſonam, quæ honoratur, & cauſſas, quas in hujuſmodi cultu poſſumus ſequi; quare Religioſas vocari poſſit, & quomodo poſſit adhiberi; ſed prætermittenda non ſunt utilitates, quæ inde percipiuntur, perennia miracula, quæ Deus operatur, exemplum, & praxis præſtantiſſimorum virorum, & ſanctitatis fama præſtantium. Hæc omnia exponi poſſunt nuperis hæreticis, quibus nihil antiquius eſt, quam religioſiſſimos ſenſus, & ſanctiſſimas Eccleſiæ conſuetudines improbare.

DE PRAXI ECCLESIÆ
IN CULTU IMAGINUM SALVATORIS,
ATQUE SANCTORUM.

De præcepto Dei ſtatuendi ſculptile.

CUM præcepit Deus populo ſuo: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem &c.* ſubdit ſtatim, *Non adorabis, neque coles ea. Non igitur quis exiſtimet omnino pingendi, fingendi, aut ſculpendi artem hoc præcepto prohiberi: Nam in Scripturis juſſu Dei ſimulacra, & imagines effectas legimus Cherubim, ſerpentis ænei. Supereſt igitur, ut imagines ob eam rem vetitas interpretemur, ne quid ſimulacris, quaſi Diis, colendis, de vero Dei cultu detraheretur. Duplici autem potiſſimum ratione, quod ad hoc præceptum attinet, Dei Majeſtatem vehementer lædi perſpicuum eſt; altera, ſi idola & imagines tamquam Deus colantur, aut credatur ineſſe aliqua in his divinitas, vel virtus, propter quam ſint colenda, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia ſit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, quod paſſim ſacræ litteræ reprehendunt: altera ſi quis conetur divinitatis formam aliqua artificio effingere, quaſi corporis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſet. Quis enim Deum, ut inquit Damaſcenus, qui ſub aſpectum non cadit, qui corporis expers eſt, qui nullis terminis circumſcribi, nec ulla figura deſcribi queat, poſſit exprimere? quæ res in altera Nicæna Synodo uberius explicatur. Præclare igitur Apoſtolus eos mutaſſe Dei incorruptibilis gloriam in ſimilitudinem volucrum, quadrupedum, ac ſerpentum dixit. Hæc enim omnia tamquam Deum venerabantur cum illi harum rerum imagines ponerent. Quocirca Iſraelitæ, qui ante vituli ſimulacrum clamabant; hi ſunt Dei tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti, idololatræ ſunt appellati, quia mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Cum igitur Dominus Deus alienos coli prohibuiſſet, ut penitus idololatriam tolleret, imaginem Divinitatis ex ære duci, & alia quavis materia fieri prohibuit: quod Iſaias declarans inquit: Cui ſimilem feciſti Deum, aut quam imaginem ponetis ei? atque in hoc præcepto hanc ſententiam contineri, præter Sanctorum Patrum ſcripta, qui eam, quemadmodum in ſeptima Synodo expoſitum eſt, ſic interpretantur, illa etiam Deuteronomii verba ſatis declarant, ubi populum avertere ab Idololatria cum vellet, ajebat: Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis. Quod ſapientiſſimus Legiſlator ideo dixit, ne quo errore ducti divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitam honorem rei creatæ tribuerent. Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.

Ejuſdem argumenti.

Nemo tamen propterea contra religionem, Deique legem quidquam committi putet, cum Sanctiſſimæ Trinitatis aliqua perſona quibuſdam ſignis exprimitur, quæ tam in veteri, quam in novo teſtamento apparuerunt: nemo enim tam rudis eſt, ut illa imagine divinitatem credat exprimi; ſed illis declarari doceat Paſtor proprietates aliquas, aut actiones, quæ Deo tribuuntur: veluti cum ex Daniele pingitur antiquum dierum in throno ſedere,

Peccare non eſt repræſentare aliquam e perſonis SS. Trinitatis ſub aliqua forma.

antequam libri aperti ſunt, Dei æternitas, & infinita ſapientia ſignificatur, qua omnes hominum cogitationes, & actiones, ut de iis judicium ferat intuetur. Ex Concilii Tridentini Catechiſmo.

Quare Angeli ſub humana forma exhibentur.

Angeli etiam tam humana ſpecie, tam alis effinguntur: ut intelligant fideles, quam propenſi ſint in humanum genus, & tamquam parati ad miniſteria Domini exequenda: omnes enim adminiſtratorii ſpiritus ſunt propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. Columbæ vero ſpecies, & lingua tamquam ignis in Evangelio, & Actis Apoſtolorum, quas Spiritus ſancti proprietates ſignificent multo notius eſt, quam ut oporteat pluribus verbis explicari. At vero cum CHRISTUS Dominus, ejuſque ſanctiſſima, & puriſſima Mater, ceterique omnes Sancti, humana præditi natura, humanam ſpeciem geſſerint, eorum imagines pingi, atque honorari non modo hoc præcepto interdictum non fuit, ſed etiam ſanctum, & grati animi certiſſimum argumentum ſemper habitum eſt: quod & Apoſtolicorum temporum monumenta, & Œcumenica Synodi, & tot ſanctiſſimorum, doctiſſimorumque Patrum inter ſe conſentientium ſcripta confirmant. Ex Tridentini Concilii Catechiſmo.

Perutile eſt Eccleſiæ Sanctos colere in imaginibus.

Non ſolum autem licere in Eccleſia imagines habere, & illis honorem, & cultum adhibere, oſtendet Parochus, cum honos, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa, verum etiam maximo fidelium bono ad hanc uſque diem factum declarabit; ut ex Damaſceni libro, quem de imaginibus edidit, & ſeptima Synodo, quæ eſt ſecunda Nicæna, intelligitur. Verum quia Sanctiſſimum quodque inſtitutum hoſtis humani generis ſuis fraudibus, & fallaciis depravare contendit: ſi quid forte populo hac in re peccatum fuerit, Parochus Tridentini Concilii decretum ſecutus quoad ejus fieri poterit, ſtudebit corrigere. Ac decretum quidem ipſum, cum res tulerit, populo interpretabitur; tum rudes, & qui imaginum ipſarum inſtitutum ignorant, docebit, imagines factas ad utriuſque teſtamenti cognoſcendam hiſtoriam, atque ejus memoriam identidem renovandam: quo rerum memoria excitati ad colendum, atque amandum ipſum Deum vehementius inflammemur: Sanctorum quoque imagines in templis poſitas demonſtrabit, ut & colantur, & exemplo moniti, ad eorum vitam, ac mores nos ipſos conformemus. Ex Concilii Tridentini Catechiſmo.

Ex iis quæ Catholica docet Eccleſia de Imaginum cultu haud ægre innoteſcet, quibus veris principiis Chriſtiana Religio innitatur; & quin aggrediamur inſignes quæſtiones, quæ a Theologis pertractantur, omnibus ita perſuaſum erit de antiquitate, & ſoliditate uſus, qui ſit a nobis de Sanctorum imaginibus, ut nemo nos idololatriæ nomine poſſit reprehendere, quin ſe ſe objiciat cachinnis ſimul & indignationi eorum omnium, qui ſui compotes ſunt, & æqui rerum æſtimatores.

Impietas Imp. Leonis Iſaurici qui primus bellum indixit Imaginibus Salvatoris, B. Virginis, & Sanctorum.

Leo Iſauricus Imperator cum adhuc fidem Catholicam profiteretur, primus fuit, qui palam ſanctis imaginibus JESU CHRISTI, Sanctiſſimæ Virginis, atque Sanctorum bellum inferret mordicus tenens a Chriſtianis idola hæc adorari: cumque hæc paſſim mortalium, aulicorum vero præcipue conſuetudo ſit cæce Principis ſtudiis obſequi; Cæſaris hujus impietas brevi facta eſt Principum religio, qui non aliam profiteri voluerunt niſi religionem illius, tunc vero præſertim cum viderunt, quonam furore per vim, atque ſupplicia vellet illam ſtatuere. Miſit enim Præfectos ſuos plurimis ſtipatos ſatellitibus, ut tota urbe inſpectante proſterneret Imaginem Salvatoris, quæ imminebat foribus Ædium Imperialium Conſtanti cura olim extructarum; ſed Populus jam furens ad illud Cæſaris edictum agmine facto ad arma cucurrerunt undique, ut execrabilem conatum prohiberent, & ſane prohibuerunt; quod Hæreticum Imperatorem coegit, ut aliis rationibus uteretur ad iram evomendam, hæreſimque ſuam roborandam. *Ex hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Media quibus uſus eſt Leo, ut cogeret Chriſtianos ad cultum imaginum perſequendum.

Nihil inauſum, intentatumque reliquit Imperator, minas, mollia verba, blandas promiſſiones, terroreſque, ut Chriſtianos in ſuam ſententiam alliceret, atque pertraheret; atque omnes perſequerentur Cultum Imaginum, quem idololatriam vocabat: ſed quin injuſtis voluntatibus Cæſaris morem gererent, cujus violentum ingenium jam in cruentos crudelitatis effectus exarſit, doctores nonnulli provinciam ſibi depopoſcerunt illum convertendi, & injiciendi in illius animum horrorem facinoris, quod nulla ratione poterat ſuſtineri. Cum autem eſſent doctiſſimi, & in Eccleſiæ doctrina conſultiſſimi, oſtenderunt ei, maximum intereſſe diſcrimen inter Idola, quæ Ethnici adorant, & imagines, quas Chriſtiani venerantur. Idolum eſſe ſimulacrum, quod Deus eſſe creditur, vel quod fallacem repræſentat divinitatem; cujus honores divini adhibentur: imaginem vero ſanctam veram eſſe repræſentationem ejus, qui profecto eſt honoris digniſſimus, videlicet J. C. Domini noſtri, B. Virginis, atque Sanctorum; in quibus tamen agnoſcitur divina virtus: Deum, qui unice adorandus eſt Latriæ cultu, qui uni illi debetur, in Decalogo interdixiſſe uſum idolorum, vel ſimulacrorum, quæ habentur tamquam Dei, vel quæ repræſentant tamquam Deum id, quod re vera non eſt, & quod partitur cum illo divinos honores; ſed non prohibuiſſe alias imagines, eaſque nullo pacto damnaſſe; immo etiam præcepiſſe ut ſuper arcam ponerentur imagines Cherubim, atque extolleretur Serpens æneus, qui erat figura, vel allegorica imago JESU CHRISTI Crucifixi. Salomonem poſuiſſe ante Arcam alia duo Cherubim ex olivo, auro obducta; In ejuſdem templo plures viſas fuiſſe beatorum horum ſpirituum imagines cum figuris palmarum, aliaſque pictas: Totique Aſiæ compertum fuiſſe, quod JESUS CHRISTUS miſerat imaginem ſuam ad Abagarum Edeſſæ Regem. *Ex Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Cultus imaginum probatur exemplo mulieris, quam Dei filius a ſanguinis fluxu liberavit.

Cultus, qui præbendus eſt imaginibus, nulla re melius probatur, quam illius mulieris exemplo, quam JESUS CHRISTUS a ſanguinis fluxu liberavit. Mulier hæc præbere volens JESU CHRISTO ſuæ gratitudinis argumenta, juſſit eidem poni æneam ſtatuam in urbe Paneadis; & Deus, ut factum hoc probaret, & illud ſibi acceptiſſimum eſſe oſtenderet, voluit imaginem illam efficere celeberrimam, eamque quodammodo inſignibus conſecrare miraculis; Quorum primum fuit, quod cum ignota quædam herba, quæ ad ſtatuæ pedes nata creviſſet uſque ad attingendam fimbriam tunicæ Salvatoris admirabilem obtinebat vim omnia morborum genera curandi. Alterum eſt cum Julianus Apoſtata imperaviſſet, ut in hujus dejecti ſimulacri locum ſua ſtatueretur imago, ſtatim hanc de cælo fuiſſe percuſſam, ac dempto ejuſdem capite, eo in ſitu poſitam fuiſſe, in quem olim redactum fuit idolum Dagon in templo Philiſtiim, Cum deinde in ſanctam hanc imaginem membratim conciſam Ethnici furorem ſuum exercuiſſent, Chriſtianorum cura fuit laceros artus colligere, ut in templa ſua inferrent, ubi deinceps illa aſſervarunt ſumma cum reverentia. Mulieris hujus exemplum ſecuti primi fideles habere voluerunt Salvatoris imaginem, præſertim vero cum ſacra celebrarentur myſteria, in maximo fervore ardentis ſuæ devotionis; ideoque etiam pingebatur in ſacris Calicibus ſub figura Paſtoris, ſuper humeros geſtantis ovem, quæ perierat. *Idem.*

Cur imaginum cultus primis ſæculis eſſet infrequentior.

Primis Eccleſiæ ſæculis, quibus in Imperio regnabat idololatria, uſus ſanctarum Imaginum, ſtatuarum vero potiſſimum erat infrequentior, ne cui præberetur locus credendi, Chriſtianis non deeſſe idola ſua, ſurrogata in eorum locum, quæ ab Ethnicis colebantur. Sed cum Eccleſia de Ethnica Religione triumphum retulit Conſtantino Magno imperante, ac ſummam libertatem, nullumque amplius ſcandalum nacta eſt; tunc ſicut Chriſtiani ædificarunt templa, quod antea nonnulli facere noluerunt; inceperunt etiam palam in templis exponere, & domi ſuæ ſacras retinere Imagines, de quibus Sancti Patres loquuntur paſſim cum laude; & quas ſummo cum honore venerati ſunt, & per quas placuit Deo eximia operari miracula. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tomo 1*

Mirum eſt, cultum Imaginum eſſe adhuc Proteſtantibus cauſam receſſionis, poſt invicta argumenta, quæ prolata fuerunt.

Mirum eſt cultum Imaginum Domini noſtri, atque Sanctorum eſſe adhuc cauſam Schiſmatis Proteſtantium, ac receſſionis eorum ab Eccleſia Catholica poſt deciſiones tot Conciliorum generalium, & provincialium, conſtantem traditionem, auctoritatem Sanctorum, & Sapientiſſimorum Doctorum, qui ſæculis omnibus floruerunt, ac tandem poſt explicationem, & elucidationem, quam Theologi præbuerunt dubitationibus, fictiſque criminationibus, quas hac in re excogitavit hæreſis, ut rebellioni ſuæ fucum allineret. Dico fucum; ſatis enim, ut plurimum, periti ſunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ut ignorare minime poſſint, unde error ſuus ortus fuerit; videlicet ab Imperatore quodam, qui factus fuit Hæreſiarcha, qui cum primus in errorem incidiſſet ſuam adhibuit auctoritatem, vires, potentiam, ut illum in Chriſtianam religionem inveheret. Verum ſi ipſi Proteſtantes adeo malæ ſunt fidei, ut fallant hac in re ſimplices animas, & illis perſuadeant, cultum, & honorem, qui adhibetur imaginibus veram eſſe idololatriam; hac re palam oſtendunt ſibi mentem eſſe indicendi bellum Eccleſiæ, impugnando doctrinam adeo ſolide probatam, & conſtitutam. *Recens Auctor.*

Ignorantia, vel nequitia tantum idololatriæ nomine inſimulare poteſt cultum plurimis Sanctis rebus adhibitum anima carentibus, ſed quæ referuntur ad Deum, & Sanctos, quos repræſentant.

Quod ſi, ſecundum Scripturam plura ſunt inania, velut Arca, Propitiatorium, Templum, Biblia, terra quædam, quidam dies, JESU CHRISTI ſepulcrum, aliaque id genus plurima, quæ ſancta, & ſacra reputantur, & quæ ideo religioſo cultu honoranda ſunt, quia ad Deum peculiariter referuntur; quis rationabiliter dubitare poteſt, utrum ſanctæ imagines religioſo cultu excipiendæ ſint, eo quod repræſentant ſacras Perſonas? Extrema tantum ignorantia, vel horribilis nequitia poterat cultum hunc idololatriæ redarguere, totus enim Mundus ſcit nullam agnoſci in imaginibus divinitatem, & per illas ipſum JESUM CHRISTUM, Sanctam Deiparam, Sanctoſque honorari; ac tandem honorem hunc ſemper referri ad Deum, qui cum ſit admirabilis & in ſe ipſo, & in Sanctis ſuis, legitime adorari poteſt, & in ſemet ipſo, & in Sanctis ſuis quorum coluntur imagines; quia hæ repræſentant eos, quos in gloria ſua coronavit. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Secundum Concilium Nicæ-

Videmus in ſecunda Nicæna Synodo validiſſimis ratio-

Digitized by Google

Cum ſcriter impugnat rationes Conciliabuli habiti ſub Conſtantino Copronymo.

tionibus confutari falſas omnes rationes, quibus Conciliabulum ſub Conſtantino Copronymo habitum, quod ſibi vindicat nomen ſeptimæ Synodi Œcumenicæ, impugnat imagines, & honorem, qui illis adhibetur. Hæ præter propter illæ ſunt, quibus Proteſtantes deinceps uſi ſunt contra Eccleſiam, quæ omnes fere fallaci innituntur imaginationi, quæ in eo poſita eſt, quod idolum, & imago idem eſt, & honorem, qui eidem adhibetur, eumdem eſſe, qui uni Deo eſt adhibendus. Hoc aſſertum Concilium ſemper hoc præſupponit, quin aliquid afferat ad illud probandum. Sed nihil afferre poterat, nil enim fallacius eſt: & in hoc illud imitantur Proteſtantes, qui doctrinam ſuam de imaginibus immodicis extollunt laudibus, quin ſibi caveant, ſecundum principia ſua, illam ſibi damnandam eſſe, quia ipſi quoque ab illa damnantur dicente anathema in eos omnes, qui rejiciunt interceſſionem Virginis, & Sanctorum; ſed cupiditas non diſcernit, & non patitur, ut conſilium adhibeatur, utrum in noſtram cadat perniciem id, quod in aliena molimur. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Primi Iconoclaſtæ ſuas occaſiones exercitant juramenta per Crucem & Euchariſtiam, ut imaginum cultum evertant.

Mirum eſt primos illos Iconomachos, qui imagines ferre non poterant, Crucem coluiſſe, cui illa in occaſione tantum honorem præſtiterunt, ut voluerint, jusjurandum fieri per ſacrum hoc lignum conjunctim cum Sancta Euchariſtia; non videntes ipſos ſemet evertere, & rationem qua tenebantur adorare Crucem auream, vel argenteam propter JESUM CHRISTUM validius probare etiam honorem adhibendum Imaginibus, quæ immediate illum repræſentant; quod certiſſime Crux minime facit. Sed ſola veritas ſibimet eſt uniformis. Error, & mendacium ſunt nimis infirma, ut ſe ſe ratione ſibi conſtante, & ad normam exacta, ſuſtineant. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Memorabile factum S. Stephani coram Leone Imperatore ad refutandam Iconoclaſtarum impietatem.

Sanctus Stephanus Junior poſtquam diu latuiſſet in deſerto Conſtantinopolim juſſu Imperatoris Leonis Copronymi acceſſitus coram illo, totaque aula inſpectante memorabile factum edidit, ut palam Iconoclaſtas impietatis argueret; videns enim Imperatorem, qui Theologum agere volebat, non alloqui vim reſponſionum ſuarum fallacibus argumentis, quæ ille afferebat, Sanctus Eremita eduxit e tunica ſua argenteam monetam, quam ab amico mutuam acceperat. Mox illam oſtentans cœtui univerſo, imaginem Cæſaris excuſam habentem, petiit, utrum pœna dignus eſſet, qui illam pedibus conculcaret propter injuriam, quæ fieret Imperatori. Haud hæſitanter illi redditum fuit, illud ſcelus futurum extremo ſupplicio puniendum. Tunc Sanctus ille vir ingenti emiſſo ſuſpirio ad Conſtantinum converſus: quid ergo, dixit illi, Domine; ſcelus eſt dedecore afficere imaginem tuam, qua metallum hoc notatum eſt, quia injuria cadit in perſonam tuam, quam nummus repræſentat, & putas non eſſe crimen confringere, & calcare, in ignem projicere, & ſexcentis modis dedecorare Imaginem Salvatoris Mundi, quamquam non magis colamus materiam in qua cuſa fuit, quam aurum, vel argentum, in quo figura tua fuit impreſſa; & totus honor, qui adhibetur illi in ipſo JESU CHRISTO terminetur, qui per hanc imaginem repræſentatur; Sed zelus illum longius paulo proripuit &c. *Hiſtoria Iconoclaſticarum. Tom. 1.*

Quid Herulphus Lingonenſis Epiſcopus gerit probaturus cultum imaginibus debitum.

Herulphus Lingonenſis Epiſcopus probaturus cultum, qui adhibetur imaginibus, teſte Sancto Gregorio Magno produxit ſuam ad Secundinum Epiſtolam, in qua mittens ad hunc Anachoretam imagines JESU CHRISTI, Deiparæ, & Apoſtolorum SS. Petri, & Pauli dicit illi ne ſe proſternat huic Salvatoris imagini velut alicui divinitati, ſed per actionem hanc adorandum eſſe illum, quem illa nobis repræſentat, vel naſcentem, vel morientem pro nobis, vel ſedentem in ſolio ſuo: denique cultus hic Sanctorum imaginum hoc modo intellectus ratione prototyporum ſuorum, & perſonarum, quæ repræſentantur, adeo ſolide probatus fuit magna teſtium copia, qui expoſiti fuerunt ab eruditiſſimis Epiſcopis Galliæ, ut anathemate perculſum fuerit Conciliabulum Conſtantinopolitanum, & quicumque negarent debitam Sanctis Imaginibus venerationem. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Inſigne miraculum quod accidit Beryti in Syria, probat ſacrum cultum imaginibus debitum.

Beryti in Syria inſigne accidit miraculum coram pluribus, iiſque irreprehenſibilibus teſtibus, ubi cum Judæi crucifixiſſent imaginem Salvatoris in ictu lanceæ qua illam transverberarunt, tanta prodiit Sanguinis, & aquæ copia, ut inde ſatis hauſtum fuerit, quod mitteretur ad Orientis, & Occidentis Eccleſias, quod in cauſſa fuit, ut Judæi, quorum ægrotantes etiam curati fuerunt per Sanctum hunc, ac miraculoſum liquorem, omnes Beryti baptiſmo ablui petierint. Cum factum eſſet omnibus compertum, atque exploratum, ita ut in dubium revocari non poſſet ſine aperto mendacio, & ſumma cum imprudentia teſtimonium oculorum, & vox Mundi totius; nemo, & ne unus quidem eorum, qui fuerant ardentiſſimi Iconoclaſtæ, illud negavit; & quia octo ex eo tempore ſæcula effluxerunt, non viget amplius eadem perſuaſio, & libertatem ſibi vindicent negandi, quod ſane irrationabile eſt; niſi quis contenderit, temporis diuturnitate veritates aboleri, & fieri, ut quod fuerit, & non eſt amplius, nunquam fuerit. *Idem.*

Error Calvini de imaginum cultu proferentis Canonem 36 Elibertani Concilii.

Calvinus probaturus ponendas non eſſe imagines in templis, in medium adfert Canonem ſextum ſupra trigeſimum Eliberitani Concilii, habiti antiquitus in Urbe Hiſpaniæ celeberrima; ſed hoc opus peſſime ceſſit Auctori. Hoc enim Concilium undeviginti Epiſcoporum, quod habitum fuit dum ſævirent perſecutiones, anno ante Nicænam primam Synodum vigeſimo, ſtatuit ſolum, ne fierent picturæ in corpore, atque ædificio Eccleſiarum, ne, inquit, quod colitur, & adoratur, ſit in parietibus, unde contingere poterat, ut ſævientibus perſecutionibus id genus imagines non æque facile celarentur, ac tabulæ; ideoque remanerent expoſitæ injuriis, & contumeliis hæreticorum; vel ne humiditate corruptæ, ubi templa defererentur, tandem redigerentur in ſtatum ipſis indignum, & eo, quod repræſentabant. Itaque tantum abeſt, ut Concilium illud adeo vetus quidquam edixerit, quod cultui officiat imaginum, ut econtra earum honori conſulat, & palam oſtendat, ita viguiſſe conſuetudinem habendi imagines, eaſque in Eccleſiis venerandi, ut in ipſis etiam parietibus pingerentur; quod adhuc & in ipſa etiam Hiſpania factum eſt, ex quo edicti illius, quod ad politiam tantummodo pertinet, cauſſa ceſſavit. Hæc omnia probat, Calvinum, qui dicere auſus eſt, prioribus quoque ſæculis Eccleſiæ nullas fuiſſe in Eccleſiis imagines, hiſtoriam penitus ignoraſſe; namque præſertim poſt Conſtantini converſionem tot extant in oppoſitum exempla in hiſtoriis, & Patribus; & videtur adhuc tantus in Catacumbis Sanctarum imaginum numerus, ubi primi fideles ſua pietatis officia, & Synaxes perſecutionum tempore peragebant, ut exiſtimem, ejus hodierna die diſcipulos, qui magiſtro doctiores ſunt, illius inſcitiæ rubore ſuffundi. *Idem.*

Eccleſia nos docet quem cultum Imaginibus debeamus.

Ut melius intelligamus, quem cultum debeamus imaginibus, paucis, & perſpicuis verbis exponere volo, quidquid Eccleſia nobis credendum proponit, ſecernens id ab eo, quod curioſorum, & doctorum ſubtilitas, infirmorumque ſuperſtitio, atque ignorantia commiſcuit. Ad id præſupponendum eſt imagines per ſe nullo eſſe in diſcrimine, neque præcipi, neque vetari in Evangelio, & in veteri teſtamento Deum interdicere tantum idola, & imagines, quibus adhibetur cultus divinitati tantummodo debitus; quod innoteſcit ex eo, quod imperavit Deus, ut aliquot fierent imagines; quarum uſus per conſequens eſſe poteſt optimus. Hinc neceſſario inferendum eſt; Eccleſiam illis uti poſſe, ut ſibi viſum fuerit pro varietate locorum, temporum, & occaſionum, quemadmodum facere conſuevit de rebus ſexcentis, quæ ſuapte natura neutræ ſunt, neque ſunt omnino ad ſalutem neceſſariæ. *Idem.*

Honor, qui præſtatur imaginibus ſimilis eſt illi, qui Legato alicui defertur.

Animadvertendum eſt etiam, quamvis veneratio, & cultus, qui reddi poteſt imaginibus, referatur ad objectum, quod repræſentant, addendum eſſe, has imagines præter propter honorari, quemadmodum adhibetur honor Legato Principis alicujus propter perſonam, quam repræſentat, ſimulque honoratur Legatus in perſona ſua, ſed honore longe inferiori: Similiter honorem, qui defertur imaginibus, aliiſque rebus divino cultui dicatis, peculiarem quidem eſſe cultum, ſed longe inferiorem illo, qui defertur rei repræſentatæ, vel in cujus gratiam deſtinata eſt. Hic autem cultus bifariam præſtari poteſt, negativo modo, qui in eo ſitus eſt, ut afficiatur dedecore, adhibendo illas in uſus profanos, & modo poſitivo collocando illas in altaribus, vel in ædibus privatis in ſublimi, & auguſto loco, coram illis genua flectendo, illas floribus ornando, vel aliis honoris indiciis, quibus illæ poſſunt decorari; quin tamen honoretur materia; pretium, neque induſtria opificis, a quo elaboratæ fuerunt. *Idem.*

Honor, qui redditur Imaginibus referri debet ad perſonam ſacram, quam repræſentant.

Ad tollendum igitur errorem eorum, qui credunt imagines non eſſe colendas. Nicænum Concilium jubet quibuſdam in occaſionibus per omnia exteriora reverentiæ ſigna illis honorem adhiberi, non quidem abſolute in ſe ipſis; cum enim ſint inanimes, nullam habent qualitatem, quæ ſibi reverentiam valeat conciliare, quemadmodum homines, & Angeli, ſed tantum relate ad prototypos, quos repræſentant: quod paſſim expreſſum invenitur in Concilio. Hic honor mere relativus, qui illis tribuitur, & qui per illas tranſiens adhæret autographo, quod in illis imaginibus colitur, eſt ſpeciei longiſſime deterioris illi, qui defertur Prototypis ipſis; non ſecus ac ille, qui defertur Miniſtris in gratiam Regis ejuſdem, & conſequenter Regi ipſi in Miniſtro, longe abeſt a magnitudine illius, neque eſt cum iis cæremoniis conjunctus, ac illæ, qui perſonæ ipſius Regis defertur. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Latriæ cultus ad Deum tantummodo pertinet, & Nicænum Concilium declarat, illum non eſſe reddendum cultum hunc [illegible] imaginibus, neque Sanctis.

Nicænum Concilium declarat nunquam verum Latriæ cultum eſſe deferendum niſi Deo, ad quem unice pertinet, & qui exterioribus obſequii ſignis motum addit interiorem, qui ejuſdem anima eſt, & per quem noſmet ſubjicimus Deo tamquam ſupremo rerum omnium Domino, ac noſmet totos devovemus illi confitentes ſupremam ejus excellentiam ſuper omnia. Sanctum Concilium ubique ab imaginibus excludit hanc latriæ adorationem, quam ſemper opponit relativo huic honori,

qui

Digitized by Google

qui illis habetur: ita ut etiam adoretur vel Sancta Crux vel JESU CHRISTI imago, hæc omnino non ſit cultus Latriæ, neque etiam ſi ad illum referatur; nam ſuprema hæc adoratio, ſecundum Concilium ſemper eſt abſoluta; & ſi Theologi quidam, qui hoc non legerant Concilium, aliter locuti ſunt, tribuentes nihilominus eumdem ſenſum, quem nos verbis ſuis per quaſdam ſcholaſticas diſtinctiones, hoc fecerunt improprie loquentes: & tantum abeſt, ut eorum explicationes admittat Eccleſia, ut econtra melius ſit ab iis loquutionibus abſtinere, quæ avertunt animos, & quæ probari non poſſunt niſi per prolixas ambages, quæ negotium potius faceſſunt, quam ædificant. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

J. C. precamur cum illius Crucem vel imaginem reſpicimus.

Si tamen reſpicientes Crucem, vel imaginem JESU CHRISTI illum nobis repræſentamus tamquam primum cogitationum noſtrarum objectum, quod ſæpiſſime accidit; tunc noſmet ad illum dirigimus; & eum eo loquimur; illum oramus, & adoramus; in illo omnem fiduciam conſtituimus. Sed cum ad Crucem, vel ad Imaginem noſmet convertimus tamquam repræſentantem JESUM CHRISTUM, nihil horum ad eum pertinet, neque cum illa loquimur, niſi per figuram eo modo, quo per apoſtrophem convertimus ſermonem ad cælum, & terram; quia quatenus imago capax non eſt, niſi relativi honoris, qui præſtatur illi in gratiam illius, quem repræſentat. *Idem.*

Damnanda non eſt permiſſio, quam concedit Eccleſia repræſentandi perſonas divinas ſub hominis forma, quandoquidem ſub eadem apparere dignatæ ſunt.

Quoniam Concilium non loquitur de Imaginibus, quæ divinas exhibent perſonas, non ita tamen eſſe credendum eſt: ſed quandoquidem dignatæ ſunt aliquando ſub hominis, vel columbæ forma apparere, non ideo damnanda eſt facultas, quam tribuit Eccleſia repræſentandi illas ſub ea figura quam ſumpſerunt, quin tamen contendamus divinam exprimere naturam, quæ pingi non poteſt, ut pinguntur corpus habentia; neque locum præbeamus credendi, Deum habere corpus, non ſecus ac pingentes Angelos, qui ſæpe ſub humana forma apparuerunt, non ideo credimus, illis eſſe corpora humana. Hoc eſt compendium Catholicæ doctrinæ, perſpicuis verbis expoſitæ in Nicæna Synodo, in qua ne teterrima quidem improbitas poſſet unquam ullam idololatriæ ſuſpicionem deprehendere. Quæcumque præter ea, quæ animadvertimus, aſſeruntur, procedunt vel a ſubtilibus Scholaſticorum opinionibus, quæ non omnes ad fidem pertinent, & quæ facile poſſunt prætermitti, vel a populari ſimplicitate, quæ per pietatis exceſſum, quem ſuperſtitionem dicimus, abutuntur præceptis, quæ illis traduntur: cui malo facile eſt facere medicinam. majori cura illos erudiendo, & ſemper ad Deum referendum totum honorem, quem præſtant ſanctis imaginibus, & quem illis deferre nolunt, niſi ſecundum ſenſum, atque intentionem Eccleſiæ. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 1.*

Cultus Imaginum non eſt de Religionis eſſentia. Patres integrum ſingulis relinquunt.

Quod attinet ad cultum imaginum; cum non ſit de Religionis eſſentia, neque omnino ſit ad ſalutem neceſſarius; & in diverſa abirent hominum ſententiæ, aliis quidem illas in honore habere cupientibus, aliis vero ſecus: Patres in alio Concilio hoc omnibus integrum permittunt, declarantes ſe nolle hac in re aliquem cogere. Ita dici non poteſt. Nicænam ſecundam Synodum ab hac fuiſſe confirmatam; quoniam damnat illam in Canone quodam propter impiam doctrinam, quam deprehendit in fallaci verſione, quæ illi examinanda oblata fuit. Nequit etiam affirmari, aliquid definitum eſſe, quod illi Synodo adverſetur. Utraque enim æque damnant extrema duo: Latriæ adorationem pro Imaginibus, & hæreſim illas infringentium; & utraque præter propter id ipſum dicunt de imaginum cultu in hoc, quod altera quidem integrum cuique relinquit, & altera illum probat, & ſtatuit, quin tamen ulla ſit neceſſitas illas colendi, neque ſimul omnes generatim, neque ſingulas, in omnibus occaſionibus, niſi eo in caſu, quod aliter agere cederet in ſcandalum; & inde aliquis oſtenderet, ſe non credere, quod ſibi liceat hunc honorem præſtare imaginibus; eo modo quo non tenemur abſolute Sanctos invocare, ſed credere duntaxat, bonum eſſe illos invocare. *Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 2.*

Plura obſervantur quæ licet ſancta ſint, tamen ſcripta non ſunt; ſed per Traditionẽ accepta, qualis eſt cultus Imaginum.

Mediocri tantum opus eſt cognitione chriſtianæ doctrinæ, ut ſciamus plura eſſe opera, quæ ſanctiſſime fieri poſſunt, quæ ſcripta non ſunt, & quæ per Apoſtolicam Traditionem accepimus, & quæ non ſcripta reliquerunt nobis per ſuos ſucceſſores de ſæculo in ſæculum. Sed ſicuti ad Eccleſiam pertinet judicare de verbo ſcripto utrum ſit Dei, & de vera illius interpretatione; ipſius etiam eſt determinare quænam ſint hæ traditiones ſive pro fide, ſive pro praxi. Nam Evangelium defertur ad deoſculandum, & re ipſa deoſculamur multa cum reverentia; crux adoratur, crucis ſignum in fronte imprimitur, jejunatur ante Paſcha, magna hæc feſtivitas alio tempore celebratur ab eo, quo a Judæis recolitur: Nihil horum, neque aliorum ſexcentorum invenitur ſcriptum in Evangelio, aut in aliis Canonicis libris; & nihilominus hæc facimus, quia Eccleſia ſanctas has praxes recepit per conſtantem Traditionem, quæ a tempore Apoſtolorum de manu in manum tradita ad nos uſque pervenit; qui illam religioſe non ſecus ac Patres noſtri ſervamus. Quod vero ſpectat ad imaginum cultum, nobis major eſt ratio; quoniam imagines JESU CHRISTI hunc repræſentant melius, quam liber Evangeliorum, & Crux; nam aſſerere cum Iconoclaſtis, hæc eſſe idola, præterquam quod Crux quæ adoratur, eſſet idolum, magis inſolens cæcitas eſt, & fatua ſtultitia, cui par eſſe non poteſt, niſi demens nequitia, vel extrema ignorantia: quandoquidem ſecundum Sanctum Paulum, Idolum nihil eſt, cum nihil ſit, niſi repræſentatio rei, quæ non eſt: videlicet, falſæ divinitatis; & imago, in qua nulla cognoſcitur divina virtus, nobis re ipſa repræſentat id quod profecto eſt honore digniſſimum, & quod honoramus eodem modo, quo veneramur quotidie Majeſtatem regum in imaginibus, quæ illos repræſentant. *Idem.*

Iconoclaſtæ damnant ſe ipſos Crucem ſolum honorantes, & J. C. Imaginem honorare nolentes.

Quod autem convincit eos, qui confringunt imagines, eſt quod ſicuti nonnulli Iconomachi adorabant Crucem, & venerabantur Evangelia, ſacra vaſa, & Sanctorum reliquias, ut ipſi facimus: plures conglomerant locos in laudem Sanctæ Crucis, & factum hoc ſuum excuſaturi, negant ſe adorare imaginem JESU CHRISTI; & unam hanc rationem aſſerunt: quia JESUS CHRISTUS mortuus eſt in Cruce; non autem in imagine. Fuit ne unquam ulla hac inſulſior argumentatio? Perinde ac JESUS CHRISTUS mortuus fuiſſet in Cruce, argentea, ænea, & lignea, quam adoramus; & per illas nos redemiſſet. Quandoquidem ergo illi ipſi fatentur veræ Crucis imaginem eſſe adorandam, cur adoranda non eſt imago Crucifixi? Et ſi Crucis imago adoratur, quia Crux eſt inſtrumentum per quem JESUS CHRISTUS redemit nos, cur non adorabimus imaginem JESU CHRISTI qui per ſe ipſum nos redemit? Dicere enim id fieri, quia humana figura ſimplices inducere poteſt in idololatriam facilius quam figuræ rei inanimæ, qualis eſt Crux; hoc eſt palam confiteri, honorem, qui adhibetur imagini, quatenus ad Prototypum refertur, nihil mali habere in ſe: præterquam quod hoc periculum, ſi tamen eſt, facile poteſt auferri per eruditionem; quemadmodum in aliis ſexcentis quæ bona ſunt, quamvis illis aliqui poſſint abuti. Sunt etiam adeo cæci, ut ſimul proferant alios locos, ut oſtendant, nefas eſſe adorare opus manuum hominum; non videntes, Sacra vaſa, librum Evangeliorum, & Crucem, quam venerantur, eſſe opera manuum hominum, quæ re ipſa nequeunt adorari ſupremo cultu, qui Deo uni debetur; ſed alio tantum, qui hoc longe inferior eſt, & per ſolam rationem, quam hæc ſacra habent cum Deo. *Ex hiſtoria Iconoclaſtarum. Tom. 2.*

Methodius convertit Bogorem Regem Bulgarorum Pictura illi oſtenſa a ſe facta.

Bogoris Rex Bulgarorum oravit Methodium, qui inſignis Pictoris celebritatem, & Religioſi viri famam fuerat adeptus, ut domum quam recens ædificaverat ſibi, quin aliquid adderet, præterea, niſi ut ibi coloribus aliquot exhiberet truculentas imagines, quæ terrorem cierent, quibus ipſe oblectabatur; cum ſumma afficeretur voluptate ex adſpectu Tabularum, in quibus videntur venatorum prælia cum apris, leonibus, urſis, atque tigridibus. Qua in re cum Methodio nihil videretur terribilius extremo adventu JESU CHRISTI, hunc mirum in modum expreſſit cum teterrimis circumſtantiis ſuis, præſertim vero cum reprobis ad lævam partem Judicis ſententia traditis dæmonibus, a quibus in infernum trudebantur. Bogoris tabulam hanc jam abſolutam intuitus ubi a callido Pictore didicit terribile Myſterium, cujus docendi opportunum tempus nactus fuerat, ac veritatem coloribus exhibitam Bogoris audiit, adeo inde commotus fuit, Deo intrinſecus operante in anima ejus, ut decreverit ſine mora JESU CHRISTI fidem tandem amplecti. Idque opere complevit ſtatim ac Theodora ad illum ſapientem miſit Epiſcopum, a quo perfecte edoctus, & baptizatus fuit, vocatuſque Michael, quo nomine appellari voluit, ut adoleſcentuli Imperatoris gratiam iniret. *Idem.*

Lutherus licet hæreticus ſemper damnavit Iconoclaſtas. Sed Zuinglius & Calvinus illuſtrarunt impietatem ſuam.

Lutherus qui contra Eccleſiam inſurrexit, nihil auſus eſt in Crucem, & Imagines. E contra ubi audiit, donec ille in Wittembergenſi ſuo receſſu delituerat, Andream Caroloſtadium, qui ex diſcipulo magiſter evadere cupiebat, arrepta abſentiæ ſuæ occaſione, Aras, & Imagines evertiſſe, ſtatim cucurrit, ut ſe ſe objiceret furoris novi hujus Iconoclaſtæ, adverſus quem duas ſcripſit Epiſtolas, in quibus damnat ſpiritum Iconomachorum, tamquam ſpiritum, ut ait ille, furorem, ſanguinem, cædemque perſlantem. Sed Zuinglii, atque Calvini diſcipuli, cum ſuſcitaſſent veterem primorum Iconoclaſtarum ſpiritum in Helvetia, Germania, aliiſque pluribus regionibus contra Templa, Crucifixi, & Sanctorum Imagines, nec non contra Chriſtianos, qui venerantur illas, ſæculo præterito, ea fecerunt, quæ toto corde cuperem ſempiterna obtegi oblivione: idque eo magis quod temporum noſtrorum Proteſtantes minus iniqui ac magis moderati, quam majores ſui, pudore eorum ſuffunduntur, & illa propter nominis ſui honorem vellent inferre. Ita non fert animus illis vitio vertere Patrum ſuorum ſcelera, ſed ab illis errorem auferre, aperiendo oculos eorum, ut originis ſuæ infamiam in Iconoclaſtarum

tuſ-

turpitudine deprehendant. *Ex Hiſtoria Iconoclaſtarum, Tomo 2.*

Edictum Tridentini Concilii pro cultu Imaginibus debito.

Sacroſancta Tridentina Synodus præcipit Epiſcopis, & iis omnibus quibus data fuit provincia populos erudiendi, ut doceant..... Servandas in Templis potiſſimum Imagines JESU CHBISTI, Virginis Deiparæ, aliorumque Sanctorum; eiſque debitum honorem, ac venerationem eſſe præſtandum; non quod in illis aliqua eſſe credatur divinitas, aut virtus, propter quam in honore ſint habendæ, vel aliquid ab illis petendum ſit, vel in illis confidendum, quod olim faciebant Ethnici, qui ſpem ſuam in idolis ſuis collocabant: ſed quia honor, qui illis præſtatur, refertur ad Prototypos quos repræſentant; Ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, ac noſmet proſternimus, adoremus JESUM CHRISTUM, & veneremur Sanctos, quorum ſimilitudinem gerunt. Quod definitum fuit per Canones Conciliorum, præſertim vero ſecundi Nicæni contra Imaginum impugnantes. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Ad hæc Epiſcopis curandum eſt, per hiſtorias Myſteriorum noſtræ Redemptionis impreſſas, per pœnitentias, vel alias imagines, populum erudiri, & confirmari in articulis fidei, cum hæ ſæpe viſæ repetant, & aſſidue memoriam inſtaurent. Quamvis autem magnus percipiatur fructus ex ſanctis Imaginibus, id non ſolum fit quia per illas populus admonetur donorum, & beneficiorum, quæ a JESU CHRISTO recepit; verum etiam quia tot miracula, quæ placuit Deo facere per Sanctos, eorumque exempla ſalutaria propoſita ſunt oculis fidelium, ut Deo gratias agant, & eorum vitam imitentur, atque inde excitentur ad adorandum Deum, & amandum, nec non ad pietatis exercitationes amplectendas. Quibus decretis, ſi quis doceat, vel teneat oppoſitam ſententiam, ſit anathema. *Idem.*

Quo in caſu Tridentina Synodus optet evitare abuſum, & errorê ignorantium in hoc cultu.

Si qui abuſus obrepſerint inter ſanctas, & ſalutares has obſervantias, Sancta Synodus optat, ut penitus deleantur: ita ut nulla exponatur imago, quæ rudibus aliquem erroris præbere valeat occaſionem. Cum ad ſimplicis populi utilitatem pingentur hiſtoriæ, quæ in ſacris Scripturis narrantur; explicari jubet, non ideo velle exprimi divinitatis imaginem, quaſi poſſet oculis corporis cerni, vel coloribus, & imaginibus repræſentari: Deinde omnem auferri ſuperſtitionem in Sanctorum invocatione, in veneratione reliquiarum, & Imaginum uſu. Omnem interdici quæſtum, & evitari quidquid eſſe poteſt laſcivum, ita ut non pingantur, neque exornentur imagines modo parum honeſto; neque illis paſſum modeſta forma tribuatur, neque ullus fiat abuſus ſollemnitatum, aut viſitationum Reliquiarum, ut fiant convivia, & comeſſationes, quaſi feſtivitates celebrarentur in honorem Sanctorum per id genus intemperantiæ. Denique præcipit ut accurate invigilent Epiſcopi, ne quid videatur incompoſitum, indecorum, profanum, inhoneſtum; quia Domum Dei decet Sanctitudo. *Ex Hiſtoria Iconoclaſtarum. Tomo 2.*

Tridentinum Concilium vetat aliquam exponi imaginem vel reliquiam ſine Antiſtitis facultate.

Sacroſancta Tridentina Synodus declarat, licere nemini exponere, vel facere, ut alicubi exponatur in aliqua Eccleſia, quantumvis immuni, nova aliqua imago, quæ ab Epiſcopo approbata non ſit, neque recentia admittere miracula, vel novas reliquias admittere ſine illius approbatione; qui adhibitis in conſilium Theologis, aliiſque viris piis id aget, quod cenſebit veritati conforme, & aptum ad alendam veram pietatem Fidelium. Cumque eradicandus erit abuſus aliquis, vel ambiguus, vel difficilis, vel aliqua enodanda erit ſuper his quæſtio, nihil decernat per ſe, ſed conſulet Metropolitanum, & Epiſcopos ejuſdem Provinciæ in Synodo Provinciali; ita tamen ut nihil novum, aut hactenus inauditum ſtatuatur inconſulto Pontifice. *Idem.*

Antiquus imaginum uſus Sanctorum Patrum auctoritate probatur.

Imaginum venerandarum uſus in Eccleſia pervetuſtus eſt, & a prima antiquitate profectus. Tertulianus, Euſebius, Sanctus Gregorius Nyſſenus, Sanctus Aſterius Amaſenus Epiſcopus, Sanctus Paulinus, Sanctus Nilus Abbas Sancti Chryſoſtomi diſcipulus, Sanctus Gregorius Papa, ac alii plures antiqui Patres, quos referre longum eſſet, ſuppeditant rationes ad probandam antiquitatem uſus imaginum in Eccleſia. Qui inter Proteſtantium miniſtros ſapientiores habentur, id non inficiantur; & qui ex illis ſunt religioſiſſimi non putant ſe Deum lædere, ſi habeant domui ſuæ Tabulas, ubi Religionis Myſteria, & Sanctorum imagines repræſentantur. Lutherus ipſe in operum ſuorum fronte pingi voluit in genua procumbens coram Crucifixo, & Lutherani in templis ſuis retinuerunt imagines ad fideles ædificandos, atque erudiendos. Imagines JESU CHRISTI, & Sanctorum ſunt in Eccleſiis tamquam libri rudium, & illiteratorum, ut Sanctus Gregorius ait, ut nobis revocent in mentem prototypos, vel Myſteria, quæ repræſentant, & per has imagines adducant nos ad cognitionem Dei, ad Sanctorum imitationem, atque pietatem. Eas autem venerari non eſt primum Dei præceptum infringere, 1. quia credimus nullam in illis eſſe divinitatem, aut virtutem, 2. quia non illis vota noſtra nuncupamus, ſed JESU CHRISTO, vel Sanctis, 3. quia in illis non confidimus, cum Idololatræ fiduciam ſuam in Idolis ſuis collocarent. *Ex Thologis.*

Devotio erga imagines ab Eccleſia probatur.

Devotio, quæ habetur erga quaſdam Beatiſſimæ Virginis, vel Sanctorum imagines, quæ miraculoſæ feruntur, iis, quæ a nobis dicta ſunt, non adverſantur. Hæc devotio non ideo probat populos in his confidere imaginibus, ac arbitrari in illis eſſe virtutem ſupernaturalem. Ut Imago enim JESUS CHRITI, vel alicujus Sancti, per cujus occaſionem Deus aliquod miraculum operatus eſt, miraculoſa vocetur: 1. Eccleſia non patitur, ut palam exponantur, niſi veritas miraculorum authentice cognita fuerit ab Epiſcopis. 2. Eccleſia non credit hæc ſimulacra, vel imagines eſſe principium horum miraculorum, neque in illis aliquam eſſe virtutem; ſervat eas ſolum cum reverentia tamquam monumenta bonitatis, & Omnipotentiæ Dei. Ita Iſraelitæ ſolide religioſi ſervabant olim cum reverentia Virgam Aaron, & æneum ſerpentem in memoriam miraculorum, quæ Deus per hæc inſtrumenta fuerat operatus. 3. Sperat Eccleſia, adſpectum harum imaginum revocantem in mentem populorum miracula, quæ per illas Deus operatus eſt, animaturum eorum fidem, eiſque perſuaſurum ut ferventiores preces adhibeant, quæ in ipſos pertrahere valeant novos effectus protectionis Dei per merita JESU CHRISTI, & per interceſſionem Sanctæ Virginis, aut aliorum Sanctorum. 4. Non patitur Eccleſia, vota his imaginibus nuncupari, atque in illis quempiam confidere. Earum prototypi invocantur; in uno tantum Deo confiditur. 5. Speret Eccleſia Sanctam Virginem, vel Sanctos, qui his in locis probata tribuerunt ſpecimina ſuæ protectionis, non ceſſaturos a conferendis beneficiis, ubi ſupplices ad orandum illuc mortales acceſſerint. 6. Si qui fidelium per Ignorantiam hujus rei lapſus fuerit in exceſſum aliquem, vel ſi quis irrepſerit abuſus, hic ab Eccleſia non probatur, ſed præcipit Paſtoribus ut illos corrigant, & populos doceant, quid credendum ſit de hujuſmodi devotionibus. *Idem.*

Sententia S. Auguſtini de miraculis quæ fiunt ad tumulos Sanctorum aliquorum præ aliis.

Sanctus Auguſtinus in Epiſtola quadam palam inquit, negari non poſſe id quod quotidiana probatur experientia, Deum ad Sancti alicujus tumulum ea operari miracula, quæ ad aliorum ſepulcra non operatur: Et huic innixus fundamento ait, ſe miſiſſe Nolam ad Sancti Felicis tumulum ad elucidendum factum, de quo orta erat contentio inter duos Cleri ſui Eccleſiaſticos; & ibidem ait, famam percrebuiſſe, Mediolani ad Martyrum monumenta fieri conſueviſſe miracula, quæ in Africa ad aliorum Sanctorum ſepulcra non fiebant; & narrat unum ex miraculis iſtis. *Idem.*

Cultus, qui adhibetur Sanctis non opponitur cultui, qui debetur Deo.

Cultus, quem præſtemus Sanctis, lypſanis, & imaginibus eorum, nil officit cultui, quem Deo præſtamus: neque enim Sanctos adoramus, ſed honoramus tantum; quia fideles ſunt ſervi Dei, amici ejus, & opera gratiæ illius. Itaque honor, in quo illos habemus, refertur ad Deum; vel ut dicam melius Deum honoramus in Sanctis. Inquiet procul dubio aliquis, Sanctos a nobis invocari, ideoque reddi a nobis honorem illis, qui Deo uni debetur: quandoquidem Sanctus Paulus ait: *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Hinc ſequitur, inquiunt, quod ſicuti non niſi in Deum credendum eſt, ita unum illum eſſe invocandum; qua in re ajo duplex invocationis genus eſſe diſtinguendum. Primum eſt, quo illum, quem precamur, reſpicimus tamquam Ens ſupremum, & quod per ſe ipſum nobis conferre poteſt quod ab eo petimus. Deus unus hoc modo poteſt invocari; & de hac invocatione loquitur Sanctus Paulus in loco memorato. Alterum autem invocationis genus eſt per quod oramus aliquem tamquam acceptum Enti ſummo, atque ab illo pendentem, qui ab illo omnia poſſit obtinere nobis, quibus indigemus. Ita Sanctos invocamus, quia credimus, illis nihil eſſe, quod non proveniat a Deo, & ſi dicimus ipſos nobis aliqua conferre bona, intelligimus id fieri propter preces, quas pro nobis offerunt Deo; ideoque invocamus Deum, & Sanctos modo longe alio: Deum precamur, ut ipſe ea nobis concedat, quibus egemus; precamur Sanctos, ut Deum orent pro nobis, ſecundum Sancti Pauli exemplum, qui ſæpe ſe ſe fidelium precibus commendabat. *Liber cui titulus: Religionis Apologia.*

Reſponſio criminationibus Proteſtantium afferram nobis idololatriam erga Sanctos exprobrantium.

Proteſtantes nobis objiciunt, nos invocare Sanctos, qui in Cælis ſunt, ſupponentes eſſe illis perfectionem, quam Scriptura Sancta uni tribuit Deo, ſcilicet cognitionem rerum, quæ inter nos fiunt, atque etiam noſtrarum cogitationum, ideoque nos creatis rebus honorem Creatoris conferre, quod complectitur idololatriam. Sed reſpondemus illis cognitionem Dei infinite ſuperare cognitionem Sanctorum; Deum quidem cognoſcere omnia per ſe, Sanctos vero ea tantum ſcire, quæ Deus illos ſcire permittit. Adverſarii quidem non negant Divinæ Providentiæ ordinem requirere, ut pro Fidelibus, qui nobiſcum in terris verſantur, & nos inde bonos effectus experiri. Credunt Deum hoc oblectari commercio, & caritate, quam invicem alii erga alios exercent; cur autem nolunt aliquo ordine Providentiæ, fideles qui in Cælo ſunt, cognoſcere preces, quibus illos precamur, ut ferveat ſanctum hoc commercium, & caritatis exercitium, quoniam eiſdem non acceptum eſſe non poteſt? Reſpondere citra blaſphemiam nequeunt,

queunt, a Deo hunc ordinem inſtitutum non fuiſſe. Quomodo vero illum noluiſſe probabunt, quandoquidem dignatus eſt Prophetis, atque Apoſtolis plura aperire ſecreta? Sanctis in Cælo nonne magis favet Deus, quam olim faverit Prophetis, & Apoſtolis ſuper terram? Ceterum Scriptura docet, Sanctos in Cælo præſentare Deo preces noſtras, eos de peccatorum converſione gaudere, & Nationes moderari: Hinc inferre poſſumus, Deum efficere, ut Sancti cognoſcant preces, quæ ab hominibus ad illos diriguntur. *Idem*.

Sancti Auguſtini ſententia in eos, qui tenent inutile eſſe colere Sanctos.

Inutile eſt, dicet aliquis, invocare Sanctos, neque enim liquet utrum illi noſtras preces audiant; ſed quid ſcimus ipſi, Sanctus Auguſtinus ait, utrum generatim effundant preces Deo, pro invocantibus ſe, quemadmodum ipſi oramus pro Defunctis quin videamus illos, & quin ſciamus quid agant, vel ubi ſint? Præterea, non deſunt nobis rationes validæ, ut credamus Sanctos cognoſcere preces, quas illis dirigimus. Si nihilominus illi eas minime norunt, ſatis eſt, quod videat Deus noſtram humilitatem, & cum preces noſtræ nobis non ſatis perfectæ videantur, nos cupere, ut precibus Sanctorum roborentur, quas Deo noſtris longe acceptiores eſſe putamus. Denique cum illi repleti ſint caritate, atque experti fuerint quam difficile ſit ſemet ſalvare, orant illi ſaltem generatim pro omnibus hominibus; itaque cum illi invocantur, idem eſt ac orare Deum, qui ſinit ſe flecti precibus, quas Sancti pro nobis fundunt in Cælo, quod proculdubio, non eſt inutile. Dicimus cum Sacroſancta Tridentina Synodo, bonum eſſe, atque utile invocare Sanctos, qui regnant in Cælo. Hæc ratio nos debet ad ſanctam hanc praxim amplectendam impellere. Invocamus illos tamquam amicos Dei, qui per vinculum Caritatis, quod cum nobis habent, ſua intereſſe putant petere per JESUM CHRISTUM illa, quibus indigemus, præſertim vero cæleſtia, & virtutes, quæ nos illuc adducunt. Verum tamen eſt, nonnullos non deeſſe, qui credant Sanctorum Invocationem adeo utilem eſſe noſtræ ſaluti, ut putent ſe deprecatorium recitantes Corollam, vel geſtantes Scapularium, vel preces quaſdam Beatæ Virgini, aut Sanctis fundentes, facile, ac certo ſalvos factum iri, quin Divinæ legis mandata exequantur; ſed quidam etiam inveniuntur, qui abutuntur hiſce praxibus pietatis, quæ per ſe quidem ſanctiſſimæ ſunt; verum non ne rebus omnibus abutimur? Non ne abutimur auro, ferro, argento, igne, terra, Sole, aliiſque rebus creatis? Precibus, Sacramentis, Bibliis &c. Quid ergo reliquum fieret, ſi eſſent auferenda ea, quibus aliquis abuti poteſt? Si quis illis abutitur, plures illis ad ſalutem utuntur utiliter. Prohibendus eſt igitur ſolus harum rerum abuſus, & uſus relinquendus. *Liber cujus titulus: Religionis Apologia*.

Quinam impugnaverunt Imaginum cultum.

Manichæi, qui attribuebant JESU CHRISTO Corpus phantaſticum, per conſequens rejiciebant omnes imagines, quæ illum repræſentabant. Ariani imaginibus honorem negabant. Julianus Apoſtata JESU CHRISTI proſtravit imaginem, ut in locum ejus ſuam ſubrogaret. Irridebat Chriſtianos, quos Galilæos vocabat, dicens illos tranſiſſe a tonitru Jovis, ad adorandum Crucis patibulum. Conſtantinus Copronimus imaginum uſum prohibebat, & Leones Tertius, & Quartus Imperatores illas igni abſumendas tradebant. Michael, atque Theophilus, & ipſi Imperatores, eas ſuſtinere non poterant. Valdenſes dicebant imagines Deo eſſe contumelioſas; denique magna fuit Iconoclaſtarum multitudo, qui ſæpe turbarunt Eccleſiam. Econtra Scriptura, & omnis docet antiquitas, cultum, qui imaginibus adhibetur, ſanctiſſimum eſſe, atque utiliſſimum omnibus fidelibus. *Inſtitutio Catholica Patris Coton*.

Antiquitas Sanctorum Patrum de Imaginum cultu.

Tertullianus libro ſecundo contra Marcionem reſpondet populari objectioni deſumptæ ex Exodi capite vigeſimo, ubi Dominus vetat, ne ſculptile adoretur, oſtendens verbum illud eſſe intelligendum de Idolis, & ſimulacris, quæ in errorem adducere poſſunt. Cum enim Deus creaſſet Cælum, & terram, addidit hæc verba, *non adorabis illa*, ſignificans, ſe non interdicere omnium imaginum genera, ſed illas, quæ Latriæ cultu adorantur; alioquin non præcepiſſet Deus, ut poneretur æneus Serpens, & Arca exornaretur Cherubim, & Seraphim. *Idem*. Tertullianus idem in libro de Pudicitia ſcribit, Imaginem JESU CHRISTI ſuper humeros gerentis ovem, vulgo inſculpi conſueviſſe in Calicibus. S. Ambroſius in ſermone de Sanctis Gervaſio, & Protaſio recitat apparitionem trium Sanctorum, quorum unus erat S. Paulus, & dicit ſe agnoviſſe Apoſtolum ex Tabula, quam antea viderat. Poeta Prudentius in hymno Sancti Caſſiani, ait, ſe oculos ſuſtuliſſe in ſuperiorem Templi partem, quæ de Sancti ejuſdem nomine appellabatur, ac illic deprehendiſſe imaginem Martyris coloribus exornatam, & ſcribit, ſuper Sancti Hyppoliti ſepulcrum ſe vidiſſe ejus imaginem cum ſignis, atque coloribus, qui ejuſdem Martyrium repræſentabant. Sanctus Hieronymus teſtatur S. Paulum coram Cruce proſtratum, illam adorare conſueviſſe, perinde ac in illa videret JESUM CHRISTUM. *Idem*.

S. Gregorius redarguit Epiſcopum, qui nonnullas imagines fregerat.

Sanctus Gregorius in Epiſtola ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum, corripit illum, quia aliquot imagines fregerat, ne ab aliquibus adorarentur; zelum quidem illius laudans, ſed reprehendens imprudentiam; oſtendit enim illi plurimum intereſſe diſcriminis inter ſervire imaginibus, & imaginibus uti. Illi audendum non fuiſſe, quod ante ſe nemo auſus eſſet Epiſcopus, vel Sacerdos; effectum eſſe ſuperbiæ reprobare, quod ab aliis probatur; illum ſimplici populo eripuiſſe librum, quo erudiri poterat, & alere pietatem ſuam, auferendo eidem imagines; aliud eſſe adorare picturas, & aliud venerari id, quod per picturas exhibetur; illic non perfringenda fuiſſe ea, quæ hominibus erudiendis proderant, non autem illis ad adorandum fuerant propoſita; antiquitatem non immerito imagines recepiſſe; illum reum eſſe nimium adfectaræ ſingularitatis, rejeciſſe id, quod alii receperant. Septima etiam Epiſtolarum ſuarum ſcribit ad Secundinum: Miſimus tibi imagines, quas a nobis petiſti, quandoquidem petitio tua nobis accidit perjucunda, quia ex toto corde id quæris, quod repræſentant. Scio enim te non petere Imaginem Salvatoris noſtri, ut ipſam Imaginem colas; ſed ut illam contemplatus memineris Dei, & illum ardentius diligas. *Inſtitutio Catholica Patris Coton*.

Quid differat idolum, & imago.

Secundum Nicænum Concilium ex trecentis, & quinquaginta Epiſcopis compoſitum anathemate ferit eos qui *Idolum*, *&* *Imaginem* unum, & idem eſſe putant; cum alterum quidem vetitum a Deo ſit, alterum vero permiſſum. Unde facile eſt inferre non imagines, ſed pravum abuſum imaginum prohiberi. Sed inter Chriſtianos nullum peccatum eſt idololatria perículoſius; quæ magis metuenda erat in Iſraelitis, quibus tamen licet tantum eſſet periculum, imagines quædam erant permiſſæ, ut ex Scriptura innoteſcit. Cur ergo plus ſit Idololatriæ in cultu Imaginum Domini noſtri, quam in retinendis, & attollendis illis Pontificum, Imperatorum Regum, parentum, & conſanguineorum, nec non amicorum noſtrorum? *Idem*.

Quænam fuerit intentio Proteſtantium cum prohibuerunt imagines.

Calvini, ac Proteſtantium mens non fuit omnino imagines interdicendi, ſed auferendi tantum abuſum, qui in plures fortaſſe locos obrepſerat in uſu earum; & cum everſæ fuerunt; non inde factum fuit, quia malæ cenſerentur; ſed quia nonnulli crediderunt facilius eſſe eas prorſus delere, quam earum abuſus tollere dicentes, hac de cauſſa Regem Ezechiam contriviſſe æneum ſerpentem, quia filii Iſrael adorabant illum, quaſi numen aliquod; cui hodierna quoque die cultus adhiberetur, ſi verum eſſet imagines adorari, quemadmodum Iſraelitæ Serpentem adorabant, neque alia ſupereſſet ratio prohibendi adeo ſtultam idololatriam, niſi illis auferendo. Fatebuntur omnes Imaginem JESU CHRISTI Crucifixi mentem noſtram ad ipſum attollere: Imagines Sanctorum eſſe populo, ac rudibus documento. Non inficiabuntur magnum eſſe diſcrimen inter idolum, & imaginem; idolum enim repræſentat id quod non eſt, imago verum id exhibet, quod eſt. *Inſtitutio Catholica Patris Coton*.

Honorare & adorare quomodo differant; & quomodo hæc facienda.

Honorare, & Adorare longiſſime diſtant; quamvis hæc verba in Scripturis paſſim promiſcue adhibita occurrant. Unus Deus eſt adorandus proprie loquendo; & ſi adoratio alteri cuipiam rei applicetur, veluti cruci, clavis, lanceæ, veſtimentis ejus, id fit, quia ibi eſt Deus ipſe, & imaginatio noſtra præſentia ejuſdem percellitur. Hæ praxes pietatis ad id nobis proponuntur; ideoque jure in nobis reprehenderetur cultus, quem præſtamus imaginibus, niſi referretur ad perſonam eamdem, quam repræſentant; & quia illas dedicavit Eccleſia tamquam Signa Sancta, & Sacra, ut per illa populus edoceatur, & ad pietatem permoveatur. Præterea cum proſternimur coram imaginibus, id accidit eo modo quo Abraham ſub quercu Mambre, cum adoravit illum, qui ſibi repræſentabatur per tres Angelos, vel quo Moyſes adoravit Angelum ad ſe Dei verbis loquentem in Monte Sinai, vel quo Spiritus ſanctus adoratus fuit ſub figura Columbæ, & ignearum linguarum; & in hoc ſenſu Calvinus cum Sectatoribus ſuis tenetur fateri veritatem; quia agnoſcit imaginem Dei in Arca fœderis, & docet, hoc ſignum datum fuiſſe filiis Iſrael, non ut remoraretur, ac figeret eorum cogitationes: ſed ut illius ope, & ſubſidio ſpiritualiter attolli poſſent in Deum; quod non abludit ab Eccleſiæ doctrina, & a Philoſophi ſententia aſſerentis uno, eodemque motu imaginationem ferri ad imaginem, & ad rem quam repræſentat. Lutherus probare cupiens fidem ſuam de Imaginibus, ita loquitur. Docemus Sanctorum monumenta, Templa, Aras, Nomina, & Imagines eſſe adorandas, ut per illorum exempla excitemur ad perferenda mala eadem, quæ ipſi pertulerunt; & ſi alio modo coluntur, hæc mera ſuperſtitio eſt, & Idololatria. *Idem*.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

MONITUM.

Ex omnibus Cæremoniis, quæ obſervantur in Catholica Eccleſia, maxime communis, & neceſſaria procul dubio eſt adminiſtratio, atque receptio Sacramentorum, rerum vero præſertim, de quibus fideles erudiendi ſunt, & quorum Paſtores doctrinam tradere magis tenentur, ut Tridentinum docet Concilium. Quemadmodum non dubitatur de abſoluta neceſſitate, quam habent Chriſtiani plurium ex his Sacramentis, & de utilitate, quæ inde ab aliis percipitur; pariter perſuaſum nobis eſſe opus eſt de prærogativa Eccleſiæ Romanæ hac in re ſuper ceteras ſectas, quæ ſibi vindicant Eccleſiæ Nomen; quia Romana tantum illa omnia recipit, & adminiſtrat. Seſſ. 7.

Agimus in hoc Titulo de Sacramentis generatim; nam quamvis in Bibliotheca Concionatorum fuſius egerimus de ſingulis Sacramentis, de Baptiſmo in Tomo primo Moralium, de Ordine, & iis quæ pertinent ad Sacerdotium, & Eccleſiaſticum ſtatum, in Tomo tertio; de Matrimonio ibid. de Sacramento Pœnitentiæ in Tomo primo ubi de Confeſſione fuit ſermo, de Euchariſtia in Tomo ſecundo Myſteriorum Domini noſtri; de Extrema unctione in Tomo ſecundo Moralium, ubi locuti ſumus de præparatione proxima ad Mortem: evitabimus quam diligenter, ne quid ſemel dictum, recoquatur; nobiſque ſatis erit loqui de ſingulis, quatenus referuntur ad eum modum, quo Eccleſia illa conſuevit adminiſtrare, & aliquas tantum morales conſiderationes proponere. In Confirmationis Sacramento duntaxat diutius immorati ſumus, quippe ex eo uberior percipi fructus poteſt, & ejus officia minus nota ſunt, & explorata.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Producit Deus admirabiles effectus in Sacramentis, quæ per Miniſtros ſuos operatur.

SALVATOR non ſolum Auctor eſt Sacramentorum, quia inſtituit illa, & quia nobis illa promeruit Sanguine ſuo; ſed inceſſanter ſit etiam Auctor eorum in actuali productione admirabilium effectuum eorum, quatenus Deus, & quatenus homo. Tamen JESUS CHRISTUS, qui ſemper operatur hos effectus immediate per ſe, non vult illos per ſe ſolum operari; ſed utitur etiam miniſterio illius, quem pro hoc munere Eccleſia conſtituit, & hoc illud eſt, quod adeo commendat ſtatum, ad quem ſublati eſtis per Sacerdotium, o Presbyteri. Et ſane per hoc cum Redemptore cooperamini ad animarum Sanctificationem; per hoc veſtrum eſt illis inferorum portas obſtruere, cum jamjam illuc erant prolapſuri, & illis Cæli portas aperire, quæ clauſæ erant; per hoc in manibus habetis omnes gratiæ theſauros, quorum minimus gradus ſine ulla comparatione pretioſior eſt, quam ſexcenti Mundi. Num quidquam eſt admirabilius! JESUM CHRISTUM uti velle opera veſtra in miniſterio adeo divino, poſthabitis Angelis, quibus multo melius videtur convenire? *Pater Segneri de Parochorum officiis.*

De Sacramenti ſignificatione, & definitione.

Principio igitur, quoniam univerſe de toto genere Sacramentorum agendum eſt, ab ipſius nominis vi, atq; notione oportet incipere, ejuſque ambiguam ſignificationem explanare; ut quæ hujus verbi ſententia hoc loco propria ſit, facilius intelligatur. Quare docendi ſunt fideles, Sacramenti nomen, quod ad propoſitam rem attinet, aliter a Prophanis, quam a ſacris Scriptoribus acceptum eſſe. Nam alii auctores Sacramenti nomine obligationem illam ſignificari voluerunt, cum jurati aliquo ſervitutis vinculo obſtringimur, ex quo juſjurandum, quo ſe milites fidelem operam reipublicæ præſtituros pollicentur, Sacramentum militare dictum eſt: atque hæc frequentiſſima hujus vocabuli ſignificatio apud illos videtur fuiſſe. Verum apud Latinos Patres, qui res divinas ſcriptis tradiderunt, Sacramenti nomen aliquam rem ſacram, quæ in occulto latet, declarat; quemadmodum Græci ad eamdem rem ſignificandam myſterii vocabulo uſi ſunt: in eam vero ſententiam Sacramenti vocem accipiendam eſſe, intelligimus, cum ad Epheſios ſcribitur: *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ*. deinde ad Timotheum: *Magnum eſt pietatis Sacramentum*; Præterea in libro Sapientiæ: *Neſcierunt Sacramenta Dei*: quibus in locis, & aliis multis, licet animadvertere; Sacramentum nihil aliud niſi rem ſacram, abditam, atque occultam ſignificare. Quare Latini doctores ſigna quædam ſenſibus ſubjecta, quæ gratiam, quam efficiunt, ſimul etiam declarant, ac veluti ante oculos ponunt, ſacramenta commode appellari poſſe exiſtimarunt. Quamquam ut Divo Gregorio placet, ob id ſacramenta dici poſſunt, quod divina virtus ſub rerum corporearum tegumentis occulte ſalutem efficiat. *Ex Catechiſmo Tridentini Concilii.*

Sacramenti Definitio ex D. Auguſtino.

Verum præter nominis notionem, quæ hactenus declarata eſt, rei etiam vis, & natura diligenter inveſtiganda eſt, & quid Sacramentum ſit, fidelibus aperiendum. Sacramenta enim ex genere earum rerum eſſe, quibus ſalus, & juſtitia comparatur, dubitare nemo poteſt. Sed cum multæ rationes ſint, quæ ad hanc rem explicandam aptæ, & accommodatæ videantur, nulla tamen planius, & dilucidius eam demonſtrat, quam definitio a Divo Auguſtino tradita, quam deinde omnes Doctores Scholaſtici ſecuti ſunt. Sacramentum, inquit ille, eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram juſtificationem inſtitutum. *Ex eodem.*

Sacramenta ſunt ſymbola rerum inviſibilium, quæ fiunt in animabus noſtris.

Quæ cum ita ſe habeant; Sacramentum ad hoc rerum genus, quæ ſignificandi cauſſa inſtitutæ ſunt, referri perſpicuum eſt, ſiquidem ſpecie quadam, & ſimilitudine id nobis declarat, quod Deus in animis noſtris ſua virtute, quæ ſenſu percipi non poteſt, efficit. Baptiſmus enim (ut quod docetur, exemplo notius fiat) cum adhibitis certis, & ſollemnibus verbis, aqua extrinſecus abluimur, hoc ſignificat; Spiritus ſancti virtute omnem peccati maculam, & turpitudinem interius elui, & animas noſtras præclaro illo cæleſtis juſtitiæ dono augeri, atque ornari: ſimulque ea corporis ablutio, ut poſtea ſuo loco explicabitur, illud in animo efficit quod ſignificat. Sed ex Scripturis etiam aperte colligitur Sacramentum inter ſigna numerandum eſſe. Apoſtolus enim de Circumciſione veteris legis Sacramento, quæ Abraham patri omnium credentium data erat, ita ad Romanos ſcribit: Et ſignum accepit Circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei. Ex alio loco, cum affirmat nos omnes, qui baptizati ſumus in CHRISTO JESU in morte ipſius Baptizatos eſſe, licet cognoſcere, baptiſmum hujus rei ſignificationem habere, nimirum, ut ait idem Apoſtolus, nos conſepultos eſſe cum illo per Baptiſmum in mortem. Neque vero parum proderit ſi fidelis populus Sacramenta ad ſigna pertinere intellexerit; ita enim fiet, ut quæ illis ſignificantur, continentur, atque efficiuntur, ſancta, & auguſta eſſe facilius ſibi perſuadeat; cognitaque eorum Sanctitate, ad divinam erga nos beneficentiam colendam, ac venerandam magis excitetur. *Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

Alia definitio Sacramentorum in genere.

Quare ut explicatius, quid Sacramentum ſit, declaretur, docendum erit, rem eſſe ſenſibus ſubjectam, quæ ex Dei Inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet: ex quo ſequitur, ut facile quivis poteſt intelligere, imagines Sanctorum, cruces, & alia id generis, quamvis ſacrarum rerum ſigna ſint, non ideo tamen Sacramenta eſſe dicenda. Hujus autem veritatis doctrinam, facile erit omnium Sacramentorum exemplo comprobare, ſi, quod antea de Baptiſmo admonuimus, cum dicebamus ſollemnem illam corporis ablutionem ſignum eſſe, & efficientiam habere rei ſacræ, quæ interius Spiritus ſancti vi fieret, idem etiam in aliis Sacramentis exercere aliquis velit,

Jam

Jam vero iſtis Myſticis Signis, quæ a Deo inſtituta ſunt, illud etiam præcipue convenit, ut ex Domini inſtitutione, non unam aliquam rem, ſed plures ſimul ſignificent, quod in ſingulis Sacramentis licet cognoſcere, quæ non ſolum ſanctitatem, & juſtitiam noſtram, ſed præterea duo alia cum ipſa ſanctitate maxime conjuncta declarant; CHRISTI ſcilicet Redemptoris paſſionem, quæ ſanctitatis cauſſa eſt, & vitam æternam, cæleſtemque beatitudinem, ad quam ſanctitas noſtra, tanquam ad finem referri debet. Quod quidem cum in omnibus Sacramentis perſpici poteſt, merito ſacri doctores unicuique Sacramentorum triplicem ſignificandi vim ineſſe tradiderunt; tum quia alicujus rei præteritæ memoriam afferat, tum quia aliam preſentem indicet, ac demonſtret; tum quia aliam futuram prænuntiet. *Ex eodem.*

Oſtendit Deus potentiam ſuam in Sacramentis novæ legis, & cur J. C. illa inſtituerit.

Verum ad rectum Sacramentorum uſum docendum nihil accommodatius videri poteſt quam diligenter cauſſas exponere, cur ſacramenta inſtitui oportuerit. Plures autem numerari ſolent; quarum prima eſt, humani ingenii imbecillitas. Siquidem natura ita comparatum videmus, ut ad earum rerum notitiam, quæ mente, atque intelligentia comprehenſæ ſunt, niſi per ea, quæ aliquo ſenſu percipiuntur, nemini adſpirare liceat. Ut igitur, quæ occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere poſſemus, idem ſummus rerum omnium artifex ſapientiſſime fecit, ut eam ipſam virtutem aliquibus ſignis, quæ ſub ſenſum cadunt pro ſua in nos benignitate declararet. Nam ut præclare a Sancto Chryſoſtomo dictum eſt; ſi homo corporis concretione caruiſſet, nuda ipſa bona, neque ullis integumentis involuta ei oblata eſſent: quoniam vero anima corpori conjuncta eſt, omnino opus fuit, ut rerum, quæ ſentiuntur, adminiculo ad ea intelligenda uteretur. *Ex eodem Catechiſmo.*

Idem ſequitur argumentum.

Altera vero cauſſa eſt, quod animus noſter haud facile commovetur ad ea, quæ nobis promittuntur credenda. Quare Deus a Mundi exordio, quæ facere inſtituerat, verbis quidem frequentiſſime indicare conſuevit: interdum vero cum opus aliquod inſtitueret, cujus magnitudo promiſſis fidem abrogare poſſet, alia etiam ſigna, quæ nunnunquam miraculi ſpeciem haberent, verbis adjunxit: nam cum Deus Moyſem ad Iſraelitici populi liberationem mitteret: ille vero ne Dei quidem præcipientis auxilio fretus, timeret, ne onus ſibi gravius imponeretur, quam ut ſuſtinere poſſet; aut ne populus divinis Oraculis, & dictis fidem non adjungeret, Dominus promiſſionem ſuam multa ſignorum varietate firmavit. Quemadmodum igitur in veteri Teſtamento Deus fecerat, ut magni alicujus promiſſi conſtantiam ſignis teſtificaretur: ita etiam in nova lege CHRISTUS Salvator noſter, cum nobis peccatorum veniam, cæleſtem gratiam, Spiritus ſancti communicationem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis & ſenſibus ſubjecta inſtituit; quibus eum quaſi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promiſſis futurum dubitare nunquam poſſemus. *Ex Concilii Tridentini Catechiſmo.*

Sacramenta ſunt remedia ad animarum ſalutem reparandam.

Tertia cauſſa fuit, ut illa tamquam remedia, ut ſcribit Sanctus Ambroſius, atque Evangelici Samaritani medicamenta ad animarum ſanitatem, vel recuperandam, vel tuendam præſto eſſent. Virtutem enim, quæ ex paſſione CHRISTI manat, hoc eſt, gratiam, quam ille nobis in ara Crucis meruit per Sacramenta, quaſi per alveum quemdam in nos ipſos derivare oportet. Aliter vero nemini ulla ſalutis ſpes reliqua eſſe poterit. Quare clementiſſimus Dominus Sacramenta verbo ſuo, & promiſſione ſancita relinquere in Eccleſia voluit, per quæ paſſionis ſuæ fructum nobis re ipſa communicari ſine dubitatione crederemus; ſi modo unuſquiſque noſtrum ad ſe eam curationem pie, & religioſe admoveret. *Ex eodem.*

De Sacramentorum neceſſitate.

Sed quarta etiam accedit cauſſa, cur Sacramentorum inſtitutio neceſſaria videri poſſit; ut ſcilicet notæ quædam, & ſymbola eſſent, quibus fideles internoſcerentur, cum præſertim nullus hominum cœtus queat, ut etiam a Sancto Auguſtino traditum eſt, ſive veræ, ſive falſæ Religionis nomine, quaſi unum corpus coagmentari, niſi aliquo viſibilium ſignorum fœdere conjungantur. Utrumque igitur præſtant novæ legis Sacramenta, que & Chriſtianos fidei cultores ab infidelibus diſtinguunt, & ipſos fideles ſancto quodam vinculo inter ſe connectunt. Præterea aliam etiam juſtiſſimam fuiſſe cauſſam Sacramenta inſtituendi ex illis Apoſtoli verbis, *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, oſtendi poteſt. Sacramentis enim fidem noſtram in hominum conſpectu profiteri, & notam facere videmur. Quare ad Baptiſmum accedentes palam teſtamur nos credere; etiam aquæ virtute, qua in Sacramento abluimur, ſpiritualem animæ purgationem fieri. *Ex eodem.*

Sacramenta nos ſimul conſtringunt vinculis Caritatis.

Magnam deinde vim habent Sacramenta non ſolum ad fidem in animis noſtris excitandam, ſed etiam ad Caritatem inflammandam, qua amare inter nos debemus, cum arctiſſimo nos vinculo colligatos, & unius corporis membra effectos eſſe ex Sacrorum communione recordamur. Poſtremo, quod in Chriſtianæ pietatis ſtudio plurimi faciendum eſt, humanam ſuperbiam edomant, & comprimunt, noſque ad humilitatem exercent; dum ſenſibilibus elementis ſubjicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus, a quo antea impie deſeceramus, ut mundi elementis ſerviremus. Hæc ſunt quæ potiſſimum de Sacramenti nomine tradenda eſſe viſa ſunt: quæ poſteaquam a Paſtoribus accurate expoſita fuerint, docere deinceps oportebit: quibus ex rebus ſingula Sacramenta conſtent, quæve ſint illorum partes, ac præterea qui ritus, & cæremoniæ additæ illis fuerint. *Ex Catechiſmo Sacri Tridentini Concilii.*

De materia, & forma Sacramenti.

Primum igitur explorandum eſt rem ſenſibilem, quæ ſupra in Sacramenti definitione poſita eſt, non unam tantum eſſe, quamvis unum ſignum conſtitui credendum eſt. Duo enim ſunt, ex quibus quodlibet Sacramentum conficitur, quorum alterum materiæ rationem habet, atque elementum dicitur, alterum formæ vim, & verbum communi vocabulo appellatur: Sic enim a Patribus accepimus, Qua in re notum eſt illud S. Auguſtini Teſtimonium: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Rei igitur ſenſibilis nomine tum materiam, ſive elementum intelligunt: ut in Sacramento Baptiſmi aquam, Confirmationis Chriſma, & Extremæ Unctionis Oleum, quæ omnia ſub adſpectum cadunt; tum præterea verba, quæ formæ rationem habent, atque ad aurium ſenſum pertinent. Apoſtolus vero utrumque aperte indicavit cum inquit: *CHRISTUS dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quo in loco materia, & forma Sacramenti exprimitur. *Ex eodem.*

Verba neceſſaria ſunt in Sacramentis ad eorum virtutem ſignificandam.

Addenda autem erant verba ad materiam, ut apertior, clariorque rei, quæ gerebatur, ſignificatio fieret. Verba enim inter omnia ſigna maximam vim habere perſpicuum eſt: ac ſi ipſa deſint, plane obſcurum erit, quidnam materia Sacramentorum deſignet, atque demonſtret. Nam ut in Baptiſmo licet videre, cum aqua non minus refrigerandi, quam abluendi vim habeat, & utriuſque rei ſymbolum eſſe poſſit, niſi verba addantur, utrum horum in baptiſmo ſignificet, aliquis fortaſſe conjectura aliqua dijudicabit; nemo autem ea de re quippiam certi affirmare audebit: ac cum verba adhibentur, ſtatim intelligimus abluendi vim, & ſignificationem habere. *Ex eodem.*

Sacramentum quodvis celebratur cum peculiaribus cæremoniis.

His accedunt cæremoniæ, quæ tametſi prætermitti ſine peccato non poſſint, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat; tamen ſi quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum eſt. Ac merito quidem a primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramenta ſollemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur. Primum enim maxime decuit Sacris Myſteriis eum religionis cultum tribuere, ut Sancta Sancti tractare videremur. Præterea quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum Sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, & caritatem excitant: quo major cura, & diligentia adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus ſingula Sacramenta conficiuntur, cognitam, & perſpectam habeant. *Ex eodem.*

De numero, neceſſitate, & præſtantia Sacramentorum.

Sequitur, ut Sacramentorum etiam numerus explicetur, quæ quidem cognitio hanc utilitatem affert, quod populus eo majori pietate omnes animi ſui vires ad laudandam, & prædicandam Dei erga nos ſingularem beneficentiam convertet; quo plura ſalutis, ac beatæ vitæ adjumenta nobis divinitus parata eſſe intellexerit. Catholicæ igitur Eccleſiæ Sacramenta; quemadmodum ex ſcripturis probatur, & Patrum traditione ad nos pervenit, & Conciliorum teſtatur auctoritas, ſeptenario numero definita ſunt. Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, ex iis etiam rebus, quæ per ſimilitudinem a naturali vita ad Spiritualem transferuntur, & ex ſua reique publicæ utilitate traducendam, hæc ſeptem neceſſaria videntur; ut ſcilicet in lucem edatur; augeatur; alatur; ſi in morbum incidat, ſanetur; imbecillitas virium reficiatur; deinde quod rempublicam attinet, ut magiſtratus nunquam deſit, quorum auctoritate, & imperio regatur; ac poſtremo legitima ſobolis propagatione ſe ipſum, & humanum genus conſervet. Quæ omnia quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, reſpondere ſatis apparet ex iis facile Sacramentorum numerus colligetur. Primus enim eſt Baptiſmus, veluti ceterorum janua, quo CHRISTO renaſcimur: deinde Confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia augeamur, & roboremur. Baptizatis enim jam Apoſtolis, ut Div. Auguſtinus teſtatur, inquit Dominus: *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.* Tum Euchariſtia, qua tamquam cibo vere Cæleſti, ſpiritus noſter alitur, & ſuſtinetur: de ea enim dictum eſt a Salvatore: *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus.* Sequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope ſanitas amiſſa reſtituitur, poſtquam peccati vulnera accepimus. Poſtea vero Extrema unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur: ſiquidem Div. Jacobus, eum

de hoc

de hoc Sacramento loqueretur, ita teſtatus eſt: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Sequitur ordo, quo publica Sacramentorum miniſteria perpetuo in Eccleſia exercendi, ſacraſque omnes functiones exequendi poteſtas traditur. Poſtremo additur Matrimonium, ut ex maris, & feminæ legitima, & ſancta conjunctione filii ad Dei cultum, & humani generis conſervationem procreentur, & religioſe educentur. *Ex eodem Tridentini Concilii Catechiſmo.*

Sacramenta non omnia æque neceſſaria.

Illud vero maxime animadvertendum eſt, quamvis omnia Sacramenta divinam, & admirabilem virtutem in ſe contineant, tamen non parem omnia, & æqualem neceſſitatem, aut dignitatem, aut unam, eamdemque ſignificandi vim habere. Atque ex iis tria ſunt, quæ tametſi non eadem ratione, tamen præ ceteris neceſſaria dicuntur. Baptiſmum enim unicuique ſine ulla adjunctione neceſſarium eſſe Salvator his verbis declaravit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Pœnitentia vero illis tantummodo neceſſaria eſt, qui ſe poſt baptiſmum aliquo mortali peccato obſtrinxerunt. Neque enim æternum exitium effugere poterunt, niſi eos admiſſi peccati rite pœnituerit. Ordo præterea, etſi non ſingulis fidelibus, toti tamen Eccleſiæ omnino neceſſarius eſt. Verum ſi dignitas in Sacramentis ſpectetur, Euchariſtia Sanctitate, & Myſteriorum numero, ac magnitudine longe ceteris antecellit, quæ omnia facilius intelligentur, cum ſuo loco ea, quæ ad ſingula pertinent Sacramenta, explicabuntur. *Ex eodem.*

De Auctore, & Miniſtro Sacramentorum.

Deinceps videndum eſt, a quo hæc Sacra, & divina Myſteria acceperimus. Neque enim dubitandum eſt, quin præclari alicujus muneris dignitas ejus a quo donum ipſum profectum eſt, dignitate, præſtantia quam maxime augeatur. Sed ea quæſtio difficilem explicationem habere non poteſt. Nam cum Deus ſit, qui homines juſtos efficiat, ipſa vero Sacramenta Juſtitiæ adipiſcendæ mirifica quædam inſtrumenta ſint: patet, unum, eumdemque Deum in CHRISTO juſtificationis, & Sacramentorum auctorem cognoſcendum eſſe. Præterea Sacramenta eam vim, & efficientiam continent, quæ ad intimam animam penetrat. Cum vero unius Dei potentiæ proprium ſit in cordis, & mentes hominum illabi, ex hoc etiam perſpicitur, Sacramenta a Deo ipſo per CHRISTUM inſtituta eſſe; quemadmodum ab eo quoque intus diſpenſari certa, & conſtanti fide tenendum eſt. Hoc enim teſtimonium de illo ſe accepiſſe Sanctus Joannes affirmat, cum ait: *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. Ex Catechiſmo Tridentini Concilii.*

Miniſtri licet mali valide tamen conficiunt Sacramenta.

Sed quamvis Deus Sacramentorum auctor, & diſpenſator ſit, ea tamen non per Angelos, verum per homines miniſtrari in Eccleſia voluit, non minus enim miniſtrorum officio, quam materia, & forma ad Sacramenta conficienda opus eſſe perpetua Sanctorum Patrum traditione confirmatum eſt. Atque hi quidem miniſtri, quoniam in Sacra iſta functione, non ſuam, ſed CHRISTI perſonam gerunt, eo re fit, ut ſive boni, ſive mali ſint, modo ea forma, & materia utantur, quam ex CHRISTI inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, idque facere proponant, quod Eccleſia in ea adminiſtratione facit, vere Sacramenta conficiant, & conferant: ita ut gratiæ fructum nulla res impedire poſſit, niſi, qui ea ſuſcipiunt, ſe ipſos tanto bono fraudare, & Spiritui ſancto velint obſiſtere. Hanc vero in Eccleſia certam, & exploratam ſententiam ſemper fuiſſe Sanctus Auguſtinus in iis diſputationibus, quas adverſus Donatiſtas conſcripſit, clariſſime demonſtravit. Quod ſi etiam Scripturæ teſtimonia quærimus, ipſum Apoſtolum his verbis loquentem audiamus; *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit; neque enim, qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ex quo loco ſatis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obeſt eorum improbitas, quorum manu ſatæ ſunt; ita nihil vitii aliena culpa contrahi illis poſſe, qui malorum hominum miniſterio CHRISTO inſiti ſunt. Quare, ut ex Divi Joannis Evangelio Sancti Patres noſtri docuerunt, Judas etiam Iſcariotes plures baptizavit, ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuiſſe legimus: ita ut præclare Divus Auguſtinus ſcriptum reliquerit: Dedit Baptiſmum Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam: dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem, quia ſi datum a Juda baptiſma CHRISTI erat, quod autem a Joanne datum eſt, Joannis erat: non Judam Joanni, ſed Baptiſmum CHRISTI etiam per Judæ manus datum, Baptiſmo Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus. *Ex eodem.*

Grave ſcelus eſt ad miniſtrare Sacramenta in ſtatu peccati.

Neque vero Paſtores, aliive Sacramentorum Miniſtri, cum hæc audiunt, ſatis ſibi eſſe arbitrentur, ſi poſthabita morum integritate, ac conſcientiæ munditia illud tantum cogitent, quo modo Sacramenta ab illis rite adminiſtrentur; id enim & ſi diligenter curandum eſt, in hoc tamen omnia, quæ ad eam functionem pertinent, poſita non ſunt. Meminiſſe autem ſemper debent, Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquam amittere, at vero impure ea miniſtrantibus æternam perniciem, & mortem afferre. Sancta enim, quod ſemel, atque iterum, ac ſæpius admonere oportet, ſancte, & religioſe tractanda ſunt. *Peccatori*, ut eſt apud Prophetam, *dixit Deus: Quare tu enarras Juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam. Ex Catechiſmo Tridentini Concilii.*

De Sacramentorum effectibus.

Sed jam his rebus explicatis docendum erit, quinam Sacramentorum effectus ſit: id enim Sacramenti definitioni, quæ ſupra tradita eſt, non parum lucis allaturum videtur: Ii autem duo præcipue numerantur: ac principem quidem locum merito gratia illa obtinet, quam uſitato a Sacris doctoribus nomine juſtificantem vocamus. Hoc enim Apoſtolus apertiſſime nos docuit cum inquit; CHRISTUM dilexiſſe Eccleſiam, & ſe ipſum tradidiſſe pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Quo autem pacto tanta res, & tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. Auguſtini ſententia celebratum eſt: Aqua corpus abluat, & cor tangat, id quidem humana ratione, atque intelligentia comprehendi non poteſt. Conſtitutum enim eſſe debet, nullam rem ſenſibilem ſuapte natura ea vi eſſe præditam, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoſcimus omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis ineſſe, qua id efficiant, quod ſua vi res ipſæ naturales præſtare non poſſunt: *Ex eodem.*

Effectus Sacramentorum miraculis confirmati.

Quocirca, ne ulla umquam hujus Effectus dubitatio in animis fidelium reſideret, cum miniſtrari Sacramenta cœptum eſt, voluit Clementiſſimus Deus, quid illa interius efficerent, miraculorum ſignificationibus declarare, ut eadem perpetuo interius fieri conſtantiſſime crederemus, quamvis longe a noſtris ſenſibus remota eſſent. Itaque, ut omittamus, Salvatore noſtro in Jordane Baptizato, Cælos apertos eſſe, & Spiritum ſanctum Columbæ ſpecie apparuiſſe; ut admoneremur ejus gratiam, cum ſalutari fonte abluimur, in animam noſtram infundi; ut hoc inquam omittamus (magis enim ad Baptiſmi Sanctificationem, quam Sacramenti adminiſtrationem pertinet) nonne legimus, cum Pentecoſtes die Apoſtoli Spiritum ſanctum acceperunt, quo deinde ad prædicandam fidei veritatem, adeundaque pro CHRISTI gloria pericula alacriores, & fortiores fuerunt, tunc, facto repente de cælo ſonitu, tamquam advenientis Spiritus vehementis, apparuiſſe illis diſpertitas linguas quaſi ignis? ex quo intellectum eſt, Sacramento Confirmationis eumdem nobis Spiritum tribui, eaſque vires addi, quibus poſſimus carni, mundo, & ſathanæ, perpetuis ſcilicet hoſtibus noſtris fortiter repugnare, & reſiſtere. Atque hæc miracula quoties Apoſtoli Sacramenta iſta miniſtrarent initio naſcentis Eccleſiæ aliquandiu viſa ſunt, donec firmata jam fide, & corroborata, fieri deſierunt. *Ex eodem.*

Diſcrimen inter Sacramenta novæ legis, & veteris.

Ex iis igitur, quæ de priori Sacramentorum Effectu, gratia ſcilicet juſtificante, demonſtrata ſunt, illud etiam plane conſtat, excellentiorem, & præſtantiorem vim Sacramentis novæ legis ineſſe, quam olim veteris legis Sacramenta habuerunt: quæ cum infirma eſſent, egenaque elementa, inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis, non animæ. Quare ut ſigna tantum earum rerum, quæ Myſteriis noſtris efficienda eſſent, inſtituta ſunt. At vero Sacramenta novæ legis ex CHRISTI latere manantia, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundant conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi, atque ita eam gratiam, quam ſignificant, CHRISTI Sanguinis virtute operantur. Quocirca ſi ea cum antiquis Sacramentis conferamus, præter quam quod plus efficaciæ habent, & utilitate uberiora, & ſanctitate auguſtiora eſſe invenientur. *Ex eodem.*

Tria ſunt Sacramenta characterem imprimentia.

Alter vero Sacramentorum Effectus, non quidem omnibus communis, ſed trium tantummodo proprius Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ſacri, eſt character; quem animæ imprimunt. Nam cum Apoſtolus ait, *Unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris:* voce illa ſignavit, non obſcure characterem deſcripſit; cujus proprium eſt aliquid ſignare, & notare. Eſt autem character veluti inſigne quoddam animæ impreſſum, quod deleri nunquam poteſt, eique perpetuo inhæret: de quo ita apud Sanctum Auguſtinum ſcriptum eſt. An minus forte Sacramenta Chriſtiana, quam corporalis hæc nota, qua ſcilicet Miles inſignitur, poterunt? illa namque Militi ad militiam, quam deſeruiſſet revertenti, non nova imprimitur, ſed antiqua cognoſcitur, & approbatur. Jam vero character hoc præſtat, tum ut apti ad aliquid Sacri ſuſcipiendum, vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoſcatur. A Baptiſmi quidem charactere utrumque conſequimur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, & eo propterea fidelis populus a gentibus, quæ fidem non colunt, diſtinguatur. Idem autem in charactere confirmationis, & Sacri Ordinis licet cognoſcere: quorum altero veluti CHRISTI Milites ad ejus nominis publicam con-

feſſio-

Digitized by Google

feſſionem, & propugnationem, ac contra infitum nobis hoſtem, & ſpiritualia nequitiæ in Cæleſtibus armamur, atque inſtruimur, ſimulque ab iis, qui nuper baptizati, tamquam modo geniti infantes ſunt, diſcernimur; alter vero tum poteſtatem Sacramenta conficiendi, & miniſtrandi conjunctam habet, tum eorum, qui ejuſmodi poteſtate præditi ſunt, a reliquo fidelium cœtu diſtinctionem oſtendit. Tenenda igitur eſt Catholicæ Eccleſiæ regula, qua docemur; tria hæc Sacramenta characterem imprimere, neque ullo unquam tempore iteranda eſſe. *Ex Tridentini Concilii Catechiſmo.*

Quid ciere debeat in Fidelibus Sacramentorum reverentiam.

Hæc ſunt quæ generatim de Sacramentis tradenda erant; in eujus argumenti explicatione, Paſtores duo potiſſimum efficere omni ſtudio conentur. Primum eſt, ut fideles intelligant, quanto honore, & cultu, & veneratione hæc divina, & Cæleſtia munera digna ſint: alterum vero, ut quoniam a Clementiſſimo Deo ad communem omnium Salutem propoſita ſunt, iis pie, & religioſe utantur, atque ita Chriſtianæ perfectionis exardeſcant deſiderio, ut ſi Pœnitentiæ præſertim, & Euchariſtiæ ſaluberrimo uſu aliquando careant, plurimum damni ſe feciſſe exiſtiment. Hæc autem facile Paſtores aſſequi poterunt, ſi quæ de Sacramentorum divinitate, & fructu ſupra dicta ſunt, auribus fidelium ſæpius inculcabunt, primum a Domino, Salvatore noſtro, a quo nihil niſi perfectiſſimum proficiſci poteſt, inſtituta eſſe: præterea cum miniſtrantur, Spiritus ſancti intima cordis noſtri permeantis efficaciſſimum numen præſto eſſe: deinde admirabili, & certa curandarum animarum virtute prædita eſſe: tum, per ea immenſas illas Dominicæ paſſionis divitias ad nos derivari. Poſtremo vero oſtendent, totum Chriſtianum ædificium firmiſſimo quidem lapidis angularis fundamento inniti, verum, niſi verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum uſu undique fulciatur, magnopere verendum eſſe, ne magna ex parte labefactatum concidat. Ut enim per Sacramenta in vitam ſuſcipimur: ita hoc veluti pabulo alimur, conſervamur, augemur. *Ex eodem Catechiſmo.*

Sacramentorum diſtinctio.

Diſtinguenda ſunt Sacramenta; alia enim ex illis *Sacramenta mortuorum* vocantur, quia proprius eorum effectus in eo ſitus eſt; quod vitam illis reddunt, qui erant mortui ſpiritualiter per peccatum; hujuſmodi ſunt Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ. Quinque reliqua Sacramenta vivorum dicuntur; quia in eorum receptione ſupponunt ſpiritualem vitæ gratiam in recipiente; cum proprius eorum effectus ſit roborare, nutrire, & conferre poteſtatem conſecrandi Corpus JESU CHRISTI, vel aliquem Miniſtrum Eccleſiæ, curandi animæ vulnera, vel gratiæ vim conferendi, cujus ope in matrimonio conjunges ſuſtinere poſſint onera, quæ illis adjecta ſunt &c. Quæ omnia ſupponunt vitæ gratiam in anima Sacramenta hæc recipientium. *Ex Theologis.*

Officia Miniſtrorum, qui erudire debent populos, eoſque diſponere ad recipienda Sacramenta, uti oportet.

Ex dictis facile eſt cognoſcere, duo eſſe genera obligationum in Paſtoribus, quod pertinet ad hæc prorſus Cæleſtia Sacramenta; quorum primum eſt, ut ſemper ſint diſpoſiti ad illa digne diſpenſanda; alterum vero, ut diſponant populos ad illa rite recipienda. Sacramenta jure optimo vocantur panis vitæ, & ſpiritus, *Cibavit eum pane vitæ, & intellectus.* Quatenus ſunt panis vitæ; qui Miniſter eſt, debet eſſe in vita gratiæ ad illa diſtribuenda: & quatenus ſunt panis ſpiritus, oportet, ut cognoſcat bonum, quod continent, ut illa applicet opportune. Miniſter non minus facere debet, ut Sacramenta digne recipiantur a populo ſuo, tamquam panis vitæ, & ſpiritus; ad id requiritur, ut populus calleat modum recipiendi illa ſancte, & cum iis diſpoſitionibus, quæ afferendæ ſunt; præterea quæritur, ut cognoſcat eorum excellentiam, originem, characterem, & effectus: Quod in Sacra Tridentina Synodo ſtatutum eſt; *Sacramenta adminiſtraturi prius illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicent.* Negligere hæc documenta adeo neceſſaria, hoc eſſet objicere Myſteria ſacerrima graviſſimæ irreverentiæ, & maximo contemptui. *Pater Segneri.*

Seſſ. 14.

DE BAPTISMO.

Quæ prima eſt Eccleſiæ Cæremonia Chriſtianos efficiens, Nomen Chriſtiani, & Officia, quæ imponit &c.

MONITUM.

Sicuti Baptiſmus prima eſt, maxime eſſentialis, ideoque maxime neceſſaria Eccleſiæ cæremonia erga Fideles, Sancti Patres uno ore illum vocarunt januam Chriſtianiſmi, fundamentum eſſentiæ ſupernaturalis, Sacramentum, quo Chriſtiani efficimur, & quo fit, ut Chriſtiani vocemur; & demum quo evadimus Filii Dei ex filiis, & mancipiis dæmonis quales eramus; prætermittere non potuimus ſermonem de hac Cæremonia, per quam incipimus eſſe membra Eccleſiæ, & ad illam pertinere.

De hoc argumento egimus jam, & fuſius, in Tomo Primo Bibliothecæ noſtræ, ubi collegimus quidquid ad hujus Sacramenti dignitatem ſpectabat, quin tamen loqueremur de cæremoniis, quas ſervat Eccleſia in illius collatione ſeu pueris, ſeu adultis, ibique ſolum verba fecimus de officiis, quæ imponunt, & de obligatione ſuſtinendi dignitatem nominis Chriſtiani, quam ibi recipimus; & quid abnegaverimus fidem JESU CHRISTI amplectentes: En quid pertinet ad hoc argumentum, & fructus, quem percipere debent illi, qui Chriſtiani vocantur, qui ſatis reliqua tenent.

Objiciet fortaſſe aliquis, nos ſatis ſuperque de iis omnibus locutos fuiſſe eo, quem memoravimus, loco; ſed ratio diverſa, qua tot Auctores recentes hoc argumentum pertractarunt, & variationes, quas adhibuerunt, ut nos de his erudirent officiis, erunt nobis loco ſatis valida excuſationis ad evitandam cenſuram repetitionis earumdem ſententiarum, quas aliis verbis, ac terminis elatas in medium protulerimus.

DE

DE BAPTISMO

Qui eſt prima cæremonia Eccleſiæ, quæ nos Chriſtianos efficit. Nomen Chriſtiani, & officia, quæ imponit &c.

Chriſtianus pro virili reſpondere debet gratiæ Baptiſmi.

SERMO, quem mihi apud vos habendum propono, unice eo tendit, ut vos excitem, ut gratiæ Baptiſmi reſpondeatis. Altius, quæſo Chriſtiani, repetamus Spiritualem noſtram regenerationem, ut noſtris erudiamur officiis. *Recipe*, inquit Sacer Miniſter, dum albam imponit veſtem capiti pueri recens Baptizati, *Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini noſtri JESU CHRISTI, ut habeat vitam æternam. Amen.* Stola hæc myſtica exhibet nobis gratiam Baptiſmalem, quæ detergens maculas originalis peccati divino candore, & ſpecie ſupernaturali exornat animam, & imprimens in illa Imaginem Dei, & characteres filii adoptivi cum fulgentibus radiis gratiæ, & uberibus ſplendoribus, qui ex pretioſa divinitatis communicatione reſiliunt ita, ut, ſi poſſemus intueri animam regeneratam, qualis renaſcitur ex luſtralibus undis, & cum Cæleſti albedine, quam in Sacro recipit lavacro; illecti præſtantiſſimo objecto, quod caliginem offunderet omnibus formis, perhorreſceremus peccatum, quod unum poteſt tot gratias dedecorare. Hanc innocentiæ ſtolam accepimus ad Baptiſmi gratiam vocati; cum antea eſſemus filii iræ, facti ſumus filii Benedictionis per ſpiritualem noſtram nativitatem; recepimus hoc pretioſum gratiæ indumentum, ut magis, magiſque illud locupletaremur per augmentum meritorum, & in animabus noſtris fulgidiora, ac nitidiora efficeremus lineamenta Imaginis Dei. Tamen quot maculis coinquinavimus ſtolam hanc adeo candidam, & mundam, cum illam de manu Dei accepimus integerrimam? Heu! Tantum abeſt, ut illam ornaverimus, & nitidiorem effecerimus, ut multiplici criminum numero eam fœdaverimus. *Abbas du Jarry in Sermone de Conceptione.*

Multiplices hujus Sacramenti cæremoniæ cogunt nos gratiam ſervare in omnes vitæ noſtræ ſpatium.

Omnes cæremoniæ, quibus utimur in Baptiſmi Sacramento nobis oſtendunt neceſſitatem noſmet amovendi a ſæculi vanitatibus, quibus renuntiare debemus, ut noſmet præbeamus fideles gratiæ, quam recepimus. His cæremoniis docemur, animas noſtras eſſe debere puras per aquam infuſam capitibus noſtris, incorruptibiles per ſal immiſſum in os noſtrum: omnia vota, cogitationes, affectus noſtros reſpondere debere ſolemni huic abrenuntiationi, quam omnibus ſæculi pompis mittimus eorum miniſterio, a quibus præſentamur. Profecto, character, quem Sacramentum Baptiſmi imprimit in animabus noſtris, ſufficit, ut illas Deo jucundas efficiat, quemadmodum militis titulus ſufficit tempore pacis, ut qui hoc vocantur nomine, privilegiis eidem inhærentibus perfruantur; ſed eo modo quo, S. Auguſtinus ait, cum bellum exardeſcit, & hoſtes ſunt in conſpectu, character iſte non ſolum inutilis eſt, ſed etiam funeſtus gerentibus illum, qui muneribus ſuis perfunguntur, neque prodeſt niſi ut plectantur transfugæ, ubi inveniuntur extra militiam, cui nomen dedere: ita per annos ignorantiæ, & infirmitatis, quibus nondum nobis licet cognoſcere inimicos noſtros, & quibus nobis vires non ſuppetunt ad capeſſenda arma, quæ nobis dedit Deus ad decertandum; Chriſtiani character ſine ulla cooperatione noſtra efficit, ut bonis illi inhærentibus perfruamur. Sed ſimulac per ætatem cognoſcere poſſumus periculoſos mundi impetus nos reducere feſtinantis; inevitabile nobis officium eſt omnibus viribus in aciem deſcendere, quod niſi præſtiterimus, Chriſtianorum titulus nobis cedit in notam infamiæ. *Abbas du Jarry in Sermone de Conceptione.*

In Baptiſmo recipimus gratiam uberem, & copioſam, quæ nos penitus devovet Deo.

Gratia, quæ nos prævenit in Baptiſmo, gratia plena eſt, & copioſa, quæ nullam admittit partitionem. Hæc ſeſe ſuper totum hominem effundit; Sanguis Agni animam eluit, & corpus. Utrumque funeſta contagione fuerat coinquinatum, utriuſque labes deletæ fuerunt exteriori, & interiori criſmate. Fit ergo integra regeneratio. Poſt Baptiſmum renaſcitur homo totus recens, in quo nihil veterum affectionum debet permanere. Hoc ſignificant cæremoniæ, quæ Baptiſmum concomitantur. Poſtquam puer oblatus Deo in ara, eductus fuit ex aqua, in quam fuit immerſus, ut doceatur de tranſitu, qui illi faciendus eſt de peccato ad gratiam, alba induitur veſte, ac cereus manibus ejus inſeritur. Dei Miniſter, a quo in Eccleſiæ ſinum recipitur, poſtquam illum coegit, ut ſolemniter Mundo, ejuſque pompis nuntium mitteret; per hæc ſenſibilia admonet Symbola, ipſum in poſterum omni labe vacuum eſſe debere, vitamque ducere integerrimam; ſicuti radii omnes ex ea face emanantes, æque refulgent, atque uſque ad ejus conſummationem fulgebunt, ita omnes actiones, & cogitationes illius, emittere debere vividum lumen ſine defectu, atque obſcuritate. *Sermo Secundus Academiæ anni 1677.*

Gratia Baptiſmi imprimit in animas noſtras ineffabilē characterem.

Ignorare oporteret prima Religionis elementa, ut neſciremus, quamvis Baptiſmi cæremoniæ pertranſeant, quod illæ ſignificant, relinquere characterem, qui non deletur, æternumque manet: Carnem eſſe infirmam, cupiditates violentas; concupiſcentiam nos in malum pertrahere, mundum nihil inauſum relinquere, ut nos fallat; dæmonem nihil prætermittere, ut nos perdat; ex quo facti ſumus Chriſtiani, non eſſe nos ulterius juris noſtri: ad Deum ſpectare; divinum gerere characterem, quem dedecorare non poſſumus, citra ſacrilegium, & ſcelus nefarium. *Ex eodem ſermone.*

Chriſtiani qualitas omnibus inanibus mundi titulis præferenda.

Chriſtianum eſſe, eſt eſſe JESU CHRISTI ſervum; & profecto aliquando in mundo, ac Romæ potiſſimum, profana totius orbis Metropoli, titulus hic diſtinguebatur ab aliis titulis, qui unice innituntur, vel naturæ bonis, vel humanæ celſitudini. Eſſe JESU CHRISTI ſervum prima dignitas eſt, quam Gentium Doctor jactitet; qualitas auguſta, & præferenda etiam honori Sancti miniſterii, quod ſine humilitate, ſine fidelitate veri ſervi cedit in dedecus, & probrum Concionatoris, Paſtoris, Apoſtoli: qualitas præferenda magnificis titulis, aures obtundentibus Principis, Magni, Monarchæ, Imperatoris: quoniam in Morte hæc omnia magna nomina inania fiunt, & ſtatim in tumulo evaneſcunt. Qualitas Chriſtiani, famuli JESU CHRISTI, ſola in altera vita nobiles facit; hic unus titulus eſt, ut æternum regnemus in Cælo. Quæ conſolatio illis omnibus, quibus in hoc mundo nullus eſt nitor, nulla amplitudo, nulla generis prærogativa? Non omnes eſſe poſſunt Reges; Servi JESU CHRISTI omnes eſſe poſſunt. Quænam inſania eſt, nullum movere lapidem, ut hunc titulum mereamur? *Pater Croiſet in Aſceticis exercitationibus.*

Tutiſſima probandi ratio, aliquem eſſe Chriſtianum eſt conformitas cum J. C.

Chriſtiani eſtis, ut dicitis, ſed quomodo vos tales eſſe probatis? Num quia magnificum hoc nomen defertis? Num quia educati fuiſtis in hac Religione, quæ Chriſtiana vocatur? Hæc mera eſt illuſio; eo quod hoc nomine vocamini, quod in Chriſtianorum ſocietate verſamini, non ideo eſtis Chriſtiani. Tutior regula ad hoc dignoſcendum, utrum Chriſtiani ſitis, eſt vitam ducere prorſus oppoſitam illi, quam ducitis. Etenim haberi ne poteſt probatio magis oppoſita dictis veſtris, quam veſtri mores adeo oppoſiti Evangelio, ut nihil magis deforme liceat videre? *Auctor recens.*

J. C. Crucifixi imago cauſſa erit timoris noſtri in hora mortis, ſi vitam ab illius vita difformem duxerimus.

Metuendum eſt, ne Crucifixus, qui nobis in hora mortis exhibebitur, & qui nobis eſſe deberet cauſſa ſpei noſtræ, atque fiduciæ, fiat potius objectum terroris noſtri, & fortaſſe etiam deſperationis, & damnationis, ubi facta collatione vitæ noſtræ cum hoc autographo, cujus imitatores eſſe debemus, ſi Chriſtiani eſſe volumus, & prædeſtinati; inveniatur in nobis tanta difformitas, adeoque ſignum adeo manifeſtum noſtræ reprobationis. Fruſtra deferemus ad extremum uſque vitæ noſtræ ſpiritum celebre hoc nomen Chriſtianorum; mors CHRISTI nobis erit inutilis, ſi vita ejus non fuerit norma actionum noſtrarum. Non proficiemus ex meritis ejus, niſi ex divinis ejus exemplis profecerimus; & ille non futurus eſt Salvator noſter, niſi noſtrum exemplar extiterit. Adnitamur toto pectore tantam prævertere calamitatem. Non ſufficiat nobis geſtare nomen Chriſtiani; hoc erit prorſus inutile, niſi imitati fuerimus JESUM CHRISTUM Crucifixum, ad cujus normam conformanda eſt vita noſtra, ſecundum quam omnes mores noſtri componendi ſunt, cui unice omnes adjungere debemus cogitationes, deſideria, & affectus noſtros ne in morte ſit objectum terroris noſtri, noſtræque deſperationis. Obverſetur jugiter nobis ob oculos divinum hoc autographum, ut omnia illius lineamenta ad vivum exprimamus in nobis, etenim fruſtra ſperaremus in illo, niſi dum viveremus, adniſi fuiſſemus mores noſtros componere ad normam Evangelii, atque SS. exemplorum illius. *Pater Nepveu in libro, qui inſcribitur Spiritus Chriſtianiſmi.*

Is verus Chriſtianus dici poteſt, qui ſervat innocentiam Baptiſmi.

Hoc primum quæſitum a vobis fuit, cum rationis uſum aſſecuti eſtis, ut reminiſceremini eorum, quæ in Baptiſmo polliciti eſtis. Eſne Chriſtianus? Te Chriſtianum eſſe reddidiſti; & vere dixiſti, quia propter ætatis innocentiam talis eras; neque enim deleveras Novi Hominis imaginem, videlicet JESU CHRISTI, quæ una cum charactere Baptiſmi in anima tua fuerat impreſſa. Sed hoccine vere nunc reſpondere poſſes? Si in te cognoſceres lineamenta divini hujus autographi; ſi ſimilis eſſes JESU CHRISTO id ſine metu poſſes aſſerere: ſed ſi hoc non eſt, affirmare nequis, quin mentiaris, & factis neges, quod aſſeris ore. Igitur noſtrum eſt ſecundum hanc regulam noſmet ipſos interrogare, ſed quin vel noſmet decipiamus, vel blandiamur nobis. *Idem.*

Digitized by Google

Qui comparat vitam Chriſtianorū cum prototypo ſuo, qui eſt J. C. modicum invenit ſimilitudinis.

Cum quis videre vult, utrum imago aliqua ſit fidelis, utrum omnia exprimat prototypi lineamenta, primum conjicit oculos in prototypum, & mox in imaginem, utriuſque ſimul conferens lineamenta. Hac utamur methodo ad cognoſcendum utrum ſimus vere imagines JESU CHRISTI. Sed quam metuendum eſt, ne hac imagine confundamur, videntes tantum abeſſe, ut in nobis ſimilitudinem cum Filio Dei deprehendamus, ut immo videamus maximum diſcrimen, & omnimodam oppoſitionem. Tandem enim Mundi Salvator perfecte humilis eſt, & de ſe nobis dicit, hoc primum nobis diſcendum ab illo; ſed nihilo ſecius vani ſumus atque ſuperbi. JESUS CHRISTUS honores, & plauſus exhorruit, uti liquet, ubi accidit, ut illum Regem vellent conſtituere; nos vero hos honores ardenter conſectamur, & deperimus. Nunquid hæc omnia conveniunt cum celebri Chriſtianorum nomine, de quo gloriamur? Hæccine in Baptiſmo ſumus polliciti? hæccine toties mox iteravimus, abrenuntiantes Sathanæ, abnegantes Spiritum, & Mundi pompas, JESUM CHRISTUM profitentes nos ſecuturos, ac ſervaturos in omne vitæ ſpatium inviolabilem, & irreprehenſibilem fidem? *Pater Nepven. Ibid.*

Chriſtiani nomē eſt ampliſſimus honoris titulus, quem in terris poſſidere valeamus.

Per gratiam Dei Filii ſumus Dei, & hæredes JESU CHRISTI. Quiſnam amplior honoris titulus! quæ nobilior qualitas, quæ pretioſior illa adoptivi Filii Dei etiam per gratiam, & hæredis omnium bonorum illius? Omnes hi magnifici tituli, omnia hæc magna nomina honoris, & dignitatis, hæc jura ſucceſſionis, & prærogativæ nobilitatis, quas tribuunt genus, Principum favor, merita erga rempublicam, provinciæ, officia, jura ſunt quidem venerabilia, & monumenta illuſtria, ſed in arena ædificata. Præterquamquod ſunt intus inania; Quænam illorum ſoliditas eſt, virtus, duratio? Quantumvis extrinſecus niteant, fulgor eorum in ſpeciem tantummodo coruſcat. Tempus terit illa, mors vero obruit, vel ſaltem confundit. Quinam ex his magnificis titulis, quænam ex ampliſſimis hiſce ſucceſſionibus, quænam ex his claritatibus nos uſque in vitam alteram comitatur? Admirabile hoc ſimulacrum aureum, argenteum, ahenum, vel ferreum fictilibus tantum innititur pedibus. Quamvis locupletiſſima ſint mauſolea, nonniſi cineres continent. Sola qualitas Filii Dei, filii adoptivi per gratiam, meritum confert, quod non veteraſcit nobilitatem, quæ locum habet in Cælo. Hæc ea nobilitas eſt, quam Redemptoris noſtri Sanguis impetrit. Qualitas ſola filiorum Dei abſorbet, diſſipat, extinguit ceteras. Nulla præter illam, realis eſt, permanens, ſolida, ſuperior omnibus vitæ viciſſitudinibus. Qualitas ſola Chriſtiani reddit hominem vere nobilem, locupletem, potentem, beatum. Si hæc qualitas deſit, ceteræ ſunt nomina vacua. Sed quandonam hæc officia replebimus, ut apti ſimus ad hæreditatem noſtram percipiendam? *Pater Croiſet in Aſceticis pro diebus Dominicis, & Feſtis mobilibus.*

Qua in ſenſu Fideles vulgo poſſint offerre Deo Sacrificia.

Sanctus Petrus generatim de Fidelibus loquens, illis Sacerdotium tribuit, tamquam honorem Chriſtianiſmo inhærentem. Non ideo tamen ille hos omnes putat eſſe Sacerdotes velut illos, quibus Epiſcopi manus imponunt; & qui uni habent facultatem Sacra Myſteria celebrandi; ſed quodammodo Sacerdotes ſunt, quia poſſunt, immo & debent immolare Deo non veras hoſtias, cujuſmodi erant Boves, Arietes, Turtures, & Columbæ apud Judæos, & apud Chriſtianos Corpus Dominicum; ſed victimas ſpirituales, puta, preces, laudes, opera Sancta, jejunia, & eleemoſynas. Id genus Sacrificia nobis Divus Paulus commendat, cum inquit: *Per ipſum ergo offeramus Hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt fructum labiorum confitentium Nomini ejus.* Apoſtolus hæc omnia paucis exprimit. Obteſtor vos, ait ille, ut offeratis corpus veſtrum, tamquam Hoſtiam viventem, Sanctam, Deo beneplacentem; & addit, reddite Domino cultum rationabilem. Non petit a nobis verum Sacrificium, in quo offeramus corpora noſtra immolanda, & igni abſumenda; ſed Sacrificium mere morale, & Spirituale. Vult ſolum, ut ad imitationem Domini, qui ſacrificavit Corpus ſuum in Cruce, aliquo modo ſacrificemus corpora noſtra, tamquam Hoſtias viventes, Sanctas, perfectas, ideoque acceptas Deo; ut illa immolet mortificatio, & caritas conſummet. Oportet corpora noſtra Hoſtias eſſe, videlicet res Deo Sacras; oportet a nobis adhiberi, & conſumi in cultum illius, qui Creator eſt. Illa nobis non ſunt amplius conſideranda tamquam noſtra, ſed tamquam Dei, cui noſmet in æternum devovimus in Baptiſmo, & qui, ut ſanctus Paulus ait, caro nos pretio redemit: Oportet ad hæc has eſſe viventes Hoſtias, & Spiritu ſancto animatas; homo enim per peccatum mortuus, victima eſt dæmoniis, corpora, & animas perdere quærentis. Deus autem, qui vivit æternum, & vitæ fons eſt, non vult ſibi offerri cadavera in ſterquilinium duntaxat mittenda. Tueamur igitur perquam diligenter vitam animarum noſtrarum, ut poſſimus Deum colere rationabiliter, & ſpiritualiter. *Cardinalis Bellarminus in Opuſculis.*

Ad Hebr. 13.

Exemplum veri Chriſtiani.

Chriſtiani, S. Juſtinus Martyr ait, in mundo ſunt, tamquam in exilio. Reſpiciunt ſe tamquam Cives Cæleſtis Jeruſalem. Sunt in mediis civitatibus, ſed inſtar Viatorum: vitæ hujus participes ſunt, ſed illis ſimiles, qui alteram præſtolantur, vivunt in terra aliena tamquam domi ſuæ, & domi ſuæ tamquam in terra aliena. Vivunt in carne, ſed non vivunt ſecundum carnem; manent in terra, & commercium eorum in Cælo eſt. Hoc eſt hypotipoſis Chriſtianorum, quam S. Juſtinus inſtruit: hæccine eſt noſtra? *Pater Croiſet in Aſceticis, Tomo IV.*

Primi Chriſtiani, ut preti-ſum hoc nomē ſervarent mundi opes, & dignitates ſpreverunt.

Ad tuendum illuſtre hoc nomen Chriſtiani, primi fideles graviſſimas quaslibet contumelias ſuſtinere voluerunt. Voluerunt haberi tamquam inutiles mundo, rebus gerendis minime pares, & fruges abſumere nati; & ſi vitæ communis participes erant, nihil gloria dignum appetebant, & in illis nihil erat oppoſitum Evangelicæ humilitati. Plures ex ipſis detrectarunt Magiſtratuum ſubſellia, & jure timebant, ne, ſi ſemel partirentur Deum inter & Mundum, officiis adeo variis ſatisfacere poſſent . . . . . Abrenuntiaſtis mundo, qui Chriſtiani vocamini, & Chriſtianos eſſe profitemini. Conſanguinitas veſtra illuſtris, ac ſublimis eſt: quippe cordium conſenſus vos ſimul conjungit in oratione communi, quam Deo nuncupatis; hæc eſt mentium conformitas in ſcientia ſalutis; hæc eſt ejuſdem menſæ ſocietas in Communione Corporis, & Sanguinis adorabilis Salvatoris. Videte, Chriſtiani, quanta ſit altitudo nominis, quod geritis, & cavete, ne de hac adeo illuſtri dignitate decidatis degeneri vita, abnormi, & corporeis ſæculi hujus rebus inhærente. *Auctor recens.*

Pauci ſunt qui deferant nomē Chriſtianorum, qui tales jure dici debeant.

Quam pauci ſunt, qui Chriſtiani dicuntur, qui ſi vitæ ſuæ rationem cum JESU CHRISTI vita conferrent Capitis ſui, omnimodam agnoſcerent differentiam. Formalis eſt oppoſitio inter eorum vivendi rationes, ac divinum hunc prototypum, cujus ne unum quidem in illo deprehendi poteſt lineamentum. Quam pauci ſunt, qui inveniantur fideles imagines divini hujus autographi? Quam pauci, qui poſſint vere ſe Chriſtianos vocare! Quandoquidem ſimilitudo cum Salvatore facit, ut nomen hoc repleamus, & mereamur; ideoque nonne dicere poſſumus, paucos eſſe, qui ambulant in via ſalutis; quandoquidem veri tantum Chriſtiani ad eam poſſunt contendere? . . . Sed cur nam Evangelium nobis adeo brevem Electorum numerum deſignat, niſi propter modicam morum conformitatem, quam habemus cum JESU CHRISTO, Capite, ac prototypo Chriſtianorum omnium, quibus contigit ſigno ejus notari, & vocari nomine ipſius, quamvis ſit de fide, nullam ſalutem illi ſperandam eſſe, qui non habeat omnimodam cum Filio Dei conformitatem. Cum enim ita ſe res habeat, in quo ſpem noſtram conſtituimus, ſi, quin adnitamur pro virili parte, quantum nobis ſitum eſt, habemus illi adeo funeſtam oppoſitionem? *Pater Nepven, in libro, cui titulus: Spiritus Chriſtiani.*

Homo Chriſtianus præſtare debet fidē Deo in Baptiſmo ſuo.

Si JESUS CHRISTUS eſt Rex noſter per electionem a nobis factam in Baptiſmo, & per fidem quam tunc illi polliciti ſumus, cum nomen Chriſtianorum accepimus abrenuntiantes omnibus inimicis illius; mundo videlicet, dæmoni, & carni, eiſque bellum immortale inferentes, generoſe pugnantes ſub vexillis ejus, & illum pro vero Rege noſtro habentes (hæc enim promiſere pro nobis, qui ad Baptiſmi fontem nos tenuerunt) hoc ipſum nobis confirmandum fuit eo momento, ex quo primum rationis uſum aſſecuti ſumus, cujus primitiæ nobis conſecrandæ fuerunt obſequia noſtra divino huic Regi deferentibus. Nos igitur JESUM CHRISTUM in Regem eligimus, cum accepimus titulum, & qualitatem Chriſtianorum in Baptiſmo; ſed ne nos hujus electionis pœniteat, ita conformare debemus vitam noſtram doctrinæ, & moribus ejus pro viribus noſtris; ut ſperare valeamus fore, ut ab illo vocemur fratres ſui, & cohæredes in Regno Patris ſui. *Idem ibidem.*

Homo magnus ex natura ſua, nobilior eſt per Chriſtianā dignitatem.

Quam ſublimem excellentiæ ſuæ ideam homo Chriſtianus non recipit in Religione! Quam non invenit certitudinem pretii ejus, in quo eſt apud ipſum Deum! qui ſe ipſum quærit in origine ſua, & ratione finis ſui; quantus eſt homo iſte, qui ante ipſam temporum nativitatem, & qui in tota deinceps æternitate eſt objectum curæ, & amoris Dei! hic homo, qui creatus eſt ad Imaginem illius, qui propter illum unice formatus eſt, & in cujus gratiam entia omnia ille produxit, in cujus favorem nobiliſſimas adhibet intelligentias, pro quo in terram deſcendere dignatus eſt, cujus non dedignatur in omnia ſæcula ſimilitudinem gerere, cujus unicus eſſe vult Dominus, & cujus unica merces futurus eſt! Quantus hic homo eſt, & quo in pretio eſt apud Deum; ille, cujus unicum peccatum nonniſi Dei Sanguine potuit deleri: ille qui ſtatim amictus fuit glorioſis titulis amici, Filii, & Fratris JESU CHRISTI, & qui per omnem æternitatem partietur cum illo Patris Cæleſtis hæreditatem? *Sermo tertius Academiæ anni 1707.*

Quid ſit eſſe Chriſtianum.

Quid eſt eſſe Chriſtianum? Eſtne regeneratum fuiſ-

ſe per

ſe per aquas Baptiſmi? Eſtne diſcere prima fidei elementa, eaque profiteri; aliquas recitare preces, Eccleſiam ingredi, accedere ad Sacramenta? Hoc aliquid ſane eſt; ſed hæ non ſunt niſi notæ quædam, vel generales, vel exteriores, & æquivocæ veri Chriſtiani. Vere Chriſtianum eſſe eſt ſemet devovere ſervitio Dei, libere, libenter, ſtrenue. Libere; vult CHRISTUS ut ſtatim ac rationis uſus attingitur, unuſquiſque rata habeat per ſe vota, quæ nonniſi alieno protulit ore, & ſinguli, ut Tertullianus ait, deferunt per ſe onus Baptiſmi ſui. Libenter; repellit victimas, quæ coacte affeзuntur ſibi; ſervos invitos ſuſtinere non poteſt; vult, inquit Apoſtolus, ſibi alacriter, & in Spiritu fervoris ſervitutem impendi. Strenue; non ſicut ignavi, timidique Chriſtiani, quos minima terret difficultas; qui gaudentes ſocietate JESU CHRISTI aſcendentis in Thabor; fugam arripiunt, cum in Calvarium adducitur; qui per intervalla ſe excitant ad aliqua Religionis opera, quæ illis ſapiunt; ſed qui abſtinent, ubi timent, ne quid illis negotium faceſſant, ut adoleſcens ille, qui magno excitatus rumore, qui prope illum fiebat, ſtatim ex lectulo ſe proripuit ſolo involutus linteo, ſed qui cito recepit ſe, ubi ſenſit adſtare milites, ut ipſum comprehenderent. *Abbas Boileau in delectis Sententiis.*

Quis ſit perfectus Chriſtianus.

Perfectus Chriſtianus eſt ille, quem tædet vitæ, quem laudes moleſtia afficiunt, quem fides conſolatur. Si plorat, pauperum miſerias plorat; ſi erubeſcit, propter peccatorum flagitia rubore ſuffunditur; ſi ſuſpirat, ad Cæli bona contendit; ſi dolet, propter terræ ſcandala ingemiſcit. Ita eſt: non deeſt, quod illum torqueat, ſed peccatum hoc agit; non deeſt, quod timeat, ſed Dei timet judicia; non deeſt, quod illum condoletur, ſed hæc eſt mortis propinquitas. In illo nullum eſt deſiderium, niſi faciendi voluntatem Dei; nulla zelotypia, niſi Deo placendi; nulla fortuna, niſi quam divina ipſi conceſſerit Providentia. Reſpicit paupertatem tamquam Cæli pretium, miſeriam tamquam ſignum virtutis; injurias tamquam patientiæ ſuæ probationem, cupiens contemni, & flocci fieri, guſtans calumnias, quemadmodum alii perplacent elogia: metuit, ne ſatis pati valeat; & gloria, quam adpetit in bonis operibus ſuis, eſt utilitas tegendi illa in oculis hominum, ut Deus unus eorum teſtis exiſtat. *Idem.*

Chriſtianus noſſe debet Religionem ſuam.

Studeamus Religioni noſtræ, ajebat ſapiens ille Picus Mirandulanus, & ne ultro in Chriſtianiſmi ſcientia reſtrigamus noſmet ad contemptibilem ſimplicitatem. Meminerimus, Chriſtianiſmum hunc eſſe debere in perſonis noſtris æque ſolidum, ac rationabilem contra impugnantes illum, atque ædificantem pro nobiſmet, qui illum propugnamus. Ne labamur in errorem hunc hodie ita deplorabilem, & communem fidem profitendi, & eſtemiſſa illius rudimenta ignorandi. Noſtrum eſſe cenſeamus, illa funditus explorata, atque comperta habere, & ſecundum illam ſancti Petri normam, ſemper paratos eſſe, ut eorum rationem reddamus. Deus inveniat in nobis, ſi minus Martyres ferventes (quandoquidem non eſt amplius tempus perſecutionis) ſaltem Confeſſores illuminatos ad ſuſtinandum cultum illius contra inanem procacis licentiæ præſumptionem: ad id enim, o Chriſtiani, vocati ſumus. Quæritis aliquando cuinam rei vacare poſſetis, deficientibus profanis ſolatiis, & ſæculi oblectationibus? hoc doceo. Studio Religionis veſtræ vix vacaſtis, & per negligentiam, cujus rationem Deo eſtis reddituri, vix confuſam habetis ideam eorum, quæ credidis; hoc eſt eorum, quæ vos Chriſtianos efficiunt. Si minime pares perſuadendo, & confirmando ceteros, negligitis voſmet ipſos confirmare, & voſmet perſuadere, quomodonam audetis gloriari de nomine, quod geritis? *Pater Bourdaloue in Dominicali.*

Chriſtianus non gloriari debet niſi in Cruce, Galat. 6.

Quare Apoſtolus ita certus conſilii ſui videtur, ut nunquam niſi in Cruce Domini velit gloriari? *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU CHRISTI, per quem mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo?* Nonne gloriari poterat, & jure de ſapientia, Sanctitate, potentia Salvatoris, qui omnia hæc illi communicaverat bona adeo liberaliter? Poterat ſane; & nihilominus unice gloriatur in Cruce Domini, quæ mundi erat opprobrium. O nos beatos, ſi non ſecus ac Magnus hic Apoſtolus totum agnoſceremus pretium præclaræ hujus gloriæ! Verum quid agimus? Gloriamur quidem de cruce, non autem de Cruce JESU CHRISTI. Gloriamur Chriſtianos eſſe; efficimus, ut Crux fulgeat in vexillis noſtris; illam exaltamus, illam adoramus. Sed hoc non eſt gloriari de Cruce Salvatoris. Ut gloriemus de Cruce JESU CHRISTI, opus eſt velle, ut ille, eidem affigi. Quid autem proprie Crux eſt, niſi contemptus, dolor, bonorum terrenorum abdicatio? Cum igitur in hiſce rebus gloriabimus, tunc in Cruce JESU CHRISTI gloriabimur. Mundus gloriatus in opibus, voluptatibus, honoribus: Chriſtiani gloria eſſe debet oppoſita gloriæ Mundi. *Pater Segneri in Meditationibus in delectos Bibliorum locos &c.*

Quomodo vero Chriſtianus ſeſe gerere debeat in variis vitæ ſuæ circumſtantiis.

Verus Chriſtianus nunquid ad mendicitatem redactus eſt? Non inertia, non intemperantia, ſed Evangelium illum ſpoliat: amat plagas ſuas, quin illas aperiat, & ſtatum ſuum, quin conqueratur; gaudens magis habitare cum JESU CHRISTO in tugurio, quam magnifice vivere in tabernaculis peccatorum. Nunquid calumniis appetitur? ſe ipſum defendit; ſi propter fidem, cauſſam probat; ſi propter dignitatem, ſibi fidem non haberi congaudet; ſi de ſuo honore duntaxat agitur. Si homines illi maledicunt, ipſe Deum benedicit, ſi ab illis damnatur, gratias agit. In equuleo torquetur? preces fundit pro Judice ſuo; tortori ſuo favet, & ſupplicii ſui inſtrumenta oſculatur: Teſtamentum ſuum eſt Evangelium; Crux patrimonium, Patria Cælum, amici perſecutores ſui; inimicus autem caro, & pauperes cuſtodes theſauri. Proſpero rerum utitur curſu? Convivia ejus cruciatum conſtituunt; mundus illi carceris loco eſt, ſolitudo paradiſi. Ægre ferens ſe adeo parum conformem eſſe imagini exteriori JESU CHRISTI, ex neceſſitate cum ſummis viris verſatur, ex caritate cum imis, ex animi propenſione cum pauperibus, cum modeſtia in Templo, cum formidine in aula, cum gaudio in noſocomiis. Doctus eſt? Eſt eloquentior ad refutandas blandientium preces, quam refellenda crimina, quæ ſibi ingeruntur. Ut imitetur eminentem ſcientiam JESU CHRISTI, nihilum ſuum ſtudet agnoſcere; mortem appetit; Crucem amplectitur induſtrius in minuendis præclaris qualitatibus ſuis, & in malis amplificandis. Mundum reſpicit cum miſeratione, metu, contemptu, faſtidio. Principibus viris famulatur? Malorum proſperitate non ſcandalizatur; ſua vero, illi ſcrupulos ciet. Indigni in illo pudorem excitant; felices miſerationem, ingrati voluptatem. Miſero opitulatur, nocentem plorat, invidet innocenti, & Deo gratias agit, quod talis non videatur. Pœnitens eſt? longis hauſtibus vitæ hujus amaritudines bibit; guſtat libenter pœnas ſuas, & ſuis lacrymis paſcitur; utens hoc mundo quaſi non uteretur, in ſpeciem triſtis, ſemper vero gaudens, præſto, ut de hac peregrinatione egrediatur, veniam deprecatus a Deo adhæſionis huic mundo. Habet in mente æternitatem, amorem Dei in corde, mortificationem JESU in corpore. Quomodo reſpicit hæc terrena? Opes? harum œconomus eſt pro pauperibus. Honores? horum nonniſi mancipium eſt pro populo. Talenta ſua? horum victima eſt pro religione. Scientiam? Hujus nonniſi alveus eſt, & cum Apoſtolo gloriatur ſe neſcire quidquam niſi JESUM, & hunc Crucifixum. Tempus ſuum? Hujus ſequeſter duntaxat eſt, ut illud tranſmittat in opus ſalutis ſuæ, & in fratrum ſuorum Sanctificationem. *Abbas Boileau in delectis Sententiis.*

Chriſtiani nobilitas, & quomodo gloriari debeat.

Nequaquam, Auditores, Chriſtianus ſuam non agnoſcit nobilitatem; ſatis non intelligit religionis ſuæ magnitudinem. Quod Deus, ut meæ ſaluti proſpicere, ut ſibi meum amorem conciliaret, ut me ſua beatitudine dignaretur, ad meam mortalem conditionem ſe redegerit; ſeſe mihi ſimilem fecerit; propter me mortem obierit: nihil tale profanæ religiones docuerunt! nunquam Sanguinis nitor, fortunæ ſplendor majorem ſuppeditavit homini cauſſam gloriandi! Hoc etiam licet, immo & præcipitur in Evangelio. Utique gloriamini, S. Paulus ait, *ſed qui gloriatur, in Domino glorietur. Pater de la Rue in Adventu.*

1. Cor. 10.

In Chriſtianos ſeverius animadvertetur in inferno, quam in cultores idolorum.

Iſaias cum omni Propheticæ Eloquentiæ pompa futuris reliquit ſæculis ſymbolicam imaginem eorum, quæ accidunt in inferno, accedente ſuperbo ex mundi regione per mortem ſublato. Omnia moventur ait ille, omnes tenebrarum poteſtates; Gigantes, Reges terræ conſurgunt, ac in ejus occurſum feſtinant. Nobiſmet hanc eamdem proponamus imaginem motus reproborum infidelium, atque idololatrarum ad conſpectum damnationis Chriſtianorum. Audiamus improperia Principum Gentium. Quid? Vos quoque ſimiles nobis, eorumdem ſcelerum conſortes, eamdem ſententia perculſi, a Dei facie ejecti, damnati, ac æternum miſeri ſimiles nobis! Et affirmabatis Cælum pro vobis tantum eſſe paratum! Vos damnabatis reliquam mundi partem, quæ non vivebat uti vos! & voſmet, non ſecus ac reliquam mundi partem damnaſtis? Quid feciſtis de Sanguine Dei! Quem uſum ipſi feciſſemus, ſi cognoviſſemus, uti vos, ipſum effuſum fuiſſe pro nobis! Deus Creator; abuſi ſumus luminibus rationis quæ dederas nobis, ut accederemus ad te: juſta plectimus pœna: ſed Deus Salvator, te ignoravimus. Noxii quod non credidimus; non item nocentes ſumus, quod fidem noſtram prodiderimus, polluerimus Baptiſmum tuum, & Sanguinem tuum conculcaverimus. In hos profanatores, in hos perfidos Chriſtianos tuere debet pondus iræ tuæ. Satis ne flammarum, ac ſuppliciorum ſupereſt illis? Vos damnabimini, miſeri nocentes! Juſtiſſimus Judex quæſtus veſtros antevertit; ingratis hiſce tormenta veſtris graviora reſervavit. Vobis aliquid reliquum erit Clementiæ, illis non item. Os ſuum jam protulit ſententiam in gratiam Tyri, & Sodomorum. Judicii die, dicebat Judæis, mitius cum illis agetur, quam cum vobis. Quas igitur pœnas Chriſtianis reſervabit? Duriores ſine comparatione quam Judæis, quam Tyris, & Sidoniis

nis idolorum cultoribus, quam impudicis Sodomorum, atque Gomorrhæ. Licet vacui ſceleribus nationum omnium, mererentur ſupplicia propter ſolam Nominis, & Legis JESU CHRISTI profanationem. *Idem*,

Paſſiones ſunt temporalis hæreditas.

Dicebat olim S. Cyprianus Chriſtianis omnibus, illos aſſumentes nomen hoc venerabile, ſeſe devovere omni generi paſſionum præſentium, ac ſenſibilium, ut expectent bona inviſibilia, & æterna: neque Chriſtianis fas eſſe poſſe hæredibus Salvatoris, Crucifixi ſupplicia, & mortem formidare. Illos appellat hæredes Crucifixi; Salvator enim ſeſe ſacrificans propter Amorem hominum, veris filiis ſuis in hoc mundo non reliquit, niſi Crucem, videlicet dolorem, & contumeliam. Quam horrens hæreditas, bone Deus! hæreditas JESU CHRISTI opprobriis ſaturati, ut loquitur Scriptura, nudi, Cruci ſuffixi, & morientis in Cruce! Tamen Cæleſti hæreditati illius abrenuntiandum eſt, niſi acceperimus hanc temporalem paſſionis, & humiliationis hæreditatem. Nemo ex Filiis JESU CHRISTI ſe diſpenſare poteſt, quo minus adeat ſucceſſionem adeo oneroſam Patris ſui. *Fenelon Cameracenſis Archiepiſcopus, in delectis ſermonibus.*

Chriſtiani omnes quodam ſenſu æquales ſunt.

Id in quo potiſſimum gloriari debemus, æque in Chriſtianis omnibus invenitur; ſi quid diſcriminis eſt, inniti debet principiis Religionis. Si Chriſtianus aliquam habere poteſt præ alio prærogativam, hæc non eſſe poteſt, niſi quia fidelius Evangelicas leges obſervat. Dices, qui ſequitur JESU CHRISTI inſtituta ſuper pauperem eſt, non quia dives, ſed quia fidelis eſt JESU CHRISTO. Pauper, qui ſe in ſuo ſtatu ſanctificat, toto Cælo præſtat diviti abutenti opibus ſuis, & ducenti vitam oppoſitam placitis Evangelii. Verbo, in terris nihil majus eſt nomine Chriſtiani. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui viſitavit nos, & efficere incepit, ut a primis vitæ noſtræ momentis redemptionis ſuæ experiremur effectus. *Lambert.*

Quid ſit eſſe Chriſtianum.

Chriſtianum eſſe, ſanctus Proſper ait, eſt ambulare quemadmodum JESUS CHRISTUS ambulavit; contemnere, quod ille contempſit; humiliter ſperare, quod ille promiſit, legere illius veſtigia, illum ducem ſequi. Chriſtianum eſſe eſt, peccato mori; & ut moriatur peccato, non debet facere opera peccati, & nihil carnaliter cupere, ita ut, tamquam mortuus, de nemine loquatur, non invideat bonis, non inſultet calamitoſis, nullius inſidietur caſtitati. Chriſtianus homo eſt, qui temperantiam apponit tamquam fidelem cuſtodiam cordi ſuo, ut incompoſitos illius motus cohibeat; manibus ſuis, ut pravam quamlibet actionem evitet; oti ſuo, ne rationabilem ſobrietatem prætergrediatur. Quid adhuc Chriſtianus eſt? Homo eſt, Pater idem reſpondet, qui neque bibit intemperanter, neque ventri, atque abdomini ſervit. Homo eſt, qui non tumet ſuperbia, quem libido non trahit. Homo, qui videt bonos, ſed fœdus cum malis non jungit; qui familiæ ſuæ curam gerit; ſed qui in divina quieſcens Providentia, vivit ſine turbis, & ſine pravis deſideriis. *Dictionarium Morale.*

Senſus peccatoris Chriſtiani ad Deum redeuntis.

Quoties ſceleribus meis dedecore affeci glorioſum nomen Filii Dei, quod gero! Fateor, & dolore conficior. Debebam vitæ ſanctæ exemplo, & ope gratiæ tuæ poteram aliquid conferre in honorem illius, ac efficere, ut ab aliis in honore haberetur: nec feci. Immo e contra vitam duxi adeo oppoſitam glorioſo huic titulo Chriſtiani, & officio, quod mihi inſpirare debeat: & efficere potuiſſet, ut impii id dicerent, quod ſine horrore cogitare non poſſum; ſi voluiſſent judicium ferre de Patre ex Filii vita. O Pater Sancte, Pater filii, qui omnem humanitatis ſenſum abjecit! Cum me ita geſſerim, ut hactenus geſſi, non alia mihi in poſterum ratio eſt honorandi glorioſum hoc nomen Chriſtiani, quod gero, niſi dolore ſincero, atque amariſſima pœnitentia. Jam cœpi conſilium. Concede igitur mihi tempus, quod mihi neceſſarium eſt; ut præteritam vitæ meæ rationem defleam, ut antequam deſcendam in terram hanc tenebrarum, & horroris, quo tandem tendere debet vita mea, reparem, quantum erit in me per pœnitentiam, profanationem a me factam glorioſi nominis Chriſtiani, quod per vitæ meæ ſcandala dedecoravi. *Ex libro cui titulus: Modus recitandi Dominicam Orationem.*

Chriſtiani, qui Baptizati non credunt Religioni, reſpiciendi ſunt tamquam Ethnici.

Chriſtiani, qui Chriſtianæ Religioni minime credunt, licet illam extrinſecus profiteantur, reſpiciendi non ſunt, niſi tamquam Ethnici Baptiſmo abluti, qui irreligione ſua, ac impietate negant oblationem ſui a parentibus ſuis factam Eccleſiæ, & retractant maxime ſolemnes Baptiſmi ſui promiſſiones. Abyſſus cæcitatis ſuæ, atque miſeriæ efficit, ut contemnant certiſſimas Chriſtianiſmi veritates, & obſtruant oculos nitidiſſimis Evangelii luminibus. Hi Chriſtiani quodammodo partiuntur Evangelium, alteram quidem partem credunt, alteram vero non item. Confitentur ejus Myſteria, quibus nequaquam incommodantur; placita vero ſaltem in praxi non credunt, quia his eorum vita, & effuſa licentia damnatur. Sicuti ſequi volunt deſideria cordis ſui, culpa vacuum id eſſe volunt, a quo nolunt abſtinere. Caliginem offundunt mentibus ſuis per tenebras voluntarias, ut ſine conſcientiæ ſtimulis ſequantur conſuetudinem, quam ſuperare nolunt; ac timor impoſterum detegendi veritates, quæ prohiberent, ne in pace peccarent, efficit, ut permaneant in jugibus erroribus, quin ad examen revocare velint, utrum reapſe ſint errores. *Auctor recens.*

Voluntas Dei, & J. C. pro ſalute fidelium.

Homo in JESU CHRISTO per Baptiſmum regeneratus, fit per hoc Sacramentum, Dei amicus, & objectum, in quo ille complacet ſibi. Fit Filius ejus, & hoc titulo illum amat, ſicut pater diligit filium ſuum, ita loquitur quidam Propheta. Hoc titulo Deus facit illum hæredem promiſſionum ſuarum, membrum vivens JESU CHRISTI, atque ut inquit Apoſtolus, quodammodo *naturæ divinæ participem*. Illum facit Sponſam ſuam: quod ipſum dicit Scriptura; *Sponſabo te mihi in fide.* In hac anima emundata nihil reliquum eſt damnationis, ad quam antea pertinebat: *nihil eſt damnationis in iis, qui ſunt in CHRISTO.* In hoc ſtatu anima hæc jus habet ad hæreditatem Cæleſtem, æternamque ſalutem. Hæc illi acquiſita eſt, hæc illi promiſſa; novumque recipit pignus in communione Corporis JESU CHRISTI. Operæ pretium eſt animum advertere ad hanc ſolemnem affinitatem in Baptiſmo contractam, & in promiſſiones, quæ ibi fiunt in JESU CHRISTI nomine illi, qui hoc recipit Sacramentum. S. Auguſtinus olim nanciſcebatur in exorciſmis ab Eccleſia adhibitis in Sancta hac Solemnitate, unde Pelagianorum errores de Originali peccato confunderet. *Auctor recens.*

Oſee 2.

Hebr. 8.

Miniſter Baptizato promittit vitā æternam.

In auguſta hac cæremonia Miniſter, qui loquitur in JESU CHRISTI nomine, Neophito vitam æternam promittit. Promittit autem huic innixus fundamento, quia hæc eſt affinitas, quam contrahit JESUS CHRISTUS cum anima regenerata, ex qua efficit ſibi Filiam, & Sponſam, ut in illa conjungat, quidquid duplex hic titulus ſibi conciliare poteſt favoris, & benevolentiæ, *Idem.*

Hominis elevatio per gratiam in Baptiſmo.

Spiritus Dei qui fertur ſuper aquas Baptiſmi, transformat in totidem Deos eos omnes, qui regenerantur ſpiritu in hoc primo Sacramento. Puer hic, qui in mundum prodit tum vita ſupernaturali recipit imaginem, & ſimilitudinem Divinitatis, ſed renaſcens per gratiam illius ſpiritum recipit: connotatus indelebili, charactere Filii Dei evadit Frater JESU CHRISTI, & gloriæ ejuſdem cohæres. Per alteram hanc nativitatem ingreditur in Ordinem ſupernaturalem, & toto Cælo ſuperiorem illi, in quo erat per primam. Fit nova Creatura, & prorſus admirabilis excellentiæ, ceſſit contineri intra limites mundi hujus corporei, & viſibilis. Hinc proficiſcuntur figuratæ illæ locutiones ſancti Pauli Apoſtoli adeo frequentes in Epiſtolis ejus: eſſe bonum odorem JESU CHRISTI, indui JESU CHRISTO, manifeſtare in nobis vitam JESU CHRISTI; portare in nobis ſtigmata JESU CHRISTI; non vivere niſi de vita JESU CHRISTI, quia reapſe ad has ineffabiles gratiæ operationes in nobis tota Religio noſtra redigitur, quia Verbum Divinum, qui merus eſt Spiritus, Caro factum eſt, ut homo carneus fieret Spiritus per ſuam unionem cum Deo. *Qui adhæret Deo unus Spiritus eſt. Abbas du Jarry. Sermone de Annunciatione.*

Baptiſmus eſt fundamentum eſſe vitæ Spiritualis.

Baptiſmus primum eſt, & maxime neceſſarium novæ legis Sacramentum, quod fit cum ablutione corporis, & prolatione verborum Evangelicorum ſecundum inſtitutionem JESU CHRISTI. Si quæris, cur Baptiſmus ſit primum Sacramentum, reſpondeo, quia niſi primum baptizati fuerimus, alia Sacramenta recipere non poſſumus, quæ nonniſi pro Chriſtianis ſunt; at nemo Chriſtianus eſt, niſi prius fuerit baptizatus: non potes particeps fieri Sacramentorum Eccleſiæ, niſi per Baptiſmum factus fueris Filius Eccleſiæ. Nam ſicut eſſe in natura eſt fundamentum actionum omnium; ita eſſe ſpirituale per Baptiſmi regenerationem præcedit omnibus incrementis, & perfectionibus Spiritualibus. Baptiſmus eſt etiam maxime neceſſarium omnium Sacramentorum; etenim hominis peccatoris juſtificatio, quæ non aliud eſt, quam ſtatus tranſlatio, in quo natus eſt a protoparente noſtro, ad ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum per ſecundum Adam JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, fieri non poteſt Evangelii tempore, quin regenerati fuerimus, vel ſaltem regenerari cupiamus juxta ea, quæ ſcripta ſunt: *Niſi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt intraire in Regnum Dei. Recens auctor.*

De Baptiſmi neceſſitate.

Tanta eſt Baptiſmi neceſſitas, ut Paſtor nimis præcavere non poſſit iis, quæ ad hujus Sacramenti ſubſtantiam pertinent. Quapropter diligentiſſime doceat opus eſt, formam baptiſmi, & rationem illius conferendi in caſu urgentis periculi: tunc enim omnibus licet, & ipſis etiam mulieribus, illum adminiſtrare, niſi alii adſint, quos hoc miniſterium melius deceat. Explicanda quoque ratio eſt, propter quam opus eſt, pueros hoc pacto ablutos propter aliquam neceſſitatem, vel inopinatum caſum rebaptizari ſub conditione a Paſtore, tunc ſaltem cum non adeſt moralis certitudo, Baptiſmum rite collatum fuiſſe; & ratio eſt, quia periculum in quo invenitur mater æque, ac in-

ac infans in lucem editus, conſuevit perturbare ita illos, qui adſunt, ut non deſit cauſa dubitandi de Baptiſmi validitate, qui nimis feſtinanter collatus eſt. In re autem tanti momenti, nulla præcautio nimia eſt. *Pater Segneri De Parochorum Officiis.*

Fideles ſcire tenentur quæ ad Baptiſmum pertinent.

Si quis diligentius Apoſtolum legerit, ſine dubitatione ita ſtatuet, perfectam Baptiſmi cognitionem in fidelibus magnopere requiri: ideo non ſolum frequenter, ſed gravibus verbis, & Spiritu Dei plenis, ejus Myſterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris Mortem, Sepulturam, & Reſurrectionem nobis ante oculos, tum ad contemplandum tum ad imitandum, conſtituit. Quare Paſtores nunquam ſe ſatis multam operam, & ſtudium in hujus Sacramenti tractatione collocaſſe arbitrentur: verum præter eos dies, in quibus more Majorum divina Baptiſmi Myſteria potiſſimum explananda eſſent, in Sabbato Magni Paſchæ, & Pentecoſtes, quo tempore Eccleſia ſumma cum Religione, maximiſque cæremoniis hoc Sacramentum celebrare conſueverat, aliis etiam diebus occaſionem captent de hoc argumento differendi. *Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

Paſtor tenetur populo repræſentare neceſſitatem, & obligationes Baptiſmi.

Nunquam Deus nobis aliquod largitur beneficium, quin gratias ſibi agi velit. *In omnibus gratias agite.* Verum niſi habeatur conceptus beneficii prorſus divini, quod in Baptiſmo recipitur, quænam gratiæ agi poſſunt? JESUS CHRISTUS videt plurimos Chriſtianos mundatos a lepra originalis peccati; & vix videt aliquem debitas ſibi gratias agentem. *Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? Non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Sed ſi nocentes ſunt, qui hac in re deficiunt, nonne nocentior ille, qui factus Dux eorum illos erudire deberet hac de re, & indeſinenter hoc illis in mentem revocare? Fac ergo, ut intelligant, ſe per Baptiſmum factos eſſe Dei Filios, ideoque ſe a Deo diligi magis quam ab alio quovis parente filii ſui diligantur. Explana pro virili parte ſublimitatem gratiæ Baptiſmi, quæ præſtat toto Cælo omnibus prærogativis, quibus decorari valeamus in Ordine Naturæ: ita ut infinite præſtaret millies vitam amittere, quam unum mortale peccatum patrare, quod nobis divinæ hujus gratiæ jacturam inferret: *melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.*

Pſalm. 62.

Fac quoque ut diligenter fideles intelligant, quantum idcirco debeamus Filio Dei Salvatori noſtro: tantum enim abeſt ille a charactere Unigenitorum, ut non ſolum non incubuit in id, ut ſibi paternas ſervaret opes; ſed ipſe impetravit, ut reciperemur a Patre tamquam Filii adoptionis, & fieremus participes divinæ hæreditatis, quæ uni JESU CHRISTO debebatur tamquam unico Filio ſuo per Naturam. Oſtende ſimiliter quantum retribuere debeamus propter noſtri Baptiſmatis gratiam; quomodo pugnandum ſit nobis ſub vexillis Salvatoris; quomodo nobis omnino abrenunciandum ſit inimicis illius, qui ſunt caro, mundus, & Sathanas; quomodo homines omnes habendi ſint tamquam Fratres, qui debent eſſe conjuncti cum nobis, & ſubjecti CHRISTO JESU Primogenito noſtro. Optimum quoque eſſet fideles diſponere, ut quotannis, ſeu ipſa Sanctæ Trinitatis die, ſive illa, qua baptizati fuerunt, inſtaurarent actiones gratiarum, quas pro hoc incomparabili beneficio Deo debent, & approbare fidelitatem, quam in hoc Sacramento promiſerunt. Leges Cæſareæ præcipiunt, ut quotannis ipſa dies qua Cæſar natus eſt, & qua Imperii habenas ſuſcepit, ſolemniter celebretur. Quanto æquius eſt, ut Chriſtianus celebret diem, qua renaſci cœpit ad Cælum, & qua indutus fuit jure imperii nullum finem habituri? Quod ſi lex divina non irrogat nobis hujus Sanctæ praxeos præceptum, ipſi per nos eo libentius huic ſubjici debemus, quo optioni noſtræ relinquitur. Videmus ergo ex iis quæ dicta ſunt, omnia Paſtoris munera nequaquam redigi ad ea, quæ aliquis fortaſſe comminiſci poteſt, videlicet ad accuratam Baptiſmorum nomenclaturam, qui fiunt in Parœcia; hoc profecto explicite Tridentina Synodus præcipit ob graves cauſas; ſed hoc non ſufficit, immo hæc minima eſt officiorum Paſtoris pars, ubi conferatur cum aliis longe gravioribus, quæ obeundæ ſunt Paſtoribus circa Baptiſmum. *De officio Parochorum Patris Segneri.*

De Baptiſmo ejuſque neceſſitate.

Ambigi nequit, utrum Baptiſmus ſit neceſſarius, quandoquidem ſine illo nemo ſalvari poteſt. Ita enim docet Dei Filius in S. Joanne: qui renatus non fuerit in aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei; ubi non dicit, ſi quis non regeneratus eſt ex voluntate Patrum, vel Patrinorum, vel in virtute fidei ſuæ, ſed palam: Qui renatus non fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. Patres intellexerunt eum judicaverunt in extrema neceſſitate, deficiente Epiſcopo, Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono, vel alioquopiam ex Clero, Laicos ipſos baptizare poſſe, potiuſquam tantæ neceſſitatis Sacramentum omittatur. Quapropter Baptiſmi Sacramentum in caſu neceſſitatis miniſtrari poteſt a Laicis ſexus utriuſque. Docebant enim, ut ſicut naſcimur iræ filii, nobiſcum ex matris utero deferentes maledictiones, non deeſſet antidotum, & amuletum

facile huic malo; quamobrem divina bonitas conſtituit Baptiſmi Sacramentum in materia adeo communi, ut ubique inveniatur; cum forma adeo facili, quæ paucis ſyllabis conſtat; & in adminiſtratione taliter communicata, ut in neceſſitatis caſu permiſerit illam omni hominum generi, ut olim Circumciſionem. *Auctor recens.*

Baptiſmus ſancti Joannis non eamdem habebat vim, quam Baptiſmus J. C. pro remittendis peccatis.

S. Joannes docet quid interſit diſcriminis inter Baptiſmum ſuum, & illum Filii Dei, dicens apud Sanctum Matthæum: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.* Sed quod magis urget, eſt verbum ipſum, quod prodiit ex ore JESU CHRISTI dicentis Actorum primo: *Joannes baptizavit in aqua, ſed vos baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Talis fuit Eccleſiæ primitivæ ſententia, unde ſequitur, ut Apoſtoli iterum baptizari juberent, qui abluti fuerant Baptiſmo Joannis. Tertullianus *in libro de Baptiſmo cap.* 10. probat, S. Joannis Baptiſmum neque Spiritum ſanctum, neque peccatorum remiſſionem contuliſſe hac de cauſa; Si Spiritus ſanctus nondum erat datus, quia JESUS CHRISTUS nondum erat glorificatus: quomodo Servus dare potuiſſet plus, quam Dominus ejus? probat etiam, ſe non eſſe Cæleſtem proprio verbo ſuo dicens, qui de Cælo deſcendit eſt ſuper omnia, qui de terra venit, terrenus eſt, & loquitur tamquam terrenus. *Idem.*

De Chriſmate quod adhibetur in Sacramento Baptiſmi.

Non morabor hic vobis probaturus Baptiſterii neceſſitatem, aquæ Baptiſmalis benedictionem. Nemo hæc ignorat: ſufficit mihi dicere ſanctum Chriſma, quo utimur in adminiſtrando Baptiſmi Sacramento non aliud eſſe, quam oleum exultationis, quo Dei Filius inunctus fuit, ſecundum Prophetam, ideoque conſtitutus ſuper omnes cohæredes ſuos. Per hoc Chriſma Chriſtiani dicimur, & per unctionem teſtamur ſepulturam peccati, cui morimur per Baptiſmum; & propterea abrenuntiamus Sathanæ, pompis, & operibus ejus. *Auctor recens.*

Sal, qui ponitur in ore Baptizatorum.

Sal eſt hieroglyphicum Sapientiæ, quemadmodum interpretatur S. Gregorius in illa Verba: *Vos eſtis Sal terræ.* Primum ſignificat, baptizatum effecturum aliquando, ut mundus per bonum ſuæ converſationis exemplum guſtet, quam bonus ſit Deus diligentibus ſe. Secundo Doctrinam Chriſtianam illam eſſe, quæ præſervat animam a corruptione, & firmam tribuit ſpem Reſurrectionis Corporum. Tertio, quid intercedit diſcriminis inter Sapientiam Chriſtianorum, & prudentiam Sapientum Sæculi; & rurſus baptizatum experiri debere in ſe amaritudines hujus vitæ, quas peccatum parit, Baptiſmi virtute imminutas eſſe, eo modo quo aquæ Jerichuntis potabiles effectæ ſunt per Injectionem Salis; ac tandem oſtendere mundo, ſolos veros, ac virtute præditos Chriſtianos per converſationis ſuæ caritatem, eſſe tamquam Sal terræ. *Idem.*

De Saliva.

Saliva ex Capite diſtillata repræſentat Filium Dei procedentem a Patre, & qui eſt æterna Sapientia: quemadmodum S. Auguſtinus, & Euthymius interpretantur, explicantes hiſtoriam cæci nati, cujus oculos Salvator noſter linivit ſaliva cum pulvere commixta. Hæc applicatur ſenſibus baptizati, ad indigitandum, hunc regendum eſſe a JESU CHRISTO, ejuſque opera, verba, & cogitationes conjungendas eſſe cum gratia, & Sapientia: præſertim vero linitur organum auditus, & olfactus, primum quidem ad indigitandum in primo donum fidei infuſum eſſe, ac datum baptizato; alterum vero, ad innuendum odorem actionum illius aliquando confirmaturum eſſe fidem ejus, uti a S. Thoma explicatur; vel ad ſignificandum, ipſum cum dono fidei habiturum etiam illud obedientiæ, & prudentiæ juxta S. Bonaventuræ interpretationem. *Idem.*

De inſufflatione quæ fit in primis in Baptiſmo.

Inſufflatio Sacerdotis diſplicet communi Salutis noſtræ inimico: Primum quia flatus repræſentat Spiritum ſanctum procedentem a Filio tamquam ex uno tantum ore. Secundo quia hæc eſt cæremonia, cum qua Deus ipſe creavit hominem, uti in ſecundo Geneſeos capite habetur. Tertio, quia JESUS CHRISTUS mittens Apoſtolos ſuos ad populorum converſionem inſufflavit in eos, & dixit illis. *Recipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quarto propter perſonam, quæ ſacra eſt, & ſtomachus ejus eſt Sanctuarium Corporis Filii Dei. Denique hæc operandi ratio diſplicet Sathanæ, quia ſpiritus ſuperbus ægre fert videns ſe rei adeo abjectæ, ac humili ſubjectum. *Idem.*

Per Baptiſmum peccati originalis remiſſionem recipimus. Quivis conferre poteſt hoc Sacramentum, ipſe etiam infidelis.

Ut ad JESUM CHRISTUM pertineamus, nos oportet baptizari: nam JESUS CHRISTUS ait, illos qui baptizati non fuerint in Cælorum regnum non ingreſſuros. Per Baptiſmum duntaxat peccati originalis remiſſionem percipimus, ita, ut niſi per hoc Sacramentum regeneremur, nequaquam ſimus membra illius, ideoque ſimus extra Eccleſiam. Verum eſt Filios ab infidelibus, vel a Judæis, ab Hæreticis, vel Schiſmatici baptizatos eſſe membra Eccleſiæ: quia Baptiſmus ab omnibus hiſce collatus bonus eſt, & confert peccatorum remiſſionem. Dici etiam poteſt Chriſtianos baptizatos, quamvis ſint peccatores nequiſſimi, eſſe membra Eccleſiæ, dummodo excommunicati

non ſint. Etenim JESUS CHRISTUS ſæpe nos docet in Evangelio, Eccleſiam ſuam in terris mixtas habere paleas cum bonis frugibus, bonos ſimul & malos, qui nonniſi in mundi fine erunt ſeparandi. *Auctor recens.*

Quid ſignificent generatim loquendo Baptiſmi Cæremoniæ.

Cæremoniæ Baptiſmi duo ſignificant; aliæ ſunt ſigna exteriora ejus rei, quam Spiritus ſanctus intus operatur in animabus eorum, qui Sacramentum recipiunt; aliæ admonent quid homini faciendum ſit, & illi ob oculos ſubjiciunt munera, quæ per hoc contrahit Sacramentum. Hæ cæremoniæ redigi poſſunt ad tria Capita; aliæ fiunt antequam Baptiſmate abluendus accedat ad fontem Baptiſmi, aliæ in fonte ipſo peraguntur, aliæ tandem poſt ipſum Baptiſmum. Cæremoniæ quæ fiunt ante Baptiſmum, ſignificant puerum nequaquam dignum eſſe, qui ingrediatur in Eccleſiam propter peccatum, quo coinquinatus eſt, juxta Pſalmum: *Domum tuam decet Sanctitudo Domine*. Et ſi ex me quæras, quid fiat huic puero hoc in loco, dicam, duo fieri, exorcizari, & catechizari. Quamvis autem infantes non polleant intelligentia, ut concipiant veritates, quæ ipſis nuntiantur: illis tamen fides Catholica proponitur, ut deinceps diſcant a Patrinis ſuis, quid ſibi credendum ſit. Hæc cæremonia catechizandi infantes innititur præcepto, quod Salvator noſter tradidit Apoſtolis ſuis dicens; ite in omnem terrarum orbem, docete gentes omnes baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, oſtendentes illis, quomodo deinceps ſervanda erunt præcepta quæ tradidi vobis. *Auctor recens.*

Quid ſignificent ſigna Crucis quæ fiunt ſuper infante.

Omnia Crucis ſigna, quæ fiunt ſuper Infante ſignificant. 1. Per Baptiſmum imprimi quemdam characterem, qui deleri non poteſt, ita ut omnes intelligant extremo Judicii die, hunc & illum Chriſtianos fuiſſe. 2. Omnes baptizati ſenſus aperiri ad verum Deum cognoſcendum, & JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum. 3. Baptizato deinceps eliciendam eſſe publicam Fidei, & Catholicæ Religionis profeſſionem in omnibus ſenſibus ſuis, omnibuſque Facultatibus. 4. Hæ Cruces illum admonent, illi impoſterum deferendum eſſe jugum Domini, & illi deinceps quærendas non eſſe delicias, & commoditates vitæ, ſed ſemper ferendam Crucem, & mortificationem JESU CHRISTI in Corpore, & omnibus membris ſuis, & exequenda mandata ejus. Non igitur mirum videri debet Chriſtiano, ſi multi illi accidant contraria; quia Chriſtianus non eſt, niſi ut ferat Crucem Domini, quemadmodum hæc nobis indigitat cæremonia. 5. Monet quoque, Chriſtiani baptizati membra Deo ſacra eſſe, & facta eſſe habitaculum Spiritus ſancti; ut intelligamus, Baptiſmum omnem haurire vim, ac virtutem a Cruce, Morte, & Paſſione Salvatoris. *Idem.*

Cur quæratur ab infante utrum velit baptizari.

Si quis ex me quæſiverit, cur infans interrogetur, cui nondum eſt intelligendi vis, & cur quæratur ex eo, utrum velit baptizari; ideo hoc fieri dicam, quia ſicut primus homo periit propter libertatem voluntatis ſuæ, ſimiliter convenit, ut ejus poſteritas ſponte, & ſine ulla coactione ad Deum revertatur, & ſicuti infantes inciderunt in iram, & damnationem Dei, ad ipſum redeant per voluntatem, & conſenſum eorum, qui pro illis reſpondent: *Volo baptizari*. Vetuſtiſſima eſt autem conſuetudo adhibendi Patrinos in Baptiſmo, quod prodeſt primum ad innuendum, recens ablutos, qui ſunt veluti infantes paullo ante genitos in Domino noſtro, habere Patrem ſpiritualem, cujus cura educati, & edocti novum recipiant in vita Chriſtiana incrementum. Secundo, ut Patrini pro illis in Eccleſia reſpondeant, & fiant teſtes Baptiſmi ab infante recepti: & ut in Baptiſmo ſpondeant, & promittant in nomine infantis id, quod, ſi per ætatem liceret, ipſe promitteret, ac polliceretur. *Idem.*

Baptiſmus non liberat nos ab omnibus vitæ hujus miſeriis; & quare.

Simulac ſacro abluti fuimus lavacro, non ideo tamen immunes ſumus ab omnibus miſeriis, quibus hoc in mundo torquemur. Idque plures ob cauſas. Primum ne Sacramenta potius quærantur propter amorem bonorum præſentium, ac temporalium, quam futurorum. Accidit tamen nonnumquam, ut baptizatus recipiat non ſolum remedium, & curationem animæ ſuæ, verum etiam ſui Corporis, quemadmodum Conſtantinus Imperator, qui a lepra mundatus fuit ſimulac a S. Silveſtro fuit baptizatus. Secundo omnes hujus vitæ miſeriæ, atque tribulationes ſunt etiam utiles poſt Baptiſmum; ſublatis enim omnibus his miſeriis, quis merebitur martyrii palmas, virginitatis coronas, Prædicatorum ſtipendia? Tertio vitæ hujus miſeriæ permanent etiam poſt Baptiſmum, ne crimen exiguum videatur, quomodo videretur, ſi pœna eumdem finem haberet cum crimine. Hoc etiam fit ad excitandum hominem, ut cogitet, & vitam meliorem requirat, immunem ab omni miſeria: nam ſi hic haberet omnia commoda, ſibi carcer ſuus placeret, & oblivisceretur domus gloriæ ſuæ. Itaque pœnæ, quæ illi ſuperſunt poſt criminis remiſſionem, illum admonent ſuæ infirmitatis, & illum contra tentationes ſapientiorem efficiunt. *Auctor recens.*

Cur infans introducitur in Eccleſiam ad recipiendum Baptiſmum.

Puer baptizandus in Eccleſiam introducitur ad innuendum, per Baptiſmum illi patere aditum in Eccleſiam, & Cælum aperiri: Eccleſiam, & Cælum fieri domum illius, quia ipſe fit Dei Filius, & in Eccleſia ſola ſalus poteſt inveniri. Jubetur quoque abrenuntiare Sathanæ, pompis, & operibus ejus: quia nemo ſervire poteſt ſimul JESU CHRISTO, ac Dæmoni, & quia abrenuntiandum eſt amori honorum, vanitatibus, & veſtium luxui &c. quæ ſunt pompæ illius; immodeſtiæ, otioſitati, inconditis mundi voluptatibus, aliiſque peccatis, quæ ſunt ejus opera: ſi JESU CHRISTI eſſe velimus. Unctiones, quæ fiunt ante Baptiſmum in pectore, & humeris, & poſt Baptiſmum in Capite, nobis oſtendunt gratiam lenituram eſſe omnes difficultates jugi JESU CHRISTI, cui noſmet ſubjicimus, & quod amplectimur; & tandem ubi baptizati fuerimus nos eſſe Reges cupiditatum noſtrarum, ut illas moderemur, & ſpirituales Sacerdotes, ut offeramus Cor noſtrum Sacrificium Deo, & tandem nos eſſe Chriſtianos, videlicet unctos unctione. *Auctor recens.*

Cur poſt Baptiſmum ſimus magis firmi in bono.

At, inquies, ſi Baptiſmus confert nobis hæc præclara gratiæ dona, & virtutes, quas memoras, quomodonam fieri poteſt, ut Chriſtiani Sacro abluti baptiſmate adeo infirmi ſint in bono? Quia adhuc poſt Baptiſmum habemus neſcio quam infirmitatem, & languorem in anima, & perennem carnis adverſus ſpiritum rebellionem, quæ ſunt originalis peccati reliquiæ, quibus facili negotio ſuperamur, niſi confugerimus ad auxilia, & actuales Dei gratias, ut contra inimicorum noſtrorum impetum roboremur. Præterea Baptiſmus Cælum aperit baptizato, quemadmodum accidit in Salvatoris Baptiſmo: Tunc enim Cælum apertum eſt, & Spiritus ſanctus in Columbæ ſpeciem deſcendit in Dominum noſtrum, ut innueret, baptizatos repleri Spiritu ſancto, & Cæli januam illis patere, quo inviſibiliter pervenient, ſi diligenter baptiſmalem ſervaverint innocentiam. *Idem.*

Baptiſmus eſt janua aliorum Sacramentorum. Cæremoniæ, quæ in illo [illegible] conſueverunt.

Baptiſmus primus eſt, & veluti janua Sacramentorum, quia qui non recepit illum, incapax eſt aliis recipiendis. Hæ ſunt cæremoniæ, quæ ibi ſervantur. Primo, opus eſt ut baptizandus emittat Catholicæ fidei profeſſionem, aut per ſe, aut per Patrinum. Secundo, abrenuntiet dæmoni, pompis, & operibus ejus. Tertio, opus eſt, ut ſalutarem Baptiſmi aquam recipiat, & abluatur, ut liber a ſervitute dæmonis, & mundus ab omni peccatorum labe fiat Dei Filius, & hæres cum JESU CHRISTO Æterni Regni ſui. Quarto, alba induitur veſte, & admonetur, ut illam immaculatam uſque ad mortem conſervet. Quinto, imponitur in manu ejus cereus accenſus, ſymbolum bonorum operum, quæ toto vitæ ſuæ ſpatio debet adjicere innocentiæ, & puritati morum, cujus figura eſt alba veſtis qua paullo ante indutus fuit: Hoc enim Dominus noſter etiam atque etiam commendat per hæc verba: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt.* Ecce igitur præcipuæ Cæremoniæ, quæ ab Eccleſia in Baptiſmi adminiſtratione obſervantur, omiſſo enim reliquas quæ ad hoc non pertinent argumentum. Ex his quilibet conjicere poteſt, utrum vixerit, ut bonum decet Chriſtianum poſtquam Baptiſmo fuit ablutus: Ego vero pauciſſimos eſſe puto, qui fidem præſtiterint eorum, quæ promiſerunt, & quæ facere tenebantur. Anguſta enim via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci illam inveniunt. Multi quidem ſunt vocati, pauci vero electi. *Ex Opuſculis Cardinalis Bellarmini. Tomo quinto.*

Baptiſmus delet originale peccatum.

Omnes naſcimur iræ filii, mancipia dæmonis, procul a Dei via. Cum JESUS CHRISTUS nos ad Chriſtianiſmum evocat, nonniſi labem, & corruptionem invenit in nobis. Non poſſumus eſſe juſti, membra Eccleſiæ, Filii Dei, & fratres JESU CHRISTI, niſi incipimus a peccatorum noſtrorum remiſſione recipienda. Quicumque credit in Deum, hac indiget venia. Per Baptiſmi Sacramentum Deus vulgo elargitur primam hanc peccatorum remiſſionem juxta ea, quæ S. Paulus docet, JESUM CHRISTUM ſanctificaſſe Eccleſiam ſuam, mundando illam per Baptiſmum in verbo vitæ. Sed cum Deus dominus ſit donorum ſuorum, concedere poteſt primam hanc remiſſionem peccatorum per ſemet, & ſine exteriori Eccleſiæ Miniſterio; & hoc facit cum illis, qui nondum baptizati, martyrium ſubeunt propter JESUM CHRISTUM, vel decedunt cum ardenti deſiderio recipiendi Baptiſmum aquæ. *Auctor recens.*

Neceſſitas Baptiſmi, & quos pariat effectus.

Baptiſmum Sacramentum eſt, quod delet originale peccatum, ac cetera, omnemque pœnam illis debitam, & quod nos efficit Filios Dei, atque Eccleſiæ; filios quidem Dei, quia nobis confert vitam novam, & conferens illam, efficit nos membra JESU CHRISTI, qui eſt Filius Dei. Per Baptiſmum admittimur in numerum Fidelium, quod nobis præbet jus ad Sacramenta, aliaque Eccleſiæ bona. Imprimit in anima noſtra characterem ſpiritualem, qui nunquam deleri poteſt, unde oritur, Sacramentum hoc citra ſacrilegium iterari non poſſe. Uſitatior illius adminiſtrandi modus eſt triplici naturalis aquæ effuſione in formam Crucis in caput baptizati, dicendo eodem ſimul tempore: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii,*

& Spi-

& Spiritus ſancti. Naturalem aquam dicimus illam, quæ facta non eſt hominum arte; ſed quæ naturaliter fluit tamquam aqua fluminis, maris, fontium, pluviarum. Si in Baptiſmi uſum adhiberetur aqua artificialis, Baptiſmus nullus eſſet, & irritus. Sacramentum hoc eſt de neceſſitate ad ſalutem aſſequendam; quia unus eſt Baptiſmus qui delere poſſit originale peccatum, & quoad hoc peccatum ſubſiſtit, homo eſt in ſtatu damnationis. *Idem*.

Definitio Sacramenti Baptiſmi.

Quod autem ad rei definitionem attinet, etſi multæ ex ſacris Scriptoribus afferri poſſunt, illa tamen aptior, & commodior eſſe videtur, quam ex Verbis Domini apud Joannem, & Apoſtoli ad Epheſios licet intelligere: nam cum Salvator dicat: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei: & Apoſtolus cum de Eccleſia loqueretur: mundans eam lavacro aquæ in verbo: Ita fit, ut recte, & appoſite definiatur, Baptiſmum eſſe Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo. Natura enim ex Adam filii iræ naſcimur, per Baptiſmum vero in CHRISTO filii miſericordiæ renaſcimur; ſiquidem dedit hominibus poteſtatem Filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Sed quibuſcumque tandem verbis Baptiſmi naturam explicari contigerit, docendus erit populus hoc Sacramentum confici ablutione, cui ex Domini Salvatoris inſtituto certa, & ſolemnia verba neceſſario adhibentur; quemadmodum ſemper ſancti Patres docuerunt: quod apertiſſimo illo Divi Auguſtini teſtimonio demonſtratur: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Id vero eo diligentius monere oportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut exiſtiment, quod vulgo dici ſolitum eſt, aquam ipſam, quæ ad conficiendum Baptiſmum in ſacro fonte aſſervatur, Sacramentum eſſe. Tunc enim Sacramentum Baptiſmi dicendum eſt, cum aqua ad abluendum aliquem additis verbis, quæ a Domino inſtituta ſunt, re ipſa utimur. *Ex Catechiſmo Tridentini Concilii*.

Cur in Baptiſmo conferendo Chriſma adhibeatur.

Illud vero animadvertendum eſt, quamvis aqua ſimplex, cui nihil aliud admixtum eſt, materia ſit apta ad hoc Sacramentum conficiendum, quoties ſcilicet Baptiſmi miniſtrandi neceſſitas incidat, tamen ex Apoſtolorum traditione ſemper in catholica Eccleſia obſervatum eſſe, ut cum ſolemnibus cæremoniis Baptiſmus conficitur, Sacrum etiam Chriſma addatur, quo Baptiſmi effectum magis declarari perſpicuum eſt. Docendus quoque erit populus, & ſi aliquando incertum eſſe poteſt, utrum hæc, an illa vera aqua ſit, qualem Sacramenti perfectio requirat, hoc tamen pro certo habendum eſſe nunquam ex alia materia quam ex aquæ naturalis liquore, Baptiſmi Sacramentum ulla ratione confici poſſe. *Ex Concilii Tridentini Catechiſmo*.

Triplici modo Baptizari poteſt.

Quoniam vero in hoc Sacramento conficiendo legitimæ etiam ablutionis rationem ſervari oportet, idcirco ejus quoque partis doctrina a Paſtoribus tradenda eſt, atque ab eis breviter explicandum, communi Eccleſiæ more, & conſuetudine receptum eſſe, ut Baptiſmus uno aliquo ex tribus modis confici poſſet. Nam qui hoc Sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquæ aſperſione tinguntur. Ex his autem ritibus quicumque ſervetur, Baptiſmum verum perfici credendum eſt. Aqua enim in Baptiſmo adhibetur ad ſignificandam animæ ablutionem, quam efficit; Quare baptiſmus ab Apoſtolo lavacrum appellatus eſt. Ablutio autem non magis fit cum aliquis aqua mergitur, quod diu a primis temporibus in Eccleſia obſervatum animadvertimus; quam vel aquæ effuſione quod nunc in frequenti uſu poſitum videmus, vel aſperſione, quemadmodum a Petro factum eſſe colligitur, cum uno die tria millia hominum ad fidei Veritatem traduxit, & baptizavit. Utrum vero unica, an trina ablutio fiat, nil referre exiſtimandum eſt; utrovis enim modo & antea in Eccleſia Baptiſmum vere confectum eſſe, & nunc confici poſſe ex Divi Gregorii Magni Epiſtola ad Leandrum ſcripta, ſatis apparet. Retinendus eſt tamen fidelibus is ritus, quem unuſquiſque in ſua Eccleſia ſervari animadverterit. Atque illud præcipue monere oportet, non quamlibet corporis partem, ſed potiſſimum caput, in quo omnes tum interiores, tum externi ſenſus vigent, abluendum, ſimulque ab eo qui baptizat, non ante, aut poſt ablutionem verba Sacramenti, quæ formam continent, ſed eodem tempore, quo ablutio ipſa peragitur, pronuntianda eſſe. *Ex Tridentini Concilii Catechiſmo*.

Tres obligationum capita, quæ contrahuntur in Baptiſmo.

Si vocatio ad Chriſtianiſmum tanta eſt gratia, quænam erunt Obligationes? Profecto maxime, & longe aliæ ab iis, quas vulgo æſtimant Chriſtiani. 1. enim Chriſtiani profeſſio, quam in Baptiſmo emiſiſtis, vos cogit ad firmiter credendum quidquid Deus revelavit nobis per Filium ſuum JESUM CHRISTUM, quod in quatuor Capitibus continetur; videlicet Fidei Myſteria, virtutum, quas exercuit, præcepta, bonorum præmia, & malorum ſupplicia. Ad Baptiſmum nonniſi cum hac conditione recepti fuiſtis. Sacerdos antequam vos ablueret, quæſivit: Credis in Patrem, in Filium Dominum noſtrum, & Redemptorem, & in Spiritum ſanctum? Vos autem per os Patrinorum veſtrorum reddidiſtis, *Credo*. Sed mementote, fidem hanc eſſe debere firmam, generoſam, & efficacem; *firmam*, ne dubitet de iis, quæ credenda ſunt; *generoſam*, ne erubeſcat illa coram hominibus confiteri; *efficacem*, ut vitam inſtituere vos cogat juxta veritates, quas creditis, & ne fidem veſtram mentiamini ad imitationem plurimorum, qui, ut Apoſtolus inquit, ore quidem confitentur JESUM CHRISTUM, *factis autem negant*. Secundo, Chriſtiana profeſſio vos cogit abrenuntiare dæmoni, & omnibus operibus ejus. Hæc quoque conditio eſt, qua poſita Baptiſmo fuiſtis abluti. Sacerdos exquiſivit a vobis: *abrenuntias dæmoni, & omnibus pompis, & operibus ejus?* & reddidiſtis, *abrenuntio*. Cogitaſti ne unquam quænam ſit hæc abrenuntiatio, & noſtin quid ſit? Hæc eſt ſolemnis profeſſio, qua polliceris te nunquam adhæſurum dæmoni, nunquam amaturum pompas illius, videlicet fallacem bonorum, ac terrenarum voluptatum ſpeciem, quarum amore quærit fallere, & perdere homines; atque te evitaturum omnia ejus opera, quæ ſunt tenebrarum atque peccati. Obſequi teneris huic abrenuntiationi, quam feciſti; verbo quidem dæmoni abrenuntiaſti; modo tibi abrenuntiandum eſt, vita, & operibus, niſi velis haberi pro perfido, & transfuga. Heu! id ne feciſti? Vel ſaltem impoſterum facturus es? Fieri ne poterit, ut ad eum redeas inimicum, cui ſolemniter nuntium miſiſti. Tertio, Chriſtiana profeſſione teneris virtutem ſequi, tueri innocentiam, peccatum fugere potius quam mortem. Ut te de hoc admoneret officio, Sacerdos poſtquam te baptizavit, alba veſte induit, hæc dicens verba; Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferes ante Tribunal Domini noſtri JESU CHRISTI, ut habeas vitam Æternam. Meditare hæc verba, & memento, quid tibi eventurum ſit in Judicio Dei ſi pollueris hanc innocentiam criminibus. Hæc alba veſtis, qua indutus es, damnabit te terribili judicii tui die, Sacerdos, qui te baptizavit inſurget in te, & repoſcet a Deo pœnas gratiæ Baptiſmi tui, qua miſere abuſus es. *Gobinet in Adoleſcentiæ inſtitutione*.

DE SACRAMENTO, ET CÆREMONIA CONFIRMATIONIS, & cur fuerit Inſtituta.

MONITUM.

Quamquam Regnum Dei ſit in nobis, ut inquit Apoſtolus, & ſitum ſit in interiori parte animarum noſtrarum, & in donis prorſus Spiritualibus, fide, ſpe, Caritate, aliiſque infuſis virtutibus ſupernaturalibus, non ſatis eſt eas nos in Baptiſmo recepiſſe ad hoc, ut ſimus veri diſcipuli JESU CHRISTI Filii Dei jus habentes ad Cæleſte Regnum ſuum; accedit etiam cum eodem Apoſtolo, ut adulti profiteri teneantur extrinſecus hanc fidem; & Religionem actionibus, quas docet, & præcipit; videlicet publice eam profitentes, propugnantes, ac ſe Chriſtianos eſſe declarantes, & extrinſecus omnia obeuntes officia, quæ glorioſo huic titulo inhærent.

Cum autem in hac publica, & aperta profeſſione ſæpe ſuſtinendi ſint nobis labores, & prælia, cumque abrenuntiandum ſit nobis naturalibus animi affectionibus; verbo, cum Dei ſervitus ſuas habeat Cruces, & difficultates ſuperandas, ad regnum Cælorum comparandum, Dei Filius Confirmationis Sacramentum inſtituit, ad injiciendam Chriſtianis vim, & animum ſatisfaciendi officiis omnibus, quæ Baptiſmus nobis impoſuit: ita ut citra noxiam ignaviam nequaquam deeſſe valeamus muneribus noſtræ Religionis, ſed teneamur illa ſine rubore profiteri, contra humanos reſpectus, & irriſiones ſæcularium, quæ paſſim nos avocant a pietate, & obeundis Noſtræ Religionis officiis.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS: & cur hæc fuerit Inſtituta.

Cur J. C. inſtituit Sacramentum Confirmationis.

SACRAMENTUM Confirmationis inſtitutum fuit a Domino noſtro JESU CHRISTO, ut qui baptizati fuerunt ſpecialem recipiant vim ad fidem tuendam per impoſitionem manuum Epiſcopi, & per Sancti Chriſmatis unctionem. Hoc Sacramentum non quidem eſt abſolute ad ſalutem neceſſarium; ſed qui illud recipere contemneret, mortale peccatum patraret. Ceterum maximos inde fructus recipimus. Spiritus ſanctus inviſibiliter deſcendit in animas noſtras; nobis confert vim profitendi fidem coram Tyrannis, ſi opus eſſet; hanc eamdem fidem propugnandi adverſus hæreticos, atheos, & homines in omnem licentiam effuſos, & Chriſtiana opera ſine ullo rubore efficiendi. Auget etiam in nobis Chriſtiani virtutem augens gratiam Baptiſmi: ita ut verum ſit dicere, imprimere in anima noſtra quamdam ſpiritualem notam, quæ character vocatur: unde fit, ut hoc Sacramentum in nobis iterari non poſſit, & ſemel tantum illud recipere valeamus. Quod ſpectat ad eam diſpoſitionem, qua recipiendum a nobis eſt, dicere ſufficit, hanc eamdem eſſe debere ac in aliis Sacramentis: hoc eſt, eſſe debemus in ſtatu gratiæ; & a peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ emundati.

De Inſtitutione Sacramenti Confirmationis.

Confirmatio Sacramentum eſt per quod Spiritum ſanctum recipimus, ad nos intrinſecus roborandos, & confirmandos in fide, & gratia Baptiſmi, ut perfecti efficiamur Chriſtiani. Sacramentum hoc inſtitutum fuit a Domino noſtro JESU CHRISTO; quandoquidem nobis tribuit Spiritum ſanctum, quem Creatura per ſe tribuere non poteſt, quemadmodum docemur ab Apoſtolis, qui Sacramentum hoc conferebant iis, qui erant baptizati. Orabant pro illis, eiſque manus imponebant; qui inviſibili ratione recipiebant Spiritum ſanctum per dona, & gratias, quas hic effundebat in illorum corda; & nonnunquam illis viſibiliter inviſibilem illapſum ſuum connotabat, quod accidit die Pentecoſtes, ut fidem ſtatueret; ita ut non amplius opus ſit, ut Spiritus ſanctus viſibiliter deſcendat in eos, qui Sacramentum Confirmationis recipiunt; cum enim ſemel in Apoſtolos, deſcenderit, credere debemus ipſum intrinſecus operari in animabus noſtris eoſdem effectus, quos operatus eſt in Corde Apoſtolorum, qui ſimul ad illum recipiendum convenerant. *Auctores Recentes.*

Idem ſequitur argumentum.

Epiſcopi ſoli locum tenent Apoſtolorum; cum poſſideant Sacerdotii perfectionem, conferre debent Sacramentum perfectionis. Quapropter manus imponunt facientes Signum Crucis in fronte cum Sancto Chriſmate, ac dicentes hæc verba: *Signo te Signo Crucis; & confirmo te Chriſmate Salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Sacramentum hoc præſtantiſſimum eſt, quia perficit Baptiſmum, quia Miniſtros habet Epiſcopos, & quia materia ejus eſt Chriſma, quod ab Epiſcopo debet eſſe benedictum. Non inficior Sacramentum hoc non abſolutæ neceſſitatis eſſe univerſis; ſed crimen eſſet illud negligere; & neceſſarium eſt illis, qui in fide, vel in Chriſtiana vita ſunt imbecilles; quia ſeſe objiciunt pluribus lapſibus, qui non receperunt hoc Sacramentum, quod ad nos roborandos inſtitutum eſt. Sacramenti hujus effectus eſt, nos in fide confirmare; nobis robur præbere illam publice profitendi etiam cum vitæ noſtræ periculo; augendi gratiam in Baptiſmate receptam, & dandi nobis ſignum, & characterem militiæ *JESU* CHRISTI, ut ſub illo pugnemus contra ſalutis noſtræ inimicos. Confert etiam gratiam ſtrenue aggrediendi quidquid neceſſarium eſt ad Chriſtiane vivendum, ad ſuperandum ingenium, cupiditatem, habitum, humanos reſpectus, ad reſcindendas vanitates, & ſuperfluitates, ad tolerandas repulſas, irriſiones mundi, aliaſque pœnas, & ut ferventes ſimus in praxi pietatis, & Caritatis. *Idem.*

Sacramentum Confirmationis differt a Sacramento Baptiſmi.

Confirmatio verum eſt Sacramentum a Baptiſmo diverſum. Cum enim Papa Melchiades ita Sacramenti Baptiſmum arctum habere nexum, cum Sacramento Confirmationis, nequaquam credidit idem eſſe cum illo; conſtat quippe, diverſitatem gratiarum, quas ſingula Sacramenta conferunt ſigillatim, & diverſitatem rerum ſenſibilium, quæ adhibentur ad ſignificandam, & producendam hanc eamdem gratiam, neceſſario alia ab aliis diſtinguere Sacramenta: Ideoque ſicut homines regenerantur, novamque vitam recipiunt per gratiam Baptiſmi, & per Confirmationis gratiam fiunt homines perfecti, qui exuerunt, quidquid infantiam ſapiebat; opus eſt tantum intereſſe diſcriminis inter Baptiſmum, per quem novam recipimus, vitam, & Confirmationem, quæ efficit, ut creſcamus, & perfectos nos efficit ſecundum Spiritum, quantum adeſt in naturali vita inter nativitatem, & incrementum. Præterea quoniam novum, atque diſtinctum Sacramenti genus conſtituendum eſt, ubi animus in novam aliquam difficultatem incurrit, facile perſpici poteſt, quemadmodum Baptiſmi gratia ad mentem fide informandam indigemus, ita etiam maxime conducere, fidelium animos alia gratia confirmari, ut nullo pœnarum, ſuppliciorum, mortis periculo, aut metu a veræ fidei confeſſione deterreatur; quod quidem cum Sacro Confirmationis Chriſmate efficiatur, ex eo aperte colligitur, hujus Sacramenti rationem a Baptiſmo diverſam eſſe. Quare Melchiades Pontifex utriuſque diſcrimen accurata oratione perſequitur, ita ſcribens. In Baptiſmate homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione armatur ad pugnam: in fonte baptiſmatis Spiritus ſanctus plenitudinem tribuit

ad in-

Digitized by Google

ad innocentiam, Confirmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat: in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum ad pugnam confirmamur: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur: regeneratio per ſe ſalvat in pace Baptiſmum recipientes; Confirmatio armat, atque inſtruit ad agones. *Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

Cur Sacramentum hoc dicatur Confirmatio.

Eccleſia huic Sacramento nomen vitæ dedit, quoniam qui baptizatus eſt, cum ab Epiſcopo Sacro Chriſmate ungitur adhibitis ſolemnibus verbis, niſi aliud Sacramenti efficientiam impediat, novæ virtutis robore firmior, atque adeo perfectus CHRISTI miles eſſe incipit. In Confirmatione autem veram, & propriam rationem Sacramenti Catholica Eccleſia ſemper agnovit, quod & Melchiades Pontifex, & plures etiam alii Sanctiſſimi, & vetuſtiſſimi Pontifices aperte declarant. Ac Sanctus Clemens ejus veritatis doctrinam graviori ſententia comprobare non potuit. Inquit enim omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & demum ab Epiſcopo conſignari; ideſt Septiformem gratiam Spiritus ſancti percipere; cum alioquin perfectus Chriſtianus nequaquam eſſe poſſit is, qui injuria, & voluntate, non autem neceſſitate compulſus, hoc Sacramentum prætermiſerit, ut a B. Petro accepimus, & ceteri Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt. *Idem Catechiſmus.*

Effectus Sacramenti Confirmationis.

Confirmatio duplicem in nobis parit effectum. Prior eſt gratia Spiritus ſancti, quæ roborat animam noſtram contra omnes tentationes, ſive externas, ſive internas, & quæ ſeſe communicat illi cum omnibus donis ſuis. Alter eſt character, quem hoc Sacramentum imprimit in anima noſtra non ſecus ac Baptiſmus. Character qui deleri non poteſt, & efficit, ne bis recipi valeat Sacramentum Confirmationis, per quod Spiritus ſanctus largitur nobis ſua dona, quæ in Scripturis ſeptem memorantur: Sapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, & timor Dei. Sapientia donum eſt Spiritus ſancti, quod nos a mundo divellit, & efficit, ut guſtemus, & amemus unice Cæleſtia. Intellectus donum eſt, per quod intelligimus, & aſſequimur veritates, & Religionis Myſteria. Conſilium donum eſt, per quod ſemper eligimus, quod magis gloriæ Dei, noſtræque ſaluti profuturum eſt. Fortitudo eſt donum, quo ſtrenue ſuperamus omnes obices, & difficultates, quæ ſaluti noſtræ adverſantur. Scientia eſt donum, per quod cognoſcimus viam, quam ſequi debemus, & pericula evitanda, ut perveniamus in Cælum. Pietas donum eſt, quod efficit, ut cum voluptate, & facilitate feramur ad ea, quæ Dei ſervitio debentur. Timor Dei nobis inſpirat reverentiam erga Deum cum amore mixtam, & nobis metum injicit, ne illi diſpliceamus: Ita ut character, quem in Baptiſmo recipimus differt ab eo, quem in Confirmationis Sacramento recipimus; quia in priori recipimus characterem Filiorum Dei, in poſteriori vero characterem militum ejus. Prior facit, ut ſimus Dei, alter vero, ut pro illo pugnemus. *Auctor recens.*

Epiſcopi tantum habent poteſtatem adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis.

Epiſcopi ſolum ſunt Miniſtri Confirmationis, ut ex Sanctorum Patrum Traditione didicimus, qui cum obſervaverint praxim Apoſtolorum, talem Salvatoris noſtri inſtitutionem fuiſſe docuerunt. Neque enim legimus alium aliquem præter Apoſtolos contuliſſe Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum, vel Confirmationem. Epiſcopi autem Apoſtolorum locum tenent, eorumque perſonas repræſentant, idque potiori jure, quia in omnibus artibus Magiſter extremam admovet manum operi, quod tyrones inceperunt: ſimiliter per Sacramentum Confirmationis Chriſtianus perfectus efficitur in iis, quæ pertinent ad Chriſtianiſmum, & æquum eſt, ut Epiſcopus tamquam Caput Eccleſiæ, adminiſtret hoc Sacramentum, perficiens ita, quod Miniſtri ſubalterni, videlicet Sacerdotes per Baptiſma inchoarunt. Cum qui a Secretis eſt ſcripſit Epiſtolam, ad Herum pertinet illam ſignare: nos ſumus Epiſtola in Baptiſmo ſcripta per Sacerdotem; ſed mox ſignamur in fronte ſigno Crucis ab Epiſcopo, cum ait: *Signo te ſigno Crucis, &c.* Opus eſt ergo, ut Chriſtiani confirmati ſciant ſe non eſſe amplius Infantes in fide, ſed perfectos Chriſtianos, qui eſſe debent ſtabiles, & immobiles confirmati per ſpem, quam illis Evangelium annuntiat, ne quolibet doctrinæ vento circumferantur. *Auctor recens.*

Quid ſignificent Ceremoniæ Confirmationis.

Præter modum unctionis faciendæ cum ſigno Crucis in fronte baptizati, ad auferendam verecundiam, & confuſionem, quæ illum prohibere potuiſſet, ne libere JESUM CHRISTUM confiteretur; notandum eſt, Epiſcopum confirmantem attingere manu genam confirmati, dicendo: *pax tecum*; quo ritu ſignificat impoſterum profeſſionem ejus futuram, tolerandi, non ſecus ac miles JESU CHRISTI; quæ vera eſt ratio habendæ pacis cum Deo, cum proximo, & cum ſemet ipſo; quaſi Epiſcopus diceret: Accepiſti arma Chriſtiani; ecce jam miles factus es: videamus modo, quo te pacto geres in hac militia. Experiamur patientiam tuam. Non deſunt qui putent hoc fieri, ut pueri meminerint ſe ſemel hoc Sacramentum recepiſſe, & iterari non poſſe. Secundo loco confirmandi frons circumligatur, quod fit partim per venerationem Sancti Chriſmatis, ut exſiccetur, quin profanis manibus attrectetur, & partim ut ſignificet ignominiam, & confuſionem, ad quam perferendam Chriſtianus præſto eſſe debet pro nomine JESU CHRISTI. Fit etiam, ut intelligamus, quomodo Confirmatus per quam diligenter conſervare teneatur gratiam in hoc Sacramento acceptam juxta ea, quæ ſcripta ſunt apud ſanctum Joannem. *Unctio, quam accepiſtis, maneat in vobis*, quaſi diceret: ſervate diligenter, ac reverenter ſanctum Chriſma, & ſanctam unctionem, quam geſtatis in fronte; ſed potiſſimum contendite, ut ſervetis ſanctam unctionem interiorem ſignificatam, & operatam in anima veſtra per hoc Sacramentum. *Idem.* 1. Joan. 2.

De Miniſtro neceſſitatis Confirmationis, ac diſpoſitionibus quibus hoc Sacramentum recipiendum eſt.

Epiſcopi ſunt Miniſtri ordinarii, quibus ſolis jus eſt adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis. Hoc ſcimus a Scriptura ſancta, a Traditione, & deciſione Eccleſiæ. Scriptura ſancta hoc docet cap. 8. Actorum Apoſtolicorum: ubi legimus ſanctos Petrum, & Joannem miſſos fuiſſe ab Apoſtolis in Samariam, eoſque dediſſe Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum ſuarum Samaritanis, qui jam ab eorum diſcipulis baptizati fuerant in Nomine JESU CHRISTI. Opus eſt recepiſſe Baptiſmum, antequam aliquis confirmetur; Confirmatio enim ſupponit baptiſmum, cujus perfectio eſt. Verum eſt tamen, Eccleſiam dediſſe Confirmationem filiis recens baptizatis; & cum Epiſcopus baptizabat, confirmabat etiam, quos ante baptizaverat. Quæ tamen conſuetudo in Eccleſia Occidentali non viget amplius. *Auctor recens.*

Ejuſdem argumenti.

Ad recipiendum Confirmationis Sacramentum ſecundum præſentem Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem opus eſt rationis uſum attigiſſe; 1. Ut hoc Sacramentum majori cum fructu recipiatur, recipiendo illud cum cognitione. 2. Quia tunc incipimus ſubjecti eſſe tentationibus, & majori robore indigemus eaſdem ſuperaturi. 3. Quia recipientes Sacramentum hoc cum cognitione, reminiſcimur, ac periculum abeſt, ne illud iterum recipiamus. Sed ut recipiamus illud cum fructu. Primo, eſſe debemus in ſtatu gratiæ, videlicet opus eſt nos ſervaviſſe Baptiſmi innocentiam, vel illam per pœnitentiam reparaſſe. Secundo, ſcienda ſunt præcipua fidei Myſteria. Tertio, decet a jejunis recipi. Conſtat tamen ſine Confirmatione ſalvari nos poſſe; ſed peccat qui illam recipere negligit, tunc enim: Primo, non obtemperatur Eccleſiæ, cujus eſt intentio, ut omnes Chriſtiani confirmentur. Secundo, & Chriſtianus ultro ſeſe privat potenti ad ſalutem ſubſidio. *Idem.*

Sacramentum hoc confert gratiam, & virtutem.

Chriſtiani, qui Confirmationis Sacramentum recipiunt, ſimul etiam recipiunt peculiarem prorſus virtutem, & gratiam, quæ illos roborant, ut ſtrenue dimicent contra viſibiles, & inviſibiles inimicos, quatenus ſpirituales Milites JESU CHRISTI. Hinc Sacramentum hoc dicitur Confirmatio; quod ut melius intelligatis, conſiderate quæſo auditores: ſicut homo ſecundum naturam primum eſſentiæ principium accipit a nativitate, poſtquam nihil eſt, niſi infans, donec acceperit incrementum, & vires ſuas confirmaverit, qua re fit, ut deinceps perfectus, completus homo dicatur, capax etiam militiæ; ſimiliter homo per Baptiſmum regeneratus adhuc eſt in infantia ſua, quod attinet ad Chriſtianiſmum, donec per alterum hoc, Confirmationis videlicet Sacramentum, acceperit incrementum ſpirituale, atque obtinuerit vim, & gratiam Spiritus ſancti, ut ſit non ſolum perfectus, & abſolutus Chriſtianus, verum etiam ut fiat miles in JESU CHRISTI militiam adſcitus, & in militum nomenclaturam adſcriptus. *Auctor recens.*

Cur permittat Eccleſia, ut nomen mutent, qui Confirmationis Sacramentum recipiunt.

Sacramentum Confirmationis recepturo permittit Eccleſia, ut mutet nomen, idque pluribus ex cauſſis. Primo, quia nonnunquam in Baptiſmo impoſitum fuit nomen profanum, puta, Hectoris, Herculis &c. pro quo imponitur nomen Sancti alicujus, nempe Petri, Joannis, Nicolai &c. Secundo, ſæpe accidit, ut Parentes Sanctum aliquem peculiari devotione proſequantur, de cujus nomine filium ſuum cupiunt appellari; vel fortaſſe cogitantes ſe debere Sancto alicui valetudinem, vel inſigne aliquod beneficium, gratum animum illi teſtantur in Confirmatione illius nomen aſſumentes. Tandem ut pueri diſcant mores mutare cum nomine, prout in gratia Spiritus ſancti adoleſcunt. *Auctor recens.*

Hujus Sacramenti bona.

In Sacramento Confirmationis recipitur incrementum gratiarum, in Baptiſmo receptarum, ideoque virtutum omnium augmentum: ita ut virtus, robur, & juſtitia, quæ erant in Baptizato, exiguæ, & infirmæ, hinc tantum recipiant incrementi, ut fiant perfectæ, robuſtæ, plenæ, & completæ, atque accommodatæ ſtatui militum, Regum, Prophetarum, & perfectorum Chriſtianorum. Præterea omnis plenitudo donorum Spiritus ſancti confertur homini, & præcipue magna vis ad certandum cum Dæmone, quod efficit, ut in hoc Sacramento recipiat conſtantiam heroicam ad profitendam liberrime fidem JESU CHRISTI,

potiſ-

Digitized by Google

potiſſimum vero perſecutionum tempore ; qua in re triumphabant martyres ſtrenue cruciatus ipſos, mortemque vincentes. *Idem*.

Quæ ſit virtus Sacramenti Confirmationis.

Sacramentum Confirmationis virtutem habet conferendi Spiritum ſanctum. Hoc didicimus ab Apoſtolis, qui dabant hoc Sacramentum baptizatis ; orabant pro illis, manus ſuas illis imponebant, & iſti recipiebant Spiritum ſanctum. Illum recipiebant inviſibiliter per dona, & gratias, quas ille in eorum corda effundebat, & nonnunquam viſibiliter indigitabat illis inviſibilem illapſum ſuum, uti accidit die Pentecoſtes, ut fidem ſtatueret : quod non fit amplius viſibiliter ; quia fides adventus Spiritus ſancti ſatis eſt conſtituta. Epiſcopi locum tenent Apoſtolorum ; cumque habeant Sacerdotii perfectionem conferre debent Sacramentum perfectionis. Sacramentum hoc eſt ſpectatiſſimum, quia perficit Baptiſmum, & Miniſtros habet Epiſcopos, & quia materia ejus, quæ Chriſma eſt, benedicta eſſe debet ab Epiſcopo. *Ex Theologis*.

Cæremoniæ, quæ vulgo exercentur in Sacramento Confirmationis.

In Confirmationis Sacramento Patrinus datur illi, qui confirmari deſiderat, factus tamquam Pater ſpiritualis illius, a quo de officiis ſuis erudiatur, & tamquam a duce præbeatur exemplum fidelitatis, quam exercere debet in ſervanda fide, & placitis JESU CHRISTI ; & qui eadem habet officia, ac Baptiſmi Patrinus. Crucis ſignum, quod fit in Fronte confirmandi, innuit primum illam ſpiritualem habere characterem ; ſecundo vero nos docet, nobis non eſſe erubeſcendum, quod profitemur fidem Domini noſtri, & patimur pro illius defenſione. Efficitur Crucis ſignum cum unctione, quæ Chriſma vocatur, ut intelligamus Spiritum ſanctum per gratiam ſuam leniturum quidquid patiemur pro illo aggreſſi ea quæ difficilia ſunt, & ad ſalutem noſtram neceſſaria. Mox Epiſcopus percutit genam illius, qui confirmatur, ut doceat illum patienter ſuſtinere injurias, & irriſiones, quas dæmon ſuſcitabit, in eum ſancte viventem ; & fieri imitatorem JESU CHRISTI, ſimulque profert verba illa, ad indigitandum, ad poſſidendum Spiritus ſancti pacem in cordis noſtris, patienter ſuſtinendum eſſe quodcumque moleſtiæ accidit nobis. *Auctor recens*.

Sacramentum Confirmationis nobilius eſt Sacramento Baptiſmi, licet ſit minus neceſſarium.

Licet Baptiſmus ſit magis ad ſalutem neceſſarius, quam Confirmatio, hæc tamen nobilior eſt, quam Baptiſmus, quod probari poteſt per qualitatem Miniſtri illam conferentis, nec non per materiam, & effectum. Ordinarius Baptiſmi Miniſter eſt Sacerdos, vel diaconus, & quivis homo in caſu neceſſitatis ; Confirmationis autem eſt Epiſcopus, & per diſpenſationem Papæ, ſolum Sacerdos. Materia Baptiſmi eſt aqua communis, & naturalis ; Confirmationis autem eſt oleum balſamo mixtum, & ab Epiſcopo conſecratum. Effectus Baptiſmi gratia eſt cum ſpecie characteris ſpiritualis, qui deleri non poteſt ; ſed gratia propria filiorum recens natorum in Eccleſia ſecundum illa Sancti Petri verba: *Peſcite lac, ſicut modo geniti infantes*. Effectus Confirmationis eſt etiam gratia cum ſimili charactere ; ſed opus eſt, ut hæc gratia conveniat characteri militum JESU CHRISTI, qui pugnare debent cum inviſibilibus hoſtibus, de quibus loquitur Sanctus Paulus, cum ait: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in Cæleſtibus*. Denique immittitur ſal in os, cum baptizantur : ſed illis ; qui confirmantur, & ex quibus fiunt milites Chriſtiani, datur colaphus, ut doceantur non percutiendo, ſed perferendo ſibi eſſe pugnandum, & victoria referenda. Ad intelligenda vero officia eorum, qui Confirmationis Sacramentum receperunt ; meminerimus quid receperint Apoſtoli, cum in Cœnaculo Sacra die Pentecoſtes fuere confirmati. Profecto Sacramentum tunc illis collatum non fuit ; ſed JESUS CHRISTUS Princeps Sacerdotum, & ſupremus Paſtor omnem illi contulit effectum. In ictu oculi invenerunt ſe repletos ſapientia, eloquentia, amore Dei ; & præterea receperunt donum miraculorum, quod illis maximo futurum erat ſubſidio ad infidelium converſionem. Hæc omnia figurabantur linguis igneis, quæ tunc apparuerunt ſuper illos, & magno fragore, qui ſimul auditus fuit venire de Cælo tamquam flatus venti vehementis. Divini hujus ignis fulgor, ſapientiam repræſentabat ; ardor caritatem, & figura ad inſtar linguæ eloquentiam. Denique ingens ille ſtrepitus, qui Jeroſolymam univerſam ſtupore proculſit, ſignum erat doni miraculorum. *Ex Opuſculis Bellarmini. Tomo quinto*.

1. Petr.

Epheſ. 6.

Per Sacramentum Confirmationis Chriſtianus recipit arma Religiana.

Cum Epiſcopus Chriſtianum confirmat, ut ita dicam, ponit arma in fronte ejus ; dicens ; ſigno te ſigno Crucis, armis Chriſtiani, & ut aperte declaret, impoſterum illi decertandum eſſe contra dæmonem, & contra tentationes, confert illi ſanctam Unctionem cum verbis iſtis : confirmo te chriſmate Salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ita ut per hoc Sacramentum Chriſtianus armetur gratia Spiritus ſancti : *Qui adjuvat infirmitatem noſtram* ; Secundum teſtimonium Sancti Clementis, qui ait, opus eſſe, ut quilibet fidelis renaſcatur Deo per Sacramentum Confirmationis, ut particeps fiat ſeptem donorum Spiritus ſancti. Sanctus Petrus, aliique Apoſtoli hoc docuerunt a Domino juſſi ; ideoque non poteſt eſſe verus Chriſtianus, qui Sacramentum hoc recipere negligit. Perſpicuum quoque eſt hac in re Melchiadis Papæ teſtimonium, cum loquens de Baptiſmo, & Confirmatione, dicit : *Utrumque magnum Sacramentum eſt*. *Auctor recens*.

Diſt. 4.

Diſcrimen inter Baptiſmi, & Confirmationis Sacramenta.

Multum diſcriminis intercedit inter Baptiſmum, & Confirmationem, quandoquidem ſigna exteriora, quæ in utroque gratiam ſignificant, longe ſunt diverſa ; materia enim Baptiſmi materiæ Confirmationis ſimilis non eſt ; & forma utriuſque alia eſt. Quamobrem gratia quam operantur, & effectus, longe diſcrepant, ideoque duo ſunt Sacramenta, non unum. Baptiſmus profecto Chriſtianis ad ſalutem ſufficiebat ; ſed præterea requirebatur aliud Sacramentum ; homo enim alia indiget gratia, ut ſpiritualiter ſeſe ſuſtineat in aliquo caſu, & recenti difficultate, quæ occurrat. Ita ſicuti indigebat Baptiſmo, ut imbueretur fide, & ut renaſceretur in Domino noſtro ; ita ut rationabiliter rebus omnibus proſpiceretur, opus erat, ut hoc alterum inſtitueretur Sacramentum ad roborandas, & confirmandas fideles animas per gratiam Spiritus ſancti, ut immobiles eſſent, ac inconcuſſæ in confeſſione fidei, & in propugnanda ſumptibus vitæ ipſius tempore perſecutionum. *Idem*.

Quanti facere debeamus Confirmationis Sacramentum.

Quamvis Sacramentum Confirmationis non ſit abſolute neceſſarium ad Salutem, magnum tamen crimen eſſet illud contemnere, quandoquidem verum eſt Sacramentum a CHRISTO Domino inſtitutum ad effectus magni momenti ; & virtute hujus divini Sacramenti tota domus illa, ubi Apoſtoli, & diſcipuli omnes conſederant, Sancto Luca teſte, repleta fuit hoc eodem Spiritu ; idem Evangeliſta narrat, omnes illos hoc eodem Spiritu repletos fuiſſe, ut nobis innuat, non deeſſe omnibus fidelibus cauſſam deſiderandi, & ſeſe diſponendi ad hoc ipſum beneficium ad Sanctificationem animarum ſuarum per Confirmationem. Sanctus enim Cyprianus loquens de Baptiſmo, & Confirmatione audet dicere : *Tunc demum plene ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur*. Cujus rei ratio petitur ex eo, quod ſcriptum eſt : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*. Nam ſicut naturæ intentio eſt, ut homo genitus recipiat incrementum, ita voluntas, & Eccleſiæ intentio eſt, ut Chriſtianus Baptizatus recipiat ſpirituale incrementum per Sacramentum Confirmationis. *Idem*.

Hæretici, qui contempſerunt Confirmationis Sacramentum.

Omnium ſæculorum hæretici impugnarunt Confirmationis Sacramentum, quamvis conſtet Sacramentum hoc non aliud eſſe, quam manuum impoſitionem, quæ fiebat, & adhuc fit ſuper populum utriuſque ſexus. Ita probabile ne eſt, ſi actio hujuſmodi judicata fuit Sacramentalis ab omnibus Catholicis, qui ab Apoſtolis ad hæc uſque tempora extiterunt, aliquem contradicere poſſe, niſi mens illi fuerit in hæreticorum caſtra tamquam transfuga ſecedendi, quorum qui primus hoc impugnavit, fuit Novatus, qui cum Clinicorum more, videlicet in mortis lectulo, & in vitæ periculo, poſtquam convaluit, neglexit reliquas Baptiſmi cæremonias, & ſignum Spiritus ſancti, qui nobis per hujus Sacramenti virtutem imprimitur. Ariani quoque Sacramentum hoc nullo in diſcrimine habuerunt, ut conſtat ex eo, quod Epiſcopi Catholici tenebantur ex Conciliorum decretis applicare ſanctum Chriſmæ illis omnibus, qui ejurato Arianiſmo ad Eccleſiam revertebantur. Optatus ſcribit in libro 2. contra Parmenionem, Donatiſtas contempſiſſe hoc Sacramentum, & data occaſione narrat miraculum ſacræ ampullæ, quæ per contemptum conjecta fuit in acervum lapidum, quin confringeretur. Armenii tenebant Confirmationem ſuperſtitioſam eſſe cæremoniam. Valdenſes quærebant in Scripturis locum, ubi Sacramenti hujus fieret mentio ; & Lutherus obſtupeſcebat, quod nomen Sacrum daretur manuum impoſitioni, quæ mere naturalis, & profana habebatur. *Ex libro cui titulus : Inſtitutio Catholica Patris Cotton*.

Confirmatur argumenta contra hæreticos Sacramentum Confirmationis.

Epheſ. 4.

Omnibus his deliramentis reſpondere poſſemus cum Apoſtolo : *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*, & cum eodem ſcribente ad Corinthios : *Qui confirmat nos vobiſcum in CHRISTO, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Etiamſi præter hos locos non alia nobis ad probandum ratio ſuppeteret, hi ſufficere deberent loci, quandoquidem nulla ad id negandum produci poteſt ; hoc tamen ex illis quærendum eſſet, antequam audirentur, cum volunt veritatem impugnare. Etenim nonne certum eſt Apoſtolos dediſſe Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem ? Nonne liquet, Sanctum Paulum, ubi loquitur de doctrina Apoſtolica, complecti etiam doctrinam Baptiſmi, & impoſitionis manuum ? Deſi-

de-

derium, quod Sanctus Joannes declarat illis, ad quos primam dirigit Epiſtolam ſuam, nonne eſt, quod unctio, quam receperunt, maneat in illis, & per illam erudiantur? Patres veteres nonne hoc teſtati ſunt, & ſingillatim, & in Corpore Conciliorum? Heliberitanum Concilium præcipit, ut ſi quis baptizatus in morbum inciderit, ſimul ac convaluerit adducatur ad Epiſcopum manuum impoſitionem recepturus. Primum Arelatenſe Concilium vetat, ne iterum baptizentur hæretici, & præcipit, ut in locum alterius Baptiſmi manuum impoſitio fiat illis ab Epiſcopo; Secundum vero hoc ipſum præcipit, & meminit Chriſmatis, cujus ſimiliter fit mentio in Synodo Laodicena, ubi imperatur, ut Novatores ungantur Sancto Chriſmate, & in Canone quinto concilii Aurelianenſis imponitur illis, qui accedere velint confirmandi, ut jejuni accedant, & ætatis ſint congruentis; & in anteceſſum confeſſi fuerint peccata ſua, ut puri, & ab omni labe emundati recipere valeant donum Spiritus ſancti. In Meldenſi quoque dictum eſt, Epiſcopum decere jejunum eſſe, ubi illi ſit adminiſtranda Confirmatio. *Ex inſtitutione Patris Cotton.*

Veritas Sacramenti Confirmationis probata, & confirmata a Summis Pontificibus, & Inſque vetuſtiſſimis Auctoribus.

Papæ Urbanus, & Fabianus, qui eodem ſpiritu ducti ſanguinem ſuum pro JESU CHRISTO effuderunt, in Decretalibus ſuis Sacramenti Confirmationis veritatem confirmant. Ita Patres omnes illam aſſeruerunt, ac inter ceteros Sanctus Dionyſius docens quomodo Chriſma ſit conficiendum, & quo pacto ſit adhibendum, ait a Sacerdotibus indui conſueviſſe illum, qui baptizatus fuerat, veſte, quæ apta eſſet ad illius innocentiam, & puritatem innuendam, ut illum adducerent ad Epiſcopum; & Epiſcopum, illum hac ſancta, & divina unctione ſignantem, reddere dignum, qui accedat in partem ſanctæ Communionis. Euſebius Cæſarienſis tantam agnoſcit in hoc Sacramento virtutem, ut aſſerere non dubitaverit, cauſſam propter quam Novatus hæreticus obtinere non potuit Spiritum ſanctum per converſionem ſuam, fuiſſe, quia cum in periculoſum morbum incidiſſet poſt Baptiſmum ſuum, nequaquam notatus fuerit ſigno ſancti Chriſmatis. Non deſunt nobis præclara hujus veritatis argumenta, in libro, quem Sanctus Ambroſius inſcripſit de recens Baptizatis, & in illis, quæ a Sancto Auguſtino edita ſunt. His duobus Sanctis perſuaſum fuit, dubitari non poſſe de veritate hujus Sacramenti, quod uterque pluribus Scripturæ ſanctæ teſtimoniis confirmant: Ita aſſerunt de Confirmationis Sacramento intelligenda eſſe hæc alia Apoſtoli verba: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

De Forma Sacramenti Confirmationis.

Sed explicanda erit præterea altera pars, ex qua Sacramentum conſtituitur, forma ſcilicet, & verba, quæ ad ſacram unctionem adhibentur: Monendique fideles, ut in hoc Sacramento ſuſcipiendo, tunc maxime, cum ea pronuntiari animadvertunt, ad pietatem, fidem, & religionem animos excitent, ne quid Cæleſti gratiæ impedimenti eſſe poſſit. Hic igitur verbis Confirmationis forma abſolvitur: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Sed tamen ſi ad veritatem rationem quoque revocemus, idem facile probari poteſt. Etenim Sacramenti forma ea omnia continere debet, quæ ipſius Sacramenti naturam, & ſubſtantiam explicant. Atqui maxime hæc tria in Confirmatione obſervanda ſunt, divina poteſtas, quæ ut principalis cauſſa in Sacramento operatur: tum robur animi, & ſpiritus, quod per ſacram unctionem fidelibus ad ſalutem tribuitur: deinde ſignum, quo notatur is, qui in certamen Chriſtianæ Militiæ deſcenſurus eſt. Ac primum quidem verba illa: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quæ extremo loco poſita ſunt; alterum ea: Confirmo te Criſmate Salutis, quæ in medio ſunt; tertium quæ in principio formæ locantur; Signo te Signo Crucis: ſatis declarant. Quamquam ſi etiam ratione aliqua probari non poſſit, hanc eſſe hujus Sacramenti veram, & abſolutam formam, Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, cujus magiſterio ita ſemper edocti ſumus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare. *Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

Quo zelo primi Chriſtiani confeſſi fuerint J. C. Fidem.

Cum primi Fideles explicabant ſenſus ſuos per os Tertulliani, profitebantur ſibi glorioſum eſſe JESUM CHRISTUM ſequi, ideoque quin erubeſcerent, gaudebant infamia notari, & capite plecti pro illius cauſſa: ſciebant enim, doctus hic Afer inquit, eum qui erubeſcit Deum ſuum quamprimum illum eſſe abnegaturum; totum hominem eſſe in facie, interiorem animæ ſtatum extrinſecus prodire in fronte, & antequam inferat corpori ſuo vulnus aliquod, pudori eſſe inferendum! Noxia verecundia quot Chriſtianos perdis! Ex quo dæmon artem nactus eſt in ludibrium traducendi Religionis placita, quæ ſpiritui quidem abjecta, cordi vero auſtera videntur; poſtquam rationem invertit, effudit ſanguinem per pudorem, cum antea illum hauriret per Martyrium; res ita in hoc extremo prælii genere bene illi vertit, ut fere ſemper reddident homines ignavos, atque apoſtatas. *Sermones Morales. Tomo I.*

Diſcrimen quod invenitur inter fideles primos atque noviſſimos.

Cum Fideles palam confitebantur JESUM CHRISTUM in equuleis, Sanguis Martyrum erat ſemen Chriſtianorum. Quo plura amputabantur capita, eo magis creſcebat fidelium numerus, & fortitudo; ſed ex quo mortis ſupplicium mutatum fuit in notam infamiæ; quotuſquiſque objicit ſe non dicam Tyranno, ſed flagitioſo quidem, qui Religionem ejuſque Sacratiſſima Myſteria in ludibrium traducat? Quotuſquiſque beatum ſe putat, ubi pro juſtitia ſe exagitatum conſpicit? Quotuſquiſque gaudet ſe dignum haberi, qui pro nomine JESU CHRISTI contumeliam ſuſtineat? Immo econtra, quis non ſcandalizatur de eo, quem non pudet devotum videri; qui per ſummam ignaviam non cedit primæ irriſioni, qui non præfert inſana, & injuſta hominum judicia divinis; qui ſæpe non glorietur ſe plura feciſſe mala, quam fecit, ne nimis religioſus legis obſervator videatur? Quæ circumſtantiæ totidem ignavos deſertores efficiunt; cum nemini liceat mentiri, ſimulare, ac neutrum ſe gerere, ubi agitur de Religione: *Nulli fas eſt de ſua Religione mentiri.* Adjicerem ſcandalum hoc certiſſimam eſſe notam reprobationis in homine; quia ſalvari non poteſt, niſi ad JESUM CHRISTUM pertineat; & niſi hic Homo Deus audacter illum adducat ad Patrem ſuum, & profiteatur fore, ut cum venerit in gloriam ſuam erubeſcat coram Patre cæleſti, & Angelis ſuis eum, qui coram hominibus illum erubuerit. *Sermones Morales. Tomo I.*

Sententia S. Ambroſii de Sacramento Confirmationis.

Sanctus Ambroſius in libro de initiatis, cap. 7. Mementote, ait, vos recepiſſe ſignum ſpirituale, ſpiritum Sapientiæ, intelligentiæ, & pietatis, ſpiritum conſilii, & fortitudinis; & ſervate, quæ recepiſtis. Deus Pater ſignavit vos, Dominus JESUS CHRISTUS confirmavit vos, & fecit, ut Spiritus ſanctus in corda veſtra illaberetur. Et in libro tertio de Sacramentis capite 2. ait, poſt fontem Baptiſmi reſtare nobis Signum Spirituale, ut adducamur ad Chriſtianam perfectionem, & id per infuſionem Spiritus ſancti ad preces Sacerdotis. S. Hieronymus cap. 4. dialogi contra Luciferianos, teſtatur ævo ſuo conſuetudinem viguiſſe deducendi parvulos omnes qui baptizati fuerant in urbem Metropolitanam Epiſcopo repræſentandos, ut ab illis reciperent Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem: Quæritis, ait ille, unde hæc orta fuerit conſuetudo, & ubinam hoc ſcriptum ſit? Et reſpondeo, hoc ſcriptum eſſe in actis Apoſtolorum, & quamvis Scriptura non ſatis probabiles rationes ſuppeditaret, conſenſum totius Mundi in hac re præcepti locum habiturum. *Ex libro Inſtitutionis Catholicæ Patris Cotton.*

Calvinus, aliique Hæreſiarchæ Confirmationem habent pro Sacramento.

Fatetur Calvinus Confirmationem Apoſtolorum tempore Sacramentum fuiſſe, & in quarto Inſtitutionis ſuæ libro, hanc ab illis exercitam fuiſſe teſtatur. Quod cum verum ſit, quæritur ex eo, cur illam abraſerit de numero Sacramentorum; & quinam hanc ſibi vendicare valeat auctoritatem? Quamobrem in Colloquio Ratisbonenſi communi omnium conſenſu recepta fuit ab ipſis etiam Novatoribus. Lutheri verba non abludunt in libro de poteſtate Summi Pontificis: *Hic idem eſt Baptiſmus*, ait ille, *Baptiſmus omnium Eccleſiarum; eadem Confirmatio, idem Sacerdotium, eadem Pœnitentia.* Quod confirmat adhuc in Sermone novi Teſtamenti, in primum caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios his verbis: *Dominus evulgavit, & præcepit aliquot Sacramenta per ſe ipſum, puta Euchariſtiam, Ordinem, Pœnitentiam, & alia quædam per Apoſtolos, veluti Confirmationem, & extremam Unctionem.* Valdenſes in Confeſſione ſua ad Regem Hungariæ ſatis ſe explicant his verbis: Facimus, ajunt, Fidei profeſſionem excerptam ex Scripturis, & quæ ab Apoſtolicis uſque temporibus obſervata fuit. Quapropter quicumque non recepit promiſſionem donorum Spiritus ſancti, cum nondum egreſſus ſit de Infantia, recipiat illam per orationem, & impoſitionem manuum in fidei confirmationem. Fatendum igitur nobis eſt, materiam Sacramenti Confirmationis eſſe oleum cum balſamo ad indigitandum virtute gratiæ, quæ per oleum ſignificatur, illud habiturum vim, & animum ſe ſe præſervandi a corruptione peccati. Igitur verum eſt dicere cum S. Cypriano, oleum repræſentare Sacerdotalem potentiam, & balſamum potentiam Regiam, quaſi alluſio facta fuerit ad illa S. Petri verba: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Senſus SS. Patrum de excellentia, & utilitate Confirmationis.

Sanctus Dionyſius ſacrum Chriſma vocat *unctionem divinam, & Deificam.* Dicit hanc perficere animam, & hanc illam eſſe, quæ conſummat opus Spiritus ſancti. Clemens Alexandrinus illam notam beatam appellat. Origines in Homilia 8. in Leviticum, docet, donum, & gratiam Spiritus ſancti ab Eccleſia connotari, ſicuti per aquam Baptiſmi deſignatur ablutio peccati originalis. Euſebius Cæſareæ in libro 6. hiſtoriæ ſuæ narrat Novatum Hæreſiarcam, poſtquam liberatus fuit a Spiritu nequam ope Exorciſtarum, neglexiſ-

Digitized by Google

gleaſſe recipere *Signum Epiſcopale* poſt baptiſmum. S. Cyrillus Jeroſolymitanus credidit Confirmationem eſſe Signum ſacrum, ſeu vere, & proprie Sacramentum, quoniam illud comparat cum Baptiſmo, & Euchariſtia; & ita loquitur: *Sicut, inquit, panis Euchariſticus non eſt amplius panis communis, per invocationem Spiritus ſancti, ſed Corpus JESU CHRISTI; ſimiliter hoc unguentum, poſtquam fuit conſecratum, non eſt amplius ſimplex unguentum, ſed Chriſma JESU CHRISTI, quod habet vim ſuam ab adventu Spiritus ſancti; & ubi tetigit frontem, & alias corporis partes, anima per Spiritum ſanctum ſanctificatur.* Sanctum vero Chriſma, pergit ille, applicatur in parte ſuperiori faciei duplicem ob cauſſam; primum ad delendam turpitudinis notam, quam Adæ peccatum nobis reliquit; deinde ad ſignificandum impoſterum eos, qui hoc Sacramentum recipiunt, viſuros eſſe Deum facie ad faciem. *Idem.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

S. Joannes Damaſcenus libro 4. de fide docet, ſicut diluvium fuit figura Baptiſmi, ita columbam, quæ attulit in Arcam Olivæ ramum, repræſentaſſe Spiritum ſanctum, interioremque unctionem, quæ in hoc Sacramento communicata eſt. Inter Latinos Tertullianus paucis verbis declarat omnem cæremoniam, quæ in hoc Sacramento adhibetur, quæ eſt ungendi, benedicendi, efficiendi ſignum Crucis, & imponendi manus. *Caro*, inquit ille, *ungitur, ut anima conſecretur; caro ſigno Crucis ſignatur, ut anima præſervetur; ſic manuum impoſitio, ut anima Sancto ſpiritu illuſtretur.* Et in libro de præſcriptione contra Hæreticos, jungit hoc Sacramentum cum illo Baptiſmi, & Euchariſtiæ; & rurſum in primo libro, quem ſcripſit contra Marcionem verſus finem comparat unctionem olei, cum aqua baptiſmi, & cum pane, & vino Euchariſtico, & in libro de Baptiſmo ter meminit. S. Cyprianus in ultima libri primi Epiſtola utitur verbo neceſſitatis loquens de hoc Sacramento: neceſſe eſt, ut qui baptizatus fuerit recipiat unctionem, ut recepto Chriſmate poſſit eſſe benedictus Domini, & habere in ſe gratiam JESU CHRISTI. Et in prima libri ſecundi Epiſtola, illud appellat *Sacramentum* verbis iſtis: tunc poſſunt plene ſanctificari, & fieri filii Dei, ſi per utrumque Sacramentum fuerint regenerati, *Ex inſtitutione Patris Coton.*

Vis, & virtus Chriſtiani qui recepit Confirmationis Sacramentum.

Si recepimus donum fortitudinis, & Spiritum ſanctum, ſicut Apoſtoli, incipiamus loqui, ut illi; & cum Providentia juſſerit præſto ſimus, ut tamquam illi patiamur. Sicut veri Salvatoris diſcipuli, pleni ſpiritu ejus, palam confiteamur nomen illius; ne nos pudeat Evangelii ſui, præbeamus illi in Mundo teſtimonia digna fide noſtra; explicemus noſmet in occaſionibus: ubi agitur quæſtio de Deo; hominibus placere ne quæramus; ne hanc tribuamus impietati victoriam, quod nos timidos, & mutos efficiat; ſed confutemus illam ſancta, quamvis verecunda, licentia. Vocabimur quidem imprudentes; de Apoſtolis longe contumelioſa dicta fuerunt, quin tamen zelus eorum intepuerit. Pro Deo ſtrenue laboremus; noſtra intereſſe putemus quidquid pertinet ad cultum ejus, Religionem, Legem, Eccleſiam. Quantum poſſumus, quantum vires noſtræ patiuntur, illi glorioſa foveamus conſilia; neque nos obices deterreant ab illo ſeparandi. Spiritus Dei vires nobis ſuppeditabit, & efficiet, ut de Mundo victoriam reportemus. Plures nobis ſuperandæ ſunt contradictiones, plura prælia ſuſtinenda; fortaſſe nobis plures perferendæ erunt perſecutiones; hæc omnia nobis erunt, non ſecus ac Apoſtolis cauſſa conſolationis, & meritorum. Unde nam cognoſcemur recepiſſe nos Spiritum ſanctum, niſi ea conſtantia noſtra in perferendis omnibus hujuſmodi probationum generibus? *Sermones Patris Bourdaloue de Myſteriis. Tomo primo.*

Idem ſequitur argumentum.

Non ſatis erit Chriſtianos videri, cum proderit tales videri coram hominibus, qui pluſimi faciunt pietatem, & coram quibus turpe eſſet tales minime videri. Sed ne Evangelium quidem oportet erubeſcere coram Judæis, & infidelibus; videlicet apud eos, quod ſcimus adverſari iis rebus omnibus, quæ Religio vocantur. En quid ex vobis requirit Deus, & quod ſæculum noſtrum ignorat. Noſmet præ nobis ferimus quantum ſatis eſt zeli in iis omnibus, quæ ad Religionem pertinent, pietatem, bona opera; ubi coram hominibus noſtris illa oſtentare valeamus; ſed ex quo cum impiis, flagitioſis, & Mundi hujus ſectatoribus verſamus, zelus ille deficit, tepet, infirmatur; omnia ſibi quilibet cavet, humanis rationibus obſequitur; non audet accedere ad Sacramenta, pudet illum pietatis ſuæ, operumque bonorum; ſubridet impie facto, oculos claudit licentiæ; nullo in diſcrimine habetur JESU CHRISTI gloria, & fortaſſe eo tandem redit res, ut non ſecus ac alii inſurgamus. In hoc potiſſimum JESUS CHRISTUS veſtrum expetit teſtimonium: *Eritis mihi teſtes;* in hoc quærit ut pro illo ſtetis. Veſtra non indiget opera coram fidelibus diſcipulis, quos ſibi acquiſivit; non deerunt illi propugnatores apud eos, qui gloriam ejus quærunt; ſed iis indiget coram illis, quos confundere

Act. 1.

oporteret, & qui contra ipſum infirmitate veſtra abutuntur. His opus eſſet aliquando, ut voſmet, quales eſtis, oſtenderetis. In Sanctorum coetibus palam profeſſi eſtis pietatem veſtram: poteſtis ſine rubore coram Mundo mentiri. Sed vos metus Judæorum deterret: *Propter metum Judæorum. Sermo Patris Cheminais. Tomo ſecundo.*

Donum linguarum, & miraculorum neceſſarium non eſt modo recipientibus Sacramentum Confirmationis.

Non recipitur hodierna die donum linguarum; neque miraculoſarum curationum; quoniam hæc non ſunt amplius neceſſaria, uti erant temporibus Apoſtolorum, non quidem propter eorum perfectionem ſed pro inſtitutione Evangelii in univerſa terra. Recipitur tantum donum Sapientiæ, & donum caritatis, quæ ſecundum Apoſtolum eſt *ſuavis*, & *patiens*: & ad innuendam patientiam Chriſtianam, virtutem eximiam quidem, ſed rariſſimam; Epiſcopus impingit alapam illis, quos confirmat. Ex quo intelligere debent, ſe milites eſſe JESU CHRISTI non ut vim exerceant, ſed ut patiantur: namque in ſpirituali bello, res nobis non eſt cum hominibus, qui videntur, ſed cum dæmonibus, qui non videntur. Ita JESUS CHRISTUS Dux noſter Cruci confixus, contrivit, & abſtulit arma poteſtatibus tenebrarum; ita Apoſtoli palam cæſi, ſauciatique de fidei inimicis triumpharunt. Hæc inter ceteras gratia eſt inhærens Sacramento Confirmationis; efficere, ut homo crudeliter laceſſitus non poenas repoſcat, ſed cum primis fidelibus *gaudeat a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati. Ex Opuſculis Bellarmini. Tomo quinto.*

1. Corinth.

Actor. 5.

Quid ſæpe cogitandum eſt confirmato.

Opus eſt, ut qui confirmatus fuit ſæpe ſe ipſum colligat, & videat, utrum Spiritus ſanctus communicaverit ſibi dona ſua, potiſſimum vero illud ſapientiæ, & fortitudinis; & ad examen revocet, utrum habeat in corde hanc Sapientiam Sanctorum, quæ efficit, ut ſummo habeantur in pretio bona æterna, & contemnantur temporalia, utrum hanc habeat fortitudinem, & conſtantiam militum JESU CHRISTI, qui ſemper parati ſunt ad ſuſtinendum, ſe injuſte affici contumelia, quin velit unquam alios laceſſere; & ſi falli nolit, ſe ipſum excutiat circa modum quo hactenus uſus eſt. Si enim invenerit, minus oblectari in opibus conquerendis, quam in eleemoſyna eroganda; ubi aliqua affectus fuit contumelia, ultionem nequaquam ſibi procuraſſe: ſed injuriam patienter, ac ſuaviter devoraſſe, hinc ſummopere lætari debet eo uſque, ut illi cauſſa non ſit metuendi, quominus in numero filiorum Dei recenſeatur. Verum ſi poſt Confirmationem, non ſentit ſe minus propriis addictum cupiditatibus, minus avarum, iracundum, ultionis cupidum, quam ante; ſi æque ac antea perhorreſcit miſeris opem ferre, ſi omni ſtudio locupletari contendit, quid inde poteſt argumentari, niſi ſe Sacramentum recepiſſe quidem, effectum autem Sacramenti non item? *Ex Opuſculis Bellarmini. Tomo quinto.*

Pueri apriores ſunt ad recipiendam gratiam Sacramenti Confirmationis.

Quod ſpectat ad pueros qui nondum aſſecuti ſunt liberum rationis uſum, credendum eſt Confirmationis Sacramentum in illis operari omnem effectum ſuum, quia nihil habent, quod illi obicem valeat apponere. Sed metuendum eſt, ne deinceps multa venialia peccata patrantes, eorumque nimis diu pœnitentiam procraſtinantes, eo tandem deveniant, ut noxa mortali ſe jugulent, atque ut ſancti Pauli verbis loquar, *in ſe Spiritum extinguant;* hoc eſt amittant ſimul gratiam, & alia dona, quæ Dei Spiritus communicat recipientibus Confirmationem. Quicumque igitur vult ita bene vivere, ut bene mori mereatur, pluſimi facere debet gratiam Sacramentorum, quæ tamquam pretioſa vaſa cæleſtes continent theſauros; illa vero præſertim in pretio habenda ſunt, quæ ſemel tantum recipiuntur. Ex hoc numero eſt Confirmatio, quæ infinita quidem producit bona, ſed quæ iterari non poteſt: licet enim character, qui in anima imprimitur, nunquam deleatur; tamen impiis argumentum eſt non quidem conſolationis, ſed confuſionis. *Ex Opuſculis Bellarmini. Tomo quinto.*

Quot Chriſtiani modica fidelitate funguntur officiis, quæ in Sacramento Confirmationis contraxerunt.

Per Confirmationis Sacramentum polliciti eſtis palam profiteri JESU CHRISTI fidem; ſed ubi agebatur, ut divinum hunc Dominum ſequeremini, ut partes illius palam amplecteremini, ut cauſſam ejus, vel Eccleſiæ ſuæ tueremini, non ne ab illo receſſiſtis, nonne illum deſeruiſtis? Nonne fuit vobis lapſus occaſio, & ſcandali? Si hæc vera ſunt, qua fronte dicere poteſtis vos Chriſtianos, & gloriari vos eſſe cum JESU CHRISTO, quos pudet ad illum pertinere? Quæ ſpectes eſt vos facile conciliari poſſe, poſtquam adeo turpiter illi abrenuntiaſtis, ac prodidiſtis? voſmet miſereat veſtri poſtquam illi prætuliſtis voluptates, vel bona terræ, poſtquam Templum ejus polluiſtis ſacrilegiis veſtris, poſtquam per ſuperbiam, infidelitatem, blaſphemias dixiſtis, vos nec illius eſſe, nec ipſum veſtri? *Ex Moralibus Sermonibus. Tomo primo.*

Felicitas eorum, qui profitentur J. C. eidem poſtquam receperunt Sa

Si tibi officium, atque ſalutarem irrogaſti legem, ne erubeſceres JESUM CHRISTUM; & quin ullam pudoris cauſſam invenires in Myſteriis ejus, quæ maxime hominum ſuperbiam frangunt, ea reſpexiſti tam-

quam

[Sacr]amentum Confirmationis.

quam reparationis tuæ Sacramenta, ſi credidiſti quidquid ipſo indignum erat, tibi perutile, ac neceſſarium eſſe; ſi per contemptum placitorum Mundi ſancte impudens fuiſti; ſi denique ut nihil omittam ex Evangelio, non fuiſti non ſecus ac Sanctus Joannes Baptiſta, calamus mobilis ad quemlibet venti flatum, ſi per vitæ rationem conformem, atque conſtantem generoſe adhæſiſti JESU CHRISTO veræ gloriæ ejus ſacrificans fallacem; quæ tibi deferebatur, confugiens ad illum in adverſitatibus tuis, confitens illum adveniſſe, ut ſalvaret te, & te non alium expectare Redemptorem niſi illum: Dico te eſſe beatum: *Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me*. Cave tamen ne cum primum hoc evitaveris ſcandalum, ſis alterius cauſſa erga fratres tuos. *Idem*.

Pudor bene operandi inventio dæmonis.

Inter artes quas dæmonis excogitavit nequitia ad animas pervertendas, nulla melius illi vertit, ut illas in vitiorum ſordibus contineret, quam pernicioſa bene operandi verecundia: verecundia, qua hominum mentes miſere fallit, quorum infirmitas ad recipiendas timoris, & pudoris impreſſiones comparata præbet anſam maligno nequiter abutendi eorum facilitate, & naturali pudore, ut ingerat illis boni, & virtutis verecundiam, ac metum, qui illos a peccato deberet deterrere. *Adoleſcentis Inſtitutio per Gobinet*.

Explicantur cæremoniæ, quæ Confirmationis Sacramentum concomitantur.

Confirmationis Sacramentum nos in fide confirmat, & vim præbet publice profitendi, etiam cum vitæ periculo, & augendi gratiam in Baptiſmo receptam, atque imprimendi ſignum, & characterem Militiæ JESU CHRISTI, ut illo duce pugnemus contra ſalutis noſtræ inimicos. Confert nobis quoque gratiam ſtrenue aggrediendi quidquid neceſſe eſt ad Chriſtiane vivendum, ad ſuperandum ingenium, cupiditatem, habitum, humanos reſpectus, ad amputandas vanitates, atque ſuperflua; ad perferendas repulſas, irriſiones Mundi, aliaſque pœnas, & ad fervorem in pietatis, & caritatis praxi exercendum. Signum Crucis, quod fit in eo, qui confirmatur, oſtendit: 1. Spiritualem adeſſe characterem. 2. Docet, non eſſe erubeſcendum profiteri fidem Domini noſtri, vel pro illius defenſione pati; quoniam gerimus notam ſuarum paſſionum in fronte; & quæ efficitur cum unctione, quæ ſanctum Chriſma vocatur, ut intelligamus Spiritum ſanctum per gratiam ſuam lenituram, quidquid pro illo patimur, repræſentando quæcumque difficilia nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria. Unctio hæc conſtat oleo, & balſamo; oleo quod munit, & lenit ad innuendum effectum gratiæ Spiritus ſancti; & balſamo, quod corruptioni adverſatur, & gratum odorem effundit, ad innuendum, nobis non eſſe permittendum, ut peccato corrumpamur, & bona exempla noſtra eſſe debere bonum. odorem JESU CHRISTI. Poſtmodum Epiſcopus pulſat genam illius, quem confirmat, ut doceat illum patienter ſuſtinere injurias, & irriſiones, quas dæmon in illum excitabit, ubi ſancte vixerit; atque ita fieri imitatorem JESU CHRISTI; ſimulque dicit: *Pax tecum*; ut intelligat, ad poſſidendam Spiritus ſancti pacem quidquid moleſti acciderit, hoc æquo, & patienti animo eſſe perferendum. *Ex Theologis*.

Id unum quærendum eſt ut boni de nobis bene ſentiant.

Si te bona tangit hominum opinio, illam duntaxat Sapientum, bonorumque virorum conſectare: Memento terribilis illius comminationis, quam Dei Filius iis intentat omnibus ipſum erubeſcentibus: Nam qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in Majeſtate ſua. Videlicet illum non cognoſcet. Memento terribilis hujus confuſionis, qua cooperiet judicii die faciem eorum, qui in hac vita illum erubuerint, cum eorum peccata patebunt aſpectui Mundi totius; & propterea quod erubuerunt virtutem, tradentur æternæ confuſioni, quæ nunquam delebitur de memoria Angelorum, atque Sanctorum ſecundum Dei ipſius teſtimonium: *Et dabo vos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur. Gobinet in Inſtitutione Adoleſcentiæ*.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, ET CONFESSIONIS SACRAMENTALIS, MONITUM.

De Pœnitentia quatenus Sacramento adeo fuſe locuti ſumus in Tomo Tertio noſtræ Bibliothecæ ſub Titulo Confeſſionis, *ut nihil hoc in Argumento ſuperſit, quam nonnullas addere animadverſiones circa præceptum, & neceſſitatem faciendi hanc Confeſſionem, circa modum, quo præſcribit Eccleſia illam ſaltem ſemel quotannis efficiendi, & ſuper ſingulas hujus Sacramenti partes, quod medium eſt abſolute neceſſarium ad obtinendam a divina miſericordia veniam peccatorum, quæ poſt Baptiſmum commiſimus; ac tandem de hujus praxeos antiquitate, & diverſa ratione, qua ſervabatur in primitiva Eccleſia, & potiſſimum de Satisfactione, quæ vulgo Pœnitentia vocatur.*

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, ET CONFESSIONIS SACRAMENTALIS.

De Confeſſione ejuſque neceſſitate.

Confeſſio eſt accuſatio, & declaratio peccatorum ſuorum facta a Pœnitente Sacerdoti Juriſdictionem habenti, ad recipiendam ab eo pœnitentiam, & abſolutionem. Confeſſio omnium peccatorum mortalium poſt Baptiſmum patratorum neceſſaria eſt ad veniam impetrandam. Novimus hoc ex verbis Scripturæ, & ex Traditione. Primum quidem ex Scriptura: JESUS CHRISTUS poſt Reſurrectionem ſuam dixit Apoſtolis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Verba hæc probant neceſſitatem ſe ſe confitendi; Sacerdotes enim cognoſcere non poſſunt quænam ſint peccata, vel remittenda, vel retinenda, niſi illa audiant per confeſſionem. Ex traditione vero, per quam ſcimus JESUM CHRISTUM per hæc verba dediſſe Epiſcopis, & Sacerdotibus poteſtatem remittendi, ac retinendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa; & Eccleſia ſemper intuita eſt obligationem confitendi illa tamquam horum verborum conſequentiam. *Ex Theologis*.

De Confeſſarii electione.

Neque decet indiſcriminatim omni Sacerdotum generi, quamvis approbati ſint, peccata confiteri, ſed perquam caute eligendus eſt Confeſſarius; hinc ut plurimum pendet ſalus, & per experientiam innoteſcit, pleroſque Chriſtianos in perniciem ruere, eo quod carent duce viro prudenti, & bono, qui illis oſtendat periculum, in quo ſunt, & qui illis nequaquam blandiatur. Hoc ipſum accidebat Judæis, quemadmodum Prophetæ ſæpe conqueruntur. Hinc licet bona fide ea faceremus omnia, quæ nobis ſuaderet Confeſſarius, quin ſcrutaremur utrum idoneus ſit, vel ſecus, non ideo tamen tuta conſcientia ageremus: etenim JESUS CHRISTUS ait: Si cæcus cæco ducatum præſtiterit, ambo in foveam cadent. Bona fides non obſtat quominus in præceps ruant. Ita metuendum eſt, ne ſi Confeſſarius parum ſcitus nos fefellerit, hoc minime vetet, ne pereamus. In iis tamen,

Digitized by Google

men, in quibus excuſabilis eſſet ignorantia, bona fides, qua ſimplices viri ſequerentur monita Confeſſarii parum docti, illos excuſaret, cum meliorem non cognoſcerent; docet enim rerum Magiſtra experientia, ipſos etiam decipi Epiſcopos in electione ſua; & profecto verum non eſt, cum ægrotamus, non conquieſcere in eo, qui doctoratus lauream aſſecutus eſt, ſed præſtantiorem, quem noverimus, a nobis inquiri. Animæ noſtræ curatio nobis pretioſior eſſe debet, quam corporis: væ quærentibus inutiles cauſſas, ut ſibi hic in re blandiantur. Qui in veteri teſtamento habentur tamquam pravi duces, & pſeudoprophetæ, ut plurimum habent characterem, & miſſionem neceſſariam ad populos regundos; quamobrem intereſt omnium, ſibi Confeſſarium deligere, qui doctus ſit, prudens, caritate refertus, & admodum arcani cuſtos. Satis doctrinæ habere debet, ut Eccleſiæ regulas cognoſcat, ſatis firmitatis, & prudentiæ, ut illas applicet, ſatis caritatis, ut eas amabiles præbeat. Quod ad ſecretum pertinet, nemo unus ignorat, hoc violari non poſſe. *Ex iiſdem.*

In quo ſitum ſit Pœnitentiæ Sacramentum, inſtitutio, & neceſſitas.

Pœnitentiæ Sacramentum, de quo loquimur, ſitum eſt in contritione, confeſſione pœnitentis, ſatisfactione & abſolutione Sacerdotis. Hoc eſt, ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum opus eſt, ut qui mortale peccatum aliquod poſt Baptiſmum patraverit, illud 1. exſecretur. 2. Illud approbato Sacerdoti confiteatur. 3. Decreverit Deo ſatisfacere ad illud expiandum: 4. Recipiat abſolutionem per Miniſterium Sacerdotis, apud quam peccata confeſſus eſt. Scimus JESUM CHRISTUM inſtituiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, ex ſacra Scriptura, & ex Traditione. Scriptura nos docet JESUM CHRISTUM dediſſe Apoſtolis ſuis claves Cælorum, ac poteſtatem ligandi, atque ſolvendi. Traditio vero ait per Sacramentum pœnitentiæ Epiſcopos, & Sacerdotes exercere hanc poteſtatem propter peccata poſt Baptiſmum patrata: Semper neceſſe fuit ad Sacramentum confugere, ad peccatorum remiſſionem obtinendam: nam poſt JESUM CHRISTUM, peccata poſt Baptiſmum commiſſa nunquam remiſſa ſunt, niſi hujus Sacramenti virtute. Non inde ſequitur tamen, Chriſtianos, qui moriuntur, quin potuerint recipere Sacramentum Pœnitentiæ, certiſſime damnati fuerint; quoniam Pœnitentiæ Sacramentum ſuppleri poteſt, non ſecus ac Baptiſmus in caſu neceſſitatis, per deſiderium illius recipiendi, cui accedat perfecta contritio. Cum autem dico, nullum mortale peccatum commiſſum poſt Baptiſmum remitti niſi Sacramenti virtute, hoc dico, quia votum, firmum, & conſtans conſilium recipiendi Pœnitentiam, vel Baptiſmum efficit, ut hæc Sacramenta operentur per ſe eumdem effectum in iis, qui illa recipere nequeunt. Ita ſemper peccata horum Sacramentorum vi remittuntur. Docet Traditio, deſiderium recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ cum perfecta contritione conjunctum in neceſſitate obtinere peccatorum remiſſionem; hæc ſemper fuit Eccleſiæ doctrina; & huic innixa fundamento, cum Pœnitens in pœnitentiæ ſuæ curſu decederet, ſemper de illius ſalute optimam habuit opinionem. Ad hoc Sacramentum confugere poſſumus, quotieſcumque noſmet peccaſſe cognoſcimus, quantumcumque enormia, vel levia ſint peccata. Illud pluries recipere poſſumus, & toties illud iterare, quoties recentia peccata committimus: immo & debemus ſi fuerint mortalia. Utile eſt enim ad illud pro venialibus peccatis accedere; ſed neceſſe non eſt; alia enim ſuppetunt adminicula ad eorum remiſſionem obtinendam, ſola, videlicet, cordis oratio, jejunium, eleemoſyna, aliaque opera bona. *Ex Theologis.*

Idea, quam concipere debemus de Sacramento Confeſſionis.

Lacrymis digniſſimum profecto videtur, poteſtatem inſtitutam ad peccatores ſolvendos, ſucceſſu prorſus oppoſito arctius eorum vincula nectere, & beneficium remiſſionis culparum, fieri earum condemnationem; abſolutionem in mortis ſententiam converti, & claves traditas ad Cæli fores aperiendas, eiſdem claudere. Cujus rei cauſſa eſt, quia non accedimus cum ea reverentia, contritione, & omni diſpoſitione quam hoc requirit Myſterium; quod vitium inde oritur, quia non ſatis concipimus, quid ſit. Ut igitur intelligatis quid ſit iſta Confeſſio, primum illum conſiderare debetis tamquam Sacramentum, vel ſignum JESU CHRISTI judicati a Patre ſuo in Cruce, tamquam omnia Mundi peccata geſtantis. Ita ſane: Pœnitens ad Sacerdotis pedes proſtratus illum repræſentat, tamquam reum coram Deo deferentem peccata noſtra, & facientem generalem Confeſſionem ante Patris ſui Tribunal, perinde ac ille ſolus, qui nihilominus peccare non poterat, omnia peccata commiſiſſet, quemadmodum vocat illa delicta ſua per Prophetam; *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum*, & detulit coram Deo, & hominibus incomparabilem hanc humiliationem, quaſi unus vices gereret omnium ſacrilegorum, idololatrarum, apoſtatarum, adulterorum, verbo, omnium nequiſſimorum. Hinc ſequitur, omnia ſcelera, libidineſque pro quibus obtulit ſe hoſtiam expiationis, extremum illi dolorem peperiſſe in corde propter tot injurias, & contumelias Parenti ſuo factas; & hac de cauſſa ſemet ſubleere voluit omnium ſuppliciorum maximo, & damnari ſe paſſus eſt non ſolum edicto Dei Patris, verum ipſorum etiam hominum judicio. *Pater de S. Martino a Porta in libro, quam inſcripſit: Les conduites de la Grace.*

Pſalm. 21.

Ejuſdem argumenti.

Pœnitens in Confeſſione ſua exhibere ſe ipſum debet veram imaginem JESU CHRISTI pœnitentis, & judicati pro nobis. Opus eſt ad hoc, ut verum faciat Sacramentum, ſtatuat ſe coram Sacerdote Judice ſuo, qualem JESUS CHRISTUS obtulit ſe coram Patre ſuo; opus eſt, ut integram faciat accuſationem omnium peccatorum ſuorum cum contritione, ut imitetur Filium Dei humiliatum, atque contritum propter peccata noſtra, & ſubjiciat ſe pœnæ, quæ ſibi præſcribetur, tamquam communicationi ſupplicii Crucis. Cogitate igitur, nos in nobis exprimere debere ſenſus, quos fovebat JESUS CHRISTUS peccatorum noſtrorum in paſſione ſua, reſpicientes mortis ſententiam prolatam contra JESUM CHRISTUM, qui ſubierat onus criminum noſtrorum, & huic divinæ juſtitiæ nunquam ſatisfactum fuiſſe ob noxas, quæ contra ipſam patratæ fuerunt, niſi per Sanguinem, & Mortem Dei; dicam ſtatim, opus eſt ut peccata mea lacrymas eliciant ex oculis meis, quandoquidem totum hauſerunt Sanguinem ex venis Salvatoris mei, & me pœnitet læſiſſe Deum, cum video JESUM CHRISTUM adeo conflictatum fuiſſe, ut languore, ac mœrore in Olivarum horto contabeſceret. Ubi conſidero Salvatorem, qui eadem erat innocentia, non dedignatum fuiſſe ſe nocentem haberi, ac tamquam talem damnari, & mori velut infamem, & hominum omnium nequiſſimum, idque in totius terrarum orbis conſpectu; poſſem ne repugnare, quominus confiterer homini Dei vicem gerenti, me peccatorem eſſe, eique aperirem ſcelera mea, vel potius illa tegerem ſub ſigillo ſecreti, quod nunquam poteſt revelari? *Idem.*

Heretici voluere nobis auferre Confeſſionis Sacramentum.

Soli Eccleſiæ inimici conati ſunt nos ſalutari medicina privare, ſecundum teſtimonium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Patrum. Montaniſtæ obſtruebant Eccleſiæ Januas Pœnitentibus perinde ac Filio Dei abrenuntiaſſent. Novatus ſcripſit ad Eccleſias, quæ illi obſequebantur, ne admitterent in partem Sanctorum Myſteriorum ſuorum eos, qui idolis ſacrificarent; illos ſolum ad pœnitentiam eſſe tantum cohortandos, quin illa eis traderetur abſolutio, dicens ipſis etiam Sacerdotibus deeſſe hanc facultatem. Meletius Thebaydis Epiſcopus neminem ad hoc Sacramentum admittebat niſi poſt ſatis diuturnum temporis intervallum; dicens prius faciendos eſſe fructus dignos Pœnitentiæ. Arius Novati diſcipulus adhuc ſeverior erat, docens, eos qui poſt acceptum Baptiſmum incidebant in illam peccati ſpeciem, quam ſacra Biblia vocant *peccatum ad mortem*, indignos eſſe communione, & Sacerdotes non habere poteſtatem dimittendi hoc peccatum, ſed ab uno Deo poſſe dimitti. *Ex Catholica Inſtitutione Patris Cotton.*

Uſus Confeſſionis vetuſtiſſimus.

Non eſt operoſum oſtendere confeſſionem in uſu poſitam fuiſſe ante S. Hieronymum, & quovis tempore in Eccleſia exercitam fuiſſe, quod non ex Scripturis tantum innoteſcit, ſed etiam ex Patrum omnium auctoritate. Quinto libri Numerorum Capite legimus, Deum cum Moyſe loquentem illi dixiſſe: *Si vir, ſive mulier actu fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum.* S. Matth. dicit: *Exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem & baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua.* S. Marcus etiam ait; *egrediebatur* ad Joannem *omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata ſua*: quo loco S. Baſilius utitur ad probandam Confeſſionem. Verum ut accedamus ad legem Evangelicam, quis dubitaverit, quominus hoc Sacramentum ſit *miniſterium reconciliationis*, de quo loquitur Apoſtolus ſcribens ad Corinthios ſecundum illa verba Redemptoris. Amen, amen dico vobis, quodcumque ligaveritis ſuper terram, ligatum erit & in Cælo; & quodcumque ſolveritis ſuper terram, in Cælo pariter ſolutum iri. Quis ergo inficiari poterit, Filium Dei dediſſe poteſtatem remittendi peccata cum Apoſtolis dixit: *Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ex quibus verbis Synodus Tridentina hanc elicit illationem, cum Succeſſores Apoſtolorum non poſſint cognoſcere quænam peccata remittere & quæ retinere poſſent, niſi per illa committentis confeſſionem, peccatorem teneri palam facere conſcientiam ſuam, & oſtendere peccata ſua Sacerdoti, ut hic judicii ſui ſententiam valeat proferre: Opus eſt enim, ut hæc quæſtio coram Deo habeatur per Sacerdotes ſine ullo metu revelationis. *Idem.*

Cap. 3.

Cap. 1.

Joann. 20.

Seſſ. 14.

Miſerum eſt, nos nocentiores effici ob delictum diſpoſ...

Nonne lacrymis noſtris digniſſimum eſt, poteſtatem divinitus conſtitutam ad peccatores ſolvendos, per effectum oppoſitum conſiliis Filii Dei, arctius

vincu-

ſionis; quàm ad hoc Sacramentum afferimus.

vincula noſtra adſtringi, & mala noſtra fieri magis incurabilia per ipſam medicinam, quæ ad ea curanda adinventa ſunt! & beneficium remiſſionis peccatorum per ejuſdem abuſum illis in graviorem damnationem converti; abſolutionem, quam recipiunt, illis fieri mortis ſententiam, & claves in Sacerdotis manibus poſitas ad Cælum aperiendum, illud potius obſtruere? Hoc fit quia ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal non accedimus cum ea contritione, reverentia, & præparatione, quam magnum hoc Sacramentum requirit. *Pater Gibien Oratorii.*

Rerum ſublimitates de Sacramento Confeſſionis.

Pœnitens in Confeſſione ſua ſe ipſum exhibere debet veram imaginem JESU CHRISTI patientis, & judicati pro nobis, & ſe ſubjicere pœnæ, quæ illi præſcribetur tamquam in communicationem ſupplicii Crucis. Debet exprimere in ſe eoſdem ſenſus peccatorum ſuorum, quos habebat Salvator tempore paſſionis ſuæ. Et profecto æquum eſt, ut crimina noſtra eliciant lacrymas ab oculis noſtris, quandoquidem totum hauſerunt Sanguinem ex venis Salvatoris. Tunc potiſſimum affici debemus dolore numinis læſi videntes Redemptorem noſtrum ita doluiſſe eo uſque, ut triſtitia in horto Olivarum obrueretur. Hoc tempore præſertim nobis ploranda ſunt peccata noſtra cum Filio Dei; nobiſque cum illo dolendum eſt, & conjungendus dolor noſter illi, quem ipſe concepit de ſceleribus noſtris ... Ad hæc cogitantes, Salvatorem, qui ipſa eſt innocentia, voluiſſe accuſari tamquam nocentem, & non ſecus ac talem damnari, & mori in infami patibulo, tamquam omnium hominum nequiſſimum, & ſceleratiſſimum, idque coram Mundo univerſo; poſſumus ne detrectare, quominus homini vicem Dei ipſius gerenti confiteantur; noſmet peccatores eſſe, eique ſcelera noſtra aperiamus, vel potius contegamus ſub arcani ſigillo, quod nunquam in lucem proferri poteſt? Quomodonam detrectare poſſumus, quominus ſatisfaciamus Juſtitiæ numinis læſi ſceleribus noſtris, quæ per contritionem plotavimus, & per confeſſionem protulimus; cum Salvator, qui ipſe læſus fuerat, voluerit objicere ſe morti crudeli, & infami, ut integerrime ad extremum uſque quadrantem pro criminibus noſtris ſatisfaceret? *Pater Gibien ex Oratorio.*

Greg. Nyſſen orat. ad eos, qui durius & acerbius alios judicant.

Sanctus Baſilius in regulis docet, ſicuti in Corporis conflictationibus ad eos confugimus, qui eaſdem curare valent; ſimiliter pro curatione criminum quæ ſunt vulnera animæ noſtræ, nobis eſſe confugiendum ad eos, qui habent poteſtatem remittendi peccata: Ita enim loquitur; *opus eſt*, neceſſe eſt confiteri peccata ſua illis, quibus tradita fuit Sacramentorum adminiſtratio, ſecundum praxim majorum noſtrorum, & id quod ſcriptum eſt in Evangelio, quod homines confitebantur peccata ſua S. Joanni Baptiſtæ, uti etiam Apoſtolis. S. Gregorius Nyſſenus in quadam ex Orationibus ſuis ait: *accipite Sacerdotem tamquam Patrem veſtrum, ut illum participem, & ſocium habeatis in afflictionibus veſtris.* &c. Audacter oſtendite illi quidquid latet in vobis; aperite illi ſecreta cordis veſtri, quemadmodum latens vulnus Medico veſtro aperitis; ille curam geret & honoris, & valetudinis. S. Joannes Chryſoſtomus ſæpe agit de pœnitentia & gemitibus, qui ſubſequi debent peccatum. *Si peccator*, inquit ille, *confugere vult ad confeſſionem peccatorum ſuorum, patefaciat vulnus ſuum medico ad illum curandum conſtitutо ab eodem recepturus remedia, cum illo uno loquens ſine teſte, eique omnia diſtincte declarans.* Hoc medio facile corriget crimina ſua, quandoquidem confeſſio eſt abſolutio peccatorum præteritorum. Et in Homilia trigeſima agit de diligenti, & ſincera confeſſione a Chriſtianis facienda: nec non in trigeſima tertia in S. Joannem ait, nobis *confitentibus peccata, quæ patravimus*, non eſſe erubeſcendum, ſed opus eſſe duntaxat ut *Deum noſtrum reformidemus*. Et in libro ſecundo de Sacerdotio; multa, inquit, opus eſt induſtria, ut peccatoribus perſuadeamus, illos teneri, ut Sacerdotem curationi ſe ſe ſubjiciant. *Ex Catholica Inſtitutione Patris Cotton.*

** Teſtimonium Tertulliani de Confeſſione.*

Tertullianus inter plures Sententias ab eo de Pœnitentia, & peccatorum Confeſſione prolatas, dicit capite Octavo, Confeſſionem tantum imminuere peccatum, quantum diſſimulatio illud auget, & gravat; & paullo poſt improbat eos, qui propter peccatorum ſuorum verecundiam illa celant, atque diſſimulant: Præſtat ne, inquit, occulentem peccata ſua damnari, quam illa aperientem abſolvi? Miſerum eſt, ſemet Confeſſioni eximere hac ratione; & capite duodecimo corripiens negantes, vel differentes Confeſſionem, quandoquidem poſt Baptiſmum ſuppetit nobis adeo facilis medicina, ut oſtendendo vulnus cum dolore ſanetur, confitendo debitum, remittatur; accuſando crimen excuſetur; cur, ait ille ſalutem veſtram derelinquitis? Cur differtis accipere medicinam? irrationabilia animalia agnoſcunt, ubi opus eſt, remedia ſibi a Deo tradita; Cervus ſaucius dictamum quærit, quod citius ex vulnere ferrum evellat; ne nimis diu neglectum vulnus computreſcat, & peccator, qui ſcit a Deo inſtitutam Confeſſionem, ut per illum emundetur, illam contemnet? *Ex Inſtitutione Catholica Patris Cotton.*

Sententia S. Ambroſii de Sacramento Confeſſionis.

Sanctus Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia diſputans contra Novatianos Sacerdotalis Confeſſionis hoſtes acerrimos, reſpondet illis, qui Deo uni confiteri volunt, his Verbis: *Sed ajunt ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam ei, cujus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cum ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus JESUS: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, quis eſt qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet: Hæreſis in altero immitis, in altero obediens vult ligare, quod non reſolvat, non vult ſolvere quod ligavit; in quo ſe ſua damnet ſententia.* Et paullo poſt: *Jus enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Recte igitur hoc Eccleſia vendicat, quæ veros Sacerdotes habet, hæreſis vendicare non poteſt, quæ Sacerdotes veros non habet.* Et infra: *Munus Spiritus ſancti eſt officium Sacerdotis: jus autem Spiritus ſancti in ſolvendis, ligandiſque criminibus eſt.* Et capite ſeptimo: *Vult Dominus plurimum poſſe diſcipulos ſuos, vult a Servulis ſuis ea fieri in nomine ſuo quæ faciebat ipſe poſitus in terris. Denique ait* Apoſtolis ſuis: *Et majora his facietis. Dedit, ut mortuos ſuſcitarent, & cum ipſe Saulo reddere poſſet uſum videndi, cum tamen ad Ananiam diſcipulum ſuum miſit, ut ejus benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiſerat.* S. Ambroſius pergens adhuc diſputat contra Novatianos: *Cur baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet?* Quid intereſt, utrum Sacerdotes hoc ſibi jus vendicent per pœnitentiam, an per Baptiſmum? nonne in utroque idem eſt miniſterium? *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Sententia & loci S. Hieron. in eodem argumento.

Sanctus Hieronymus ſcribens adverſus Montaniſtas: hoc intereſt diſcriminis, inquit, inter illos, ac nos, quia *illos pudet peccata ſua confiteri*; & in Epiſtola 65. quam ſcribit ad Pammachium de erroribus Origenis palam oſtendit Confeſſionis neceſſitatem, cum ait: *alteram poſt naufragium tabulam eſſe, ſcelus ſuum ſimpliciter confiteri.* Et in ſeptimum ſancti Matthæi reſpondens illis, qui judiciariam Eccleſiæ auctoritatem perſtringunt, quaſi divinæ auctoritati contrariam, cauſſam ſuam agit dicens: *Cur ſanctus Paulus judicavit inceſtum Corinthium? Cur ſanctus Petrus reprehendit mendacium Ananiæ, & Saphiræ?* Et in decimum ſextum: *Sacerdos fungens officio ſuo, ubi audiit varietatem peccatorum, novit quid ſibi retinendum ſit, quid remittendum*; & in decimum octavum: *dedit Apoſtolis poteſtatem, ut qui a talibus viris damnantur, ſciant, hominum ſententiam confirmari a judicio Dei & quodcumque ligatum fuerit in terris, in Cælo pariter ligatum iri. Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Confeſſio inſtituta fuit a Deo. Hoc primum cogitare debemus.

Ut nobis tradam rationem efficiendi utilem confeſſionem, tres vobis ſuggerere volo cogitationes, quæ illam ſemper præcedere deberent. 1. Illam credere debetis divinitus inſtitutam. 2. Revereri ac recipere pro Sacramento, ſicuti eſt. 3. Ad illam tamquam ad judicium veſtrum accedere. Quamobrem hoc primum cogitare debetis, illam non eſſe Summi Pontificis adinventum, vel quodpiam humani conſilii commentum. Deus ipſius eſt auctor apud ſanctum Joannem cap. 20. ubi reliquit Eccleſiæ ſuæ in perſona Apoſtolorum facultatem remittendi peccata, ut peccatores, ſi illos pœniteret, certi eſſent divinæ miſericordiæ, quæ claves, & diſpenſationem ſimilibus eorum commiſerat. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ego trado vobis juriſdictionem in animas, nec non poteſtatem, & auctoritatem abſolvendi, & ligandi illas; affirmans peccata, quæ vos in terra remiſeritis, in Cælo quoque remiſſum iri, & ea, quæ retinueritis, talia coram Deo permanſura: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Sicut ego miſſus ſum a Patre in Mundum ad peccata dimittenda, ego quoque mitto vos ad hoc obeundum officium; ego vobis communico facultatem, quam habeo. Quæ verba ſignificant, ipſum communicantem eandem poteſtatem dimittendi peccata, quam ipſe a Patre receperat, illos conſtituiſſe non ſimplices præcones, qui nuntient peccatorum reconciliationem, & remiſſionem peccatorum, quatenus offendunt Eccleſiam, & reddunt indignos viſibilis communionis ſuæ, eo modo quo hæretici intelligunt; ſed illos creaſſe, & delegiſſe tamquam veros judices cum plena poteſtate, & juriſdictione ligandi, atque ſolvendi proferendo ſententiam abſolutionis peccatorum, quatenus efficiunt nocentes coram Deo. Ego dimitto vobis peccata veſtra, inquit Sacerdos; non autem annuntio remiſſa vobis eſſe peccata veſtra. Salvator non ait, quorum declaraveritis remiſſa fuiſſe peccata; ſed quorum peccata remiſeritis. Vehementer igitur errat, qui dicit in Pœnitentiæ Sacramento, Sacerdotem non dimittere peccata, ſed declarare ſolum a Deo remiſſa fuiſſe: & Dei nomine tantum imponere pœnitentiam; Sacerdos enim non ſcrutatur interiores cordis mei latebras, ut intelligat, utrum produxerim actum veræ contritionis, quæ

mihi

Digitized by Google

mihi obtinet gratiam, neque penetrat conſilia Dei, neque revelatione gaudet, ut ſciat, utrum ille gratiam largiatur. Quomodo igitur declarare id poteſt, quod ignorat? Alioquin, cur confiteri deberemus ſcelera noſtra coram Sacerdote, qui non eſſet Judex? Si abſolutionis negotium non ageretur niſi coram Deo vidente in penitioribus animæ latibulis contritionem noſtram, & ſi gratia immediate ab illius bonitate eſſet obtinenda: profecto Confeſſio non eſſet Sacramentum; haberet enim effectum adeo infirmum, adeo parum probabilem, & levis adeo momenti, qualis eſt declarare ſolum, & non conferre peccatorum remiſſionem. *Pater a ſancto Martino de Porta.*

Sacerdotes conſtituti ſunt Judices conſcientiarum; ideoque illis aperienda ſunt omnia peccata.

Concilium Tridentinum Sacerdotes appellat: *Judices ſupra Tribunal conſcientiæ.* Cum autem judicium ferri non poſſit de iis, quæ latent, non fertur juridice abſolutio de crimine, quod ignoratur. Ad æquitatem ſententiæ, quam fert Sacerdos, opus eſt, noverit peccata omnia ad illa abſolvenda; & multo magis, ad ea ſecernenda ab illis quæ ſunt retinenda. Neceſſe igitur eſt, ut aperiatur illi malum noſtrum per propriam accuſationem, & confeſſionem, ut illi applicet medicinam; alioquin interiorem animæ noſtræ ſtatum aſſequi minime poteſt. Quamobrem vel Sacerdos non exercebit juriſdictionem ſibi a Deo collatam in peccatores; vel ſi illam exerceat, peccatores tenentur per idem jus divinum, quod contulit Sacerdoti hanc juriſdictionem, manifeſtare illi pura, integraque Confeſſione ſtatum animæ ſuæ, qui eum fallit, niſi ſibi a peccatoribus aperiatur, quemadmodum ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum: *Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos,* vel ut habetur in Syriaca Verſione, *offenſas ſuas*, malos actus ſuos, & delicta ad oſtendendum, hanc non fuiſſe actionem confuſam, & generalem, qua ſe peccatores declararent, quin memorarent ſpecies, circumſtantias, & numerum criminum, ut dictitant hæretici, & in omnem licentiam effuſi, ſed Confeſſionem diſtinctam, ex qua innoteſcat, in quo, quomodo, & quoties peccaverint: *numerantes offenſas ſuas*, & quæ ſequuntur in Textu ſatis declarant; legimus enim propter hanc Confeſſionem, quod qui ſecuti fuerant Magiæ ſuperſtitiones, *qui erant curioſa ſectati, attulerunt libros, & combuſſerunt eorum omnibus. Idem P. a S. Martino.*

Cap. 19.

Secreta Confeſſio magis decet humanam conditionem.

Modus ſecreto confitendi peccata ſua in auriculam Sacerdotis, non eſt directe ſtatutus per divinam inſtitutionem; ideoque non eſt vel eſſentialis, vel neceſſarius huic Sacramento, abſolute loquendo, uti neque publica Confeſſio; quandoquidem Tridentina Synodus aſſerit a JESU CHRISTO nequaquam vetitam fuiſſe, ſi pœnitens ultro illam facere velit, & minime invitus; ex quo liquet neutram confitendi peccata rationem determinatam fuiſſe a Concilio tamquam divinæ inſtitutionis; ſed ſubſtantiam Confeſſionis, & accuſationis peccatorum, ſive palam, ſive privatim fiat partem eſſe eſſentialem, & neceſſariam hujus Sacramenti, & illam directe invenire ſuam inſtitutionem in his verbis, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Quamvis tamen particularis Confeſſio directe determinata non ſit in hac inſtitutione; proculdubio indirecte determinata eſt, & quodammodo, quod præſuppoſita divina inſtitutione confeſſionis hæc honeſtiſſima, ſanctiſſima, & humanæ conditioni accommodatiſſima eſt confitendi peccata ſua ratio, & ad difficultates, & auferenda ſcandala, quæ occurrere poſſent, niſi ſecreto perageretur. *Idem.*

Praxis ad bene confitendum.

Ad pœnitentiæ Sacramentum rite ſuſcipiendum, primum examine diligenti excutienda eſt ſua cuique Conſcientia, & recenſenda peccata ſingula, ea præſertim, quæ per habitum committuntur; velut ira, obtrectatio, conſideranda ſunt mala, quæ minime prohibuiſti, ne fierent domi tuæ, & bona, quæ facere neglexiſti, qualia ſunt reconciliare proximos tuos; eleemoſynam erogare in magna pauperum neceſſitate; per ignaviam deeſſe aſceticis exercitationibus; nullam in diſcrimine habere, vel inultam prætermittere detractionem. Mox ut verum dolorem, & ſinceram contritionem conceperis, tibimet propones cauſas omnes, quæ in te actualem ciere poſſunt, & interiorem abalienationem a peccato, ſine qua nihil valent noſtræ confeſſiones. Ita reſpicies, & te pœnitebit peccatorum tuorum, tamquam effectuum extremæ ingratitudinis erga infinitas Dei bonitates, quas habet Deus erga te, & gratias omnes, quibus te cumulavit, & omnia bona, quæ ab eo recepiſti. Plorabis illa tamquam contumelias illatas Majeſtati Supremæ, tamquam contemptum Magnitudinis ſuæ, & tamquam profanationem Sanguinis ſui; conjicies oculos in Crucifixum, & in hujuſmodi cogitationibus immoraberis. Ecce quid JESUS paſſus eſt! Ecce quonam redegit illum amor ſuus erga me! Opuſne eſt, ut ego pergam Sanguinem ejus effundere? Opus eſt, ut minime ceſſem ab illius contumeliis, qui minime ceſſat me ſuis beneficiis ornare? Heu! quam me pœnitet diſplicuiſſe tibi! Deinde ſinceram inſtitues Confeſſionem, dicens omnia peccata tua quorum reminiſceris, idque breviter, nihil admiſcens inane, & paucis verbis complectens circumſtantias, quas exprimere neceſſe eſt ſine prolixis, & inutilibus narrationibus, quibus ſæpius aliena, quam noſtra crimina inſimulamus; qua in re tunc etiam malum agimus, cum bene agere exiſtimamus, & crede, quo peccatorum tuorum enarratio brevior erit, diligentior, ſimplicior, eo perfectiorem futuram; quæ ut ita fiat, memento exprimere, quantum fieri poterit, numerum peccatorum, & dicere utrum conſiderate, atque conſulto ea feceris, utrum diu immoratus fueris, an aliquibus tantum momentis; & tandem plene conſenſum præbueris, an aliqua tantum uſus fueris negligentia in amovenda cogitatione, neque prætermittas aſſerere, utrum peccata tua fuerint in gravi materia vel levi. Tertio loco, cum recipis abſolutionem, collige ſpiritum tuum coram Deo, inſtaura dolorem peccatorum tuorum, ac tibimet perſuade animam tuam JESU CHRISTI Sanguine mundari, conſecrari, & in illa imprimi vim prorſus recentem, ne ultra pecces. Quarto poſt Confeſſionem ſeorſim recede; in ſpiritu proſterne te ad JESU Crucifixi pedes, eumque conſidera vulneribus ſaucium, & ſuo Sanguine cruentatum, amore ſimul, & dolore pro te animam efflare. *Auctor recens.*

De examine Conſcientiæ.

Ut rite noſmet præparemus Confeſſioni, conſcientia accurate excutienda eſt; videlicet opera diligenter danda eſt, ut rite aperiamus ſtatum animæ noſtræ, ut Confeſſarius eam cognoſcere valeat. Examen hoc ita neceſſarium eſt, ut Confeſſio irrita eſſet, atque ſacrilega, ſi vel unum mortale peccatum prætermitteretur ob defectum examinis, quod tamen ad ſcrupulum uſque non debet procedere. Adhibenda eſt omnis attentio quam flagitat res tanti negotii; & tempus in hanc rem tranſmittendum, collocari debet ſecundum neceſſitatem, & prudentis Directoris conſilium. Ad bene cognoſcendum animæ noſtræ ſtatum 1. Implorandum eſt auxilium, & lumen Spiritus ſancti; examen inſtituendum eſt per ſingula peccatorum mortalium capita, per virtutes, & ſingula Dei, atque Eccleſiæ præcepta: verbo ſecundum Evangelii dogmata, & omnis vitæ Chriſtianæ officia; etenim aliquando per hæc ſingillatim erimus judicandi. Ipſi præoccupare debemus JESU CHRISTI judicium, ut S. Paulus ait. Noſmet ſcrutari debemus ſecundum noſtri ſtatus officia, ſecundum peccata habitualia, & affectus qui in corde noſtro dominantur; atque ut facilius meminiſſe valeamus, cogitandum eſt de varietate locorum, ubi fuimus, perſonarum, cum quibus verſati ſumus, rerum, vel negotiorum quibus operam dedimus, ſtudiorum, propenſionum, affectionum, habituum. Excutientes conſcientiam noſtram videre debemus peccata, quæ commiſimus cogitatione, verbo, opere, omiſſione: Numerum omnium peccatorum mortalium, circumſtantias, quibus fiunt graviora, aut leviora, cauſſas, & occaſiones, propter quas illa commiſimus; effectus, quos pepererunt vel in nobis, vel in aliis. Ubi vero perquam diligenti examine uſi fuerimus: 1. Ex corde petenda nobis a Deo erit venia peccatorum, quibus noſmet obſtrinximus, 2. certum, firmumque ineundum conſilium non amplius peccandi; 3. adhibendæ omnes præcautiones, & nihil intentatum relinquendum, ut crimina expiemus, & evitemus. *Ex Theologis.*

Quid faciendū ſit pœnitenti, qui nequit meminiſſe peccatorum, quæ patravit.

Si poſtquam ſolerti indagine excuſſimus conſcientiam noſtram recordari præteritorum ſcelerum non poſſumus, tunc Deus, qui non quærit impoſſibile, dimittit peccata, quorum obliti ſumus, non ſecus, ac illa, quæ declaravimus, cum oblivio non accidit culpa noſtra; quorum, ſi poſtmodum reminiſcimur, ubi prima adſit occaſio, noſmet accuſare debemus. Sed econtra ſi per examinis defectum, aut verecundiam, vel nequitiam aliquod omiſerimus mortale crimen, Confeſſio nulla erit, & ſacrilega, ac iterum ineunda, ac præterea ſacrilegii pœnitentia ſubeunda. Cum vero obliti ſumus declarare mortale peccatum, quia tale eſſe ignorabatur, Confeſſio eſſet bona, ſi venialis eſſet ignorantia, vel excuſabilis; ſed ſi non poſſet excuſari ignorantia, tunc ſacrilega eſſet Confeſſio. Ignorantia mortalis dicitur, cum craſſa eſt, & affectata earum rerum, quæ debuimus, & facile ſcire debuimus. Venialis eſt cum non eſt craſſa, neque affectata, vel cum quod ignoratur, non eſt magni momenti. Plene excuſabilis eſt, cum eſt abſolute invincibilis. Numerus autem eorum qui vivunt in noxia ignorantia, ingens eſt, neque ſine horrore cogitari poteſt; pauci enim Chriſtiani ſunt in omnibus ſtatibus, qui non vivant in criminoſa ignorantia officiorum ſuorum generalium, & particularium. Ideoque pauci ſunt, quibus timendum non ſit de Confeſſionibus, & Communionibus ſuis. *Ex Theologis.*

Confiteri debemus peccata cum humilitate ſimplicitate, & prudentia.

Pœnitens humiliter ſe confiteri debet tamquam reus, qui ſentit pondus criminum ſuorum, quorum pœnitet, & quæ expiare deſiderat. Aperire enim peccata ſua ſine dolore, & confuſione, perinde ac ſi narraret hiſtoriam quampiam, quam nullo in diſcrimine haberet; illa excuſare, vel in alium rejicere; non recipere humili, ſubmiſſoque animo præcepta, & monita

pru-

Digitized by Google

prudentis Confeſſarii ad quem confugit, hoc eſt ſine humilitate peccata ſua confiteri. Præterea peccata ipſa dicenda ſunt, quemadmodum cognoſcuntur, quin aliquid addatur, vel imminuatur; & Pœnitens ſe talem oſtendere debet Sacerdoti, qualem ſe eſſe putat coram Deo. Sed ſe alium oſtendere ab eo, qualis eſt, vel taliter verbis involvere peccata, ut director nequeat ſatis ſecernere ſtatum animæ noſtræ, hoc eſt deficere in Confeſſionis ſimplicitate; qui vulgatiſſimus defectus eſt, & grave peccatum; hoc enim eſt directe agere contra JESU CHRISTI intentionem, qui Confeſſionem inſtituit, ut noſmet aperiamus Sacerdoti, quales ſumus, & ut Sacerdos ſanum poſſit judicium ferre, & appoſita adhibere remedia. Debet etiam Pœnitens peccata ſua honeſtis verbis ſignificare, nec de alienis verba facere ſine neceſſitate; *ſine neceſſitate* inquam; non enim deſunt aliqui caſus, ubi aliena detegere crimina opus eſt; ex. grat. cum omnino nequis aperire ſcelus tuum quantum eſt, quin detegas tui criminis ſocium; cum juſtitia, quam alicui debes, efficit, ut nequeas citra illius detrimentum, verum criminis conſortem oſtendere &c. *Ex iiſdem.*

De generalibus Confeſſionibus, earumque utilitatibus, & neceſſitatibus.

Sunt quibus generalis Confeſſio eſt omnino neceſſaria; ſunt quibus eſt prudens præcautio. Neceſſaria illis eſt, qui nunquam, ut oportebat, acceſſerunt ad Pœnitentiæ Sacramentum; qui cum Deo vere reconciliari non poſſunt, niſi per generalem Confeſſionem optime factam. Sapiens vero præcautio illis eſt, qui cum fundamento dubitantes de validitate præcedentium Confeſſionum, hoc medio illas reparare poſſunt. Utile eſt ſæpe confitentibus, aliquando præter ordinem confiteri, & confiteri prolixius omnia peccata, quæ jam confeſſi ſunt, & quorum abſolutionem receperunt. Hæc praxis pietatis bona eſt, & aliquando etiam neceſſaria pro quibuſdam; pro aliis vero inutiliis, & aliquando pernicioſa; & Confeſſarii eſt ferre judicium pro circumſtantiarum varietate. Propter hoc, aliaſque plurimas cauſſas operæ pretium eſt, deligere Confeſſarium doctum, atque prudentem. *Ex iiſdem.*

Cur ſublata fuerit Confeſſio publica.

Confiteri debemus cum communi ſæculorum omnium conſenſu, & propria eorum confeſſione, qui ab Eccleſia ſeceſſerunt, Pœnitentiam eſſe Sacramentum, per quod Sacerdos virtute clavium, videlicet poteſtatis, quam recepit a Deo, peccata dimittit, quæ poſt Baptiſmum patravimus, & non obliviſcimur ad confiteri ſub pœna graviſſimæ ingratitudinis, quanta fuerit miſericordia Redemptoris noſtri, qui reliquit infirmitatibus noſtris remedium adeo promptum, ac præſens. Confiteamur etiam longe honeſtius, & facilius eſſe ſecreto confiteri peccata ſua Sacerdoti, CHRISTI Vicario, quam evulgare, & palam facere in magno populi conventu fornicationes, adulteria, ſacrilegia, homicidia, & enormia delicta, quæ turpitudinis notam Pœnitenti, & ſcandalum inferunt Eccleſiæ. Hac de cauſſa ſublata fuit Confeſſio publica, ſecreta vero inſtituta, & approbata. *Ex iiſdem.*

Modus faciendi Confeſſionem generalem.

Cum Confeſſio ſit Sacramentum a JESU CHRISTO inſtitutum ad delenda Fidelium peccata, eoſque cum Deo in gratiam reſtituendos, dubium non eſt quominus hoc medium non utile ſolum ſit, ſed neceſſarium ad acquirendam virtutem, & Sanctitatem, quæ a peccatorum expiatione initium ducere debet. Ut autem utilius vobis ſit hoc medium, vobis auctor ſum, ut ducatis initium a generali totius vitæ veſtræ Confeſſione, idque triplici ex cauſſa. Primum, quippe accidit nonnunquam, ut præcedentes Confeſſiones fuerint nullæ; veluti cum mortale peccatum aliquod celatum fuit, quod adoleſcentibus accidit; vel quia Confeſſio facta fuit ſine præparatione ſufficienti, ſine peccatorum dolore, & ſine conſilio a peccatis impoſterum abſtinendi. Duplici hoc in caſu generalis Confeſſio eſt neceſſaria. Secundo, cum non videtur aliqua præcedentium Confeſſionum nullitas, haberi poſſunt etiam rationes dubitandi propter defectus plures, quibus paſſim abundant per negligentiam Pœnitentium, qui modica cum præparatione confitentur, fere ſemper ſine dolore, & ſæpe ſine fructu correctionis. Generalis Confeſſio his defectibus ſupplet, & cum rite peragitur in tutum conſcientiam ſtatuit. Tertio ſi tibi neceſſaria non eſt, utilis ſemper erit ob triplicem fructum, quem referes; unum propter te, alterum ex parte Confeſſarii tui, tertium ex parte Dei. *Gobinet in Adoleſcentia inſtitutione.*

Neceſſitas frequentis Confeſſionis.

Quamvis aliquandiu carere poſſis mortalibus noxis, nihilominus ſine frequenti Confeſſione, evitare nequis ſexcenta alia peccata; quæ multiplicata, & neglecta in mortale peccatum adducunt. Præterea ſine frequenti Confeſſione ſenſim, & ſine ſenſu in plures pravos habitus incidis, quos tales non eſſe exiſtimabis, & laberis in plures periculoſas occaſiones, quas non evitabis, niſi caveris tibi; Verum tibi cavere nequis, niſi aperiens ſubinde conſcientiam tuam Sapienti Confeſſario, qui illas deprehendet, & admonebit, ut illas cane pejus, & angue perhorreſcas. Denique fieri nequit, ut diutius tentationibus careas, illis potiſſimum, quæ caſtitatem impugnant. Quare affirmo, nequaquam fieri poſſe, ut illis diutius citra frequentem Confeſſionem obluctaris. Fac quodcumque tibi lubet, niſi frequenter hac uteris medicina, certiſſime cades; idque tua te docebit experientia. Qui negligit medicinam, in morbum incidet, & ex morbo in mortem. *Idem.*

Frequens Confeſſio remedium eſt contra peccatum ex quadruplici cauſſa.

Confeſſio amuletum eſt contra peccatum: 1. Quia cum ſit Sacramentum, confert gratiam ad illud evitandum. 2. Quia efficit, ut inſtauretur peccati execratio & non ultra peccandi conſilium. 3. Quia Confeſſarii monita excitant Pœnitentem, iterumque animos faciunt ut peccatum fugiant, ac Deo fidem præſtent. 4. Quia Pœnitens Confeſſario aperiens tentationes ſuas, ab eo recipit media illis reſiſtendi; & hæc ipſa una tentationum manifeſtatio validum eſt remedium ad eas ſuperandas. *Peccatum*, S. Bernardus ait, *quam primum curatur ubi declaratur, ſed ſilentio augetur; ſi detegitur, ex magno fit modicum; ſi tegitur, fit ex modico magnum. Idem.*

S. Bernard. de interi. dom. c. 17.

Confeſſio eſt judicium.

Actio quodammodo naturalis eſt, noſmet humiliare coram illis, quos læſimus, & ingenue confiteri noxam, ut veniam obtineamus; quoniam violentia, & confuſio, quam tunc patimur, quædam Juſtitia eſt, quam de nobis ſumimus, & quædam eſt ſpecies ſatiſfactionis, quam reddimus læſo. Simili ratione peccatorum Confeſſio Chriſtianis irrogata fuit, tamquam ſatisfactio quædam, quæ redditur Deo ad pedes Vicarii ſui in pœnam peccatorum commiſſorum, quæ manifeſta ſunt ſcelera contra divinam ejus Majeſtatem ſuſcepta; ideoque coram illo noſmet præſentare debemus cum tremore, ac reverentia. Qui Principum gratiam deprecantur, induunt reorum ſqualorem, injuriæ veniam poſtulant verbis minime audacibus, ac ſuperbis; quæ parum decent Pœnitentem peccata ſua confitentem perinde ac aliquam fabulam narraret; ſine ulla contritione, ac ſine ullo Pœnitentiæ ſenſu; cum debeat extrinſecus teſtari ſuum Pœnitentis ſtatum quantum fieri poteſt. Conſiderandus igitur eſt Confeſſarius tamquam Judex conſtitutus conſcientiæ tuæ, ſed cum ille ſcire nequeat crimina tua, niſi per Confeſſionem tuam, tibi diligenter inquirendus eſt ſtatus animæ tuæ, eamque diligenti indagine perſcrutari teneris, ut exponas illi omnia delicta tua cum dolore ad eorum abſolutionem conſequendam. Examen hoc neceſſarium eſt, tam pro dolore quam pro integritate Confeſſionis, quæ duæ ſunt partes eſſentiales, & neceſſariæ huic Sacramento. *Pater de S. Martino a Porta.*

Neceſſitas declarandi omnia peccata ſua peculiare poſtulat examen.

Tenetur quique omnia peccata ſua confiteri: ſi enim aliquod voluntarie prætermitteretur, peccatorum numerus augeretur, neque abſolutio, & gratia reciperetur. Hæc autem mortalis peccati omiſſio duplici modo eſſe poteſt Voluntaria, 1. *In ſe* cum conſulto, & directe peccatum aliquod nolumus aperire. 2. *In cauſſa*, cum per defectum examinis aliqua peccata omittimus. Et ſane multos videmus in Mundi negotiis conſultiſſimos, atque prudentiſſimos; qui integrum annum a Confeſſione abſtinuerunt, & qui millies operibus, millies cogitationibus, & decies millies verbis lapſi fuerint, quorum errores, & craſſæ ignorantiæ intellectum excæcaverint, & nequitiæ voluntatem, oblivio Dei, & gratiarum ejus memoriam; invidiæ, odia, ultiones cor depravaverint; ſuperbia mentem inflaverit, obſcœni, vel nefarii intuitus oculos, pravi ſermones aures, maledicta, blaſphemiæ, temeraria judicia, perjuria linguam corruperint, intemperantiæ, ebrietates, injuſtitiæ, fraudes, rapinæ animaverint manus in proximum; licentia, luxuria, libidines totum eorum corpus infecerint, verbo quorum plura erunt in animabus peccata, quam in capite capilli, & poſt unius anni intervallum vides tamen ipſo die Paſchatis accedere ad Confeſſarium, qui multa ſeptus pœnitentium turba non poteſt per otium illos audire, cum potiſſimum feſtinant peccata ſua confiteri, quin ad ſemihoram ſe ſe diligenti examine excuſſerint in omni genere criminum; quæ cauſſa eſt, ut obliviſcantur ex dimidio negligentiarum ſuarum, ideoque obmuteſcant, ita ut opus ſit, ut Confeſſario manet ad talos uſque ſudor, atque laboret, ut conjectando eorum peccata divinet. *Ex libro, cui titulus: Les candaires de la Grace Patris a S. Martino a Porta.*

Quomodo noſmet examinare debeamus ut noſmet Confeſſioni præparemus.

Noſmet ipſos diligenti examine perpendamus oportet, & ſincere declaremus 1. Peccata omiſſionis, qualia ſunt, quæ ad noſtrum pertinent munus, officium, obligationem, Chriſtianus tenetur bonum præbere exemplum, a Mundi curis vacuum eſſe, & cupiditates noſtras mortificare. Hæc nobis ſunt ad ſalutem neceſſaria, in quibus ſi defecerit, confiteri debet. Si Mundi cultores rite ad examen vocarent eſſentialia cujuslibet Chriſtiani hominis officia, profecto non ita innocentem vitam ſuam invenirent, ſed illis videretur nocens, inutilis, & prorſus oppoſita ſpiritui, & placitis Chriſtianiſmi. Pater, & Mater, herus, & domina tenentur vigilare vitæ filiorum ſuorum, atque domeſticorum, curam gerere ſalutis eorum; nec pati illorum libidinem, intemperantiam, juramenta, nequitiam; cui ſi deſunt muneri, confiteri debent, ac ſeſe corrigere. Maritus, uxor, judex, mercator, puer, ſervus ſinguli ſua habent officia; ſæpe deficiunt, raro confitentur, & infrequentius corriguntur. Non ſatis eſt detractiones tuas confiteri; videlicet malum ſecretum, & verum, quod dixiſti de proximo; alienum bonum, quod ſurripuiſti ſive acci-

accipiens, quod tibi non debebatur, ſive minime ſolvens, quod tibi ſolvendum erat; & impuritatis ſcelera, in quæ lapſus es cogitatione, deſiderio, verbo, vel facto. Ne credas, inquam, ſatis eſſe peccata hæc confiteri ad obtinendam coram Deo veniam; niſi conſilium certum inieris reparandi obtrectationes tuas, aliena reſtituendi bona, & perſolvendi, quod debes, quam primum; & relinquendi proximam peccandi libidinoſe occaſionem, videlicet non videndi amplius perſonam, quæ tibi dat occaſionem peccandi; etenim ſine hoc ſincero, & efficaci conſilio omnes Confeſſiones tuæ nullæ ſunt, atque inutiles ſaluti tuæ. Quapropter intereſt omnium Chriſtianorum ſemet ad trutinam expendere antequam ad Pœnitentiæ tribunal accedat; & ne ulla obrepat in Confeſſiones oblivio, cave, ne per conſuetudinem confitearis ſine dolore, & conſilio corrigendorum vitiorum tuorum, reminiſcens Sanguinem JESU CHRISTI applicitum fuiſſe tibi in Pœnitentiæ Sacramento, & hunc flagitare, ut ſincere deteſteris peccata tua. Tibi ergo ſatis non ſit dicere, vel cogitare, te pœnitere ſcelerum tuorum, aut cupere eorumdem dolorem concipere; ſed adnitere, ut in corde tuo actualem, ſincerumque dolorem ſentias, ſive per amorem bonitatis Dei, ſive per timorem Juſtitiæ ipſius, conſiderans hinc quidem divitias, & beneficia alterius, inde vero alterius minas, atque ſupplicia. *Auctor recens.*

Secretum inviolabile, quod invenimus in accuſatione peccatorum noſtrorum auferre debet ſcrupulum & verecundiam declarandi.

Celantes, non autem confitentes peccatum, confuſionem nequeunt evitare; nam univerſalis judicii die revelabit Deus his omnes turpitudines, hæc omnia adulteria, & obſcœna facta, quæ celatus fuerit Sacerdos, eaque proferet in faciem totius orbis terrarum; ſed omnia peccata recondite in ſinu Sacerdotum, & in omnem æternitatem Deo erunt abſcondita; *Beati quorum tecta ſunt peccata.* Confeſſarius enim tenetur ſervare ſecretum. Sacerdos ſequi & adorare debet opera Dei in Confeſſione, & nunquam diſpenſari poteſt a ſecreto ſui pœnitentis. Tenetur ergo oblivíſci omnia, quæ audivit, & ſervare perpetuum ſilentium, ſub pœna anathematis, atque damnationis æternæ. Peccatum hoc perfidiæ, & ſacrilegæ proditionis tantum eſſet, ut primum violaret jus naturale, quo imperatum eſt, ut fidelitas ſervetur inter homines, violaret juſtitiam, alienam eripiens exiſtimationem, & læderet caritatem in re tanti momenti ſcandalum afferens proximo ſuo: ſed præterea conculcaret jus divinum, quod vetat; & oneraret novo præcepto hoc ſcelus revelati ſigilli, quod inſeparabile eſt a ſecreto Confeſſionis, ut homines fidentius ad hujus Sacramenti uſum accedant. Quis enim, quæſo, auderet ſubjicere cognitionem tot enormium delictorum Sacerdoti, niſi infinita hæc bonitas, quæ ſemper miſeretur infirmitatum noſtrarum, non obſtruxiſſet os Miniſtris ſuis præcepto adeo juſto, & rationabili, id circa quod tenderet ad abolitionem hujus Sacramenti, ideoque ad totale Chriſtianitatis excidium? Quid enim de Eccleſia fieret, ſi cum tot ſint, ac tam deteſtabilia ſcelera, deſtitueretur hac medicina Confeſſionis? Quid inquam fieret, ſi ſub colore ſigilli non ſervari hominum licentia confiteri detrectaret. Cum Lutherani in Germania Cæſari ſupplicem libellum dediſſent, ut in Edicto Confeſſionem reſtitueret, (viderant quippe flagitia, quæ apud ipſos inoleverant, ſublata confitendi conſuetudine): Ite, inquit, contempſiſtis præceptum Dei, quod vobis irrogaverat, multo facilius Edictum meum contemnetis Sacramentale Confeſſionis ſecretum non admittit vitam, non mortem, non publicam utilitatem, ad excuſationem revelationis: Æque ſemper in Eccleſia fuit inviolabile, receptum ſub hac forma, & ſine exceptione obſervatum. Quis ergo dubitare poteſt, quominus JESUS CHRISTUS Sacerdotibus præſcripſerit ſecretum Confeſſionis etiam cum vitæ periculo; quandoquidem nec mors Confeſſarii, neque honoris ejus ratio, neque alia quævis urgentior cauſſa, quæ valeat afferri, nil tantum ſit, ſi comparetur cum bonis, quæ percipit Eccleſia ex Pœnitentiæ Sacramento, a quo pendet ſalus humani generis. *Pater a S. Martino a Porta.*

Monitum ad frequentiam Confeſſionum.

Nihil in Mundo frequentius, quam raro peccata ſua confiteri; quia plerumque nullo in diſcrimine habetur ſalus, & pudet homines aperire peccata ſua, neque ex animo ſtatuunt habitualia quædam peccata deſerere; quæ cauſſa eſt, ut raro confiteantur; quamvis nihil ſit periculoſius hac Confeſſionis infrequentia. Quia 1. Chriſtianus ſe privat medicina ad curationem vulnerum animæ ſuæ neceſſaria. 2. Quia negligit medium adeo efficax ad delenda, & evitanda peccata. 3. Quia totus ferme annus, ac vita integra in ſtatu peccati mortalis traducitur, quin ulla pro Cæleſti gloria merita comparentur. 4. Quia culpa ſua amittit ſubſidium, & gratias, quas Confeſſio ſuppeditat ad evitandum malum, & bonum exercendum; quamobrem crebro ad Pœnitentiæ Sacramentum accedendum eſt. Sed cavete ne accedatis unquam niſi cum corde humiliato, & pœnitente; cum conſilio voſmet corrigendi, occaſiones evitandi, & amplectendi rationes, quæ vos a peccatis avertant: ſed mementote, neceſſum non eſſe, ut ſentiatis dolorem peccatorum veſtrorum, & ſatis eſſe illum habere; qua in re ut periculum faciatis ex vobiſmet ipſis quærite; vellem ne modo hoc, vel illud ſcelus committere, quod ſum confeſſus: & ſi arbitraris tibi certum eſſe conſilium illud evitandi, crede, Confeſſionem tuam eſſe ſinceram. *Ex Aſceticis vitæ interioris exercitationibus Patris Gonnelieu.*

Ejuſdem argumenti.

Peccata aperienda ſunt cum humilitate, perſpicuitate, & brevitate, quin aliquid celes, diſſimules, excuſes; ſed etiam quin aliquid narres inutile, vel quempiam peccati participem nomines. 1. Affer cauſſam quæ te ad peccandum induxit, utrum iracundia, vanitate, humano aliquo reſpectu, hoc dixeris, aut feceris. 2. Fatere numerum peccatorum, ſi gravia fuerint, & quantum licebit, fac, ut Sacerdos tuam peccandi conſuetudinem, habitumque cognoſcat. 3. Aperi tuam infidelitatem, utrum de induſtria, an ex inopinato peccaveris. 4. Dic utrum peccatum tuum pepererit ſcandalum proximo tuo, ex. gr. utrum detraxeris de proximo tuo, vel ſermones habueris obſcœnos coram aliquo, vel pluribus. 5. Confitere circumſtantias, quæ poſſunt vel ſpeciem mutare vel augere gravitatem. Ex. gr. impudicitia, vel furtum grave in Templo peractum Sacrilegium eſt, extra vero ſimplex mortale peccatum. Contumelioſe dictum in Parentem gravius eſt, quam in alium. Neque prætermittenda ſunt in Confeſſionibus tuis peccata quibus occaſionem præbuiſti: 1. Malis conſiliis. 2. Pravis exemplis. 3. Approbando aliena peccata, ſive illa ſint obtrectationes, inhoneſti ſermones, ultiones, & proximi tui injuſtitiæ. 4. Negligentia corripiendi, & redarguendi inferiores tuos, & in quos habes auctoritatem: quoniam quadruplici hac ratione particeps fieri vales alieni criminis, ejuſque reddenda tibi ratio eſſe poteſt Deo. *Pater Gonnelieu.*

De Pœnitentia quatenus virtus eſt Pœnitentiæ neceſſitas. Et differentia.

Pœnitentia conſiderari poteſt vel tamquam virtus, vel tamquam Sacramentum. Pœnitentia virtus eſt dolor, ac deteſtatio patratorum criminum, & propoſitum de non ulterius peccando. Sacramentum Pœnitentiæ, Sacramentum eſt a CHRISTO Domino inſtitutum ad remittenda peccata poſt Baptiſmum patrata. Differt ergo Pœnitentiæ Sacramentum a virtute: 1. Enim virtus Pœnitentiæ eſt, fuitque ſemper neceſſaria pro quovis peccatorum genere; cum Pœnitentiæ Sacramentum neque uſum obtinuerit niſi poſt JESUM CHRISTUM, neque inſtitutum fuerit, niſi propter peccata poſt Baptiſmum commiſſa. 2. Pœnitentiæ Sacramentum ſupponit Confeſſionem peccatorum; quam non ſupponit virtus Pœnitentiæ; virtus Pœnitentiæ ſemper fuit neceſſaria pro quovis peccatorum genere; quia ad faciendam cum Deo gratiam ſemper neceſſe fuit deteſtari peccata, agere Pœnitentiam, firmum inire conſilium non peccandi amplius, & in ſe peccata puniendi, quod Pœnitentiam agere dicitur. Hoc autem operæ pretium eſt facere ſimul ac nos peccaſſe cognoſcimus, quin converſionem differamus, quin procraſtinemur; qui enim expectant tempus ægritudinis ſuæ, aut ſenectutis ad Pœnitentiam peragendam, ac interim vivunt in ſcelere, profecto cæci ſunt, & inſipientes. 1. Quia ignoramus, utrum ad ſenium ſimus perventuri. Mors ex improviſo tamquam in inſidiis adoriri nos poteſt. Morbus nos ineptos efficere poteſt, qui de re quapiam cogitemus. Totus fere orbis terrarum decipitur; hoc JESUS CHRISTUS portendit, idque quotidiana docet experientia. 2. Pœnitentia, quæ incipit tempore infirmæ valetudinis, plerumque innititur converſioni cordis: timor unus illam cret; ut plurimum eſt inutilis, & fere ſemper mendax. 3. Deum eſt irridere, differre converſionem in tempus, quo non licet amplius peccare: Et Deus e contra mortis tempore irridet peccatorem, a quo fuit irriſus in vita. 4. Exemplum Antiochi in Scripturis relatum peccatoribus omnibus terrorem debet incutere, differentibus in mortem converſionem, & Pœnitentiam. Vixerat Antiochus impiorum more; Deum contempſerat; Judæos crudeliter perſecutus fuerat. Pulcherrima iniit Conſilia, ſeſe collegit, ſi convaleſceret; fuditque Deo preces in ſpeciem ferventiſſimas, a quo tamen miſericordiam non erat impetraturus: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Deus eamdem pœnam intentat peccatoribus mortis horam præſtolantibus, ut convertantur. Non ideo tamen oportet, ut peccatores, qui ſeſe non converterunt, in mortis articulo deſperent. Deus enim in eorum gratiam efficere poteſt miraculum illi ſimile, quod operatus eſt in gratiam boni latronis in Cruce. Sed non eſt cur ſibi polliceantur illud, unicum quippe in Scripturis invenitur. *Ex Theologis.*

De Contritione, & conditionibus ejus.

Primum illud, quod peccatori faciendum eſt ad Pœnitentiæ Sacramentum confugienti, ſinceram habere debet contritionem peccatorum ſuorum, quæ non aliud eſt niſi dolor animæ, ac deteſtatio patratorum criminum, cum deliberata voluntate non ulterius peccandi. Contritio hæc eſſe debet interior, ſupernaturalis, ſumma, & univerſalis. Dolor hic eſſe debet interior; hoc eſt, intus in penetralibus cordis ſentiendus eſt, neque ſufficere debet extremis labiis Contritionis actum recitare. Cor eſt peccatorum omnium principium; ideoque cor conteratur oportet; ex imo corde proficiſci debet converſio. Contritio eſſe debet ſupernaturalis; videlicet excitari debet per fidem, & motum Spiritus ſancti, non

autem

autem ex aliqua naturali cauſſa. Duo exempla hanc illuſtrare poſſunt reſponſionem. Homo qui propter peccati ſui turpitudinem, ac ſupplicium, quod ſuſtinet in mortalium oculis, dolorem habet naturalem. Homo, quem pœnitet peccati, quia peccatum diſplicet Deo, & illum excludit a Paradiſi gloria, efficitque illum inferno dignum, dolorem habet ſupernaturalem. Dolor eſſe debet ſummus, hoc eſt major alio quovis dolore, quo affici valeamus. Bonum, cujus per peccatum jacturam facimus, bonorum omnium eſt maximum; malum vero quod nobis procurat, maximum eſt omnium malorum. Æquum eſt, ut dolor, quem ex hoc malo percipimus, ſit dolorum omnium maximus. Non ideo tamen neceſſe eſt, ut dolor iſte ſenſus noſtros afficiat; neque per ſenſus de illo judicium ferendum eſt. Summum habemus dolorem, cum magis dolemus læſiſſe Deum, quam amiſiſſe quidquid nobis in Mundo erat antiquius, & jucundius; cum Deum rebus omnibus præferimus, & cum parati ſumus ſacrificandis rebus omnibus, ipſique vitæ, potius quam Deum lædamus, ut præcipit JESUS CHRISTUS. Denique dolor eſſe debet univerſalis; videlicet univerſe deteſtari debemus omnia peccata commiſſa nullo excepto. Si ſervaretur adhuc dominans aliqua adhæſio erga peccatum aliquod, vel aliquam creaturam, reditus ad Deum non eſſet integer; ſemper eſſemus peccatores voluntarii, ideoque inimici Dei. Sed Spiritus ſanctus efficit in nobis contritionem hanc; quia ipſe unus frangere valet cordis noſtri duritiem; ciere in nobis odium peccati, & amorem virtutis, & efficere, ut coram Deo lacrymis noſtras iniquitates eluamus. Sed ita affectum eſſe, hoc vocatur habere contritionem; quam ſi cupimus aſſequi, illam petere debemus a Deo ad exemplum David, quia illam ex nobis habere non poſſumus, & donum eſt Spiritus ſancti. *Ex Theologis.*

De Contritione perfecta, & imperfecta.

Duplex eſt Contritionis genus; alterum perfectum, quod ſimpliciter Contritio dicitur, alterum imperfectum, quod Theologi attritionem dicunt. Contritio perfecta dolor eſt, & deteſtatio peccati, quam parit motus perfectæ Caritatis. Attritio vero dolor eſt, ac deteſtatio peccati, ut plurimum profecta ex conſideratione deformitatis, vel turpitudinis peccati, vel ex metu ſupplicii, & cujus principium eſt Spiritus ſanctus nondum habitans in corde, ſed illud excitans, & impellens in bonum, & conſequenter amor eſt Dei adhuc infirmus. Perfecta Contritio hominem cum Deo conciliat, antequam receperit Sacramentum Pœnitentiæ vi deſiderii recipiendi illud. Si dolor, qui attritionem parit, conjunctus eſt cum ſincera voluntate non amplius peccandi, & cum veniæ ſpe, tantum abeſt, quod hominem hypocritam, ac deteriorem efficiat, ut diſponat illum ad recipiendam Dei gratiam in Pœnitentiæ Sacramento. Attritio per ſe, ſine Pœnitentiæ Sacramento adducere nequit peccatorem uſque ad Juſtificationem; ſed eſt diſpoſitio tantum ad recipiendam hanc gratiam in Sacramento. Peccatorum dolor conceptus ex timore pœnarum ſufficere poteſt ad obtinendam peccatorum remiſſionem; ſed ad hoc opus eſt, ut conjunctus ſit cum odio, & deteſtatione peccati, ideoque cum quodam principio amoris Dei, qui ſolus eſſe poteſt principium iſtius odii, ſine quibus diſpoſitionibus minime ſufficit. Deus enim non remittit peccata niſi cum cor converſum eſt. Pœnarum metus, cum ſolus eſt, incipit quidem converſionem, illam diſponit, ſed minime perficit, niſi conjuncta ſit cum amore dominante Dei, atque juſtitiæ; cor enim converſum non eſt niſi cum ſincere deteſtatur peccatum ſuum. Ad illud deteſtandum amanda eſt Juſtitia, ideoque immutandus eſt amor, & affectus; ſed hanc mutationem ſolus timor non parit. Peccator peccatum deſerens, ne ardeat æternum, non timet peccare, S. Auguſtinus inquit, ſed ardere: peccaret adhuc, ſi poſſet impune. Igitur ſemper amat peccatum: Non amor Juſtitiæ, ſed ſolus pœnarum timor egit illum. Ideoque cor ejus nondum converſum, & mutatum eſt. Verum quamquam timor ſolus non mutet diſpoſitionem cordis; efficit tamen ne amplius peccetur, ne puniatur; atque hoc pacto auſert ſenſim, & ſine ſenſu habitum peccandi. Auferens vero ſceleris habitum, amovet obices, qui vetabant, ne amor Dei in cor ingrederetur; & hoc pacto diſponit cor ad converſionem. Quamobrem S. Auguſtinus timorem comparat cum acu, quæ in lineam, laneum, ſericumque pannum, filum introducit. Filum introduci niſi per acum non poteſt; ita amor Dei, qui cor noſtrum convertit per pœnarum timorem introducitur. *Ex Theologis.*

Ejuſdem argumenti.

Articulo ſuperiori nequaquam ſatis reſpondere poſſumus dicendo Contritionem involventem conſilium, & votum ſeſe præſentandi Pœnitentiæ Sacramento, hujus partem conſtituere; atque per nexum hunc vel relationem cum Sacramento, peccatum remittere, & ſatis eſſe, ut abſolutio inſtituta ſit relate ad finem hunc, effectum, quamvis nunquam conferatur, neque donet gratiam quam continet ſub vera, perfectaque contritione. Hoc inquam non eſt rationabiliter reſpondere, ac ſatisfacere; namque ſecundum ſententiam, & verba Concilii, efficientia, & præcipua virtus hujus Sacramenti conſiſtit in verbis, quæ vim habent, ut antequam exprimantur, & proferantur, nunquam producatur effectus, qui oritur ea virtute, quam Auctor Sacramenti impreſſit in verbo Abſolutionis. Ex quo ſequitur Contritionem, quæ præcedit Sacramentum, & quæ juſtificat animam intuitu, & voto Sacramenti, nihil omnino conferre ad remiſſionem peccati, quæ fit per Clavium virtutem, & quæ, ut dici ſolet, proficiſcitur ex opere Sacramenti; ſed peccatum remittit actione propria, & diſpoſitione animæ, quod fiebat ante Sacramenti inſtitutione *Pater a S. Martino a Porta.*

Contritio perfecta non eſt omnino neceſſaria, ad recipiendam abſolutionem.

Dicere poſſumus ſi perfecta contritio erat diſpoſitio abſolute neceſſaria ante efficientiam Sacramenti, Dominum noſtrum per Sacramenti hujus Inſtitutionem non ſuppeditaſſe nobis remedium, quod nobis faciliora præberet media ad obtinendam peccatorum noſtrorum remiſſionem; ſed novum nobis onus impoſuiſſe, quoniam ſceleris remiſſio præcederet formam Sacramenti. Alioquin, ſi contritio eſſet abſolute neceſſaria, plerique fideles raro ad Pœnitentiæ Sacramentum accederent; quia vel exiſtimabunt ſe hanc habere Contritionem, vel illam ſe non habere ſentient; ſi primum, Sacramentum illis videbitur inutile; quoniam Contritio per ſe habet vim obtinendi remiſſionem peccati; ſi poſſunt invenire, & recipere bonam valetudinem in Miniſterio, & abſolutione Sacerdotis, ſeſe diſpenſabunt, quominus ad illum, tamquam Medicum conferant, neque confugient ad S. Petri claves, ſi Deus ipſe aperit illis januas Cæli: ſed ſi crediderint ſe non eſſe vere contritos, ſciant, Sacramentum ſibi nequaquam profuturum, & propter defectum neceſſariæ diſpoſitionis nequaquam ſibi collaturum gratiam; hoc efficiet, ut non ſe exhibeant ad Tribunal Pœnitentiæ; ex quo inferendum eſt ſolam attritionem cum Sacramento conjunctam, ſufficientem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, & converſionem; videlicet attritionem quæ dolore conterit corda noſtra, & non aliud eſt quam efficax deteſtatio peccati concepta in anima propter rationem aliquam ſupernaturalem, quæ cum nequeat re adhuc integra contemplari Deum, quatenus ſummam bonitatem, reſpicit illum ſaltem tamquam Judicem inexorabilem, cujus timet ſupplicia, & a quo ſperat ſe miſericordiam conſecuturum; neque aliquid ultra requiritur, ut affectum peccati derelinquat. Quibus addo Pariſienſis Facultatis Oraculum, quæ anno 1638. cenſoria notavit virgula propoſitionem aſſerentem, attritionem non ſufficere, & contritionem omnino neceſſariam eſſe ad recipiendum abſolutionis Sacramentum, & cenſuit hujuſmodi propoſitiones aptas eſſe ad perturbandas conſcientias, & oppoſitas eſſe conſuetudini, & Eccleſiæ praxi, & imminuere Sacramenti efficientiam; quapropter illas tamquam temerarias, & erroneas proſcripſit. *Ex eodem.*

Firmum propoſitum non relabendi in peccatum, ac meliorem vitam ducendi noſtræ converſioni neceſſarium eſt.

Qui certum, & efficax non iniit conſilium præteritum malæ vitæ genus relinquendi, permanet adhuc in peccatorum ſuorum affectu, & ſibi complacet in actuali adhæſione pravorum habituum, ideoque converſus non eſt, & hoc in ſtatu ſperare non poteſt ullam cum Deo reconciliationem. Si veram habuit peccatorum ſuorum deteſtationem, fieri non poteſt ut ſervet adhuc peccati alicujus amorem. Ita Salvator, poſtquam ægris valetudinem reſtituit, eiſque largitus eſt peccatorum remiſſionem, plerumque dimittebat eos hoc brevi monito: *vade, & noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat;* cum recidiva ſit ipſa mala valetudine deterior: ſi enim Sathanas adhuc ſemel invenire poterit aditum in locum, unde ejectus fuit, illius acquiſitiones eo erunt illi majori in honore, quo magis arces iterum acquiſitæ augent gloriam, & reditum Victoris, qui novas vires, adeoque majores exerciturus eſt. Quo in argumento majores minime poſſumus deſiderare probationes iis, quæ afferuntur a S. Petro in Epiſtola ſecunda, ubi adeo extollit neceſſitatem ferventis hujus propoſiti de non ulterius peccando, ut illis qui in JESU CHRISTI cognitione ſemel reliquerunt peccati dominationem, ac rurſus in illam ingrediuntur, dicat; *melius illis fuiſſe non cognoſcere viam Juſtitiæ, quam poſt agnitionem reverti ab eo, quod illis traditum eſt, Mandato. Ex eodem Pater a S. Martino a Porta.*

2. Petri 2.

De bono propoſito in pravis habitibus & occaſionibus peccati.

Non ſufficit deteſtari peccatum commiſſum, oportet etiam certum iniiſſe conſilium non ultra peccandi; quod conſilium neceſſarium eſt, alioquin enim dolor eſt falſus. Non poſſumus aſſerere aliquem pœnituiſſe patratorum criminum, ſi nondum criminibus abſtinere decrevit: utrum vero hoc decreverit, nonniſi ab effectu poteſt intelligi. 1. Ex immutata vitæ ratione; 2. Ex conatu, quem egerit, ut pravos habitus corrigat. 3. Ex fuga occaſionum peccati. Pravorum habituum nomine intelligere debemus facilitatem labendi in peccata quædam, quibus aſſuevimus, ex. gr. impudicitiæ, juramento, ebrietati, detractioni &c. At ad corrigendos pravos habitus, quos contraximus, diligentiſſime nobiſmet ipſis invigilare debemus, multum orare, & evi-

tare omnes occaſiones proximas peccati; quas evitare tenemur, alioquin certiſſime perituri. *Qui amat periculum, peribit in illo*, Spiritus ſanctus ait. Ubi animadvertendum eſt duplex eſſe genus occaſionum proximarum peccati; quarum aliæ per ſe ſunt peccati occaſiones; aliæ vero non ſunt, niſi propter quaſdam circumſtantias, vel propter perſonarum diſpoſitionem. 1. Figuræ, aut laſcivæ imagines, ac inhoneſtæ, pravorum librorum lectio, nimis familiaris frequentia cum perſonis alterius ſexus; ſpectacula, choreæ, comœdiæ, ludus immodicus: Hæc omnia per ſe ſunt peccati occaſiones. 2. Judex qui per ignorantiam, timorem, humanas rationes impar eſt juri dicundo, ſemper eſt in proxima occaſione peccati, donec in hoc officio perſeverit. Homo qui honeſtis alioquin neceſſitatibus intereſſe non poteſt, quin Deum lædat, eſt in proxima peccati occaſione, niſi eas relinquit. Negotium, & profeſſio Argentarii, ſunt pluribus proxima occaſio peccati, qui per habitus pravos exercere hanc nequeunt profeſſionem; quin fœnerentur, mentiantur, injuſtitias, aliave peccata committunt: hæc ſunt exempla occaſionis peccati alterius ſpeciei. Occaſiones hujuſmodi relinquendæ ſunt: alioquin non eſt vera contritio; quamvis etiam grave aliquod malum ſuſtinendum eſſet: hoc enim in caſu illud faciendum eſt, quod docet JESUS CHRISTUS: Si oculus tuus dexter, vel dextera manus tua ſcandalizat te, erue oculum tuum, abſcinde manum; præſtat enim unum oculum, ac manum unam habentem in Cælum ingredi, quam cum utroque oculo, utraque manu in gehennam ignis deturbari. Quorum verborum ſenſus eſt. Si quid tibi oculo tuo, vel dextera manu antiquius tibi eſſet occaſio lapſus, & peccati, ab eo recedere, ac ſeparari debes, ſi vis infernum evitare. *Ex Theologis*.

Propoſitum quod facimus de Deum non amplius lædendo eſſe debet inviolabile.

In propoſito præſenti quod facimus de Deo non lædendo, imitandus nobis eſt Judex ille Iſrael Jephte, qui cum pollicitus eſſet ſe Deo ſacrificaturum quodcumque ſibi obvium occurreret victori de prælio redeunti; & obviam habuit filiam, corculum, ac delicias ſuas; oculos in Cælum ſuſtulit, dixitque: Nihil intereſt; quamvis hoc ſit mihi vitam ipſam auferre immolare ſuaviſſimas omnes vitæ meæ delicias, quæ in filia mea continebantur, offeram illam in Sacrificium Deo, quandoquidem me ita facturum pollicitus ſum; *Os meum aperui ad Dominum; & jam aliud facere non poſſum*. (Jud. 3. 11.) Quidquid horreat natura, opus eſt me fidem præſtare. Simili pacto devictis inimicis veſtris per contritionem, atque propoſitum a vobis initum abrenuntiandi huic voluptati, huic objecto propter amorem Dei; quamvis ageretur de filia, hoc eſt de ea cupiditate, ex qua tibi idolum feciſti, de creatura, quam deperire non ceſſas: ubi ſe tibi offert occaſio Deum lædendi, dic: *Os meum aperui ad Dominum; & jam aliud facere non poſſum*. Fidem meam Domino obligavi: quomodonam auderem coram illius Majeſtate prodire, ſi modo illa mea detrectarem officia? Hoc eſſet fidem fallere. Hoc nequaquam fiet Deus; profiteor, voluntas mea non mutabitur; tibi ſerviet, tibique placere quæret. Prorſus abrenuntio miſeris hujuſmodi Sathanæ ſuggeſtionibus, me a ſervitute tua amovere conantis. *P. Antonius de S. Martino a Perta*.

Quam dubia ſit Pœnitentia quæ fit in morte.

Peccator ſibi blanditur putans ſe morti proximum bonam eſſe Confeſſionem facturum? Verum illam ne facere poterit? Initium faciendum eſt a diligenti ſuorum peccatorum indagine! Quam impeditum hoc negotium eſt? Quod cahos expediendum! Cogitationes, deſideria, actiones, quibus fortaſſe nulla impenſa fuit cogitatio per tot annos inter libidines, & flagitia tractos. Omnia temporis momento revocanda ſunt, potiſſimum vero hæc ſcandali peccata, & injuſtitiæ, quæ neceſſario evitanda ſunt. Difficultas reddendi hanc rationem Miniſtro JESU CHRISTI, videbatur peccatori inſuperabilis, ipſis etiam diebus bonæ valetudinis ſuæ: illam ergo ſperabit ſua oppreſſus infirmitate? Sed criminum dolor, cui adhærere debet abſolutio, erit ne in hoc peccatore, adeo ſincerus, efficax, abſolutus, uti opus eſt? Dolor hic eſſe debet ſupernaturalis, & pendet a Deo, & ab homine, a gratia, & a noſtra cooperatione. Gratia autem quæ divellat peccatorem ab antiquis, violentiſque vinculis ſuis; gratia adeo ſpecialis, ac decretoria, promiſſa ne fuit in lectulo mortis? Scriptura e contra nonne illi repulſam prænuntiat? *In interitu veſtro ridebo*. (Proverb. 1.) Ita ſecundum communes regulas, peccator, qui rejicit in extremum vitæ ſuæ ſpiritum converſionem ſuam, locum non habet confidendi in divina Miſericordia. *P. Segneri in Meditationibus*.

Quid ſit Pœnitentia ad peccatoris converſionem neceſſaria.

Pœnitentia eſt deteſtatio peccati; & ſollemni jurejurando ſeſe obſtringere ad pœnas de ſeipſo repetendas; eſt accuſare apud Deum peccatorum noſtrorum qualitatem cum propoſito ſatisfaciendi, quoad per nos fieri poterit, profitendo non ſolum immortalem inimicitiam contra peccatum, ſed etiam contra locos, & occaſiones, ubi illud committimus. At duplex eſt genus pœnitentiarum, vel deteſtationum peccati; quæ peccatori procurant reconciliationem, & juſtificationem apud Deum; altera tamquam virtus, altera tamquam Sacramentum; ſed utraque ſimul, quamvis aliter, in Confeſſionem ingreditur. Contritio neceſſaria eſt pro Sacramento Pœnitentiæ; quapropter docent Theologi hunc dolorem eſſe interiorem, & rationabilem, quem anima concipit omnium peccatorum ſuorum propter Deum ſummopere amabilem cum firmo propoſito illius non ultra lædendi. Ejus definitio initium ducit ex hoc doloris vocabulo, quod non ſignificat niſi Pœnitentiam, vel diſplicentiam, quæ habetur in corde propter peccatum conceptum, & efformatum per inordinatam voluptatem; opus eſt etiam, ut deſtruatur in corde per juſtum dolorem, quem Deus petit, criminis noſtri ad veniam obtinendam.

Sed quæſo, attendite, quid exigat Deus pro converſione veſtra, atque ut vos liberet ab inferno quem meruiſtis; effundite lacrymas contritionis; hoc eſt, concipite dolorem Numinis læſi; & ſibi ſatisfactum fuiſſe putat pro ſcelere, æternaque pœna. O Deus quam promptus es ad veniam! Quam facile tibi fit ſatis! Noſtræ voluntatis abnegatio, præteritorum criminum retractatio; dolor; hoc unum illud eſt, quod præſtari a nobis jubes, ſi converti velimus. *P. Antonius a S. Martino a Perta*.

Hic auferre volo tot piarum animarum ſcrupulum, (Unde liceat cognoſcere utrum veram habeamus contritionem.) quibus ut plurimum negotium faceſſit ſciendi cupiditas, utrum contritiones ſuæ bonæ, validæque ſint; utrum ſufficiens ſibi ſit læſi numinis dolor, qui requiritur ad obtinendam miſericordiam. Aſſero enim cum celeberrimis Doctoribus non requiri omnino dolorem criminum, qui haberi poſſe vehementiſſimus. Verus criminum dolor, quem petit converſio, non eſt adnexus huic menſuræ; æque ſervatur in majori, & in minori. Eſſentiæ converſionis, non autem ejuſdem gradibus Scriptura peccatorum veniam pollicetur. Cum igitur peccator adimplet conditionem, quam exigit Deus, videlicet, ut convertatur, quantumvis exilis ſit contritio, habebit ſemper, vel tamquam forma, vel tamquam extrema ad gratiam diſpoſitio, eſſentialem oppoſitionem, cum omnibus peccatis mortalibus; quæ ratio deſumpta eſt ex Synodo Tridentina. Et ſane ſi minimum mortale peccatum privat animam gratia, & omnibus meritis, quibus erat ornata; eadem ex cauſa oportet, ut minima contritio capax ſit reſtituendi gratiam, & ejiciendi omnia peccata mortalia quantumvis eſſe poſſint enormia: *Non patitur exigua etiam Pœnitentia amitti mercedem*, S. Chryſoſtomus inquit. Ceterum contritio actus eſt veræ Caritatis; nam amantes Deum ſuper ea omnia, quæ ſunt amabilia, licet etiam amor hic eſſet infirmus, ſi verus eſt, ſatisfacimus præcepto amoris Dei; ita ut actus doloris quantumvis infirmi, delere poſſit omnia peccata. *S. Auguſtinus t. 4. de vera, & falſa Pœnitentia*, & generatim Patres omnes dicunt conſiderandam eſſe criminis qualitatem, ut illi idonea applicetur Pœnitentia; quod intelligendum eſt de remiſſione pœnæ non autem peccati; pro cujus expiatione unus ſufficit actus, quantumvis tepidus, licet quo ferventior eſt, majorem procuret perfectionem animæ illum producenti. *Idem*.

Quemadmodum duo ſunt peccatorum genera originale, & actuale, (Dolor, & deteſtatio peccati eſſe debet rationabilis, & voluntaria.) Deus nobis dedit duo aquarum genera, quæ ſunt lacrymæ Pœnitentiæ ad illa abluenda. Quemadmodum originale peccatum per alienam contrahitur voluntatem, ideo aqua aliena ſatis eſt ad delendum in Sacramento Baptiſmi; ſed actuale peccatum, quo polluimur per noſtræ voluntatis conſenſum, flagitat aquam hauſtam ex imo corde per dolorem voluntarium; ſed ad timidas conſcientias placandas, quæ nunquam putarent ſibi verum eſſe dolorem Numinis læſi, niſi ſenſibilem, exterioremque triſtitiam experirentur, connotatam ſingultibus, lacrymiſque, quæ quidem ſummam habent utilitatem, ut innotuit in lacrymis Regis Prophetæ, Sancti Petri, & Magdalenæ, hoc ſatis frequenter accidit, quandoquidem cor prohibere nequaquam poteſt, quominus communicet oculis eos motus, quos celat, & vulnera, quibus conficitur. Verum ſi omnes tenemur habere dolorem peccatorum noſtrorum, non omnes tenemur illum præ nobis ferre, lacrymis fundendo, quæ ſæpe ſuſpicione minime vacant, & non ſemper manant ex corde; cum ſæpe voluntas peccatum ſummopere perhorreſcat ſiccis oculis, ac ſine lacrymis, quæ naturæ potius effectus ſunt, quam opera gratiæ. Contritio, & dolor hic eſſe debet rationabilis, & voluntarius, quin neceſſe ſit, ut ſenſibiles corporis mutationes, cujuſmodi ſunt ſuſpiria, ac ploratus oboriantur. Si contritio eſſe debet rationabilis, & voluntaria, patet illam non pendere ex diuturnitate, & virtutem ejus deſumi ſolum ex ſpiritus diſpoſitione. Brevitas temporis, & horæ noviſſimæ extremitas, non efficiunt, ut animæ venia negetur, ſi hanc vera cum contritione petierit, inquit Sanctus Cyprianus: *Nec brevitas temporis, nec hora extremitas excludit a venia, ſi fuerit contritio vera*. Et conſtat ratio, cum enim ſit voluntaria, principium ejus habens facultatem ſpiritualem agit in inſtanti. Quacumque hora:

vide-

videlicet, quocumque momento anima ingemiſcet, inquit Scriptura, ſua illi dimittentur peccata. Ita ut ſi nobis totus ſuperandus eſſet infernus tribus ſyllabis *peccavi*, illum poſſumus ſuperare, ut fecit David, in inſtanti; tanta enim fuit doloris ejus propter adulterium, & homicidium magnitudo, ut Deus illi per Prophetam ſuum Nathan ſignificaverit, ſe illi eorum veniam largitum fuiſſe. *Ex eodem.*

Gratiæ nobis agendæ ſunt Salvatori quod ſatisfecerit pro peccatis noſtris.

Nunquid nimis a nobis exigit Deus, cum noſtras nobis dimiſſurus noxas poſtulat, ut illas oderimus, ut illas Miniſtris ſuis aperiamus, ut noſmet ſubjiciamus Pœnitentiæ, quam nobis imponit? Gratias agamus potius Salvatori, quod pro nobis ſatisfecit operibus ſuis, quæ infiniti ſunt pretii. Alioquin quid nobis prodeſſent omnes Pœnitentiæ, gemitus, ſuſpiria? Ita cum dicimus Patri Cœleſti: dimitte nobis debita noſtra, ne arbitremur nos modicum quid ab illo petere. Venia, quam nobis concedit, nullo nobis ſtat pretio; ſed quanto ſtetit JESU CHRISTO! Hanc emit ille pretio Sanguinis ſui: ſeipſum tradidit futurus pretium redemptionis hominum univerſorum. Domine! ultra ſuſtinere non valeo adſpectum ingratitudinis meæ; læſi Parentum omnium optimum. Tamen ſatis felix ſum in calamitate mea, quippe invenio argumenta fiduciæ, & ſpei in eo, quod cauſſam conſtituit doloris mei. Profecto, quandoquidam Patrem offendi, illud flectent lacrymæ meæ: igitur dicere audeo; Deus meus! cum eo ſenſu confuſionis, & confidentiæ, quem mihi inſpirat peccatum meum, & miſericordia tua: dimitte nobis debita noſtra. *P. Segneri in Meditationibus.*

Attritio ſufficit cum Sacramento.

Si perfecta contritio requireretur tamquam conditio, vel neceſſaria diſpoſitio, hoc eſſet oneroſum imponere jugum in lege Evangelica; & cum nobis Sanctus Joannes illud exhibeat leve, & ſuave, illud arduum efficeret uſque ad impoſſibilitatem. Etenim quid durius, quam hinc obligare peccatorem ad ſpecialem enumerationem omnium criminum conſcientiæ ſuæ abditiſſimorum detegendorum ad pedes Sacerdotis cum violentia, quam natura pati poteſt in hoc genere accuſationis, inde vero velle eruere ex illo hanc heroicam contritionem, quæ ſit ſuper carnem & ſanguinem, & quæ omnes ſenſus pertranſit, ut acquieſcat in ſimplici conſpectu bonitatis ſummopere amabilis? Quamobrem hæc eadem bonitas infinita reliquit nobis in Eccleſia ſua Sacramentum, cui virtus eſt nobilitandi, & inflammandi contritiones noſtras, ita ut quamvis ſeparatæ ſint a Sacramento, poſſint per ſemet nos ad juſtificationem perducere: tamen cum hoc divino Myſterio conjunctæ de Cœlo ſpiritum hunc eliciant, quo efficit, ut quatenus pars eſſentialis concurrat ad efficiendum ex Pœnitente peccatore hominem prorſus addictum Deo. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

Imperfecta contritio peccatorem diſponit ad contritionem.

Synodus Tridentina verba faciens de Contritione imperfecta dicit, quamvis ſine Sacramento minime ſufficiat ad peccatorem in juſtificationis ſtatum adducendum, illum tamen diſponere ad illam in Sacramento recipiendam, quæ verba ſatis perſpicue oſtendunt efficientiam, quam habet virtus, & Sacramentum Pœnitentiæ ad juſtificandam per ſe animam peccatricem, ſi inveniret in illa diſpoſitionem integræ, & ſupernaturalis attritionis. Ait, illam ex ſe non poſſe diſponere nocentem animam ad juſtificationem, ſed hoc poſſe ait, accedente Sacramento. Non ne igitur hoc eſt docere nos, huic Sacramento ex ſe, & per inſtitutionem ſuam ineſſe virtutem conferendi gratiam juſtificantem illi, quem nanciſcitur ſola attritione diſpoſitum? Hoc eſt unum ex Sacramentis mortuorum cum Baptiſmo, quod eſt alterum, habet igitur ex inſtitutione ſua, viribuſque ſuis poteſtatem conferendi gratiam peccati mortalis expulſivam: igitur non requiritur ad hoc ut habeat ſuam efficientiam, & actionem, ut inveniat, vel ſupponat peccatum jam remiſſum, & condonatum; alioquin non produceret unquam effectum, propter quem intentatum eſt. Igitur Sacramentum nullatenus flagitat contritionem præviam, tamquam neceſſariam actioni ſuæ diſpoſitionem; alioquin ſemper illam ſupponeret, & peccata remiſſa virtute ſua contra id, quod docent Theologi de poteſtate clavium, quæ non ſolum ſe extendit ad declarandum reum abſolutum, verum etiam ad crimen illius remittendum, & abſolvendum. *Ex eodem.*

De ſatisfactione per Confeſſarium impoſita.

Certum eſt, niſi Deus per bonitatem ſuam indulſiſſet, & aliquid de jure ſuo remiſiſſet, futurum fuiſſe ut homines juſtitiæ illius ſatisfacere non poſſent pro patratis ſceleribus. Namque ab infinito læſo ad finitum lædentem nulla eſt propotio, & ubi potentiæ ſupremæ ſunt, finitæ potentiæ nequeunt illis conferri ſecundum ſuam auctoritatem. Quamobrem Deus cognoſcens, nos ſolvendo pares non eſſe, acceptat conatus infirmitatum noſtrarum pro mulcta honoraria, quam illius juſtitiæ offerimus, & hanc a nobis exigit in Sacramento Pœnitentiæ, quod cum in Eccleſia inſtitutum ſit in Judicii formam petit, ut in locum æternarum pœnarum, Miniſtri, qui proferunt ſententias ſuas in foro conſcientiæ, ſint etiam Judices arbitri ad æſtimandas, taxandaſque temporales pœnas peccatis debitas. Sicuti enim in praxi juris civilis, quamquam Princeps reo gratiam largiatur, hoc ſemper fit cum hac conditione, ut læſæ parti ſatisfaciat (quod tamen Principis liberalitatem non minuit) ſimiliter gratia ſemper integra erit, & perfecta quoad ſcelus, ac pœnam æternam: quamvis poſt ipſam Sacerdotis abſolutionem exigat a nobis Deus has ſatisfactiones infligens aliquam pœnam pro ſcelerum noſtrorum ſolutione, ut Deo jus præbeamus, ejuſque in nobis ulciſcamur injurias. Hoc requirebatur, mirum in modum S. Auguſtinus ait: *ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna.* Si enim pœna eumdem haberet finem cum culpa; peccator oblivisceretur ſtatim magnitudinis peccatorum ſuorum; & neceſſe erat, ut ille quem Dei Miſericordia liberavit a pœnis æternis per abſolutionem, conſervaret ſemper memoriam ſignorum ſenſibilium hujus gratiæ, per quam æterna ſupplicia in temporalia commutata ſunt, ut per praxim hujus ſatisfactionis in Confeſſione æſtimatæ repleat, quidquid illi ſupereſt ex obligationibus ſuis perſolvendum. *Idem.*

Tom. 9. Tract. 124. in Joann. c. 11.

Ejuſdem argumenti.

Quamvis ſatisfactiones pro peccato reſervari poſſent in vitam alteram, in Purgatorio perſolvendæ, quæ eorum ſententia eſt, qui ſentiunt ſe nullo pacto teneri ad acceptandas Pœnitentias in hac vita præſcriptas; & quamvis tanta eſſet Contritio, ut nihil expiandum relinqueret poſt ſe; certum eſt, ut Synodus Tridentina docet, non deeſſe ſemper quaſdam ſalutares pœnas, animarum noſtrarum curationi neceſſarias, quas Confeſſarii, qui ſunt Medici noſtri ſpirituales tenentur imponere, & quas nos acceptare tenemur; quia ſunt malorum noſtrorum remedia, & media ſaluti noſtræ neceſſaria, tunc vero potiſſimum cum nobis præſcriptæ ſunt ad fugiendas occaſiones, quæ trahunt in peccatum: tunc enim ſine appellatione, & ſine excuſatione acceptandæ ſunt, niſi velimus eſſe cauſſam mortis noſtræ; quippe nos urget inevitabilis neceſſitas fugiendi non ſolum peccata, ſed etiam vias, quæ nos in illa perducunt. *Ex eod.*

De Satisfactione ejuſque neceſſitate.

Sacerdos imponit Pœnitentiam peccatoribus peccata ſua confitentibus; neceſſe quippe eſt, ut Fideles ſatisfaciant Deo propter peccata, quæ poſt Baptiſmum patrarunt. Sed homo par non eſt per ſe, ut Deo ſatisfaciat; par eſt tamen ſatisfaciendo ſemet cum JESU CHRISTO conſocians, qui ſatisfecit pro nobis, & cujus ſatisfactio noſtris pretium communicat. Tamen quamvis JESUS CHRISTUS ſatisfecerit pro nobis, hoc minime vetat, quominus ſatisfactio noſtra utilis ſit, & neceſſaria. Ad obtinendam enim remiſſionem peccatorum noſtrorum, non ſufficit JESUM CHRISTUM pro nobis ſatisfeciſſe, requiritur etiam ut JESU CHRISTI ſatisfactio nobis applicetur. Sed illa in Pœnitentiæ Sacramento non applicatur nobis, niſi hoc ſuppoſito, ut ipſi Deo ſatisfaciamus pro peccatis noſtris, quantum licebit. Verum eſt penes Deum eſſe arbitrium parcendi nobis eo modo, quo vult; poteſt nobis peccata noſtra dimittere applicans nobis meritum ſatisfactionis JESU CHRISTI, quin ullam nobis relinquat ſatisfaciendi neceſſitatem; Ita facit, cum primum nobis in Sacramento Baptiſmi peccata dimittit. Sed æquum eſt, ut in Pœnitentiæ Sacramento, ipſe nobis non parcat, niſi nobis relinquens neceſſitatem noſmet in hac vita puniendi per ſatisfactiones noſtras conſociatas cum ſatisfactionibus Salvatoris: quia Pœnitentiæ Sacramentum non inſtitutum eſt niſi pro ingratis, qui perfregerunt fœdus ſancitum cum Deo in Baptiſmate. Æquum eſt, ut ingrati hujuſmodi puniantur, & conſequenter Deus illis non parcat, niſi ea conditione propoſita, ut aliquo ſtet illis ſumptu ac labore commutatio pœnæ æternæ, quam erant promeriti. *Ex Theologis.*

Exempla ex Bibliis deprompta ad probandum ſatisfactionis neceſſitatem.

Videmus in Bibliis exempla peccatorum dimiſſorum cum obligatione ſatisfaciendi Deo in hac vita; videmus etiam peccata non aliter dimiſſa fuiſſe ante JESUM CHRISTUM; quamvis tunc, non ſecus ac hodierna die peccata dimitterentur, niſi in gratiam meritorum ſatisfactionis JESU CHRISTI. Poſt exitum de Ægypto Iſraelitæ adoraverunt vitulum aureum in deſerto: ſæpe murmuraverunt contra Deum; Deus ad Moyſis preces dimiſit illis peccatum. Sed in pœnam eorum, quæ dimittebat illis, damnavit eos ad traducendos annos quadraginta in deſerto, & plures etiam, ne in Terram promiſſam ingrederentur. David comiſit adulterium, & homicidium; pœnituit eum, & Deus illi pepercit. Sed Propheta Nathan Dei nomine dixit illi futurum, ut in dimiſſi criminis pœnam perferret in familia ſua duriſſimas afflictiones, quibus conflictaretur: Superbiæ crimen quod deinceps Rex iſte commiſit, condonatum illi quoque fuit; ſed ſimul triduana peſte punitum. Hæc Bibliorum exempla probant quidem in peccatorum noſtrorum pœnam nobis perferendas eſſe ærumnas, quas Deus nobis immittit; ſed non deſunt alia plura, quæ probant, nobis quoque adjiciendas eſſe alias pœnitentias, & voluntarias ſatisfactiones. Exempli gratia, David ploravit tota vita ſua pa-

trata ſcelera, ad quæ expianda geſtavit cilicium, & ſingulis noctibus oraturus e cubili ſurrexit. Tamen Rex erat, & Deus illum certiorem fecerat, omnia ejus delicta ſibi jam dimiſſa fuiſſe. Ninivitarum exemplum huic celebritate non cedit. Jonas miſſus fuit in Ninive, ut Dei nomine profiteretur, urbem illam in flagitiorum ſuorum pœnam intra quadrageſimum diem eſſe delendam. Ninivitæ ſacco, & cilicio inducti cineribus adſperſi ſeveriſſimum indixere jejunium, precibuſque Deum fatigarunt, ut miſericordiam conſequerentur, eamque conſecuti ſunt. Probat igitur Deus, & præcipit voluntarias ſatisfactiones illis Ninivitarum ſimiles. Similia videri poſſunt exempla in perſona Regis Manaſſe, & in illis Judæorum Bethuliæ. Ex hujuſmodi exemplis liquet, per orationem, jejunium, eleemoſynas, aliaque opera ſatisfactoria, homines poſſe, ac debere mulcere iram Dei, illum ſibi conciliare, & expiare peccata ſua, quin metuant ſe contumeliam inferre ſatisfactioni JESU CHRISTI. Caput in innocuo corpore pro noxiis hominibus paſſum eſt; homines noxii pati debent ad exemplum capitis; & ſeſe paſſionibus ejus conſociare. *Ex Theologis.*

Quinam fit, & ſemper fuerit Spiritus Eccleſiæ in impoſitione pœnitentiarum.

Eccleſia imponebat olim peccatoribus ſeveriſſimas pœnas 1. Ut eos cogeret per hoc ad ſatisfaciendum Juſtitiæ divinæ. 2. Ut per hæc exempla contineret fideles, qui nondum in peccatum lapſi erant. 3. Ut majorem cieret peccati horrorem, ejuſque enormitatem oſtenderet. 4. Propter publicam ædificationem. 6. Ut per Sanctos hos rigores prohiberet, ne peccatores relaberentur. 6. Ut longa, moleſtaque probatione converſionis ſinceritatem exploraret. Sed Eccleſia, ut filiorum ſuorum infirmitati indulgeret, plurimum abſcidit de hac veteri conſuetudine, nec permitit amplius, ut imponantur pœnæ adeo prolixæ, & ſeveræ. Vetuſtus hic ſollemnium pœnitentiarum apparatus, & quidquid cum illo rationem habebat, hodierna die non vigent amplius. Attamen Eccleſia nondum omnino relaxata eſt in iis quæ pertinent ad Pœnitentias. Nam 1. Explicite præcipit, ut publica fiat pro publicis peccatis Pœnitentia; 2. Apertiſſimis, ac vehementiſſimis verbis imperat, ut Confeſſarii in pœnitentiarum impoſitione ſequantur ſpiritum Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum; accommodantes pro virili parte Pœnitentiam quam imponunt, magnitudini peccatorum, quæ Pœnitens confeſſus eſt. *Idem.*

Proportio quænam inter Pœnitentias, & peccata.

Si noſtras a ſatisfactionibus JESU CHRISTI ſecernimus, nulla unquam proportio invenitur inter Pœnitentias maximas, & peccata leviſſima. Sed JESU CHRISTI ſatisfactio, a qua omnem vim hauriunt noſtræ illi conjunctæ, efficit, ut aliqua inveniri poſſit proportio inter Pœnitentias noſtras, atque peccata. Quamobrem cum præcipit Eccleſia, ut aptetur pœnitentiarum impoſitio peccatis, intelligit imponendas eſſe pœnas magis, minuſque ſeveras, perinde ac peccata magis, minuſque ſunt gravia. Hinc SS. Patres olim reſpexerunt tamquam crudelitatis genus, & ſpeciem homicidii in Sacerdotibus non exigere ex peccatoribus parem illorum criminibus Pœnitentiam. Hoc ipſum hodie dicendum eſt, hic enim Spiritus Concilii Tridentini dicentis, Sacerdotem in hoc caſu non ſolvere peccatores, ſed ligare, & fieri peccati ipſorum conſortem. Unde ſequitur, ſecundum ipſum Concilium, pœnas eſſe imponendas, quæ ſint punitio æque ac peccati medicina. Sunt medicina, cum peccatorem a recidiva præſervant, eumque corrigunt. Exempli gratia cum moleſtæ ſunt, cum ſuperbiam frangunt, eamque habent diuturnitatem, & proportionem cum ſceleris enormitate. Propter hujuſmodi ſatisfactiones idem Concilium cum omnibus Eccleſiæ Patribus, Sacramentum Pœnitentiæ Baptiſmum moleſtum, ac laborioſum appellant. *Ex Theologis.*

De operibus ſatisfactoriis.

Opera per quæ poſſumus Deo ſatisfacere pro peccatis noſtris omnia redigi poſſunt ad orationem, jejunium & eleemoſynam ſecundum ea, quæ Raphael Angelus dixit Tobiæ. Quæ ad orationem rediguntur, ſunt 1. Oblatio, quæ fit Deo actionum omnium, & pœnarum, quas patimur ſive illæ corporeæ ſint, ſive ſpirituales, undecumque hæ pœnæ proficiſcantur. 2. Omnes precum ſpecies, ſeu vocales, ſive mentales, 3. Adiſtere publicis Eccleſiæ Miniſteriis, ac ſancto Sacrificio. 4. Sanctæ lecturæ &c. Opera ſatisfactoria, quæ rediguntur ad jejunium, ſunt omnes corporis mortificationes, cilicia, flagella, cubare ſuper terram, abſtinere etiam a licitis voluptatibus, & ſpiritus mortificationes cujuſmodi ſunt, abrenuntiare proprio judicio, alienæ ſe ſubjicere voluntati, perferre propter amorem Dei humiliationes, & confuſiones. Eleemoſynæ loco omnia intelliguntur opera miſericordiæ cum ſpiritualia, tum corporalia; de quibus ſatis locuti ſumus in Secundo Tomo noſtræ Bibliothecæ. Operæ tamen pretium eſt addere ex ſemet Pœnitentias illis, quæ ſunt impoſitis a Confeſſario, modo prudenter fiat. Sed prodeſt ipſum conſulere Confeſſarium, ne quid imprudentius agatur in Pœnitentiis, quas aliquis ſibi imponit ultro: Ex duabus enim pœnis ſimilibus, quarum altera impoſita eſt a Confeſſario, altera electa a Pœnitente; utilior, & magis meritoria illa eſt, quæ imponitur a Sacerdote, dummodo aliunde pares ſint diſpoſitiones in Pœnitente; quia hujuſmodi Pœnitentiæ partes ſunt Sacramenti; fiunt juſſu Eccleſiæ, & qui illas exercent, exercent actus humilitatis, & obedientiæ; unde ſequitur, has plures benedictiones, ac gratias promereri præ illis, quæ ſibi Pœnitens eligit, ceteris paribus. *Idem.*

De diſpoſitione quæ requirita, ut proſint ſatisfactiones.

Peccator qui Deo velit ſatisfacere nullam habere debet mortalis peccati affectionem, hoc eſt debet pœnitere ſe peccaviſſe, debet inire conſilium non amplius peccandi, ac debet ſe in ſtatum addicere recipiendi remiſſionem. Quamobrem Pœnitentia eorum, qui adhuc committunt peccata mortalia, qui eorum nullo dolore afficiuntur, & nunquam ſtatuunt ex corde abſtinere, qui nullos exerunt conatus, & nullas ad id preces effundunt, horum inquam inutilis eſt pœnitentia, & ſemper criminoſa eſt, quia non niſi fallax eſſe poteſt, & hypocrita. Hoc enim eſt 1. Illudere Deo; mendacem, & hypocritam eſſe, cum ab eo petitur venia peccati, quod amatur adhuc, & quod non relinquitur. 2. Omnis Pœnitentia debet inniti converſioni cordis, vel ſaltem initio converſionis, alioquin eſt falſa. Sed neque converſio, neque converſionis initium eſt in illis, qui amant peccata ſua, & adhuc ea committere volunt. Ita eorum Pœnitentiæ tantum abeſt, ut mulceant Dei iracundiam, ut illam magiſque irritent; quod facile per Scripturas probatur, quæ aſſerunt, munera impiorum Deo accepta non eſſe; hunc repellere, & pati non poſſe eorum ſacrificia; jejunantem in peccato, & in illud ſemper relabentem, nullum ex humiliatione ſua fructum percipere; & orationem ejus exauditum non iri. *Ex Theologis.*

DE

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DIGNITAS SACERDOTII

Et quid Eccleſia hoc in Argumento Miniſtris, Laicíſque præſcribat.

MONITUM.

QUAMQUAM Ceremoniæ, quas Eccleſia ſervat in Ordinis Sacramento, duntaxat pertinere videantur ad Miniſtros Domini, Sacerdotes, alioſque Eccleſiaſticos; nihilominus fideles Laici, & omnes paſſim Chriſtiani, pro quorum ſalute hoc Sacramentum inſtitutum eſt, invenient unde ſemet ſanctificent, & ſe beatos putent, eo quod ſunt membra Eccleſiæ adeo ſapienter inſtitutæ, quæ illis ſuppeditat tot auxilia, occaſiones, & adminicula exercendi virtutes præſtantiſſimas per reverentiam, quæ debetur Sacerdotibus, aliiſque Miniſtris, per ſubmiſſionem Eccleſiæ, per Paſtores nos regit, per Sacramenta nos alit, & fovet nos per verbum Dei, & tot alias utilitates, quas hoc Ordinis Sacramentum nobis procurat.

De hoc tamen Argumento generatim duntaxat verba faciemus, quin iis immoremur quæſtionibus, quæ haberi ſolent aptioribus Theologo, quam Concionatori, qui debet Auditores ſuos erudire, & quærere fructum, qui percipi poteſt ex Chriſtiano Sermone, cujuſcumque tandem ſit argumenti.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DIGNITAS SACERDOTII,

Et quidquid Eccleſia præſcribit Miniſtris ſuis, & Laicis hoc in Argumento.

Quid ſit Ordinis Sacramentum.

ORDO Sacramentum eſt, quod confert poteſtatem, & gratiam efficiendi publicas functiones, quæ referuntur ad cultum Dei, & ad animarum ſalutem. Dico, Ordinem eſſe Sacramentum, quia ſignum eſt ſenſibile conferens gratiam. Manuum impoſitio, & Epiſcopi Oratio; hoc eſt ſignum ſenſibile. Poteſtas, & gratia ſacras functiones exercendi; ex. gr. offerendi ſacrum Miſſæ Sacrificium, remittendi peccata, prædicandi, aliaſque miniſterii functiones obeundi; hæc eſt gratia, quam ſignum hoc operatur. Scimus hoc ſignum ſenſibile operari hos ſpirituales effectus, idque nos Scriptura docet, & Traditio. Meminit Scriptura impoſitionis manuum Apoſtolorum propter Sacerdotium, & Diaconatum; & gratiæ inhærentis huic manuum impoſitioni, cum oratione conjunctæ. Omnium vero ſæculorum Traditio nos docet, Eccleſiam innixam auctoritati Scripturarum ſemper reſpexiſſe impoſitionem manuum conjunctam cum oratione Epiſcoporum ſuper Miniſtris Domini, tamquam cæremoniam, qua gratia confertur. Epiſcopis tantum ineſt poteſtas Sacramentum hoc conferendi; quod probatur tum per Scripturam, quæ ſolis Apoſtolis, atque Epiſcopis eorum Succeſſoribus tribuit poteſtatem imponendi manus; cum per Traditionem: Semper enim Eccleſia cenſuit Epiſcopos eſſe ſolos, qui hanc receperint poteſtatem, & ſemper eos damnavit, qui illam ſimplicibus etiam Sacerdotibus tribuere voluerunt. *Auctor recens.*

Virtus, & effectus Sacramenti Ordinis.

Ordinis Sacramentum confert poteſtatem exercendi functiones cuique Ordini hærentes, tribuit gratiam illas cum benedictione exercendi, ac tandem indelebilem imprimit characterem, quo fit, ut bis hoc recipi nequeat Sacramentum. Ordines vulgo ſeptem eſſe dicuntur, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium, Quatuor primi vocantur Minores; tres noviſſimi Majores, vel Sacri. Nil vetat, quominus Epiſcopatus, ſi velis, octavus dicatur Ordo; quoniam Epiſcopi Sacerdotibus præſtant charactere, ſpirituali auctoritate, atque muneribus ſuis; non ſecus ac Sacerdotes præſtant Diaconis, & Diaconi miniſtris inferioribus. De fide eſt Epiſcopos Sacerdotibus eſſe Superiores: Quarto enim Eccleſiæ ſæculo *Aerius* habitus fuit tamquam hæreticus; hanc enim veritatem negabat. S. Epiphanius, & Auguſtinus hanc recenſent hæreſim inter eas, quas hic tradit Hæreſiarca. Tamen Tonſura non eſt Ordo, ſed præparatio quædam, & diſpoſitio ad Ordines, qui ſimul omnes unum ſunt Ordinis Sacramentum, cujus aliquis majori, minorive in copia ſit particeps, prout Ordo collatus major, vel minor eſt. *Ex Theologis.*

Altaris Sacrificium inſpirare debet Fidelibus reverentiam erga Sacerdotes.

JESUS CHRISTUS ab æterno Sacerdos conſtitutus ſecundum Ordinem Melchiſedech inſtituit incruentum Euchariſtiæ Sacrificium in Cœna noviſſima, in qua obtulit Deo Patri Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini. Sacrificium hoc, quod repræſentat quotidie illud Crucis, eſt propitiatorium pro Vivis, atque Defunctis, Offertur uni Deo, aliquando in honorem, & memoriam Sanctorum. Nihil eſt in Canone Miſſæ, quod purum non ſit, & pietatem non redoleat: præterea cæremoniæ cum quibus celebratur, Sanctiſſimæ ſunt; Miſſæ, in quibus Sacerdos ſolus Sacramentaliter communicat, ſemper communes ſunt; quandoquidem celebrantur per publicum Eccleſiæ Miniſtrum, non ſolum pro ſe, verum etiam pro omnibus fidelibus, qui ſunt membra Corporis JESU CHRISTI. Mixtio aquæ cum vino, quæ fit in Calice, ſanctiſſime inſtituta fuit ab Eccleſia ad repræſentandum aquam, & ſanguinem, qui fluxit ex Sacro JESU CHRISTI latere. Non expedit Miſſam lingua vernacula celebrari, ſed opus eſt, ut Paſtores, & qui curam gerunt animarum explicent vel per ſe, vel per alios inter ipſam Miſſæ celebrationem aliquid ex illis, quæ in illa leguntur, & aliquod ex Myſteriis Sanctiſſimi hujus Sacrificii, præſertim vero diebus feſtis, atque Dominicis. *Ex Concilii Tridentini Catechiſmo.*

Concilii Tridentini definitio de Sacramento Ordinis Sacerdotibus utilis.

Tridentina Synodus ſtatuit quid de Ordinis Sacramento credendum ſit in articulis quatuor, in quibus declaratur, JESUM CHRISTUM dediſſe Apoſtolis, eorumquem Succeſſoribus in Sacerdotio, poteſtatem conſecrandi, & offerendi Euchariſtiæ Sacrificium, remittendi, retinendique peccata: Semper in Eccleſia ſeptem Ordines extitiſſe, majores alii, alique minores: Cum per Scripturam, ac Traditionem Apoſtolicam dubitare non liceat, quominus Ordo collatus conferat gratiam; deinde dubitari non poſſe, utrum ſit Sacramentum: Cum hoc Sacramentum, æque ac Baptiſmus, & Confirmatio, imprimant characterem, qui deleri non poteſt; citra errorem affirmari non poſſe, eos qui ſemel legitime initiati Sacris ſunt, laicos fieri poſſe, ſi ceſſent exercere miniſterium verbi Dei: Chriſtianos omnes non eſſe Sacerdotes, ſed illos tantum, qui ab Epiſcopis ordinati ſunt, tamquam veris Succeſſoribus Apoſtolorum, & Superioribus Sacerdotum, qui non habent, ut illi poteſtatem conferendi Confirmationem, & Ordines, Populi conſenſum, & Sæcularium Poteſtatum non requiri propter Ordinationem; immo e contra eos, qui præſumunt Eccleſiaſtica exercere miniſteria ex ſola Sæcularium voluntate, non recepta gratia ordinationis, fures eſſe, & latrones. *Ex Catechiſmo Tridentini Concilii.*

Privilegia a Deo Sacerdotibus conceſſa.

Quemadmodum in veteri lege jubebat Deus, Sacerdotes penitus devotos eſſe cultui Tabernaculi ſui, jubet etiam in Nova illos Altarium ſervitio applicari, ſecum arcte conjunctos, & uoice pietatis operibus addictos. Illi Deo conſecrati ſunt per Ordinis Sacramentum quod receperunt; ad Deum igitur pertinent per æternam devotionem ſuam; & per hoc fieri debent homines Dei, quo nomine S. Paulus appellat Timotheum diſcipulum ſuum: ita ut ſicut Deus eſſe voluit eorum pars, & hæreditas in lege veteri, ita illis in nova meliorem partem reſervatam velit; quoniam ipſe illorum ſit theſaurus atque poſſeſſio, ideoque eſſe debet objectum curarum, atque votorum ſuorum; & Deus non permittit ſolum, ut propius accedant ad ſe per miniſterium ipſorum, vult etiam illos ſibi conjunctos eſſe per Sanctitatem, per ardentem Caritatem, per inſeparabilem in omnibus rebus adhæſionem. Hi ſunt populorum mediatores apud Deum; oportet ergo illi gratiores eſſe præ ceteris, qui nonniſi per illos accedunt ad eum. Deſtinati ſunt ut offerant victimam ſine macula, & S. Sacrificium; conſequenter Sacrificium hoc comitari debet cum cordis ſui Sacrificio; alioquin ſibi conflabant illud probrum, quod olim Tertullianus idolorum Sacerdotibus ingerebat, quia diligentius victimarum exta Diis ſuis immolatarum ſcrutabantur, quam cor, & puritatem offerentium illa. Conſtat enim pro Miniſterio adeo Sancto, Deum ſemper popoſciſſe prorſus ſingularem Sanctitatem in illis, a quibus erat exercendum: *Ideo Sancti erunt Deo ſuo*, inquit Scriptura de Sacerdotibus loquens. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Levit. 21.

Sanctitas, quam exigit Deus a Sacerdotibus.

Per hanc Sanctitatem intelligere debemus unionem, quam ſecum habere vult Sacerdotes, & miniſtros altarium ſuorum. Si enim qui tantum ferebant in lege Moyſis vaſa Domini, Sancti eſſe debebant; *Mundamini qui fertis vaſa Domini*; Quam puritatem, & Sanctitatem habere debent, qui deſtinati ſunt offerendo, immolando, & poſtmodum recipiendo in ſe Corpus, & Sanguinem Hominis Dei, cujus Miniſtri ſunt? Hoc nonnunquam cogit Sanctiſſimos viros, ut præ reverentia detrectent miniſterium, & dignitatem, quæ poſtulat Sanctitatem, parem Sanctitati victimæ, quam immolant, & ſummi Sacerdotis, cujus Miniſtri ſunt, & cum S. Petro dicant in alia occaſione; *Recede a me, quia homo peccator ſum.* Non loquor hoc in loco, de ſtatu, in quo eſſe debemus ad Sancta accedentes Myſteria, ſed de ea diſpoſitione, cum qua Sacerdotium ingredi opus eſt, de virtute, & captu, qui requiritur, ne dedecus inferamus characteri, & dignitati; ut illi, qui olim præbuerunt locum Prophetæ illos exprobrandi: *Sacerdotes polluerunt Sanctum ejus.* Sacerdotes ipſi polluunt quidquid Sanctiſſimum eſt in Myſteriis noſtris; & Deus nunquam magis, niſi a Miniſtris ſuis dedecoratur. *Sacerdotes polluerunt Sanctum ejus. Idem.*

Luca 5.

Ordines Majores ſunt divinæ inſtitutionis: Minores autem Eccleſiaſticæ.

Epiſcopatus, Sacerdotium, & Diaconatus ſunt divinæ Inſtitutionis; alii vero Eccleſiaſticæ. Sacerdotii, & Diaconatus inſtitutio occurrit in ſcripturis. Subdiaconatus, aliorumque inferiorum ordinum mentio fit primis Eccleſiæ temporibus. Plures Theologi non reſpiciunt plures ordines, & Subdiaconatum tamquam Sacramenta; & plures crediderunt Diaconatum non eſſe Sacramentum; ſed illorum ſententia paucos habet ſectatores, & rejicienda eſt propter auctoritates Scripturæ, ac Traditionis, quæ probant Diaconos in ordinatione ſua recepiſſe Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum Epiſcopi; quapropter Diaconatus eſt verum Sacramentum, quia portio eſt Sacerdotii a JESU CHRISTO inſtituti. Cum dicimus Diaconatum ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum, non aliud innuimus, niſi Fideles ab Apoſtolis delectos fuiſſe, quibus hanc tantum Sacerdotii partem communicaverunt; & ideo Theologi plures, iique celebres reſpiciunt ceteros ordines tamquam conſtituentes partem Sacramenti Ordinis, quia reſpiciunt hos omnes ordines, quamvis ab Eccleſia inſtitutos, tamquam portionem Diaconatus, qui portio eſt Sacerdotii inſtituti a JESU CHRISTO; videlicet, verbo, omnes conſentiunt, & eſt de fide, unum eſſe proprie loquendo Ordinis Sacramentum, quod eſt Sacerdotium. Sacerdotes hoc per ordinationem recipiunt, & Epiſcopi illius habent plenitudinem. Primi Diaconi ab Apoſtolis ordinati fuerunt in auxilium Epiſcoporum, & Sacerdotum, & receperunt portionem, vel emanationem quamdam characteris illorum. Inferiores Miniſtri fuerunt inſtituti in Diaconorum ſubſidium, iiſque communicata fuit pars poteſtatis Diaconorum. Sed hæc omnia munera collecta inveniuntur in Sacerdotio, cujus non ſunt, niſi quædam emanatio. *Ex Theologis.*

Irregularitates quæ nos impares faciunt Ordinibus recipiendis.

Ad Sacros Ordines recipiendos, omni prorſus irregularitate carere debemus; ſed e contra omnibus eſſe præditos qualitatibus, quæ ad obeunda Eccleſiaſtica miniſteria requiruntur; & a Deo vocatos eſſe oportet, ad hæc officia: ſed irregularitates ſunt defectus, qui ineptos efficiunt recipiendæ Tonſuræ, vel Sacris Ordinibus, eorumque muneribus obeundis. Irregularitas etiam præſtat, ne ulla poſſidere valeamus beneficia, quorum ſi quod haberetur, jam vacaret, & eſſet impetrabile. Hic effectus eſt inhabilitatis ad Eccleſiaſtica miniſteria. Duo ſunt irregularitatum genera: Primo, alia ex defectu profecta. Secundo, alia ex delicto; ex quibus octo cenſentur quæ quempiam irregularem efficiunt; videlicet defectus mentis, defectus corporis; natalium, ætatis, libertatis, Sacramenti, lenitatis, & famæ. *Ex iiſdem.*

Explicatio cæremoniarum, quæ adhibentur in Ordinis Sacramento.

Epiſcopus poſt quæſitam ordinandorum ſententiam, illam populi etiam requirit, ut eos videlicet ordinet ſolum, quorum bona vita, & exiſtimatio recte ſtatuta eſt, & ut doceat populum, quanti referat bonos habere ductores. Recitantur litaniæ Sanctorum, antequam ordinentur Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, & Epiſcopi, ut Eccleſia Cæleſtis cum terreſtri ſeſe conſociet ad obtinendam a Deo copiam gratiarum ſuper eos, qui ſunt Ordinandi. Epiſcopus, qui Ordines adminiſtrat, efficit, ut illi, quos ordinat, tamquam inſtrumenta Eccleſiaſticis functionibus inſervientia, ut illis conferat poteſtatem exercendi hæc munera; & eos collocet, ut ita dicam, in poſſeſſione exercitii Ordinis ſui. Imponit etiam illis ſacras veſtes Ordini convenientes, ut per hanc cæremoniam declaret, ipſis fieri poteſtatem eas deferendi, ſimulque oſtendat virtutem, quæ illis per ſingulas earum repræſentatur. Unctio, quæ fit ab Epiſcopo manuum Sacerdotis, ſecundum Scripturas in cæremonia Ordinationis, repræſentat gratiam Spiritus ſancti, quæ nobis ſignificatur nomine unctionis interioris Spiritus ſancti. Hinc JESUS qui habebat plenitudinem Spiritus ſancti dicitur CHRISTUS, videlicet unctus. Quidquid Sacerdotes conſecrant, & benedicunt, benedici, & conſecrari non poteſt niſi per gratiam Spiritus ſancti, quæ comitatur miniſterium eorum, & quæ illi inhæret. Hoc poſito, dico, Epiſcopum conſecrare manus Sacerdotum cum oleo Sancto, ad Deum deprecandum, ut illas implere dignetur unctione Spiritus ſancti, eaſque benedicere, & conſecrare quidquid Sacerdotum manus benedixerint, & conſecraverint. Hoc reliquum eſt ex veteri diſciplina; etenim olim cum Epiſcopus Miſſam celebrabat, omnes qui aderant Sacerdotes, celebrabant cum illo ad innuendam unionem, quæ intercedit maxima inter Sacerdotes, & Epiſcopum, & ad oſtendendum Miſſam eſſe Sacrificium eorum, qui adſtant æque ac illud Sacerdotis. Poſt Communionem Sacerdotes novi recitant Symbolum Apoſtolorum, ut ſollemnem faciant profeſſionem fidei: quam annunciare debent populo Dei, & Eccleſiæ nomine: Poſt ordinationem vero reverentiam, & obedientiam promittunt Epiſcopo; eaque ſollemnis eſt promiſſio, propter quam tenentur Sacerdotes ſe Epiſcopo ſubjicere; eidem cum ſimplicitate obtemperare, & in rebus omnibus, quæ ad Eccleſiaſticum miniſterium referuntur obſequi. Quapropter qui aſſiſtunt cæremoniæ Ordinationis, ſeſe conjungere debent cum Epiſcopo Ordinante, & cum illo enixe orare Deum pro illis, qui ordinati ſunt, gratias, & virtutes, quas illis Epiſcopus petit. *Ex Theologis.*

Diſpoſitiones neceſſariæ ad Ordines recipiendos.

Ad Sanctos Ordines recipiendos requiruntur diſpoſitiones, & qualitates his Sanctis functionibus propriæ; hæ ſunt diſpoſitiones Eccleſiaſtico ſtatui neceſſariæ; videlicet abalienatio a mundo, integritas, caritas, zelus gloriæ Dei, & ſalutis proximi, ſcientia, talenta ad ſerviendum Eccleſiæ, fortitudo, & firmitas, prudentia, patientia in adverſitatibus, caſtitas, labor, ac ſtudium, ſpiritus receſſus, voluptatum, omniſque curioſitatis fuga, humilitas, & docilitas, amor orationis. Præterea opus eſt vocatos eſſe a Deo, & hæc vocatio innititur auctoritati Scripturæ Sanctæ, ac Traditionis, Prophetarum, JESU CHRISTI, Apoſtolorum, ac Sanctorum Epiſcoporum, Sacerdotum, vel aliorum Eccleſiaſticorum exemplo. Qui non ſunt a Deo ad ſtatum Eccleſiaſticum vocati, ſunt irregulares, non habentes ſaltem in gradu aliquo diſpoſitiones huic ſtatui neceſſarias. Qui hac in re conſulunt duntaxat parentum ſuorum voluntatem: qui ſtatum Eccleſiaſticum amplectuntur, ducti ambitione, avaritia, libidine; qui nullum non movent lapidem, ut Ordines, vel tonſuram obtineant ambitu, explicitiſque ſollicitationibus; qui repente a nefario vivendi genere ad ſtatum Eccleſiaſticum transferri feſtinant. *Ex Theologis Caſuiſtis.*

Quinam vocati ſint a Deo ad ſtatum Eccleſiaſticum.

Qui vero habendi ſunt tamquam a Deo vocati ad ſtatum Eccleſiaſticum, & ad Sanctos Ordines, illi ſunt, qui habentes omnes qualitates requiſitas, nequaquam ſoli ſeipſos determinant ad ſtatum hunc amplectendum, ſed expectant vocationem Epiſcopi, vel eorum, qui ab Epiſcopo huic provinciæ præpoſiti fuerunt, vel ſaltem qui nihil aggrediuntur niſi ex conſilio certi ducis, callentis Eccleſiæ regulas, conſultiſſimi in viis Domini, zeloque pleni. Non deeſt enim nobis locus diffidendi de noſtra vocatione, cum non aliud habet principium, niſi electionem, & feſtinationem noſtram, quantumvis recta videatur intentio noſtra; Sanctus enim Paulus ait, nullum debere ſibi vendicare honorem Sacerdotii; ſed opus eſſe, ut tamquam Aaron vocetur. Ita JESUS CHRISTUS non ingreſſus eſt per ſe in gloriam, ut Pontifex fieret, ſed illam recepit a Patre. *Idem.*

San-

Abuſus eorum, qui ad hoc anhelant Sacramentum.

Sancte Genitores cupiunt, filios ſuos ad Eccleſiaſticum ſtatum vocari, eoſque in hunc finem alere, dummodo ea evitentur vitia, quæ in hac re paſſim quotidie committuntur. Sæpe enim vim inferunt propenſioni filiorum; Eccleſiæ deſtinant eos, qui non ſatis pollent ingenio, ac naturæ bonis minus præditi ſunt. Ambitionis, aut avaritiæ conſiliis aguntur; id unum quærunt, ut vel minus graves ſint familiæ ſuæ, vel ut ad illos tranſmittant beneficia, & hæreditario veluti jure in illis perennent. Confugiunt ad diſpenſationes ſine ulla neceſſitate, vel Eccleſiæ utilitate; Utuntur apud Epiſcopos, vel ſæculares poteſtates omnibus artibus, atque ſollicitationibus, ut illos impellant ad infringendas Eccleſiæ leges, ad negligendos Eccleſiæ Canones, vel aliquid de exacta eorum obſervantia remittendum. *Idem.*

Dei ſupplicia incidunt in eos, qui temere ſumunt Sanctos Ordines per ambitionem aut avaritiam.

Deus, ut plurimum, non benedicit illis, qui in Eccleſiaſticum ſtatum per avaritiam, atque ambitionem obrepſerunt; & hi paſſim fiunt familiæ ſuæ dedecus, & Eccleſiæ ſcandalum. Effundit nonnunquam Deus maledictionem in familias propter hæc delicta, & propterea permittit excidium domorum, quæ optime inſtitutæ videbantur. Reſervat ſibi in alteram vitam pœnas repoſcere, ut illa ſeveriſſime puniat. Occurrunt in Scripturis exempla divinæ animadverſionis, in Sacerdotii, & miniſterii legis antiquæ uſurpatores; & hæc exempla figura ſunt, quam applicare debemus Sacerdotio, & miniſterio legis novæ, & quæ terrorem debet incutere in parentes, qui Dei injuſſu filios ſuos promovent ad ea omnia, quæ ſanctiſſima ſunt, atque ſacerrima. Core, Datan, & Abiron ſibi vendicare conati ſunt antiquæ legis miniſterium: terra aperta eſt, eoſque omnes adhuc viventes cum eorum familia deglutivit. Rex Oſias lepra percuſſus fuit, quia auſus eſt manum ad thuribulum extendere. *Idem.*

Explicatio præcipuarum cæremoniarum ordinationis.

In pluribus Diœceſibus de ſuggeſtu evulgatur futura Subdiaconorum, Diaconorum, & Sacerdotum ordinatio. Primo, ut liqueat; utrum in eorum vita aliquid ſit reprehendendum, & illi a Sanctis ordinibus ſint prohibendi. S. Paulus requirit, ut qui ad ordines promovendi ſunt, vitæ ſint irreprehenſibilis, & ipſi etiam infideles bonum de eorum probitate perhibeant teſtimonium. Bona hæc exiſtimatio neceſſaria eſt, ut miniſtri Domini ſint utiles populo. Secundo, ut invitent populos ad orandum pro illis qui ordinandi ſunt, & pro Epiſcopo, qui illos eſt ordinaturus. Agitur ſalus populorum, quæ plerumque pendet a Sacerdotibus bonis. Sed antequam initium fiat ordinationis Diaconorum, vel Sacerdotum Archidiaconus dicit Epiſcopo: Eccleſiam ab eo poſcere horum virorum ordinationem, ut innoteſcat, eos qui ordinandi ſunt, nequaquam ultro, & per ſe, offerri ordinationi; quod ingens malum eſſet, ſed offerri ab Eccleſia, quæ illorum indiget miniſterio, & quæ illorum flagitat ordinationem. Epiſcopus vero ab Archidiacono ſciſcitatur utrum ſciat eos dignos eſſe, qui ad ordines promoveantur? namque olim Archidiaconis cura demandabatur ſuper omnes inferiores miniſtros, & ad hanc quoque diem ubi locorum, ubi vigent Archidiaconorum functiones, invigilare tenentur Clero, & Epiſcopo rationem reddere. Hac de cauſſa obeunt viſitationes Parœciarum. *Ex iiſdem.*

Poteſtas, quam Sacerdotes receperunt celebrandi divina Myſteria.

S. Chryſoſtomus re adhuc integra loquitur de poteſtate, quam Sacerdotes receperunt celebrandi divina Myſteria, & conſecrandi Corpus JESU CHRISTI. Cum vides, Sanctus hic Pater inquit, filium Dei immolatum in Altari, Sacerdotem offerentem ſacrificium, & orantem: populum univerſum rubentem pretioſo Salvatoris Sanguine; putaſne te adhuc in terris, atque inter homines, verſari? nonne arbitraris te hoc momento uſque in Cælum transferri? O miraculum! O Dei bonitatem! Qui ſedet in Cælis cum Patre, ab hominibus moveri ſinit? Fingite vobis Eliam infinita multitudine populi ſtipatum; univerſum terrarum orbem in ſilentio; Prophetam orantem; flammam repente in actu oculi in ſacrificium deſcendentem. Hæc omnia profecto miraculorum plena ſunt; ſed quod agitur in Sanctis Myſteriis longe mirabilius eſt. Sacerdos efficit, ut de Cælo non ignis quidem, ſed Spiritus ſanctus deſcendat. Fuſiores preces inſtituit, non quidem, ut flamma Cæleſtis abſumat ea, quæ pro ſacrificio præparata ſunt; ſed ut gratia per idem ſacrificium accendat eorum corda, qui adſunt, eaque efficiat puriora argento, quod per ignem probatum fuit. *Lambert.*

Cur trepidaverunt Sancti ad Altarium miniſterium evecti.

Character hic adeo ſublimis eſt, ut Sancti omnes, qui juſtiſſimam illius habuerunt ideam, trepidaverint, cum ſublati fuerunt ad ſacrum Altaris miniſterium, cogitantes enim quomodo gradus ad quem evehebantur, erat meritis ſuis longiſſime præſtantior, cenſebant ſe indignos tanto honore. Totis artubus contremiſcebant, quia ſentientes pondus ſarcinæ, qua gravabantur, metuendi locum habebant, ne vires ſuæ ſuperarentur, & ne ſatis fideliter muneribus ſuis perfungerentur. *Idem.*

Deum tentare eſt, non vocatum ad ſacros Ordines obrepere.

Tentare Deum eſt, non vocatos ad ſacros Ordines adrepere, ſperantes futurum, ut Deus rectificet ingreſſum noſtrum, & nobis largiatur gratias neceſſarias ad obeundum miniſterium, cui noſmet temere impliciti ſumus. Conſueta enim via obtinendi gratias neceſſarias ad hæc munera adeo ſublimia, eſt illuc ingredi per januam ſanctæ vocationis; & ſi Deus patitur hoc vitium in aliquibus, efficiens, ut iterum ingrediantur in miniſterium, quod ſibi vendicarunt, hæc non vulgaris eſt gratia, quam nemo ſibi promittere poteſt ſine temeritate, ac Dei tentatione. *Tractatus de modis tentandi Deum.*

De vocatione ad ſtatum Eccleſiaſticum.

Paſtores ingrediuntur per JESUM CHRISTUM cum non ſe attollunt ex ſe ad Eccleſiaſticas dignitates; cum ingrediuntur ſecundum regulas, ex ordine, propter gloriam vocantis, & utilitatem gregis ſibi commiſſi. Si ultro ingrediuntur, fures ſunt. Verba hæc nunquam ſatis expenduntur: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, fur eſt, & latro.* (*Joann. 10. 1.*) Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant. Fuerunt Principes populi mei, & ego neſciebam; videlicet me inſcio, & inconſulto ovium mearum curam acceperunt; Nequaquam illos conſtitui in eo loco, in quo ſunt, & aliquando illis dicam: recedite operarii iniquitatis, neſcio vos. Hi fures ſunt, qui eam ſibi vindicant auctoritatem, quæ ad illos non pertinet, & qui exercent miniſterium, ad quod Deus illos, qui ſibi placuerint, vult evocare. Furti veniam non meretur, niſi qui reſtituit, aut ſincerum habet voluntatem reſtituendi id, quod furatus eſt. Qui ſe ipſum, & non vocatus, introduxit in Sacerdotium, Beneficium, vel Eccleſiaſticam dignitatem, ſperare ne poteſt ſe aliter habitum iri a Deo, niſi eo modo, quo fur, niſi reddiderit quod uſurpavit, vel ſaltem præſto ſit ad reddendum, & niſi Deum conſuluerit ſciturus, quid ſibi faciendum ſit cum voluntate ſincera egrediendi ex eo ſtatu, in quem injuſtus ingreſſus eſt, niſi Deus ipſe præcipiat, ut in eodem permaneat. Diſpoſitio hæc adeo rata eſt, ut hinc conjicere liceat, quantum ſit periculum ex ſemet in ovile ingredi; nam ubi hoc ſcelus patratum eſt, quod eſt adeo commune, nunquam fere fit, quod illud expiare ſufficiat. *Auctor recens.*

Quænam eſſe debeat Sacerdotum ſanctitas.

Quænam eſſe debet fides, quæ morum integritas, quam eminens ſanctitas miniſtrorum Altiſſimi? Horum viſibilium mediatorum inter Deum, & homines? Horum Sacerdotum Dei viventis, quorum dignitatem terrenæ Poteſtates venerantur, quorum ſacrum characterem Angeli ipſi reverentur? Illi ne poſſunt ad haſce Aras accedere, quin ſancta formidine corripiantur? Poſſunt ne præ manibus viventem hoſtiam tenere, quin admirabiles præſentiæ ſuæ experiantur effectus? Moyſes non egreditur de colloquio quod habuit in monte cum Deo, niſi luminis radios emittens e facie. Sacerdos ab Altari diſcedere nunquid poteſt ſine recenti fervore, ſine devotione, ſine virtute præexcellente? Poteſtne ad Aras cum corde mundano accedere? Sed inde ne deſcendere poteſt cum fide, cum caritate languida? Sacer character formidabile eſt officium. Crimen eſt non eſſe tales, quales eſſe debemus. Quo ſublimior eſt locus, eo magis agnoſcuntur vitia; nihil diſpenſare poteſt Altarium miniſtros a ſublimi ea ſanctitate, quam eorum character requirit; pauca illorum crimina non afferunt ſcandalum, nullum eſt, quod non ſit contumelioſiſſimum Deo, qui eos ſibi miniſtros elegit, & qui eos per hanc electionem ſatis ab hominibus ceteris ſecrevit. *P. Croiſet in Anno Chriſtiano.*

Idem ſequitur argumentum.

Oportet Pontificem JESU CHRISTI eſſe ita irreprehenſibilem, S. Hieronymus inquit, ut infidelis, qui non timet blaſphemias evomere contra religionem, dicens, ipſam proponere nimis elevata myſteria, aut nimis arduas virtutes, nihil audeat exprobrare illam profitenti. Oportet, videntem Sacerdotis ſanctitatem, impelli ad colendam Dei ſanctitatem, exigentis, & ſibi adeo venerabiles facientis miniſtros, S. Ambroſius inquit. Oportet fidelem oculos conjicientem in Pontificem tamquam Prototypum ſuum ab eo diſcere eximiarum virtutum præcepta; quædam Synodus inquit. Oportet ſolum ejus adſpectum impiis, ac æquo liberioribus ſilentium imponere &c. *De la Cherardie in homiliis.*

Vita Sacerdotis eſſe debet operi exempli.

Ubi videmus Sacerdoti profundam deeſſe pietatem, nobiſmet perſuadere non poſſumus, ipſum credere magnitudinem myſteriorum, quæ operatur. Ubi videmus ipſum non habere virtutes in ſublimi gradu, arbitramur religionem, quam profitetur non conferre illi gratiam, & fortitudinem efficiendi homines meliores: Ubi illum videmus terrenis hujus mundi bonis inhærere, putamus vitæ alterius bona ipſum vel non ſperare, vel non credere. Nobiſmet perſuadere non poſſumus ſequi viam, quam dux adeo nequam oſtendit; rejicimus medicinam, quam medicus adeo parum ſcitus nobis propinat; contemnimus religionem a contemptibilibus miniſtris propoſitam, & credere negamus, eos, quibus deeſt erga homines caritas, poſſe homines ſalvos facere. Quid prodeſſe poteſt lucerna ſub modio poſita? Videlicet homo, qui eſſe debet lux mundi, ſepultus in amore bonorum, voluptatum, vel honorum mundi? *Idem.*

De bono exemplo quod Sacerdotes dare debent populo.

Si Populi nihil intereſſe diſcriminis vident inter ſe, ac Sacerdotes; ſi quin muneribus, officiiſque ſuis intentos videant, eos cernunt ſeſe demittere ad ea, quæ indigna ſunt profeſſione ſua in Principum domos ingredi, illorum œconomiam procurare, rerumque omnium regimen, ac procurationem dirigere; ſi quin animarum

curam

curam gerant, terrena tantum cogitant, ædificare, ſupellectilem inſtituere, fortunas ſibi comparare, lites intentare; vel ſi alea pernox, compotatio, & cujuſcumque generis ſocietas ei perplacet; ſi ſpectacula, ac mundana ſolatia depereunt; quam ſibi conciliare poſſunt apud homines reverentiam, inerti, mollique hoc vivendi genere, quod paſſim in chriſtianis vulgo reprehenditur? Ita, miniſtri Domini, ſi vultis characterem veſtrum coli, auferte opprobrium, quod
Pſalm. 118. vobiſmet conciliatis: *Aufer a me opprobrium, & contemptum*, petebat olim a Deo S. Rex Propheta: ſed vos Deum petite, quandoquidem vos vocavit in hunc ſtatum, & extulit ad hanc dignitatem, quæ tantam meretur reverentiam, petite gratiam evitandi vitia, & mala, quæ ſibi omnium contemptum conciliant, & cedunt in opprobrium ſtatus veſtri, veſtræque dignitatis. Cogitate eos, qui vix conſiderant vitia mortalium in mundo, perſpicaces, & oculatiſſimos eſſe, ut illa deprehendant in Sacerdotibus, & iis, qui divino cultui ſeſe mancipaverunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Minimæ noxæ in populo gravia ſunt in Sacerdotibus crimina.

Præterea animadvertite, cum Sacerdotes debeant aliis exemplo eſſe ex officio, quod inhæret illorum profeſſioni, & characteri, minima quævis vitia, quæ ceteris in hominibus ne conſiderarentur quidem, fieri peccata gravia in miniſtris Altarium, quemadmodum
Lib. 4. de conſid. S. Bernardus inquit: *Nugæ in ore ſæcularium nugæ ſunt, in ore Sacerdotum blaſphemiæ.* Quibus addi poſſet; omne vitium, & peccatum, in illis ſcandalum fieri; quoniam fugere non poteſt aliorum cognitionem, & mox pernicioſos gignere effectus, quamvis nonniſi præberent occaſionem, & anſam obtrectationibus, ac irriſionibus, quibus vulgo excipiuntur. Si enim aliqua erit narratio; aliqua apta ad riſus, jocoſque eliciendos hiſtoria, hoc fiet ſumptibus alicujus Eccleſiaſtici, vel perſonæ divini cultui dicatæ. Væ illis, qui ſub colore criminis alicujus putant ſe poſſe in ludibrium traducere, & in ſatyrarum ſuarum argumentum convertere! Sed væ illis etiam qui illis præbent occaſionem flagitiis ſuis, quæ ſcandalo ſunt propter locum quem tenent: quia ſuppeditant aliis prætextus, & cauſſas ad excuſanda vitia, & ſimilia patranda. Meminerimus tandem, ſicut impietas, & irreligio fere ſemper initium duxit ex contemptu in quo Altarium miniſtri habentur; ita eorum flagitia ſæpe effeciſſe religionem contemptibilem, & ſpecioſum præbuiſſe hæreticis locum accuſandi Eccleſiam corruptelæ; quæ una fuit ex cauſſis ſchiſmatis, & apoſtaſiæ ſæculi elapſi, quaſi Religio, quam ſequimur, hæc mala probaret; quæ eſt
Epiſt. ad Diac. Sabian. S. Hieronymi ſententia *Propter vitia Sacerdotum Sanctuarium non modo deſtituitur, ſed etiam deſtruitur*. *Ex Auctore Sermonum in omnia argumenta.*

Auctoritates Patrum de Sacramento Ordinis.

Origenes in Homil. 7. in Jerem. monet Sacerdotes, ne nimis in ſua dignitate præſumant, his verbis; Nos qui aliquo habemur in pretio, abiſque præſidemus in Clero, non ideo ſalvi erimus: plures enim pereunt Sacerdotes, cum interim Laici erunt beatiores: tunc ſalvi erimus, cum habebimus, & merebimur ordinem in Clero; non enim deſunt, qui ita vivunt, ut nullum recipiant fructum ordinis ſui, & nullum dignitati ſuæ afferant decus. S. Baſilius *lib. 2. de Baptiſmo c. 8.* ait; quamquam Propheta dicit, homines omnes vocatum iri Sacerdotes: non inde ſequi, omnes ſibi vendicare poſſe Sacerdotium, & gratiam, quæ illud ſubſequitur; quandoquidem hoc donum Dei eſt, quod nemo ex ſe ſibi vendicare valet. S. Gregorius Nazianzenus in Orat. 21. quæ eſt de laudibus S. Athanaſii, narrat quomodo Sanctus hic Patriarcha per omnes Eccleſiaſticos ordines ad Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopatum pervenerit. S. Ignatius in Epiſtola ad Smyrnenſes ait illis: ſequimini Præſules, perinde ac ſi hoc eſſet Apoſtolorum collegium, reveremini Diaconos tamquam divinis mandatis ſervientes. Et alibi; Omnia fiant, eo, quo decet, ordine. Laici ſubditi ſint Diaconis, Diaconi Sacerdotibus, Sacerdotes Epiſcopo, Epiſcopus JESU CHRISTO, quemadmodum, & JESUS CHRISTUS Patri. *Auctor recens.*

Sequuntur Sanctorum Patrum auctoritates de Sacramento Ordinis.

S. Gregorius Nyſſenus enarrans effectus verbi Divini, ait, hoc Sacerdotem effici auguſtum, & venerabilem, hunc per novam benedictionem a vulgo ſeparari; & licet quoad exteriorem pertinet partem nulla deprehendatur mutatio: nihilominus intrinſecus transformari per vim, & inviſibilem gratiam, qua fit Magiſter, Antiſtes, Doctor, & arcanorum myſteriorum adminiſtrator. S. Joannes Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, Sacerdotium in terris perficitur; ſed referendum eſt in ordinem rerum Cæleſtium, quandoquidem non mortalis homo, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis Poteſtas, ſed ipſe Spiritus ſanctus ordinem hunc inſtituit. Theodoretus in cap. 5. 1. ad Timotheum hæc exponens verba: ne leviter cuiquam manus imponas: ait, primum ad examen revocanda eſt vita ordinem recipientis, & mox invocandus ſuper illum Spiritus ſanctus. Juſtinianus *in Nov. Conſt. 137. cap. 1.* jubet Diaconos, Sacerdotes, Epiſcopos, alioſque omnes e Clero, examinari de fide, & inquiri de illorum vita, & moribus, antequam ad Ordines permoveantur; unde arguit, hos Ordines cautiſſime conferendos eſſe. *Idem.*

Quid excitare debeat in ſæcularibus reverentiam erga Sacerdotes.

Si tenemur ſæpe cogitare, cujus miniſtri ſint Eccleſiaſtici, ad noſmet excitandos, ut illis eam, quæ par eſt, præſtemus reverentiam, idque eo magis, quod plures non habent in ſe niſi glorioſam qualitatem ad Deum pertinendi, quæ honore ſit digna; ſæpe etiam illud animadvertere tenemur, quare miniſtri ſunt, & erga quem, vel pro quo. Sunt enim pro illis omnibus, qui per Baptiſmum incorporati ſunt JESU CHRISTO, & qui ſunt Eccleſiæ membra, & conſequenter pro nobis, qui hoc honore fruimur præ tot aliis, qui ſeparati ſunt. Quod ſi nonnunquam ſuum exercent miniſterium erga eos, qui ſunt extra Eccleſiam; hoc præter ordinem fit, vel per miſſionem peculiarem, cum per communem vocationem deſtinati ſint ad colendam Dei vineam; quo nomine fideles ab Apoſtolo vocantur: *Dei agricultura eſtis:* poſtquam ſe ipſum, Dei miniſtrum, & cooperatorem vocaverit: *Dei adjutores ſumus.* *Annus Chriſtianus Tom. 9.* 1. Cor. 3.

Sacerdos a terrenis rebus alienus eſſe debet.

Rerum terrenarum cura cum præcautionibus prudenter accipiendis licet, & fortaſſe laude etiam digna eſt in laico: in Sacerdote vero, in homine ſpecialiter devoto ſervitio Dei cura eſt ſemper periculoſa, & ſæpe noxia. Quare? quia terrenarum rerum cura: 1. Efficit, ut in terram inclinet ſpiritus, & cor, quod ſurſum in Cælum debet attolli. 2. Abſumit tempus in ſanctiores, utilioreſque curas traducendum. 3. Relaxat zelum propriæ perfectionis, & ſalutis alienæ. 4. Objicit ſaltem periculo amittendi confidentiam, & exiſtimationem piarum animarum; & ſuſpicionem ſubeundi eorum, quorum cura ipſis ſuit demandata. Hoc nos docuit JESUS CHRISTUS recuſans judicium ferre in fratrum duorum diſſidio. Domine, fac nos dociles huic præcepto: nobis immitte perfectam a terrenis rebus abalienationem: Portio noſtra tu es Domine; væ illis quibus tu ſolus non ſufficis. *Ex morali novi Teſtamenti P. in Neuville Tom. 4.*

De ambitione Eccleſiaſticorum, contra vocationem.

Cum ambitio malum ſit, quod quocumque pervadit, & æque ſæculares, & Eccleſiaſticos pertentat, opus fuit, ut Dei filius eos docuerit, Eccleſiæ ſuæ dignitates magis eſſe pertimeſcendas, quam optandas; & quamvis ſint ſanctæ, tamen eſſe periculo proximas. Ideo eas quæri vetat niſi ab iis, qui vocantur, ac prohibet diſcipulos ſuos ad illas contendere, niſi Pater aperte illis ſignificaverit, ſe illorum opera uti velle in tam ſublimi miniſterio. Miraculo vocavit Aaronem, effecitque, ut arida virga in manibus ejus floreſceret, ut omnes intelligerent, illum ab ipſo Altaris ſui miniſterio deſtinari. Animadvertit etiam in plures Sacerdotes, qui non vocati ad Altare ſeſe acceſſerant. Hinc fit, nemini unquam licuiſſe, ſponte ingredi in Eccleſiam, & ſemper oportuiſſe, ut Deus ſuam aperiret voluntatem, vel ſecretis inſpirationibus, vel perſpicuis indiciis, vel populorum ſuffragio. Quicumque aliter ſe geſſit, ambitionis, vel injuſtitiæ nomine notatus fuit, & quemcumque colorem aſſumere voluerit ſuæ temeritati, ab Eccleſia univerſa reprobatus fuit. Celeberrimus ille S. Pauli locus, qui blandiri videtur cupientibus Epiſcopatum, præclare a S. Gregorio explicatus fuit, ut alium alicere lucem ſit inutile. *Ex eod.*

Sanctitas, quam Deus exigit ex miniſtris Altaris.

Si Eccleſiæ miniſtri exiſtimarent vulgarem ſufficere ſanctitatem ad locum ſibi inter ſacrificulos vendicandum, ad errorem omnem illis auferendum ſatis eſſet illis dicere cum Sanctis Conciliis, ipſos falli; cum enim ſe divino cultui devoverint, & facti fuerint participes Myſteriorum ejus, non ſolum debent ſe ipſos ſecernere a populo per ſublimem dignitatem ſuam, verum etiam per ſimplicitatem converſationis ſuæ, vitæque integritatem. Omnia regularia eſſe debent in vita eorum, qui Altari deſtinati ſunt, vultus, & totius corporis habitus, eorum occupationes, converſationes; opus enim eſt, *ne qui aliis Ordine præſunt, vita etiam, & ſanctitate morum, & ſtudiorum inſtitutione præluceant.* Parum eſt homini ad Eccleſiæ gradus vocato, non evagari; opus eſt, ut ſit interior, ſecretus a mundo non velle ſolum, ſed morum gravitate, actionibus, cogitationibus, ſermonibus: omnia illum diſtinguere debent a ſæcularibus, & efficere, ut credatur Altarium Miniſter, antequam ſit. Diu gerat Ephod cum Samuele coram Heli, antequam adoleat thus, & offerat pro populo ſacrificia. Talis eſt ſpiritus, quem Eccleſiæ Patres quæſiverunt pro populo, & in hoc conſuluerunt non quidem ſervorem ſuum, ſed Dei oracula. In Exodo Moyſi dixit: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, curent ſeſe ſanctificare, ne ipſe deſerat illos:* & in eodem libro addit: *cum acceſſerint miniſtraturi coram Domino, puri erunt ab omni peccato, niſi velint morte puniri.* *Auctor recens.*

De vocatione ad Sacerdotium & ejus dignitate.

Si Deus tot exigebat expiationes legales pro ſacrificio, ubi hominum manu immolabatur tantum caro hircorum, atque taurorum; quam non exigit JESUS CHRISTUS puritatem pro auguſto hoc Sacrificio, cujus ipſe eſt ſimul, & Sacerdos, & victima? Secundo loco ſi tanta opus eſt præparatione, ut ad Altare accedat aliquis, ſatis intelligitur, quæ perfectio afferenda ſit ad Sacerdotium, quod nos introducit ad Altare, & jus

con-

conſert ingrediendi non ſemel quidem quotannis, ut Synagogæ Sacerdotibus, ſed quotidie in Sancta Sanctorum. Verum inquiunt, ſi male ad Sacerdotium vocati ſumus, ſperamus, reparaturos nos eſſe ordinationis irregularitatem vitæ ſanctimonia. En præter propter, quid Sanctis reſpondeant illis, qui emendaturos ſe putant defectum vocationis ſua in obeundis muneribus ſuis diligentia. Vi hanc dignitatem Eccleſiaſticam rapuiſtis; aut illam per ambitum eſtis aſſecuti. Adminiſtratio veſtra, dicitis, irreprehenſibilis eſt. Scio vos hoc dicere: ſed ratio qua ingreſſi eſtis in hunc locum, non eſt ſatis pura, & quandoquidem vera dicere oportet, metuendum eſt, ne vos fallat ſpes veſtra, vitam videlicet veſtram futuram eſſe vocatione ſanctiorem. Verum eſt, inſpecta bonitate Dei, qui aliquando in electorum ſuorum gratiam, a communi agendi ratione recedit, non omnino impoſſibile eſſe mutationem ita felicem videre; verum etiam fatemini, eo ordine inſpecto, quem pro miniſtrorum ſuorum ſanctificatione conſtituit, nihil eſſe fallacius, quam ex pravo principio bonum exitum exſpectare. *Difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ male inchoata ſunt principio. Auctor recens.*

S. Leo Epiſt. 1. in Canc. apud Gratianum.

Dei Filius habere non potuit titulum glorioſiorem, quam Sacerdotis.

Unus ex glorioſiſſimis titulis, quem tulerit Verbum Incarnatum ſuper terram, & ille qui jure ſuo eidem deberi videbatur, fuit qualitas Sacerdotis, cujus Sacerdotium ſecundum Regem Prophetam, æternum erat futurum. *Tu es Sacerdos in æternum.* Qualitas iſta non ſolum auguſta, & ſancta eſt; ſed complectitur etiam ceteras, quæ debent ſecernere hunc hominem Deum a ceteris hominibus; complectitur enim regnum ad quod evectum fuit per divinam filiationem; nam eadem unctio, qua conſtitutus fuit Sacerdos per antonomaſiam, conſtituit illum, eodem Propheta teſte, ſupremum omnium creaturarum regem; & mox Salvatoris, mediatoris, & redemptoris hominum tituli, ex S. Chryſoſtomi ſententia, fuerunt munera, & functiones inhærentes auguſto huic miniſterio, quo Pater ſuus illum dignatus fuerat: nam ad hoc, ut homines ſalvarentur, ut divinæ ſatisfieret juſtitiæ, ut mundus cum Deo in gratiam rediret, opus fuit victima, quæ par eſſet numini læſo; neque alia eſſe poterat, præter iſlum, neque alius dignus erat, qui illam offerret præter ipſum; quæ res conſtituit illum ſimul Sacerdotem, & victimam novæ legis. Quod vero myſteriis cumulatius, & noſtris animadverſionibus dignius videtur, illud eſt, quod regius addit Propheta, Sacerdotium videlicet illius æternum eſſe debere: cum enim omnia aboleverit legis antiquæ ſacrificia magno ſuimet ſacrificio, quod obtulit in Cruce, illud perennat adhuc in ſingula momenta in adorabili Altaris ſacrificio, quod continet omnem virtutem primi, neque minoris faciendum eſt. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ibidem.

Deus communicavit hominibus in ipſum hunc Sacerdotii titulum cum omnibus prærogativis, cum hoc tamen diſcrimine, ut cum eos vo… ſit Dei, & Deus hos titulos ſimul his hominibus generatim communicat.

Hic autem titulus adeo glorioſus, hæc qualitas adeo auguſta, hoc adeo divinum miniſterium, quemadmodum SS. Patres illud appellant, non ita inhæreret huic homini Deo, ut illum noluerit hominibus communicare, non ſecus ac plures alias prærogativas: ſed de hoc Sacerdotis titulo non idem ſentiendum eſt, ac de aliis qualitatibus, quas communicat omnibus hominibus generatim: etenim cum illos fecit Sacerdotii ſui participes, delegit perſonas, quas ad hoc miniſterium elegit per characterem, quem in hac vita nequeunt amittere, & quem non hominum injuſtitia, nec violentia illis valet auferre, quoniam ex natura ſua æternum eſt, & minime pendet, non ſecus ac aliæ dignitates terræ a confeſſione, & conſenſu hominum: ſed dignitas eſt, & poteſtas, cui nihil in hoc mundo comparabile invenitur; quoniam per illam conſtituti ſunt miniſtri Dei viventis, & diſpenſatores Myſteriorum; & gratiarum illius, ut aperiant, vel claudant aliis hominibus Cælum, qui illuc nonniſi per eos ingredi poſſunt. Hinc pendet, o Chriſtiani, ea, quæ illis debetur reverentia, ita ut, neque eorum vitia, neque infirmitates, quibus ſunt obnoxii, homines ceteros diſpenſare minime valeant, quominus illos revereantur. Ut igitur hoc luce meridiana clarius innoteſcat ſatis eſt cogitare quænam poteſtas characteri Sacerdotali adhæreſcat, quæ in duabus rebus conſiſtit, quæ exprimuntur in ipſis S. Pauli verbis; *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros CHRISTI, & diſpenſatores Myſteriorum Dei. Idem.*

Ad Cor. 4.

Magna poteſtas quam largitus eſt Deus Miniſtris ſuis.

Sacerdotes poteſtatem habent in Corpus naturale Filii Dei, quod producunt, & ſub ſpeciebus panis conſtituunt, ut loquitur S. Hieronymus: *Corpus CHRISTI ſacro ore conficiunt.* Hoc eſt magnum noſtræ Religionis Sacrificium, quod offerunt Deo quatenus Sacerdotes, & Miniſtri Domini; Poteſtatem admirabilem, ac prorſus divinam, quam mundi Salvator, qui Sacerdos eſt novæ legis per excellentiam, illis communicavit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Poteſtas altera, quam illis reliquit, eſt ſuper Corpus ſuum myſticum, Eccleſiam videlicet ſuam compoſitam ex omnibus fidelibus, poteſtas tanta, quæ non alia eſt quam poteſtas Dei ipſius, quandoquidem in eo ſita eſt, ut remittat peccata, & peccatores cum divina Majeſtate conciliet; poteſtas denique ita abſoluta, ut Deus ratas habeat gratias, quas illi concedunt, & ſententias, quas

Luc. 22.

ferunt, ſive ligent, ſive ſolvant peccatores ſubditos eorum poteſtati, cujuſcumque ordinis, & qualitatis. Hoc illud eſt, quod Apoſtolus vocat, eſſe *diſpenſatores Myſteriorum Dei. Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Duplici huic poteſtati innititur reverentia Sacerdotibus debita.

Hæc autem ingens poteſtas, quam Cælitus acceperunt, nonne ſatis ſtatuit reverentiam eorum characteri, ac dignitati debitam? Quandoquidem nihil horum in dubium vocari poteſt, quin in damnabilem ruamus hæreſim, quæ divellit Corpus myſticum filii Dei ipſius inter eos, qui volunt deſtruere Sacrificium proprii Corporis ſui, quod non magis eſt de Religionis eſſentia, quam poteſtas offerendi, & conficiendi hoc Sacrificium adhæreat characteri, & dignitati Sacerdotali. Ita cum honor, & reverentia conſequantur dignitatem, & poteſtatem, ad quam aliquis ſublatus eſt, quocumque hoc titulo accidat; opus ne eſt, ut in Chriſtianiſmo oſtententur hi duo tituli, & notæ duæ ampliſſimæ, ac præclariſſimæ dignitatis, & poteſtatis, ut teneantur Chriſtiani revereri, & colere Miniſtros Dei ſui, & diſpenſatores Myſteriorum, & favorum illius? Huc tamen tendit contemptus, in quo habentur, contemptus ſatis cognitus, & communis, ne putetis, non iſtic commentitios hoſtes impugnare, vel monſtra, quæ nobiſmet ipſis confingamus, ut eloquens Silvianus dicebat, cum hinc quidem cogitabat eminentem dignitatem, ad quam Deus Sacerdotes evexerat, inde vero modicam reverentiam, quam illis Ævi ſui Chriſtiani præſtabant. Unum illud corrigendum mihi videtur in locutione hujus eruditi viri, quod videlicet monſtra rara ſunt, frequentiſſimum vero peccatum eſt contemptus, aut defectus reverentiæ erga illos, quibus Dei filius ſe ſubjecit verbo eorum, ac voci adeo diligenter obediens. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quæcumque reverentia præſtetur Sacerdotibus eſt infra eorum dignitatem.

Cum Sacerdotum poteſtas ſit prorſus divina, ac ſupra naturam, humanamque potentiam poſita, attollit Miniſtros Domini ad eam dignitatem, cui nihil eſt ſimile, & cui nihil poteſt comparari: argumentamini ergo, cui debeatur reverentia, honor, & veneratio, nili adhibeatur tali dignitati, poteſtati, auctoritati. Poſſunt ne obſequia adeo profunda inveniri, quæ non ſint adeo ſublimi dignitati inferiora? *Idem.*

Profunda plurium Sanctorum virorum reverentia pro dignitate Sacerdotali.

Non miror amplius ſi celeberrimus ille S. Antonius, vir ille miraculorum, & ſolitariorum exemplar, ſeſe proſternebat coram Sacerdotibus, cum occurrebat illis benedictionem petiturus; ſi magnus atque Seraphicus S. Franciſcus præ reverentia manus eorum deoſculabatur, & nonnunquam terram ipſam ſuper quam ambulaverant; ſi maximi, iique pientiſſimi Monarchæ Conſtantini, ac Theodoſii illos colebant, ac ſeſe eorum precibus commendabant enixe; & ſi alii ſexcentis officiis, quæ præſtiterunt eis, teſtati ſunt, quanti illos facerent. Venerabantur in eorum perſonis characterem, & dignitatem, qua Deus illos ornaverat: reſpiciebant magnitudinem illius, quem repræſentabant, & cujus locum tenebant; colebant hanc poteſtatem quodammodo divinam, cum qua comparari non poterat poteſtas, quam Reges habent in vitam, fortunaſque hominum ceterorum. Quidnam ceteros homines diſpenſare poſſet ab hac reverentia; quandoquidem illam Deo reddunt in Miniſtris ejus; ſed Deo quoque illam negant; honor enim, qui Principibus præſtatur, extendi debet ſuper eos omnes, qui Regum vices gerunt, & regia auctoritate induti ſunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Nihil excuſare poteſt contemptum Sacerdotum quamvis nocentium.

At enim, inquies, fatemur, hoc jus ad eos pertinere, ac deberi eorum characteri, & poteſtati, quam receperunt a Deo; verum cum illam dedecorent vitiis ſuis, eamque ſuſtinere non valeant meritis, ſe ipſos afficiunt dedecore, ac ſe contemptibiles præbent. Ita abſtrahentes ab eorum dignitate, charactere, & auctoritate, id contemnimus tantum, quod illi ipſi dignum contemptu fecerunt; videlicet perſonas eorum. Hic profecto color eſt, quem prætexunt populi, ut ſe diſpenſent ab officio, quod illis in lege veteri impoſitum eſt, nec minus obligat illos in nova. Character a perſona ſejungitur; ut liceat illos convertere in objectum contemptus, cenſurarum, irriſionum, ac ſatyrarum mordaciſſimarum. Accedit etiam nonnunquam virus nequiſſimæ calumniæ, & ſæviſſimæ detractionis contra eos, quorum miniſterium Angeli venerantur, ut S. Chryſoſtomus loquitur. Verum quod Deus arctis adeo vinculis conjunxit, poteſtne ab homine ſeparari? quemadmodum in alia occaſione a Mundi Salvatore fuit dictum, cujus verbis in hac uti non vereor. Cur ſeparare vultis ea, quæ ſejungi non poſſunt? Hominem colitis propter præclaras illius qualitates, eumdemque contemnitis propter ejuſdem noxas, & crimina. Sed hoc in loco minime licet vobis ſeparare Sacerdotii dignitatem a Miniſtro, qui gerit illam, ut inde illum contemnatis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Probari non poteſt, cur Sacerdoti debita negetur reverentia.

Liquet Sacerdotes, cum homines ſint, carere non poſſe vitiis, & criminibus, quæ perſonas eorum efficere poſſunt contemptibiles; ſed inde non ſequitur illos eſſe contemnendos, neque negandam reverentiam, quæ ipſis debetur: ſemper enim conſiderandus eſt illorum character, quem Deus eorum addidit perſonæ; & quamvis indignus eſſe poſſit Miniſter, qui eodem indutus eſt, ſemper tamen ex hoc loco in honore eſt

haben-

habendus; & in honore, ac reverentia, quæ illis adhibetur, locum habere debet abſtractio perſonæ, & characteris, in illis conſiderando ſolum poteſtatem, ac auctoritatem, quam acceperunt a Deo. Nam ſicut character non eſt excellentior in ſanctiſſimo, ſuiſque officiis addictiſſimo Sacerdote, quam in nequiſſimo: ſi alicujus flagitia ad aurem noſtram pervenerint, tunc characterem inſpicite, eumque ab illius perſona ſecernite; cum vobis perſuaſum eſſe oporteat, neque vitia, neque ſcelera excuſare poſſe contemptum veſtrum, neque vos diſpenſare ab honore, ac reverentia, quam illis debetis. ita ſentit S. Ambroſius: *Non merita perſonarum conſideres, ſed officia Sacerdotum. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De iis, qui Myſterio inſtantur.

Character neque ſeparari a perſona in Sacerdote, ut alter quidem honoretur, altera vero contemnatur.

Ecce, Chriſtiani, quam erga illos rationem ſervate debeatis. Illi homines ſunt ſicut ceteri: ſcatent imperfectionibus, & vitiis; nemo dubitare poteſt; poteſt ne igitur contemni vitium, & ſcelus? Utique, & poteſt, & debet; verum poteſtne contemni perſona, in qua vitium, & ſcelus hoc invenitur? Nequaquam. Etenim Sacerdotium dignitas eſt, quæ ubique meretur reverentiam, & quæ ab eorum perſona ſeparari non poteſt. Nulla haberi poteſt ratio characteris eorum in iis qualitatibus, quæ perſonales ſunt, puta, in ſcientia, perſpicacitatis acumine, doctrina, omnibuſque negotiis; Tunc ſecernite, quoad vobis placuerit, characterem, & dignitatem Sacerdotii; perſona enim poteſt eſſe ex aliis locis laudabilis: ſed in vitiis, & criminibus, quæ illis ſunt propria, nunquam ſejungite characterem, & dignitatem, quia illam reddunt dignam reverentia ubicumque, & quocumque in ſtatu eſſe poſſit. *Idem.*

De poteſtate Sacerdotum in Corpus myſticum, & naturale filii Dei,

Si a poteſtate, quam habent Sacerdotes in Corpus naturale filii Dei gradum facimus ad poteſtatem, quam pariter acceperunt in myſticum illius Corpus, videlicet Eccleſiam; dico etiam ſecundo loco hanc illis deberi reverentiam, tamquam Miniſtris Domini, qui poſſunt nomine ſuo, ſuiſque verbis ligare, & ſolvere, claudere, & aperire Cælum, ita ut ſententia, quam proferunt, non ſit ſimplex declaratio, abſolutos eſſe peccatores; hic enim error eſt hæreticorum præteriti ſæculi, quos Tridentina Synodus anathemate percuſſit; cum veritas conſtans, & orthodoxa ſit, illos habere veram poteſtatem remittendi ſcelera, & vere nequiſſimos peccatores conciliandi cum divina majeſtate indigne laceſſita. Si autem debes reverentiam Judici a Principe conſtituto, ut nocentes quidem puniat, & innocentes abſolvat: Si Magiſtratus, qua late patet eorum juriſdictio, geſtare videntur cum inſignibus dignitatis ſuæ jus exigendi debitum ſibi honorem; eo uſque, ut plurimi hos appetant gradus propter adnexum honorem potius, quam propter lucrum, quod ſe ſperant relaturos, vel propter operam, qua de republica benemereri poſſunt; ſi illi, quos genus ſuum ſupra ceteros evexit, imprimere videntur reverentiam in animis populorum ſibi ſubjectorum; & ſi Apoſtolus ſub hoc titulo jubet a nobis debitum cuique honorem deferri: *cui honorem, honorem; cui tributum, tributum:* Quis reverentiam Sacerdotibus debitam poterit detrectare? *Idem.*

Ad Roman. 13.

Abſoluta poteſtas, quam Sacerdotes habēt in animos.

Ut digne Sacerdotali munere perfungamur, cogitare ſufficit quam poteſtatem acceperint tamquam ampliſſimam, ac præſtantiſſimam partem auctoritatis ſupremæ, quam Deus hominibus communicarit: etenim quævis alia poteſtas ſeſe non poteſt extendere niſi ſuper corpora noſtra, vitam, bonaque temporalia: Sed honor, & Sacerdotalis poteſtas Cælum reſpicit, ac Cæleſtia: poteſtas hæc ſe extendit ſuper animas, in quas nullus Monarcha jus poteſt habere. Hæc auctoritas, & hæc potentia ſita eſt in procuranda nobis gratia, gloria, Deique amicitia, quandoquidem eorum miniſterio majorem Sacramentorum partem recipimus; regeneramur per Baptiſmum, quod nobis conferunt; ſaltem, ut plurimum, ab illis abſolvimur a peccatis per ſententiam, quam in gratiam noſtram pronuntiant: eorum medio, Sacramento Corporis adorabilis Salvatoris reficimur; illi nobis reſtituunt quodammodo jus ad Cælum, quod amiſeramus, quoniam Deus ipſe illis ejuſdem claves commiſit. *Idem.*

Variæ Sacerdotum functiones.

Quod ſi his omnibus adjeceris alias functiones peculiariter Sacerdotio inhærentes, cujuſmodi ſunt erudire Populos, illis Dei verbum nuntiare; Offerre pro illis preces, & Sacrificia, conſcientias eorum regere, & quidquid pendet ab eorum juriſdictione, & officiis, quæ illis mandavit Deus, quæ poteſtas, Chriſtiani, quæ auctoritas, quis honor, quæ dignitas? Quales illos conſiderare debemus, niſi Judices, Parentes, & Mediatores noſtros apud Deum, qui nobis ſupremam procurant felicitatem? quam ob rem Apoſtolus eos Dei ipſius Coadjutores appellat in hominum ſalute procuranda; omnes vero hi tituli nonne ſunt totidem jura ad honorem, qui debetur ſingulis hujuſmodi Officiis, ac miniſteriis, ſi ſeorſim conſiderentur? Profecto quamvis Chriſtiana lex non præciperet tamquam Religionis officium reverentiam, quæ illis præſtanda eſt, ſola ratio nonne hoc munus nobis ſuaderet, doceretque, quo magis late patet potentia, & auctoritas, quam receperunt ſuper alios homines propter finem toto Cælo præſtantiorem, eo æquiorem eſſe honorem, quem illis debemus, & obſequia noſtra probatiora: ita ut veneratio, quam illis adhibere debemus quatenus Miniſtris, Nuntiis, & Vicariis Filii Dei, quibus nominibus a SS. Patribus decorantur, illam excedere debeat, quæ omnibus humanis poteſtatibus debetur; quia hæc eſt præſtantior poteſtatis divinæ communicatio. Hinc fit, ut defectus reverentiæ erga illos, vel contumelioſus eorum contemptus ab Apoſtolo blaſphemiæ loco habeatur; quia divina læditur Majeſtas in perſona illorum; quandoquidem habentur tamquam ejus Miniſtri, ac vices gerentes. Hoc, Chriſtiani, rite perpendendum eſt, & ſolum probare poteſt eam reverentiam, quæ illis debetur; videre ſcilicet, Spiritum ſanctum complecti honorem, & reverentiam Deo, & Miniſtris ſuis debitam uno eodemque præcepto. *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes ipſius ſanctifica;* Eccleſiaſticus inquit. Honora Deum ex omnibus viribus animæ tuæ: hoc primum eſt objectum cultus tui; deinde vero cole Sacerdotes, & Miniſtros ejus, tamquam perſonas, quas illorum functio ſanctos facit, & divino applicat cultui: hoc enim ſignificat verbum illud *Sanctifica. Idem.*

Eccleſ. 7.

Humilitas profunda in Sacerdotibus requiritur.

Qui dicit Sacerdotes quatenus Miniſtros Domini debere ſibi reverentiam conciliare, & characterem ſuum virtute ſua ſuſtinere; hic profecto nihil aſſerit humilitati Chriſtianæ oppoſitum. Scio humilitatem ex omnibus virtutibus unam eſſe, quæ in eorum perſonis magis elucere debet; & in omni eorum vita eniteſcere; utque ſint filio Dei ſimiles, cujus locum tenent, procul eſſe debere ab omni ambitione, miniſterium ſuum honorare, nitorem odiſſe, atque cavere, ne illud contemptibile reddant per contemptum, quem vita, & vitia ſua in eorum perſonas conflare poſſent. Ad evitandum igitur opprobrium, quod ab uno in alterum redundare conſuevit, non illud aggrediar opus illis præcepta tradendi, quæ pertinent ad tantum hoc miniſterium; ſed illis tantum ob oculos ſubjiciam officia, quæ Deus impoſuit legis antiquæ Sacerdotibus per os primi Legiſlatoris: *Separavit vos Deus Iſrael ab omni populo, & junxit ſibi, ut ſerviretis in cultu Tabernaculi, & ſtaretis coram frequentia populi.* Audite Levitæ, & Sacerdotes Domini finem propter quem Deus vos ſuos Miniſtros inſtituit; ſeparavit vos ab aliorum hominum turba per peculiarem electionem, quam fecit veſtrum ad ſublimem hunc gradum honoris: voſmet igitur ab aliis ſeparare debetis, & ab illis per actiones veſtras ſecernere. *Separavit vos.* Præterea vos ad ſuum vocans miniſterium appropinquavit divinæ Majeſtati ſuæ, per relationem peculiarem, quæ vobis eſt cum illo; debetis ergo voſmet cum illo conjungere, & ad illum propius accedere per interiorem Sanctitatem, quæ unica ratio eſt; *& junxit ſibi.* Denique elegit vos, ut eſſetis mediatores populi ſui, ut illum ſanctificaretis, & intercederetis pro illo; opus eſt ergo ut zelum habeatis pro domo Dei, & aliorum ſalutem procuretis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Num. c. 16.

Sacerdotes virtute præ ceteris eminere debēt.

Sacerdotes a reliquis hominibus ſeparati, ut vacent miniſterio adeo Sancto; ipſi quoque ſemet ſeparare debent virtute ſua, ac Sanctitate, quæ verum conſtituit meritum. Itaque primum illud cavendum eſt, ne in ſtatum adeo ſanctum, qui ex illis exigit Sanctitatem, ſine peculiari vocatione ingrediantur, & quin moraliter certas habeant notas divinæ hujus electionis, qua a ceteris mortalibus ſeparantur; namque alioquin vivunt in profeſſione ſancta modo prorſus profano, & amplexi ſtatum, cujus non obeunt officia, tantum abeſt, quod illum honorent, ut in ſe hominum contemptum convertant. Quamobrem hæc morum ſeparatio, ab uſu Chriſtianorum ſemper præcedere debet hanc ſeparationem ſtatus, & profeſſionis. Hinc ſemper diligens examen, & perquiſitio habita fuit vitæ, ac bonarum qualitatum eorum in veteri, & nova lege; ideoque Sacerdotium primis Eccleſiæ temporibus erat merces meritorum, & diſtinctionis nota; quapropter ipſe etiam S. Paulus quærit bonum teſtimonium populorum, quorum Eccleſia ſatis diu ſuffragia conſuluit, præſertim vero pro Epiſcopis, & iis, qui ad aliquam dignitatem erant promovendi: *Oportet teſtimonium habere bonum. Idem.*

1. Timoth. 3.

Quid ſibi proponant vulgo Sacerdotes hūc Sanctitatis ſtatum amplectētes.

Liquet quo animo, & conſilio plerique ſtatum hunc amplectantur, utilitate videlicet, & ambitione, ſpectantes illum tamquam honeſtam, tranquillamque profeſſionem, ubi vivere poſſint immunes a procellis, ac tempeſtatibus, quibus creaturæ ſunt obnoxiæ. Heu, Chriſtiani! Oportet ne Dominus illos tantum habeat Miniſtros, quibus avaritia, ambitio, vel neceſſitas aperit domum ejus, ut fiant diſpenſatores Myſteriorum ſuorum, gratiarum, & beneficiorum? Hæc indignitas tanta viſa eſt S. Bernardo, ut in ſcriptis ſuis omnem evomat indignationem ſuam acribus adeo, & inflammatis locutionibus, ut videatur, non poſſe ſatis tantam perhorreſcere profanationem: *Curritur paſſim ad Sacros ordines, & verenda ipſis quoque Spiritibus Angelicis miniſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione.* Unde nam hic furor humanæ ambitionis, ſeſe ingerere, ac introducere in domum Dei non vocatos; ſibi vindicare quodammodo ſine metu, & reverentia miniſterium beatis ipſis Spiritibus formidandum! *Væ vobis,* pergit ille, *qui clavem tulitis non ſcientiæ ſolum, ſed & auctori-*

Lib. de Conv. Clericorum c.

auctor

auctoritatis. Quam maledictionem non meretur ille, qui audacter arripit claves non ſolum ſcientiæ ſalutis, ſed etiam divinæ auctoritatis quin Dominus illas ipſis tradiderit? *Væ Miniſtris infidelibus*, concludit hic Pater, *qui nec dum reconciliati reconciliationis aliena negotia apprehendunt! Væ filiis iræ, qui ſe Miniſtros Dei profitentur!* Ita ſentiebat Sanctus iſte de illis, qui non vocati in Eccleſiam ingrediebantur; qui a Deo ad ſtatum hunc non electi, non ſucceſſerunt moribus, & vitæ ratione a ſæcularibus, quamquam ſeparati ſint ab illis ſtatu, & profeſſione. *Separavit vos Deus Iſrael de omni populo. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Communis vita Sacerdotum qui non vocati in Sanctuarium irrepſerunt.

Hujuſmodi homines injuria proculdubio conqueruntur modicæ, quæ ſibi adhibetur reverentiæ; obliviſcuntur enim ſe Miniſtros eſſe Dei Cæleſtis; illud autem miſerum eſt, quod ipſi ſuum characterem objiciunt contemptui; quia quamvis indelebilis ſit, ejus notas omnes extrinſecus delent per vitia, quibus illum dedecorant, nihil habentes, quod illi reverentiam conciliet, eoſque ipſos ab aliis hominibus diſtinguat: *Sicut populus, ſic Sacerdos*. Nullam vulgo extrinſecus notam præſeferunt, ne in veſtibus quidem, ne dicam in moribus, vivendique ratione. Oris habitus prorſus ſæcularis, quem præſeferunt, efficit, ut habeantur potius tamquam Mundi idololatræ, quam Sacerdotes, & Miniſtri Domini. Quomodo igitur volunt, ab aliis in honore haberi characterem ſuum, eamque dignitatem, quam ipſi polluunt, & dedecorant flagitiis vitæ ſuæ? Verum ne procedamus ulterius, ne videamur noſmetipſi illos in contemptum adducere, detegentes vitia, & ſcelera tot Miniſtrorum, qui non vocati Sanctuarium ingreſſi ſunt, & non ſeparati ab hominibus reliquis per vitæ Sanctitatem, minime adhærent Deo, ejuſque Miniſterio, quod tamen potiſſimum ab illis exigit Deus.

Teſtimonium SS. Patrum de Ordinis Sacramento.

Tertullianus Capite ſeptimo adhortationis ſuæ ad caſtitatem, ait, Eccleſiam ſecernere perſonas Sacras a prophanis, honorem illis debitum a Deo eſſe, & Sacerdotem eſſe illum, qui ſacrificat, & qui baptizat. S. Cyprianus in tractatu de præcipuis actionibus JESU CHRISTI, Ordinem vocat Sacramentum, eumque comparat cum Baptiſmo, cum uterque nequeat iterari. S. Ambroſius cap. 5. de Sacerdotali dignitate, Frater, inquit, quiſnam donat gratiam Epiſcopalem? Deus ne, an homo? Proculdubio Deum reſpondes, quamvis hoc per hominem faciat. Homo manus imponit, Deus gratiam confert. Sacerdos ſupplicem extendit dexteram, & Deus omnipotenti dextera ſua benedicit, ab Epiſcopo promovetur ad Ordinem, & Deus tribuit dignitatem: *& in cap. 4. Prima ad Timotheum* ſcribit, poteſtatem offerendi Sacrificium Deo in JESU CHRISTI perſona, dari Sacerdoti per impoſitionem manuum, & myſticas Orationes, quod confirmatur a S. Hieronymo, cum ait manuum impoſitionem, & orationem eſſe duo eſſentialia ad conferendum Ordinis Sacramentum. S. Auguſtinus in libro contra Epiſtolam Parmeniani octies nominat Ordinis Sacramentum, ſignificans, ſicuti illi, qui ab Eccleſia recedunt, non ideo amittunt Baptiſmum, vel Ordinem, ſimili ratione, qui in eam revertuntur non eſſe iterum rebaptizandos, neque illis rurſus recipiendum Ordinis Sacramentum; inquit enim, ſi Baptiſmus, & Ordo ſunt duo Sacramenta, de qua re nemo dubitat, cur alterum potius amitteretur? Hæc injuria alterutri Inferenda non eſt. S. Leo in Epiſtola ad Dioſcorum cap. 2. præſcribit circumſtantias temporis, & perſonarum, cum eſt conferendus Ordo ſacer, quam Sacerdotalem, & Leviticum vocat, hoc eſt Sacerdotium, vel Diaconatum, & jubet perſonas jejunas eſſe, dum Ordo confertur; quandoquidem ait, talis eſt traditio, quam ab Apoſtolis recepimus. Quod ſpectat ad tempus, opus eſt hanc eſſe diem Domini, quia hac die Mundus incepit, Dominus noſter reſurrexit; Apoſtoli receperunt imperium prædicandi, & poteſtatem remittendi peccata; Dominus illos viſitavit, & miſit ad eos Spiritum ſanctum. *Auctor recens.*

S. Gregorius Magnus in caput x. Primi Regum ait, olei phialam, quæ effuſa eſt ſuper caput Saul a Samuele ſignificaſſe interiorem unctionem in recipiente, & unctionem hanc non aliud eſſe niſi gratiam cum ſeptem donis Spiritus ſancti; & in caput xvi. libri ejuſdem, homo dat homini Ordinem Religionis ſuæ, ſed illi, cui datur Ordo, communicatur Spiritus ſanctus, ut extrinſecus recipiat fortitudinem Spiritus ſancti: Ordo extrinſece datur, ut homo divinis rebus vacet; S. Spiritus intrinſecus dirigitur, ut illas exequi valeat; nam Ordinis Sacramentum magnum eſt onus, & fragilitas carnis ipſa quoque gravis eſt ſarcina; quare Theologi probant Ordinem eſſe Sacramentum; etenim certum eſt ibi recipi poteſtatem ſpiritualem quandoquidem proprium eſt divinæ liberalitatis illi, cui aliquod onus confert, conferre quoque gratiam illius ſuſtinendi. Cum autem hoc onus certiſſimum ſit in Eccleſia, ita & gratia, quam communicat, certiſſima eſt, dummodo ille, qui ad Ordinem evehitur non afferat obicem; quod Apoſtolus docebat Timotheum diſcipulum ſuum illum adhortatus ad excitandam, & accendendam in ſe gratiam, quæ illi data fuerat per impoſitionem manuum ſuarum. Univerſus igitur cum Apoſtolo terrarum orbis fatebitur, neminem debere ſemet ingerere in Miniſterium, neque ex ſemet immiſcere in gradum adeo ſublimem, ſed vocandum eſſe a Deo tamquam Aaron. Omnes cum S. Ambroſio fatebuntur, hominem imponere manum, & Deum gratiam largiri. Fatebuntur omnes, ſex ad Ordinis Sacramentum legitime recipiendum requiri, videlicet. 1. Poteſtatem in conferente Sacramentum; hunc enim Epiſcopum eſſe oportet. 2. Unctionem, & exteriorem manuum impoſitionem. 3. Formalia Sacramenti verba. 4. Intentionem actualem, vel virtualem ordinantis, vel ordinati. 5. Sexum, mulieres enim non ſunt Sacerdotii capaces. 6. Baptiſmum in recipiente Ordinem: Baptiſmus enim eſt janua omnium Sacramentorum. *Auctor recens.*

Epiſcopi ſunt majores Sacerdotibus.

Hoc eſt contra Æriorum errorem, aſſerentium Epiſcopum, & Sacerdotem unum, & idem eſſe. Errorem, quem Marſilius Patavinus ævo ſuo perſuadere adniſus eſt, & poſt illum alii nonnulli Hæretici; ſed veritas invenitur probata in capite 14. Actuum Apoſtolicorum, cum Apoſtoli ordinaverunt Sacerdotes in univerſas Eccleſias, illos commendantes Deo orationibus, & jejuniis, & in Epiſtola prima ad Titum; *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Satis in his locis apparet ſuperioritas ordinantis, & ordinati; & nequaquam intelligi ſimiles Petro eos eſſe ad quos potiſſimum ſcribebat ille: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei &c.* S. Ignatius in Epiſtola ad Smyrnenſes præcipit, ut Laicus ſubſit Diaconis, Diaconus Sacerdoti, & Sacerdos Epiſcopo, ſicut Epiſcopus JESU CHRISTO, & JESUS CHRISTUS Patri, & in hac occaſione comparat Sacerdotes fidibus & Epiſcopum muſico inſtrumento, cum in caritate, & reciproca ſubordinatione conveniunt. Origenes plures affert comparationes, ex quibus liquet Epiſcopos Superiores eſſe Sacerdotibus dignitate. *Inſtitutio Catholica P. Coton.*

Idem ſequitur argumentum.

In Canone ſexageſimo Nicæni Concilii Arabicæ Verſionis præcipitur quomodo Epiſcopi debeant examen inſtituere Sacerdotum, eoſque erudire, tum ante, tum poſt illorum promotionem. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione 2. quæ eſt de laudibus S. Baſilii, narrat illum meritis ſuis perveniſſe primum ad Sacerdotium, mox ad Epiſcopatum, & in 21. quæ eſt de S. Athanaſio deſcribit, quomodo Sanctus hic Patriarcha tranſiit per omnes Eccleſiæ Ordines, antequam fieret Epiſcopus Alexandriæ. Unde ſequitur ſecundum ſenſum Patrum, Sacerdotium eſſe ſuper populum, & Epiſcopatum ſuper Sacerdotium, & neminem unquam in Eccleſia illa confudiſſe præter Hæreticos, apud quos Tertullianus ait: *Hodie Presbyter, qui eras ante Laicus. Hodie Sacerdos, qui cras eſt Laicus*: quia Laicis ipſis communicant honores Sacerdotales, ad quam profanationem fovendam, duo allegant; alterum quidem textum S. Petri, alterum vero Apocalypſios, ubi ſcriptum eſt: *fecit nos Reges, & Sacrificatores Deo Patri ſuo*. Alterum eſt, Sacerdotium eſſe eumdem ordinem, & idem Sacramentum cum Epiſcopatu. Utrique facilis eſt reſponſio: etenim ſi hac de cauſa quilibet e populo Sacerdos eſt, quilibet etiam propter eamdem Rex erit; quod abſurdum eſt; quapropter meridiana luce clarius patet, hic verba fieri de Spirituali Sacerdotio, quia omnia debemus Deo, linguas, & ora noſtra per Sacrificium laudis; victimam corporum noſtrorum ad ſuſtinendam fidem, & holocauſtum cordium noſtrorum ad fovendam caritatem, quam debemus Deo, & unioni Eccleſiæ ſuæ. *Inſtitutio Catholica P. Coton.*

Explicatio cæremoniarum conſecrationis, vel ordinationis Epiſcopi.

Epiſcopi vulgo a tribus eliguntur Epiſcopis, & hic uſus eſt Apoſtolicæ Traditionis, quem Eccleſia ſemper obſervavit, atque præſcripſit. Primus autem Epiſcoporum aſſiſtentium primo Conſecranti dicit: *Eccleſia poſtulat, ut Sacerdos, quem tibi præſento, ordinetur Epiſcopo*. Quod fit ad innuendum Epiſcopum nequaquam conſecrari, niſi ad ſupplendum vacantis alicujus Eccleſiæ neceſſitati. Mox præcipuus Conſecrator jubet legi Bullam, cujus virtute efficere debet Ordinationem; nam ſecundum præſentem Eccleſiæ diſciplinam Epiſcopi Eccleſiarum Occidentalium ordinari non poſſunt, niſi eorum electio confirmata fuerit a Summo Pontifice, & niſi prius obtinuerint Bullas ad Conſecrationem neceſſarias. Epiſcopus electus elicit juſjurandum in manibus Conſecrantis ad oſtendendam communionem, quam tota vita ſervaturus eſt cum Sancta Sede, & reverentiam ſibi ſemper erga Papam, ejuſque ſucceſſores ſervandam. Deinde Conſecrans Epiſcopum interrogat de fide, moribus, aliiſque rebus ſecundum examinis formulam, quæ legitur in Romano Pontificali: Eccleſia enim vetat, ne ordinentur Epiſcopi illi, qui non habuerint fidem, & qui non polliciti fuerint, ſe ad unguem Sacris Canonibus obtemperaturos, & omnia, quæ in eadem examinis formula memorantur. Deinceps illi ſua repræſentat

officia,

Digitized by Google

officia, ut quæ illis ſollemniter repræſentata fuerint in Ordinationis Cæremonia, ipſe fidelbus toto vitæ ſuæ curriculo exequatur. Hoc ipſum fit in ordinatione Sacerdotum, Diaconorum, & Miniſtrorum inferiorum. *Idem*.

Cæremoniæ, quæ ſervantur in Epiſcopi ordinatione.

Antequam manus admoveatur Ordinationi Epiſcopi, dicuntur Litaniæ Sanctorum, ut invitetur Celeſtis Eccleſia, ut ſeſe cum terreſtri conſociet a Deo gratiarum ſuarum abundantiam impetratura ſuper Epiſcopum Ordinandum. Hoc illud eſt, quod maximi momenti Eccleſia petere valeat: Etenim quod bonum Eccleſiæ ſuæ procurare non poteſt bonus Epiſcopus? e contra vero quod malum afferre illi non poteſt Epiſcopus malus? Denique tres Epiſcopi conſecrantes ponunt librum Evangeliorum apertum ſuper caput, & humeros Epiſcopi electi, ut intelligat per ordinationem ſibi imponi jugum Evangelii, alacriter deferendum, videlicet, Epiſcopum repleri debere placitis JESU CHRISTI in Evangelio contentis, & ſeſe, vitam, verba, facta, omnemque vitæ ſuæ rationem illis conformare. Poſt hæc conſecrantes Epiſcopi imponunt manus ſuper caput Epiſcopi electi, & hæc cæremonia conjuncta cum precibus quæ ſubſequuntur, eſt eſſentia Ordinationis Epiſcoporum, ut liquet ex Scriptura Sancta, & univerſa traditione. Ungitur etiam Sancto Chriſmate caput Epiſcopi Ordinati ad Deum per exteriorem hanc unctionem deprecandum, ut interior unctio, hoc eſt Spiritus Sancti gratia deſcendat ſuper Epiſcopum ad illum implendum. Legi poteſt in Pontificali oratio, quæ ſequitur hanc unctionem, ubi videntur rationes hujus cæremoniæ. Oratio hæc admirabilis eſt, ac divina, & ex divinis Scripturis excerta: Epiſcopus chriſmate inungit etiam duos primos digitos, & manus illius, quem conſecrat periturus a Deo per externam hanc unctionem, ut unctio interior, ſcilicet Spiritus ſancti gratia, reddere dignetur has manus, ut ita dicam, fecundas, & conferre illis virtutem benedicendi, conſecrandi, & ſanctificandi, quidquid tetigerint in exercitatione Miniſterii Epiſcopalis. Unctio vero in Sacerdotibus fit cum oleo Cathecumenorum, & in Epiſcopis cum Sancto Chriſmate; ad oſtendendum Epiſcopos in Ordinatione ſua majori cum plenitudine, quam Sacerdotes recipere unctionem Spiritus ſancti, quæ apertius repræſentatur per Sanctum Criſma, quam per oleum Cathecumenorum. Deinde Epiſcopus qui conſecrat dat Epiſcopo electo Crucem Paſtoralem, ut conferat illi poſſeſſionem auctoritatis Epiſcopalis; dat illi Annulum, ut ſignificetur, ipſum nuper contraxiſſe quamdam matrimonii ſpeciem cum Eccleſia. Ponit etiam in manibus ejus librum Evangeliorum, ut illum admoneat, non extremum ex officiis ejus eſſe annuntiare Evangelium populo, cujus cura illi demandatur. Liber Evangeliorum tenetur ſemper apertus ſuper humeros illius, donec reponitur inter manus, ad ſignificandum Epiſcopo prædicandum non eſſe Evangelium, niſi poſtquam ipſe repletus fuit, & illi ferendum eſſe jugum JESU CHRISTI, ut doceat efficienter alios illud ferre. Novus Epiſcopus deinde Miſſam celebrat cum illo, a quo nuper fuit conſecratus. Hæc cæremonia ſemper in Eccleſia univerſa celebrata fuit, ad oſtendendum unitatem Epiſcopatus, & Sacrificii. In Eccleſia Græca Epiſcopus recens conſecratus prior communicat, & ipſe diſtribuit Sanctam Communionem Epiſcopo, a quo fuit conſecratus, & adſiſtentibus. *Auctor recens*.

Sequuntur Cæremoniæ in ordinatione Epiſcopi.

Sub Miſſæ finem traditur Mitra novo Epiſcopo, quia Mitra ornamentum eſt Capitis Epiſcoporum; & eſt veluti galea, quam illis tribuit Eccleſia, ut terribiles fiant contra omnes ſalutis adverſarios, inquit Pontificale. Tribuuntur illi quoque *Chirotecæ*, quæ reſpiciuntur tamquam imago puritatis, & innocentiæ JESU CHRISTI, qua indutus eſſe debet Epiſcopus, ut accepta Deo, & populo utilia fiant Sacrificia, & preces, quas offeret. Abſoluta Ordinationis Epiſcopi cæremonia, cantatur hymnus *Te Deum*, ad gratias agendas Deo pro beneficio quod contulit Eccleſiæ ſuæ, illi concedens Epiſcopum, a quo regatur. Dum canitur *Te Deum* Epiſcopus recens conſecratus adducitur ſuper thronum, ut in poſſeſſione Cathedræ Epiſcopalis conſtituatur. Mox Epiſcopi duo aſſiſtentes deducunt illum per totam Eccleſiam videndum a populo, & huic conſolationem tribuendam recipiendi benedictionem ab Epiſcopo novo, qui ſub finem hujus cæremoniæ genu flectens ter dicit: *ad multos annos*; ita enim ad gratias agendas Epiſcopo, a quo fuit conſecratus, illi ad Eccleſiæ utilitatem diuturnam vitam precatur. Illi vero, qui huic interſunt cæremoniæ, Deum orare debent pro Epiſcopo conſecrato, ſuas adjicere precibus Eccleſiæ, & aſſequi Spiritum ſanctarum harum orationum, & cæremoniarum. *Auctor recens*.

Officio Miniſtrorum Domini explicandi dignitatem Sacramenti Ordinis.

Si quis aliorum Sacramentorum naturam, & rationem diligenter conſideraverit, facile perſpiciet, ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere, ut ſine illo partim confici, & adminiſtrari nullo modo queant; partim ſollemni cæremonia, & religioſo quodam ritu, ac cultu carere videantur. Quare neceſſe eſt, ut Paſtores inſtitutam Sacramentorum doctrinam perſequentes, eo diligentius de Ordinis etiam Sacramento ſibi agendum arbitrentur. Proderit autem maxime hæc explicatio, primum quidem illis ipſis, deinde aliis, qui Eccleſiaſticæ vitæ rationem ingreſſi ſunt, poſtremo etiam fideli populo; ipſis, quod dum in hujus Sacramenti tractatione verſantur ad eam gratiam excitandam, quam hoc Sacramento adepti ſunt, magis commoventur; aliis, qui in ſortem Domini vocati ſunt, partim ut eodem pietatis ſtudio afficiantur, partim vero, ut earum rerum cognitionem percipiant, quibus inſtructi viam ſibi ad ulteriores gradus facilius munire poſſint. Reliquis autem fidelibus primum quidem, ut intelligant, quo honore digni ſint Eccleſiæ Miniſtri; deinde, quoniam ſæpe contingit, ut multi adſint, vel qui ſpe liberos ſuos adhuc infantes Eccleſiæ Miniſterio deſtinarint, vel qui ſua ſponte, & voluntate illud vitæ genus ſequi velint, quos certe minime ignorare æquum eſt, quæ præcipue ad hanc rationem pertinent: primum itaque fidelibus tradendum eſt, quanta ſit hujus inſtituti, ſi ſummum ejus gradum, hoc eſt, Sacerdotium ſpectemus nobilitas, & excellentia. Nam cum Epiſcopi, & Sacerdotes tamquam Dei interpretes, & internuncii quidam ſint, qui ejus nomine divinam legem, & vitæ præcepta homines edocent, & ipſius Dei perſonam in terris gerunt; perſpicuum eſt, eam eſſe illorum functionem, qua nulla major excogitari poſſit. Quare merito non ſolum Angeli, ſed Dii etiam, quod Dei immortalis vim, & numen apud nos teneant, appellantur. Quamvis autem omni tempore ſummam dignitatem obtinuerint; tamen novi Teſtamenti Sacerdotes ceteris omnibus honore longe antecellunt. Poteſtas enim tum Corpus, & Sanguinem Domini noſtri conficiendi, & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata eſt, humanam quoque rationem, atque intelligentiam ſuperat, ne dum ei aliquid par, & ſimile in terris inveniri queat. *Ex Catechiſmo Concilii Trident.*

De vocatione ad ſtatum Eccleſiaſticum.

Cum Status Eccleſiaſticus adeo ſanctus ſit, ac ſublimis, certum eſt, illum peculiarem Dei vocationem requirere. Apoſtoli ſententia hæc eſt: *Nec quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Sententia, quam confirmat adorabili exemplo JESU CHRISTI, qui cum eſſet Pontifex per ſe, & per dignitatem filii Dei noluit ſibi vindicare ſummi Pontificis qualitatem, ſed illam recepit ab eo, qui ab æterno dixit illi: Filius meus es tu, ego hodie genui te; & in ipſo Incarnationis momento dixit ei: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech. Oportet ergo a Deo vocari ad Statum Eccleſiaſticum; & hoc ſolum JESU CHRISTI exemplum eos omnes debet confundere, qui audent ſponte ſe offerre ſine vocatione divina, ſibi per hanc temeritatem conflantes indignationem Dei, repulſam gratiarum, & certam æternæ ſuæ ſalutis perniciem. *Inſtitutio adoleſcentiæ Domini Gobinet*.

Duo vocationis indicia, intentio bona, & aptitudo ad ſtatum Eccleſiaſticum. Finis, qui reddit malam intentionem.

Ut tibi benevertat Eccleſiaſtici ſtatus electio, decernendum eſt, utrum motus, & inclinatio, quam ſentis ad ſtatum Eccleſiaſticum proficiſcatur a Deo; ſi enim illinc proficiſcitur, vocatio eſt; ſin e contra, illuſio eſt, & fraus dæmonis, te in hunc ſtatum impellentis, ut perdat. Igitur, ut agnoſcas, utrum motus hic a Deo proficiſcatur, duo ſunt ad examen vocanda. Primum quænam intentio te ad hunc ſtatum alliciat; Secundum utrum ſint in te diſpoſitiones requiſitæ. Quod ad intentionem pertinet; conſtat, ſi mala fuerit, voluntatem hanc Dei non eſſe; quoniam Deus mali auctor eſſe non poteſt. Mala autem eſt, ſi quis eſt tibi ex finibus iſtis, ut commodius vivas in Eccleſiaſtico ſtatu; ut ibi requiem, otium, & delicias invenias: ut opes congeras, ut in honore ab hominibus habearis, & his ſimilia. Omnes hujuſmodi fines mali ſunt, quorum ſi quis tibi obverſatur animo, vocatio tua, jam non eſt a Deo, ſed potius a dæmone. Hanc veritatem diſces a S. Bernardo: Quicumque, ait, in Ordinibus Eccleſiaſticis, quærunt vel honorem, vel divitias, vel vitæ voluptatem; verbo, qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ JESU CHRISTI, procuIdubio non aguntur ex caritate, quæ eſt ex Deo, ſed ex cupiditate, quæ inimica Dei eſt, & fons omnium malorum. Oportet ergo bonam eſſe intentionem tuam, atque ut bona ſit, pro fine duo hæc ſunt habenda. Sanctificatio animæ tuæ, & proximi ſalus, quæ duo ſunt generalia hujus ſtatus officia; videlicet opus eſt, ut tibi proponas in hoc ſtatu vitam ſanctam, optimique exempli ducere, & animarum ſaluti prodeſſe precibus, laboribus, & quacumque ope fieri poterit, ſecundum ipſius S. Bernardi ſententiam, dicentis illi, qui ingredi vult in Ordines Eccleſiæ, & recipi in Sanctuarii Miniſterium habendam eſſe intentionem accedendi ad Deum cum omnimoda abalienatione a rebus hujus mundi, in perfecta puritate corporis, & ſpiritus, ut ab illo illuminetur, atque ut ibi ſuam, proximique ſui ſalutem operetur. *Idem Gobinet*.

DE SACRAMENTO
EXTREMÆ UNCTIONIS.
MONITUM.

ADMIRABILIS ſane eſt agendi ratio, qua utitur Eccleſia ut filios ſuos ad extremum eorum finem perducat, qui eſt eorum beatitudo; nam poſtquam illos peperit JESU CHRISTO poſt Baptiſmum, qui contulit illis vitam gratia, præbet illis medium creſcendi, & vires ad profitendam fidem, eamque propugnandam per Sacramentum Confirmationis. Sed poſtquam illos aluit verbo Dei, & pano prorſus Celeſti per Sacramentum Altaris, illos non deſerit niſi ad beatum finem deduxerit, Sanctam illis mortem procurans per Sacramentum Extremæ Unctionis, cujus effectus eſt remittere peccata; ut coram Deo prodeant eo in ſtatu, quem ille deſiderat. Hoc igitur Sacramentum eſt noviſſima cæremoniarum, vel ut melius dicam, noviſſimum officiorum, quæ erga fideles exercet; cui adjicit Viaticum, quod illos in portum beatæ æternitatis adducat. Verum eſt, conſuetudinem adminiſtrandi duo hæc Sacramenta non eſſe ubique uniformem, & ſæpe alterum prius altero recipi. Sed quoniam hoc Eccleſia probat, utrumque in hoc tractatu conjungemus, ita tamen, ut potiſſimum immoremur in Extrema Unctione, cui Viaticum, quod recipi poteſt, & quod ſæpe etiam eodem recipitur tempore, mutuo eſſe poteſt loco proximæ diſpoſitionis ad ſanctam mortem.

DE SACRAMENTO
UNCTIONIS EXTREMÆ.

Quid ſit Sacramentum Extremæ Unctionis; ejuſque utilitas.

EXTREMA Unctio Sacramentum eſt, quod ægrotantibus tribuitur ad remittendas peccatorum reliquias, ad eos roborandos contra impetus dæmonis, & labores morbi, ad valetudinem bonam, ſi utilis ſaluti eorum extiterit, tribuendam, ac tandem illos ad beatam mortem diſponendos. Reliquias peccatorum dicimus peccata venialia, languorem animæ, infirmitates, timores quos criminum ſuorum parit recordatio, immo etiam peccata, quorum obliti ſumus, vel quæ confiteri eſſet impoſſibile. Dicitur Sacramentum, quia eſt ſignum ſenſibile, quod eſt unctio ex oleo benedicto, & oratio, quæ operatur gratiam inviſibilem, ſcilicet peccatorum remiſſionem. Dominus noſter illud inſtituit, quippe unus ille præbere poteſt facultatem remittendi peccata per ſignum viſibile. Bonitas ejus inſtituere voluit hoc Sacramentum. Nam poſtquam tot nobis ſuppeditavit ſubſidia in vita per alia Sacramenta, dignatus eſt hoc quoque nobis in mortem comparare. Ex verbis S. Jacobi cognoſcimus per hoc Sacramentum peccata remitti, cum ait; *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum: & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Vocatur autem Unctio extrema; eſt enim noviſſima unctionum, quas ut plurimum recipit fidelis. Inſtitutum autem eſt cum unctione, quia oleum, ex quo fit unctio, naturalibus qualitatibus ſuis deſignat effectus Sacramenti, quod animam ſublevat, & roborat, mulcet mala, curat ſpirituales infirmitates, & nonnunquam etiam corporeas, & nos præparat ad certamen contra dæmonem &c. Præterea unctiones fiunt in variis corporis partibus, ad innuendam remiſſionem peccatorum patratorum per organa ſenſuum; & veluti ad reparandam corporis ſanctitatem, quod cum factum fuerit templum Spiritus ſancti cum unctionibus Baptiſmi, & Confirmationis, peccato profanatum fuit. Fiunt autem in ſignum Crucis; quia gratia Sacramenti oritur a JESU CHRISTO, qui in Cruce mortuus eſt. Denique præſentatur, & relinquitur in ægrotantis manu imago Crucifixi; ſperare enim debet in hoc tantum Salvatore, qui fuit Crucifixus; & cui ſe ipſum conſiderare debet tamquam affixum Cruci, ut ibi patiatur, moriatur, & per hanc januam in gloriam ingrediatur. Sacramentum hoc fidelibus adminiſtratur in mortis periculo; ſed opus non eſt, ut Chriſtianus exſpectet horam tranſitus ſui ad illud recipiendum; igitur petendum eſt, donec plena ſupereſt adhuc cognitio, ne accedente mortis ejuſdem articulo tanto moriens privetur beneficio, & ut ſui compos illum majori cum pietate, & fructu recipiat. Chriſtianus pluries illud recipere poteſt, ſi pluries in morbum, & in mortis periculum relabatur. *Auctor recens.*

Extrema Unctio adminiſtratur aliter ab aliis Sacramentis, & quomodo.

Neque vero quiſquam miretur, cur factum ſit, ut aliorum Sacramentorum forma, vel abſolute ſignificet, quod efficit, ut cum dicimus; *ego te baptizo;* aut; *Signo te ſigno crucis*, vel tamquam ab imperantibus pronuntiatur; ut cum in Sacramento Ordinis adminiſtrando dicitur; *Accipe poteſtatem;* hæc una vero Extremæ Unctionis forma precatione quadam abſolvatur id enim omnino jure conſtitutum eſt. Nam cum hoc Sacramentum propterea adhibeatur, ut præter ſpiritualem gratiam, quam tribuit, ſanitatem etiam reſtituat ægrotis; tamen, quia non ſemper ſequitur, ut ægri a morbis convaleſcant ob eam cauſſam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis conſtanti, & perpetuo ordine efficere non ſolet. Adhibentur autem ritus proprii in hujus quoque Sacramenti adminiſtratione; ſed eorum maxima pars precationes continet, quibus Sacerdos ad ægroti ſalutem impetrandam utitur. Nullum enim eſt aliud Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur: ac recte quidem: quoniam eo potiſſimum tempore fideles piis obſecrationibus adjuvandi ſunt: quare, & alii omnes quos tunc adeſſe contigerit, & præcipue Parochi, debent orare Deum ex animo, & ejus miſericordiæ laborantis vitam, & ſalutem omni ſtudio commendare. *Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

Quinam Heretici impugnarunt Extremæ Unctionis Sacramentum.

Armeni Sacramento Extremæ Unctionis abrenuntiabant; Valdenſes illud maledictionis Sacramentum vocabant; alii quidam hæretici interrogati quid de illo ſentirent, reſpondebant juxta eorum conſuetudinem irridentes, & blaſphemantes: *Olera oleo condita meliora.* Flagellantes tenebant huic actioni nullam adhærere promiſſionem, nec gratiam. Wicleſus negabat eſſe Sacramentum a JESU CHRISTO inſtitutum, vel ab Apoſtolis. Lutherus ſcribit, non defuiſſe in Mundo ſuperſtitionem quoad hoc Sacramentum: Epiſtolam, quæ S. Jacobi nomine circumfertur, illius non eſſe, quæ quamvis illum haberet auctorem, Apoſtolorum non eſſe inſtituere Sacramenta. Melanchton illam *ſuperſtitioſam* vocat *cæremoniam*. Quidquid tamen hi blaterent Hæretici, non habent tamen quid rationi conſonum verbis S. Jacobi reddant. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quæ enim eſt veritatis ſpecies, Apoſtolum auſum fuiſſe talem imponere cæremoniam, & abſolute adeo ſpiritualis gratiæ donum polliceri, niſi accepiſſet a Deo præceptum aliquod, & certitudinem? Ipſa etiam Geneva ſentiens vim hujus loci illum in Bibliis ſuis mutavit; namque pro verbis illis, *& orent ſuper eum*, ſubrogarunt, *& orent pro illo*, & in eorum locum, *& alleviabit eum Dominus;* vertit, *Dominus illum ſanabit*, ut perſuadeat corporum ſanationem in primitiva Eccleſia. effectum eſſe hujus Sacramenti, & ut liceat ſibi conſequenter cauſſam rejicere, cujus effectus non amplius apparerent; ſed ex Apoſtolo liquet, duplicem eſſe hujus Sacramenti effectum; alterum corporum valetudinem cum hypotheſi, & conditione, ſi ægrotanti ſit profutura; alterum eſſentialem, remiſſionem videlicet peccati per gratiæ infuſionem. Apoſtolus pro potiſſimo effectu unctionis ægrotantis ſtatuit remiſſionem peccatorum; & quod pertinet ad corpus ait ſolum, & Dominus alleviabit, quamvis ſæpe numero contingat, ut per Sacramentum infirmi integram corporis recipiant valetudinem. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Senſus Origenis, & quorumdam aliorum Patrum de hoc Sacramento.

Origenes in Homilia ſecunda in Leviticum, ait, remiſſionem peccatorum fieri ſecundum verbum Apoſtoli ſcribentis: *Infirmatur quis in vobis? &c.* Canon 69. Arabicus Niceni Concilii præcipit, ut Sacerdos quotannis faciat novam benedictionem, in

aquæ,

aqua, & oleo; non ſicut illam Baptiſmi, & Confirmationis, ſed ſicut in oleo infirmorum. S. Ephrem in tractatu de vita ſpirituali docet Tyronem quomodo ſeſe gerere debeat erga hoc Sacramentum: & Sanctus Joannes Chryſoſtomus libro tertio de Sacerdotio, docet Sacerdotes non ſolum habere poteſtatem remittendi peccata, cum nos regenerant; ſed etiam poſt, teſte S. Jacobo in Epiſtola ſua. *Idem.*

Auctoritates Patrum de Sacramento Extremæ Unctionis.

S. Cyrillus Alexandrinus libro 10. de adoratione in ſpiritu hortatur infirmum credentem in nomine Dei exercituum, ut confugiat ad Eccleſiam, atque remedia, quæ Scriptura divinitus inſpirata nobis proponit, citans S. Jacobum de verbo ad verbum. Sanctus Hieronymus in vita S. Hilarionis narrat, quomodo Sanctus hic vir ſanavit, & præſervavit a morte genetum Sanctæ mulieris, quæ dicebatur Conſtantia, hoc medio; & plures Paſtores, & ruſticos, qui a ſerpentibus demorſi fuerant. S. Auguſtinus in Tractatu de recta Catholicorum converſatione, infirmos hortatur, ut ad hoc Sacramentum, non autem ad veneficos, neque ad Deum Accaron, ut olim Ochoſias confugiant; qua de re fuſius etiam loquitur Tomo decimo operum ſuorum; hæc autem omnia ad exemplum Apoſtolorum, qui ungebant ægros, ac illos ſanabant. In hoc Sacramento Oleum eſt materia, Oratio forma, & peccatorum remiſſio præcipuus effectus. Et Innocentius I. anno circiter quadringenteſimo exponit Apoſtoli verba ſecundum ſenſum, & praxim Eccleſiæ, ac vult ita citra omnem controverſiam intelligi; quemadmodum etiam S. Gregorius Magnus in ſermone feriæ quintæ, prolixe recitat orationem, quæ fit in Olei benedictione. Et Venerabilis Beda in ea verba S. Marci cap. 6. *Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant:* adfert ſententiam S. Jacobi, & mox concludit; *Hinc ſequitur, ut Sancta hæc conſuetudo ungendi Energumenes, & infirmos Oleo per Epiſcopalem benedictionem conſecrato, relicta fuerit Eccleſiæ per traditionem Apoſtolorum.* Quod iterat in caput octavum S. Lucæ, & in caput quintum S. Jacobi. *Idem.*

Calvini ſententia de hoc Sacramento corruit ex ſe.

Calvinus in libro de vera ratione reformandi Eccleſiam, & in alio, cui titulus: Antidotum Concilii Tridentini, fatetur Apoſtolorum temporibus Extremam Unctionem fuiſſe Sacramentum, & libro 4. Inſtitutionis ſuæ, ubi videtur infeſtiſſimo animo hoc Sacramentum impugnare, ſimulat rationem afferre cur non ſit amplius Sacramentum, videns hoc verum fore, ſi miraculoſa valetudo eſſet ſolus hujus Sacramenti effectus, quod S. Jacobus non aſſerit. Et adhuc unctio eſſet applicanda, ut innoteſceret, quod Deo ſit placiturum, quandoquidem plures ex morbo videntur convaleſcere; & in hac divinæ voluntatis incertitudine, tutius eſt, ac rationabilius affirmativam partem tueri, quam negativam. Denique in libro de ægrotantium viſitatione præcipit, ut infirmi frequentius a Miniſtris, & Paſtoribus viſitentur. Ubi liquet parum abeſſe, quominus ille, & qui opinionem ejus ſectantur, revertantur ad Apoſtoli præceptum, & praxim Eccleſiæ Apoſtolicæ, & Romanæ, quamvis alioquin, ſe malo ingenio ſuo abripi ſinat. *Inſtientio Capitoli a P. Coton.*

Eſt Auctor Sacramenti Extremæ Unctionis.

Verum cum demonſtratum ſit, Extrema Unctionem vere, & proprie in Sacramentorum numero habendam eſſe: illud etiam ſequitur, ejus inſtitutionem a CHRISTO Domino profectam eſſe; quæ poſtea a S. Jacobo Apoſtolo fidelibus propoſita, & promulgata eſt. Quanquam idem Salvator hujus unctionis ſpecimen quoddam dediſſe viſus eſt, cum diſcipulos ſuos binos, & binos ante faciem ſuam miſit. De illis enim apud Evangeliſtam ita ſcriptum eſt: *Euntes prædicabant, ut pænitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo agros, & ſanabant;* quam quidem unctionem non ab Apoſtolis inventam, non naturali aliqua virtute præditam, ſed myſticam potius ad ſanandos animos, quam ad corpora curanda inſtitutam fuiſſe credendum eſt. Quare Sancti Dionyſius, Ambroſius, Chryſoſtomus, & Gregorius Magnus aſſerunt, ut nullo modo dubitandum ſit, quin hoc unum ex ſeptem Catholicæ Eccleſiæ Sacramentis ſumma cum Religione accipere oporteat. *Ex Concilii Tridentini Catechiſmo.*

Expectandum non eſt donec æger ſol... ut hoc recipiat Sacramentum.

Sed docendi ſunt fideles, quamvis hoc Sacramentum ad omnes pertineat, quædam tamen hominum genera excipi, quibus adminiſtrandum non ſit. Ac primum excipiuntur, qui ſano, & firmo corpore ſunt; iis enim extremam unctionem tribuendam non eſſe, & Apoſtolus docet, cum inquit: *infirmatur quis in vobis?* & ratio oſtendit; ſiquidem ob eam rem inſtituta eſt, non modo ut animæ, ſed etiam ut corpori medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant; idcirco iis etiam, qui adeo periculoſe ægrotare videntur, ut, ne ſupremus illis vitæ dies inſtet, metuendum ſit, hoc Sacramentum præberi debet. In quo tamen graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, Sacro oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum eſt, ut eo potiſſimum tempore Cæleſtem medicinam adhibeant, illam quidem ſemper vi ſua admodum ſalutarem, cum eorum etiam pietate, & religione, qui curandi ſunt, magis profuturam intellexerint. Nemini igitur, qui gravi morbo affectus non ſit, Sacramentum Unctionis dare licet, tametſi vitæ periculum adeat; vel quia periculoſam navigationem paret, vel quia prælium initurus ſit, a quo certa mors illi impenderet; vel etiam ſi capitis damnatus ad ſupplicium raperetur. Omnes præterea, qui rationis uſu carent, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum apo non ſunt; & pueri qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare hujus Sacramenti remedio opus ſit; amentes item, & furioſi, niſi interdum rationis uſum haberent, & eo potiſſimum tempore pii animi ſignificationem darent, peterentque, ut Sacro oleo ungerentur. *Ex eodem Catechiſmo.*

Fructus Extremæ Unctionis.

Explicandæ etiam ſunt accuratius utilitates, quas ea hoc Sacramento capimus: ut ſi nihil aliud fideles ad ejus uſum poſſit allicere, ipſa ſaltem utilitate ducantur: cum ita comparatum ſit, ut omnia fere noſtris commodis metiamur. Docebunt igitur Paſtores, hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis quidem leviora, & ut communi nomine appellantur, venialia remittit: lethales enim culpæ Pœnitentiæ Sacramento tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remiſſionem inſtitutum eſt: ſed Baptiſmus tantum, & Pœnitentia vi ſua hoc efficiunt. Altera eſt Sacræ unctionis utilitas, quod animam a languore, & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & a ceteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportuniſſimum exiſtimandum eſt, cum gravi morbo affligimur, ac vitæ periculum impendet; Etenim homini natura inſitum eſt, ut nihil in rebus humanis æque ac mortem pertimeſcat. Auget autem magnopere hunc timorem præteritorum ſcelerum memoria; cum graviſſima præſertim conſcientiæ noſtræ accuſatio nos urgeat. Ut enim ſcriptum eſt: *Venient in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum:* Deinde illa cura, & cogitatio vehementer angit, quod paullo poſt ſtare oporteat ante Tribunal Dei, a quo de nobis juſtiſſima pro eo ac meriti fuerimus ſententia ferenda ſit. Sæpe autem evenit, ut fideles hoc terrore perculſi ſe miris modis exagitari ſentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam ſi triſtitiam abjiciamus, & læto animo Domini adventum expectemus, paratique ſimus depoſitum noſtrum quandocumque illud a nobis repetere voluerit libenter reddere. *Idem.* Sapient. 4.

Ejuſdem argumenti.

Præterea aliud etiam, quod merito omnium maximum videri poteſt, ex eo conſequimur; nam etſi humani generis hoſtis, quoad vivimus, nunquam deſinit de interitu, & exitio noſtro cogitare; nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac ſi fieri poſſit, ſpem nobis divinæ miſerationis eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum ſupremum vitæ diem appropinquare animadverterit. Quamobrem fidelibus arma, & vires hoc Sacramento ſubminiſtrantur, quibus adverſarii vim, & impetum ſe frangere, & illi fortiter repugnare poſſunt: allevatur enim, & erigitur ægri animus divinæ bonitatis ſpe; eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert levius, & ipſius dæmonis calcaneo inſidiantis artificium, & calliditatem facilius eludit. *Idem.*

Admirabiles effectus quos producit Sacramentum Extremæ Unctionis.

Extremæ Unctionis Sacramentum producit quinque admirabiles effectus in anima ægrotantis: qui omnes requirunt acturlem devotionem in illo, a quo recipitur. Primo: *immediate hominem diſponit ad gloriam.* 2. Manum extremam addit noſtræ perfectioni: quamobrem Tridentinum Concilium ait, hoc Sacramentum conſummare vitam Chriſtianam, & eſſe nobis veluti validum propugnaculum, quo Deus munivit finem vitæ noſtræ. 3. Roborat animam noſtram, eique confert gratias actuales ad reſiſtendum tentationibus, quæ adducere poſſunt in periculum ſalutem illius, ſeu proficiſcantur a morbi vi, ſeu ab inviſibilium inimicorum nequitia. Æger enim hoc Sacramento munitus, ut eadem Synodus inquit, facilius ſuſtinet incommoda malæ valetudinis, & melius reſiſtit tentationibus dæmonis, inſidiantis calcaneo, ſive extremitati vitæ. 4. Delet peccata quoad culpam: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei;* S. Jacobus Apoſtolus inquit; quod intelligitur non ſolum de omnibus venialibus, quibus nullam habet adhæſionem, quæ valeat obicem ponere gratiæ; ſed etiam de mortalibus, quæ confiteri non poteſt, ſeu quod eorum memoriam, ſeu quod loquendi facultatem, & judicium, ac ſpiritus præſentiam amiſit, dummodo tamen antequam illam amitteret, aliquem produxerit actum veri doloris culparum ſuarum, talem, qualis ſufficit pro Sacramento Pœnitentiæ, cui in hoc caſu ſupplet illud Unctionis Extremæ. 5. Re- Jac. 5.

Digitized by Google

mittit etiam peccata, ſaltem ea parte, quoad pœnam, ut anima Chriſtiana egrediatur ex hoc mundo *ſine ſtigmatibus peccatorum*, ut loquitur Tertullianus: hoc eſt ſine ulla obligatione ad pœnam, quæ eſt veluti labes, & infamiæ nota, quam poſt ſe peccatum relinquit. Quamobrem applicat Eccleſia oleum Sacrum omnibus ſenſibus, per quos peccatum ingreditur in animam, orans Deum per hanc Sanctam Unctionem, & maximam illius miſericordiam, ut condonet ægrotanti omnia peccata, quæ commiſit per ſingulos ſenſus, ad quod neceſſe eſt, ut ſerio attendat, ut in ſingulas vices, quibus Sacerdos profert verba Sacramentalia, petat cum illo veniam criminum, quæ commiſit per ſenſus, & per eam corporis partem, quæ linitur. Sicuti enim Sacramentorum vis major, vel minor eſt ſecundum diſpoſitionem quam inveniunt in ſubjecto, fieri poteſt, ut æger illa tanta cum devotione recipiat, & ſanctificet agonem ſuum tot actibus virtutum, ut anima ejus in exitu ſuo immunis ab omni labe inveniatur.

Quæ partes corporis ungendæ ſint, & quare.

Non ſunt autem omnes corporis partes ungendæ, ſed eæ tantum, quas veluti ſenſuum inſtrumenta natura hominum attribuit, oculi propter viſionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, vel ſermonem, manus propter tactum; qui tametſi toto corpore æquabiliter fuſus eſt, in eis tamen parte maxime viget. Hunc autem ungendi ritum univerſalis Eccleſia retinet; atque etiam hujus Sacramenti naturæ optime convenit: medicamenti enim eſt inſtar. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis univerſum corpus male affectum ſit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua tamquam a fonte, & origine morbus manat; idcirco non totum corpus, ſed ea membra, in quibus potiſſimum ſentiendi vis eminet, renes etiam, veluti voluptatis, & libidinis ſedes unguntur, tum pedes qui nobis ingreſſus, & ad locum movendi principium ſunt. *Ex Concilii Tridentini Catechiſmo.*

Extrema Unctio poteſt iterari.

In quibus illud obſervare oportet, in una, eademque ægrotatione, cum æger in eodem vitæ periculo poſitus eſt, ſemel tantum ungendum eſſe. Quod ſi poſt ſuſceptam hanc Unctionem æger convaluerit; quoties in id vitæ diſcrimen inciderit, toties ejuſdem Sacramenti ſubſidium ei poterit adhiberi, ex quo patet in eorum Sacramentorum numero, quæ iterari ſolent, reponendum eſſe. Quoniam vero omni ſtudio curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediat: ei vero nihil magis adverſetur, quam alicujus peccati mortiferi conſcientia; ſervanda eſt catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut ante Extremam Unctionem, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtretur. Ac deinde ægroto perſuadere Parochi ſtudeant, ut ea fide ſe ungendum Sacerdoti præbeat, qua olim, qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos offerre conſueverant. In primis autem animæ ſalus, deinde corporis valetudo cum illa conjunctione, ſi ea ad æternam gloriam profutura ſit, expetenda eſt. Nec vero dubitare fideles debent, quin ſanctæ illæ, & ſollemnes preces a Deo audiantur, quibus Sacerdos non ſuam, ſed Eccleſiæ, & Domini noſtri JESU CHRISTI perſonam gerens utitur. Qua una maxime re, & religioſe ſibi adminiſtrandam curet, cum & acrior pugna inſtare, & vires cum animi, tum corporis deficere videantur. *Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.*

Extrema Unctio plurimum affert ſolatium ægroto quodcumque futurum ſit.

Cum bona valetudo non ſemper ægrotanti ſit utilis, Extrema Unctio alium in eo parit effectum, videlicet illi ſolatio eſt, eique vires præbet ad patienter, & alacriter ægritudinis incommoda perferenda; ita ut quamvis nequaquam meliori valetudine perfruatur, minori afficiatur dolore ex morbo, eoque ad animæ ſuæ ſalutem utatur. Hinc fit, ut erret quam maxime, qui differat tribuere ægroto hoc Sacramentum in extremum morbi tempus, quo duos hoſce fructus vix, & ne vix quidem, ut plurimum valeat percipere. Nam quamvis expectandum ſit verum mortis periculum; quippe eo tempore corpus, & animi plura pati conſueverunt; illius tamen eſt non diu cunctari, quia Sacramenti gratia paratum conferet ultra ad illius paſſiones ſanctificandas. *Opera Aſcet. 2.*

Sequitur ſermo de effectibus hujus Sacramenti.

Duos effectus adhuc nobiliores ac magis ſpirituales parit Unctio Extrema; quorum prior eſt animam emundare a quibuſdam maculis, quas Confeſſio, & Communio delere non potuerant. S. Jacobus aperte verba facit de illis, cum ait: *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Forma eſſentialis Sacramenti hoc ipſum exprimit, eſt enim his verbis concepta. *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti. Amen.*

Gratiæ, quas recipit ægrotus in Extremæ Unctionis Sacramento.

In Extremæ Unctionis Sacramento Deus tria infirmo remittit; Primum, ſi poſt Extremam Confeſſionem ceciderit in aliquod mortale crimen, & illud nequeat confiteri, ſeu quia loqui non poteſt, ſeu ob aliam quamcumque cauſſam, quæ abſque illius accidat culpa, hoc Sacramenti gratia delebitur; dummodo in corde ſuo pœniteat illum, vel pœnituerit, antequam omnem cognitionis uſum amittat, quamvis etiam contritio non eſſet perfecta. Quod oſtendit quanti momenti, & quantæ neceſſitatis ſit Extrema Unctio pro infirmis: Sufficit enim nonnunquam illam recepiſſe, ut ſalvetur, vel ſecus, ut minus damnetur. Præterea virtutem habet remittendi peccata venialia, ubi illis cor non adhæſerit, & certum adſit conſilium de recentibus non committendis. Verba enim eſſentialia Sacramentorum operantur quidquid ſignificant in utilitatem recipientium illa. Sed Verba Extremæ Unctionis non aliud ſunt, niſi orationes factæ Deo, ut velit condonare infirmis omnia crimina ab illis per quinque ſenſus patrata, per quos ingreditur in animam quidquid eſt objectorum periculoſorum, atque ipſum peccatum; igitur crimina hæc remittuntur, eorumque delentur maculæ, modo nullus obex reperiatur. *Idem.*

[illegible] eſt effectus Sacramenti Extremæ Unctionis.

Accedit poſtremo, ſiquidem profutura ſit, etiam corporis ſanitas. Quod ſi ægroti hoc tempore eam minus conſequuntur, id quidem non Sacramenti vitium, ſed ob eam potius cauſſam evenire credendum eſt, quod eorum magna pars, vel qui Sacro Oleo perunguntur, vel a quibus adminiſtratur, fides infirmior eſt. Teſtatur enim Evangeliſta, Dominum apud ſuos multas virtutes non feciſſe propter incredulitatem eorum. Quamquam etiam recte dici poteſt, Chriſtianam Religionem, ex quo altius tamquam radices egit in animis hominum, minus jam hujuſmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim naſcentis Eccleſiæ initio neceſſaria eſſe viderentur. Sed tamen hoc loco fides magnopere excitanda erit; utcumque enim, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei conſilio, & voluntate acciderit, certa ſpe niti fideles debent, ſe hujus Sacri Olei virtute ſpiritualem ſanitatem conſecuturos eſſe; futurumque, ut ſi eos vita decedere contingat, præclaræ illius vocis fructum percipiant, qua ſcriptum eſt: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Ex Catechiſmo Concilii Tridentini.* Apoc. 14.

Fructus Sacramenti Extremæ Unctionis.

Domini noſtri Providentia erga Juſtos eſt admirabilis, qui in mortis articulo omnium tentationum genere impugnantur. Etenim ſicut inſtituit Confirmationis Sacramentum ad Fideles in fide confirmandos, augendaſque vires eorum contra Tyrannos, qui ſuppliciorum ſævitia ab illis extorquere vellent fidei ejuſdem negationem; ita Sacramentum Extremæ Unctionis inſtituit in gratiam ægrotantium, qui in vitæ diſcrimine verſantur, ut ſpeciali gratia roborati perſeverent in fide, & caritate; ac ſtrenue reſiſtant tentationibus, quæ tunc accident illis ſeu ex doloribus morbi, ſeu ex bonorum temporalium jactura, ſeu ex malorum æternorum ſubeundorum formidine. Noverat tum temporis corpus quidem viribus exhauſtum eſſe; Spiritum vero debilitatum; & ut S. Auguſtinus inquit, morbi vim omnem curam exhaurire, nec pati, ut de re alia quipiam cogitetur. Quamobrem dedit nobis Deus hoc Sacramentum, quod per ſupernaturalia, quæ ſecum adfert, ſubſidia nos ſuſtinet, roborat, & in ſumma noſtra infirmitate excitat. Itaque non inſtitutum eſt pro bona fruentibus valetudine, quamvis jamjam per humanæ Juſtitiæ ſententiam extremo afficiendis ſupplicio; cum enim liberum habeant uſum omnium facultatum corporis animæque, facile juvante Deo poſſunt ſeſe morti præparare per Sanctam Confeſſionem, & Communionem, & fortiter reſiſtere noviſſimis inimicorum ſalutis ſuæ oppugnantibus. *Ex operibus aſceticis Bloſii.*

Cur ſiant Unctiones ægrotanti.

Non ſine conſilio Dominus noſter inſtituit, ut in uno hoc Sacramento quinque, vel ſeptem Unctiones peragerentur, & in ſingulis ad eum funderetur precatio, ut parceret ægrotanti. Hoc fortaſſe fit ad ciendam fidem noſtram, & revocandam ſingillatim omnium peccatorum noſtrorum memoriam, quorum ne unum quidem eſt, cujus veniam exorare neceſſe non ſit, neque ſatis eſt ſemel tantum & generatim deprecari; ſed ſingillatim eſt ſepties, & centies uſque repetenda, ſi opus eſt, noſtra oratio cum actu contritionis propterea quod toties abuſi tam quinque ſenſibus noſtris, quam manibus, & omnibus inordinatis motibus noſtræ carnis: Quo enim majorem in hac re teſtamur pietatem, & fervorem, eo copioſior erit hujus Sacramenti gratia; quandoquidem illius menſura ſemper eſt diſpoſitio, quæ affertur. *Ex operibus aſceticis Bloſii.*

Quanta eſt virtus Sacramenti.

Extrema Unctio remittit pœnas temporales, quæ moleſtæ ſunt peccatorum jam dimiſſorum reliquiæ. Profecto eas non omnes remittit, ſed magis, vel minus juxta majorem, minoremve perfectionem, quæ adhibetur. Fieri tamen poteſt, ut peccator Sacramentum hoc talibus pœnitentiæ ſenſibus recipiat, ut anima de corpore egreſſa, & nihil divinæ debens juſtitiæ recta feratur in Cælum, quam piacularibus flammis ſit expianda. Sed potiſſimam hujus Sacramenti virtus elucet in tribuenda virtute, ac ſpiritualibus viribus ægrotanti ad ſuperandas tentationes, interioreſque pœnas, quibus tunc violenter impetitur, in prohibendo, ne nova committat peccata, & adjuvando, ut perſeveret in Chriſtianarum virtutum exercitatione, donec debitam fidelitati, conſtantiæque ſuæ coronam recipiat. Hoc Tridentinum Concilium aperte declarat his verbis: Redemptor noſter, qui per infinitam miſericordiam ſuam ſemper ſuppeditavit nobis famulis ſuis arma ad ſeſe tuendos contra omnes ſalutis ſuæ inimicos, ſatis eſſe non putans illis offerre in Sacramentis aliis valida auxilia ad vitam perfecto Chriſtiano dignam traducendam, quin aliquid agant, quo gravius conſcientia eorum polluatur, illis etiam Sacramentum Extremæ Unctionis largitur, quod plurimum poteſt ad eos in mor-

tis articulo roborandos. Nam quamvis toto vitæ articulo, noſtræ ſalutis inimicus non quærat niſi occaſionem perdendi animas noſtras quacumque arte id conſequi valeat, nunquam tamen majores exerit conatus, ut nos in laqueos, inſidiaſque perducat, & ſi fieri poſſit auferat nobis in divina miſericordia fiduciam, quam cum nos morti proximos videt. Tanti hujus mali medicina eſt hæc unctio Sacra, quæ ſuſtinet, & munit ægrotantis ſpiritum, & in illo excitat magnam in infinita Domini noſtri bonitate confidentiam; ita ut ille majori cum patientia morbi dolores ſuſtineat, & facilius ſpiritus improbi tentationes eludat. Totus hic ſermo eſt Tridentini Concilii cauſſam explicantis propter quam vita periclitantibus hoc traditur Sacramentum. Unguntur illi oleo, ut ſciant non ſolum hoc eſſe remedium corporibus ſimul, & animabus: ſed etiam, ut recipientes illud fiant Athletæ ſtrenui, pleni fortitudine, & fortiores dæmone, cui Sancta unctio obſtruit aditum quinque ſenſuum, per quos in cor obrepere ſtudet. Denique Sacrum hoc oleum, ut animadvertit Theodoretus, deſignat miſericordiam, & interiorem lætitiam, quæ efficit, ut in Omnipotente quieſcamus, ut ad prælium excitemur, ut ope gratiæ ipſius victoriam nos relaturos ſperemus. Ceterum jure unctiones in hoc Sacramento peraguntur cum oleo, non autem cum balſamo; ſignificat enim recipi non ſolum ad ædificandum proximum ſuavi odore vitæ ſanctæ, verum etiam ad eluendas peccatorum maculas, & ad ferendam ad ſupremum Judicem conſcientiam perfecte emundatam. *Ex operibus aſceticis Bleſii*.

Sacramentum Extremæ Unctionis nos humiliat, & efficit ut noſmet colligamus.

Recipientes Unctionis Extremæ Sacramentum vera cum humilitate fatemur, nos infirmos eſſe corpore, & ſpiritu, & nobiſmet applicamus verba, quæ unctionem comitantur. Fatemur nos abuſos eſſe ſenſibus noſtris, & peccatores eſſe. Senſus hic tutior eſt, & accommodatior tempori; præſtat enim in divina bonitate confidere, quam in bonis exemplis, quæ proximo præberi poſſent. Dicere poſſumus cum Daniele: offerimus tibi, Domine, preces noſtras, earumque exitum expectamus, innixi non quidem meritis noſtris, ſed infinitis miſericordiis tuis. Ex his Extremæ Unctionis effectibus, aliud oritur, quale eſt auxilium ferre ægrotanti, ut bene moriatur, ut in gratia perſeveret, & ut de hoc mundo egrediatur victor in æternum de Inferno, & de peccato. *Idem*.

Cur adeo pauci infirmi convaleſcant per Sacramentum Unctionis Extremæ.

Si forte quæratur cur hodierna die tam pauci per Extremam Unctionem convaleſcant? Duæ ſunt rationes, altera quia nimis differtur; neque enim credendum eſt illam vulgo manifeſta operari miracula. Quod enim non eſſet miraculum, ſi plures in extremis morbis, momento convaleſcerent? Sed ſi infirmi illam reciperent, ex quo vitæ periculum ſentiunt adeſſe, proculdubio miraculoſi viderentur effectus, qui forſitan non repente acciderent, ſed paullatim cum tempore fierent. Ratio altera eſt, quia mors optatior accidit ægrotanti, quam curatio; & ſi Eccleſia pro illo a Deo petit in hoc Sacramento corporis valetudinem ſemper petit hac appoſita conditione, ſi hoc æternæ expediat ſaluti. Sacramentum hoc procurat etiam infirmo peccatorum remiſſionem. Id docet S. Jacobus, qui ait: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*. Verum ſicuti peccati Originalis remiſſio pertinet ad Sacramentum Baptiſmi, & illa peccatorum actualium partim ad Baptiſmum pro Adultis, & partim ad Pœnitentiæ Sacramentum; conſequenter ſuperſunt tantum peccatorum reliquiæ per Extremam Unctionem remittendæ. Hæ autem reliquiæ ſecundum Theologorum doctrinam duplicis ſunt generis. Nonnunquam peccatorum reliquiæ vocantur venialia peccata, vel etiam mortalia, poſt noviſſimam Confeſſionem facta, & quæ æger confeſſus non eſt; ſeu per ignorantiam ignorans eſſe mortalia, ſeu per oblivionem, cum eorum meminiſſe nequiverit, & illa confiteri neglexerit. Illa remittuntur per Sacramentum de quo loquimur, & de illis loquitur Sanctus Jacobus, & palam docet Synodus Tridentina. Aliæ etiam ſunt peccatorum reliquiæ, quæ torquent infirmum in lectulo mortis; & quæ non aliud ſunt, quam languor quidam, timor, triſtitia, qua ſe oppreſſum ſentit. Extremæ Unctionis effectus eſt ſolatium afferre, exhilarare, ſpem erigere, & terrores auferre. Et vere magnum quidem illis eſt conſolationis argumentum, videre bona, quæ Deus pollicetur, & quæ in hujus Sacramenti forma notantur. Hæc eſt cauſſa propter quam differenda non eſſet ad extremum uſque Sacra unctio, tunc cum ægri jacturam fecerint ſenſus, atque rationis. *Ex Opuſculis Bellarmini Tomo V.*

Fructus Extremæ Unctionis.

Eodem tempore quo Sacerdos linit Oleo Sancto quinque corporis partes, ubi quinque reſident ſenſus, viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus, hæc profert verba. *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquiſti. Amen.* Cum ergo oratio iſta ſit forma Sacramenti, operatur id, quod verba ſignificant, dummodo, qui illud recipit, non afferat obicem. Itaque ad cognoſcendum quomodo exerceat Deus miſericordiam ſuam in hoc Sacramento, videndum eſt, quomodo abutimur quinque ſenſibus, qui ſunt veluti totidem fontes vitiorum, & criminum. Sanctus Bernardus in vita Sancti Malachiæ ſcribit Sanctum Epiſcopum cum diſtuliſſet aliquot horas conferre Extremam Unctionem nobili Matronæ, illam obiiſſe. Hinc tanto dolore obrutus fuit, ut totam noctem traduxerit cum Sacerdotibus ſuis prope corpus illud, orans, gemens, & ſe ipſum inſimulans, eo quod in cauſſa fuerat negligentiæ, quod mulier illa non convaluiſſet, vel ſaltem jacturam feciſſet gratiarum Sacramento illi inhærentium. Denique adeo oravit, & flevit, ut per merita ſua a Deo obtinuerit, ut illa reviviſceret. Ubi vero illi adminiſtravit Sacramentum, communicavit illi duos præcipuos effectus: quia cum vita recepit valetudinem, qua diu gaviſa eſt, & ejus peccata, ut pium eſt credere, eidem remiſſa fuerunt. Exemplum hoc Sancti Viri ab alio Sancto relatum omnes docere debet, quanti faciendum ſit Unctionis Extremæ Sacramentum. *Idem*.

Proteſtantes in dubium revocare non poſſunt utrum Unctio Extrema ſit Sacramentum.

Sacramentum Extremæ Unctionis omnia habet ſigna, quæ Proteſtantes in Sacramento deſiderant; 1. Præceptum Divinum. 2. Signum viſibile. 3. Gratiæ promiſſionem. Ideo celeberrimi ex Scriptoribus Confeſſionis Genevenſis, fatentur hoc Apoſtolorum tempore Sacramentum fuiſſe, cum habebant gratiam curationum, quin conſiderent hanc non eſſe ſolam hujus Sacramenti gratiam, ſolatium afferre ægro in ſuis doloribus, verum etiam illi obtinere peccatorum remiſſionem. Quod oſtendit illos, vel abrenuntiare unicæ regulæ fidei, Scripturæ Sanctæ; vel ſi illam retinent facile poſſe hac in re cum Romana doctrina conſentire, quæ innititur antiquitati, & non intermiſſæ ſexdecim ſæculorum conſuetudini. *Auctor recens*.

Proteſtantes ergo morbo extremo laborantes quibuſdam utuntur Ceremoniis, quæ imitantur Extremæ Unctionis Sacramentum.

Epiſcopales Angli nonnihil ſervarunt, quod noſtræ æquivalet *Extremæ Unctioni*. Ejus adminiſtrandi forma prolixe explicata reperitur in libro precum publicarum ſuarum, qui inſcribitur *infirmorum viſitatio*. Quamvis ab illis unctio nulla peragatur, faciunt tamen plures preces ſuper infirmum, tum ad corporis, tum ad animæ ſalutem obtinendam. Hæc liturgia habet, ſi Æger ſentiat conſcientiam ſuam peccatis gravem, ipſum confiteri debere privatim Sacerdoti, qui poſt auditam illius confeſſionem, abſolvet eum dicens „ Dominus noſter „ JESUS CHRISTUS, qui dedit Eccleſiæ poteſtatem „ abſolvendi a peccatis eos, quos vero pœnitent, & „ qui credunt in ipſum, abſolvat te ab omnibus peccatis ſuis per infinitam ejus miſericordiam. Ego vero „ ſecundum Eccleſiæ auctoritatem, quam ab illo accepi abſolvo te ab omnibus peccatis tuis in Nomine „ Patris, Filii, & Spiritus ſancti. “ Hæc propria ſunt verba hujus abſolutionis. *Auctor recens*.

Quanti [illegible] edocendi Fideles de hoc Sacramento.

Nequaquam ſatis eſſe credendum eſt curare, ut Extremæ Unctionis Sacramentum a Chriſtifidelibus accipiatur, ubi extremo laboraverint morbo; oportet præterea, ubi perfecta gaudent corporis valetudine illos erudire quanti illud ſemper faciendum ſit. Hæc æſtimatio eſt omnino neceſſaria, ut ex hoc Sacramento fructus illi percipiantur, quos producere debet. Ut plurimum reſpicitur non ſecus ac Medicorum *pharmaca*, quorum intuitum perhorreſcimus tunc etiam, cum iiſdem indigemus; Repugnamus, ubi ingredientem conſpicimus Sacerdotem cum oleo Sancto, ſimulque cum illo mortem introeuntem nos videre arbitramur. Hinc æger infrequentiſſime ex ſemet extremam flagitat unctionem, ejuſque familia ſerius, quam fieri poſſit, pro illo poſtulat. Fallax miſeratio erga mortale corpus præponderat animæ utilitati ſecundum illud Salvatoris verbum. *Inimici hominis domeſtici ejus*. Neceſſe eſt igitur, ut Miniſter Domini operam navet ad abuſum hunc adeo pernicioſum evellendum, & ad explicandos hujus Sacramenti effectus prorſus oppoſitos conceptui plurimorum. Et profecto corpori, & animæ, cum pro tempore præterito, tum pro præſenti ſaluberrimum eſt: pro præterito quidem, quandoquidem procurat remiſſionem peccatorum, quæ minime cognita fuerant, & delet pœnæ reliquias debitæ peccatis, quorum remiſſionem jam eramus aſſecuti: pro præſenti vero adjicit vires novas, & recentia ſubſidia contra dæmonis tentationes: ſaluberrimum quoque eſt corpori procurans ſanitatem infirmo, cum eidem profutura ſit; vel ſaltem leniens dolores morbi, & vires miniſtrans ad illos majori cum patientia ſuſtinendos; ſcriptum eſt enim: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus. Pater Segneri in praxi Parochorum.*

Matth. 10.

Ejuſdem argumenti.

Operæ pretium eſt docere populum, quomodo infirmus debeat ſeſe ad hoc Sacramentum diſponere tantæ utilitatis per omnium peccatorum ſuorum pœnitentiam: Extrema enim unctio Sacramentum eorum eſt, qui vivunt vita gratiæ, & tamquam ceterorum ſigillum. Eſt Chriſtianæ vitæ corona, complementum victoriarum noſtrarum de inimicis; manus extrema, qua perficitur character veri Chriſtiani, ad hoc ut fiat perfecte ſimilis JESU CHRISTI divino prototypo ſuo, & ut egredientem de hoc mundo, nihil prohibeat, quin ſtatim ingrediatur in Cælum. Sed quomodo nam his frui poſſet fructibus qui ſemianimis hoc Sacramentum reciperet? Illud admirabiles hos effectus gignere non poteſt, niſi &

ipſi

Digitized by Google

ipſi pro virili parte contulerimus: & ſi, ubi illud nobis collatum fuerit, nulla nobis ſuperfuerit ratio, vel ſenſus, nonne maximam fructuum illius partem amittemus? *Idem.*

Diſpoſitiones ad hoc Sacramentum afferenda.

Ad recipiendum majori cum utilitate Sacramentum Unctionis extremæ, & effectus admirabiles, quos parit, primum quidem optandum eſt recipere pacem, quam Sacerdos impertit, deoſculari Crucem, quam præſentat, eamque ex toto corde complecti, ut noſmet ſocios adjiciamus paſſionibus JESU CHRISTI. Mox audiendum eſt, quid petat pro nobis in orationibus; quæ hoc præcedunt Sacramentum, ut ſciamus Deum nobis largiri æternam felicitatem, proſperitatem divinam, gaudium ſine mœrore, uberem caritatem; dæmones arceri a domo noſtra, ad eam Angelos pacis accedere, & nunquam ibi dominari diſcordiam. Ideo ex corde concomitari debemus orationes illius omnes has gratias aſſecuturi. Cum illo tibi in adjutorium arceſſendi ſunt omnes Angeli, & Sancti ad procul arcendas omnes tenebricoſas Inferni poteſtates per virtutem, quam Deus tradidit impoſitioni manuum Miniſtri ſui. Hinc eliciendus eſt actus Contritionis peccatorum omnium, quæ poſſent adhuc in te ſupereſſe, cognitorum, vel incognitorum, & niſi hoc recipis Sacramentum poſt Viaticum, dolori criminum tuorum adde confeſſionem Sacramentalem, ut afferas omnem, quæ fieri poteſt, diſpoſitionem ad veniam obtinendam. Denique ſequi opus eſt ſpiritu actionem Sacerdotis tibi adminiſtrantis Sacramentum, & in ſingulas unctiones adde intentionem tuam orationi, quam pro te fundit, dicens *Amen*; petens veniam peccatorum, quæ per ſingulos ſenſus patralli, prout oleum Sacrum adminiſtratur. *Meditatio Patris Nouet.*

Senſus interiores quomodo fovere debet.

Æger intrinſecus comitatus Preces Sacerdotis attollere debet ſenſus ſuos in Cælum dicens: Oro te Domine per lacrymas, quas ex oculis tuis effudiſti, ut deleas ea, quæ patravi peccata per inordinatum viſum; ut peracto vitæ meæ curriculo frui poſſim pulchritudine divini vultus tui; Oro etiam per Cæleſtem aurium tuarum puritatem, ut abluas mearum impuritatem, ut in hora mortis meæ non reformidans funeſtam Oris tui ſententiam cum gaudio occuram ad thronum tuum coronam recepturus, & auditurus ea lætiſſima verba; *Venito benedicti Patris mei, poſſidete regnum vobis a mundi principio præparatum*. Oro te Domine per potentem virtutem Sacrorum verborum, quæ prodierunt ex ore tuo, ut mihi condones oris mei intemperantiam, & linguæ meæ incontinentiam, ut ex hoc exilio egreſſus ingrediar cum gaudio in Templum gloriæ tuæ, ut ibi in æternum concinam laudes tuas &c. *Idem.*

Cum æger Unctionis extremæ Sacramentum receperit, ſerio proſpicere debet, ut temporalibus domus ſuæ negotiis proſpicit, ad prohibendas poſt deceſſum ſuum lites, diſſidia, & inimicitias quæ ſæpe numero oboriri ſolent inter conſanguineos, & hæredes: mox adhuc vivens procurabit, ut omnes fiant reſtitutiones, & damnorum allatorum reparationes, quas ſe debere ſentiet; debet etiam condonare omnes injurias, & ex corde omnes offenſas remittere, ſi quæ illi adhuc ſuperſunt a proximo ſuo. Domeſticis, ſubditiſque ſuis commendabit etiam atque etiam pacem, concordiam, timorem Dei, miſericordiam in pauperes &c. Et omnino ſemet ſubjiciet Sanctæ Dei Providentiæ ſeu pro vita, ſeu pro morte. Eliciet identidem actus fidei, ſpei, caritatis, actionis gratiarum, & conformitatis voluntati Dei. Oculos ſæpius conjiciet in Crucifixum, vel piam aliquam imaginem; adſperget ſe aqua luſtrali, devote oſculabitur Sanctorum Reliquias, ſi quas habuerit; præferet Confeſſarii ſui, aliorumque piorum virorum viſitationes ceteris quibuſcumque inutilibus, atque ſuperfluis, ut parum illud temporis, quod illi reliquum eſt, in utiliores uſus impendat. Jubebit ſibi verba fieri de ſalutari aliquo argumento, & libenter audit legentem hiſtoriam Paſſionis Domini, & Sacram Scripturam. Commendabit etiam ſe precibus, & Sacrificiis Eccleſiaſticorum, ac Religioſorum; mittet eleemoſynas noſocomiis, ac verecundis pauperibus, quibus hoſtiatim panem emendicare non licet, prout tulerit rei familiaris ſtatus. Sæpe etiam emittet profeſſionem fidei Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ conteſtando ſe vivere, & mori velle, ut verum decet Chriſti aſſeclam, & hunc morbum, adeoque mortem ipſam ſubire velle propter amorem Dei; velle in æternum illi benedicere, æternumque laudare; neque aſſentiri unquam alicui tentationi inimici, ſæpe inſtaurans promiſſiones a ſe in Baptiſmate factis. *Auctor recens.*

Quid ægrotanti faciendum poſt receptionem extremæ Unctionis Sacramenti.

Æger conatus ſuos exerere debet, ut attollat in Deum animam ſuam corde potius quam ore dicens illi: Domine nihil attuli in hunc Mundum, & nihil hinc auferam. Nudus ingreſſus ſum, & nudus egrediar. Tranſibo tamquam umbra, quæ evaneſcit, tamquam gutta pluviæ, quæ areſcit; præſens enim vita nox eſt breviſſima, cujus horæ ſingulæ plenæ ſunt ſollicitudinis; quæ ubi præterit, quid reliquum eſt ex univerſa hominis mortui gloria, niſi cineris pugillus? Quis de illo cogitabit, ubi fuerit in ſepulcro? Qui noverunt illum ſtatim obliviſcentur. Juſtus ſolus erit in æterna memoria, quia ſemper adhærebit Deo, qui non moritur. Beatus ergo, qui non confidit in homine, neque gaudium cordis ſui in ulla creata re conſtituit, ſub Cælo. Quia omnia caduca ſunt, & mortalia. *Meditatio Patris Nouet. Tomo 6.*

Senſus fovendi poſt receptum Extremæ Unctionis Sacramentum.

DE CULTU SANCTORUM

TAM GENERALITER, QUAM PECULIARITER.

MONITUM.

Unum ex præcipuis argumentis, quæ anſam præbuerunt hæreticis noviſſimorum temporum ſeceſſionem faciendi ab Eccleſia Romana fuit Cultus, & invocatio Sanctorum. Quamcumque lucem Theologi, ac Doctores doctiſſimi æque ac zelo ſuccenſi præbere huic argumento fuerint adniſi, nondum valuerunt eorum pertinaciam frangere, & errorem auferre, qui idololatriæ ſcelus arbitrantur, eos colere, quos Deus ipſe coli voluit, & cenſoria nota perſtringere Cultum, qui tot exemplis ex Scriptura depromptis probatur erga Sanctos legis antiquæ Patriarchas, & quem omnium ſæculorum praxis conſtanti Traditione ab Apoſtolis certo profecta confirmat.

Non immorabimur hoc in loco refellentes ſubterfugia, ſophiſmata, pravam explicationem præcepti, quod inſtituit Deus in lege veteri Deum unum adorandi; neque tandem abuſum termini, Adorationis, *qui & Deo, & hominibus communis eſt, & quo Scriptura, & Sancti Patres uſi ſunt in hoc argumento. Satis reſpondimus omnibus hiſce objectionibus in tractatu dogmatico, quem præpoſuimus Tomo primo Panegyricorum de Sanctis, ubi in compendium redactum inveniri poteſt quidquid hac in re apud Controverſiarum Auctores, & ſaniores Theologos legitur. Itaque noſtrum ſecuturi Conſilium loquendi ſolum de Sanctis Cæremoniis, & Eccleſiæ conſuetudinibus, cum Cultus, & Invocatio Sanctorum ſit vulgatiſſima æque ac probatiſſima, quam Iconoclaſtæ tanto furore abolere conati ſunt, & quam Proteſtantes ad hanc quoque diem tanta cum pertinacia mordicus impugnant, in ſuſcepta provincia manebimus. Addemus ſolum iis, quæ alibi diximus, teſtimonium Sanctorum Patrum, qui hanc praxim confirmant, & oſtendunt quanta cum injuſtitia auferre velint hæretici Eccleſiæ hos patronos, protectores, & hominum apud Deum mediatores.*

Tractatui huic compendioſo de Cultu Sanctorum Generali, adjecimus cultum proprium, & particularem quem Eccleſia præſtat Virgini Deiparæ, illum etiam, quem Angelis adhibet, nec non alium, qui Crucis adoratio vocatur: de quibus argumentis ſingillatim loco ſuo fuſius egimus in Bibliotheca Prædicatorum. Hic vero afferemus animadverſiones conformes Cæremoniis, ritibus, ac praxibus Eccleſiæ.

DE CULTU SANCTORUM
TAM GENERALITER, QUAM PECULIARITER.

Eccleſia defert Sanctis Dei honorem, qui convenit ſtatum gloriosum illorū.

Ecclesia Sanctos veneratur Cultu, qui decet ſtatum eorum, quatenus Dei amicos, & filios, qui jam adierunt poſſeſſionem Regni illius, victores Mundi, & tranquillæ, beatæque immortalitatis poſſeſſores. Deinde invocat illos, eiſque dirigit preces ſuas tamquam Mediatoribus, quibus utitur, ut ſibi facilior aditus pateat ad JESUM CHRISTUM, & per JESUM CHRISTUM ad Deum. In duobus hiſce Officiis poſitus eſt Cultus, quem illis præſtat Eccleſia, & qui reſpondet duabus illis rebus, quas in Sanctis conſiderare debemus propter illos, & propter nos. Prima quidem eſt eorum gloria, & inexplicabilis beatitudo, in cujus partem accedere teſtamur per honorem, quem illis præſtare conamur; altera vero eſt lætitia, quam ipſi viciſſim percipiunt ex ea beatitudine, ad quam anhelamus. Ita ut Juſtitia, & gratitudo noſtra, & noſtrummet ipſorum utilitas nos hodierna die compellant ad propugnandum Cultum, qui Sanctis eſt debitus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quare Sancti honorem merantur.

Re adhuc integra dico Sanctos; & Beatos Dei amicos dignos eſſe qui in honore habeantur ab omnibus Fidelibus ſuper terram. Quare? Rationes deſumuntur ex eorum meritis, & factis, propter quæ in vita ſua claruerunt; & gloria, ad quam ſublati fuerunt poſt mortem; ab eo loco, quem tenent apud Deum, & denique a Dei ipſius conſilio, qui virtutem eorum coronaturus non minus cupit illos in terra honorari, quam honorentur in Cælo: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus!* Sancti in honore haberi merentur, & nihil æquius eſt, quam illis honorem præſtari, qui virtutis merces eſt. Idcirco honor ſecundum ideam, quam ipſi etiam nobis adiderunt Ethnici, non aliud eſt, quam cogitatio perſpicua & diſtincta meriti ſuperioris perſonæ alicujus, quam illi oſtendere admitimur exteriori aliquo teſtimonio; cujuſmodi ſunt laudes, obſequia, & reverentia, quam conſuetudo in legem traduxit. Si autem cum Sancti vivebant in terra, merebantur, ut ratio virtutis ſuæ haberetur, & illi colerentur; cur renuendus illis in præſentiarum eſt honor, cum in Cælo ſunt, & cum non ſunt amplius obnoxii viciſſitudinibus æque admirabilibus, atque funeſtis, quas inconſtantia, & humana fragilitas nimis frequenter nobis oſtendit in iis, qui de virtutis vertice lapſi ſunt in graviſſima ſcelera, & in vitiorum abyſſum proruerunt? Cum Beati in Cælo inconcuſſi permaneant in bono: & præterea gloria, & incomparabili perfruantur felicitate, quæ merces eſt virtutis eorum? *Idem.*

Honor Sanctis adhibitus non adverſatur honori qui Deo debetur.

Tantum abeſt, ut Sanctis, qui in Domino dormierunt, honore afficiendis, atque invocandis, & ſacris eorum reliquiis, cineribuſque venerandis, Dei gloria minuatur: ut eo maxime augeatur, quo magis hominum ſpem excitat, confirmat, & ad Sanctorum imitationem cohortatur, quod officium Nicæno altero, & Gangrenſi, ac Tridentino Conciliis, & SS. Patrum auctoritate comprobatur. Quo autem ſit ad refutandos eos inſtructior Parochus, qui huic veritati adverſantur, S. Hieronymum contra Vigilantium, & Damaſcenum potiſſimum legat, ad quorum rationem quod caput eſt, accedit conſuetudo ab Apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuo retenta, & conſervata; Cujus rei quis firmius, aut clarius requirat argumentum divinæ Scripturæ teſtimonio, quæ Sanctorum laudes celebrat admirabiliter? Extant enim quorundam Sanctorum divina præconia; quorum laudes cum ſacris litteris celebrentur; quid eſt quod illis ſingularem honorem non habeant homines? Et ſi ob eam cauſſam magis etiam colendi, & invocandi ſunt, quod pro ſalute hominum preces aſſidue faciunt, multaque eorum merito, & gratia in nos Deus confert beneficia. Si enim gaudium eſt in Cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: nonne etiam cæleſtes cives pœnitentes adjuvabunt? nonne rogati peccatorum veniam & impetrabunt, & conciliabunt nobis Dei gratiam? *Ex Catechiſmo Tridentini Concilii.*

Auxilium SS. non eſt inutile apud Deum, ut aliqui putant.

Quod ſi dicatur, ut a nonnullis dicitur, ſupervacaneum eſſe Sanctorum Patrocinium, quod Deus ſine interprete precibus noſtris occurrat: has impiorum voces illa S. Auguſtini verba facile convincunt: multa Deum non concedere niſi mediatoris, & deprecatoris opera, & officium acceſſerit. Quod illuſtribus Abimelec & Job amicorum confirmatur exemplis; quorum peccata nonniſi Abraham, & Job precibus condonavit. Si vero etiam afferatur, fieri inopia, & imbecillitate fidei, ut Sanctos internuntios, & patronos adhibeamus: quid ad illud reſpondebunt Centurionis exemplum, qui vel in ſingulari illo fidei præconio, quod Dominus Deus impertivit, ſeniores tamen Judæorum ad Salvatorem miſit, ut laboranti puero ſalutem impetrarent? Quare ſi fatendum eſt, unum nobis Mediatorem propoſitum Chriſtum Dominum, qui ſcilicet unus nos per proprium Sanguinem Patri Cæleſti reconciliavit, & qui æterna Redemptione inventa ſemel in Sancta ingreſſus pro nobis interpellare non ceſſat: ex eo tamen nullo modo ſequi poteſt, quo minus ad Sanctorum gratiam confugere liceat. Nam ſi propterea ſubſidiis Sanctorum uti non liceat, quod unum patronum habemus JESUM CHRISTUM; nunquam id commiſiſſet, ut ſe Deo tanto ſtudio fratrum viventium precibus adjuvari vellet; neque enim minus vivorum preces, quam eorum, qui in Cælis ſunt, Sanctorum deprecatio, Chriſti Mediatoris gloriam, & dignitatem imminuerent. *Ex eodem Catechiſmo.*

Sancti honorandi ſunt propter Sanctum SS.

Certum eſt Sanctos omnes colendos eſſe propter Sanctum Sanctorum, in quo omnis eorum præſtantia, & virtus continetur; & ſicuti eorum Sanctitas non eſt niſi emanatio, & communicatio Sanctitatis illius, Amor hujus erga illos non erat niſi pars amoris illius, quo erga ſeipſum flagrabat. Sed ſicuti omnes corporis partes, quæ univerſæ cum capite conjunctæ ſunt aut per ſe, aut per alias, & omnes propius, vel procul influxus ejus recipiunt; aliæ huic immediate cohærent, & ſine aliena ope per ſe hauriunt ex fonte vitæ; ita quamvis ſancti omnes ſint JESU CHRISTI membra, & ex eo omnes ſpiritum, vitamque percipiant, ſunt tamen, qui hac præſtant prærogativa, ut illi arctius, atque magis intime præ ceteris hæreant divino huic Salvatori, quem Angeli, hominesque gloriantur habere pro capite, ideoque habent etiam plus poteſtatis. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

Sanctorum miracula ſunt rationes validæ quæ nos ad illos colendos impellunt.

Sed cui fidem non faciant, & honoris, qui ſanctis debetur, & patrocinii, quod noſtri ſuſcipiunt, mirabiles effectæ res ad eorum ſepulcra, & oculis, & manibus, membriſque omnibus captis, in priſtinum ſtatum reſtitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum ejectis dæmoniis? quæ non audiſſe, ut multi, non legiſſe, ut plurimi graviſſimi Viri, ſed vidiſſe teſtes locupletiſſimi S. Ambroſius, & Auguſtinus litteris prodiderunt. Quid multa? Si veſtes, ſudaria, ſi umbra Sanctorum, priuſquam e vita migrarent depulit morbos, vireſque reſtituit: quis tandem negare audeat, Deum per ſacros cineres, oſſa, ceteraſque Sanctorum reliquias eadem mirabiliter efficere. Declaravit id Cadaver illud, quod forte illatum in ſepulcrum Eliſei, ejus tacto Corpore, ſubito revixit. *Ex Catechiſmo Synodi Tridentini.*

Eccleſia non vetat colendi ſtam præcl.

Quamvis Eccleſia Fidelibus omnibus modum proponat colendi Sanctos omnes, eoſdemque invocandi, non ideo tamen damnat pietatem eorum, qui peculiarem habent erga Sanctum aliquem devotionem, quem ſibi delegerunt interceſſorem apud Deum: & cultus ejuſmodi exerceri ſolet in pluribus Monaſteriis, atque apud viros pios, qui ſingulorum menſium Kalendis ſibi deligunt unum ex iis Sanctis quorum feſtivitatem celebrat Eccleſia tamquam prototypum vitæ ſuæ, ad quem omnes dirigunt preces ſuas: ſed omnes fideles ſumma reverentia, & particulari honore Sanctum illum proſequi debent, ex cujus nomine vocati fuerunt in Sacramento Baptiſmi: illud enim ideo nobis impoſitum fuit, ut eſſet noſter Interceſſor apud Deum, & ut precibus, & exemplo virtutum ſuarum ſtudiis digne obire poſſemus officia chriſtianæ vitæ ſecundum profeſſionem, quam fecimus in hoc Sacramento. Hinc honorandus & amandus nobis eſt Sanctus, cujus nomen gerimus, eique quotidie noſmet commendare debemus, ejuſque virtutes imitari ac auxilia, quæ nobis neceſſe ſunt impetranda. *Idem.*

Perutile eſt Sanctos invocare, id autem quomodo faciendum.

Non licet ſolum, ſed quam maxime prodeſt Sanctos invocare, ut pro nobis apud Deum precum ſuarum præſtent auxilium. Profecto non eſt illos exæquare Deo, opem ab illis expectare: cum enim Deus invocatur, reſpicitur tamquam bonitas, & infinita potentia, quæ nobis tribuere poteſt, quod poſcimus: dicimus illi; miſerere noſtri, Domine, concede nobis gratiam, amorem tuum &c. Cum autem Sanctos invocamus, non dicimus illis, ut nobis largiantur, ſed ut a Deo petant pro nobis, dicimuſque, orate pro nobis, intercedite pro nobis. Ita neque illos agamus JESU CHRISTO, cum illos oramus, ſicuti non æquamus illi vitæ hujus Sanctos quos etiam precamur. Sed hoc diſcriminis intercedit, quod orantes JESUM CHRISTUM, illum ipſum oramus, quia Deus eſt; oramus per propria merita ſua, tamquam Salvatorem noſtrum: eique dicimus; miſerere noſtri, dona nobis. Cum Sanctis autem non ita loquimur, quia non habent, & nihil poſſunt, niſi per merita JESU CHRISTI, qui eſt mediator noſtræ redemptionis, & propitiationis, cum nos reconciliaverit Patri ſuo, nobiſque gratias promeritus fuerit Sanguine ſuo. Sancti ſunt duntaxat mediatores interceſſionis, ut aliquid a Deo pro nobis deprecentur per merita JESU CHRISTI. Ita Sanctorum Invocatio non prohibet nos ire ad JESUM CHRISTUM: nam cum Principem virum rogamus, ut nos ad Regem introducat; Oratio noſtra non vetat, quominus per mediatoris hujus interceſſionem gratiam aliquam petamus; & Rex non idem putat ſibi injuriam inferri; ſed e contra. Verum eſt noſmet ſolos per nos JESU CHRISTO præſentari poſſe, ſed cum Sancti ſint præ nobis acceptiores Deo, ſperare poſſumus nos facilius gratiam conſecuturos, ſi illi nobis adjutores acceſſerint. *Auctor recens.*

Quinam ſit Eccleſiæ Spiritus in cultu quem adhibet Deo.

Proteſtantes conſiderare nolunt, Sanctos, Angeloſque nequaquam a nobis haberi tamquam Deos, ſed tamquam Miniſtros Dei, ab illo omnem poteſtatem, virtutemque recipientes. Non pudet illos Sanctorum pluralitatem in Eccleſia Romana comparare cum pluralitate Deorum Paganorum, quaſi eſſent ſimiles; & quaſi Catholici ſibi repræſentarent Sanctos tamquam totidem Deos a nemine pendentes, quorum ſinguli ſuos haberent affectus, ſtudia, cupiditates, ingenia, propria negotia, quales ſibi fingebant Ethnici Jovem, & Junonem, Venerem, & Minervam. Hæc injuſtiſſima eſt infamia ſimilem appingere ideam perhorreſcentibus illam. Si videremus Sanctos in medio noſtri converſari, detrectaremurne illis peculiarem reverentiam? Et ambigere poſſumus, cum pervenerint ad perfectionem, in gloriam, illos dignos non eſſe majori honore; quam ſi adhuc eſſent in terris, in ſtatu infirmitatis, & imperfectionis? *Papin, Ex Proteſtanti Miniſtro Catholicus.*

Sancti invocati precibus nobis opem ferunt.

Cogitare nequeo ſubſidium eorum, qui veri ſunt amici Dei, nobis ope indigentibus deeſſe poſſe; neque mihi perſuadere patrocinium eorum, ac preces ea hora ceſſare, qua validius agere poſſunt, & efficientius operari. Deo quidem conjuncti ſunt, non ideo tamen ab hominibus ſeparati: Et Deus, qui populo univerſo pepercit Moyſe, & Moyſe adhuc mortali deprecante, & humanis adhuc infirmitatibus obnoxio; mea quidem ſententia plura largiturus eſt Sancto, qui illum precibus fatigabit pro nobis, cum jam ſtatum longe perfectiorem aſſecutus fuerit; & infinito Sanctorum numero coram illo viventium, perſonæ illius adſtantium, eumque facie ad faciem intuentium. Profecto ſi nullum inſtitutum fuiſſet commercium Cœlum inter, ac terram; nulla inter utramque Eccleſiam conſenſio, quid valerent SS. Patrum adhortationes, quibus excitamur ad amicitiam cum Sanctis ineundam, ad precibus confirmandam illam, quæ jam inſtituta eſt, ad ingrediendum in anteceſſum & ſpiritu in Cæleſtem Jeruſalem; ad locum nobis præripiendum in divina illa Republica, ad cujus jura, & privilegia poſt obitum noſtrum anhelamus? *Auctor recens.*

DE SINGULARI CULTU
QUEM DEIPARÆ PRÆSTAT ECCLESIA.
M O N I T U M.

Eccleſiæ Catholica ſatis non eſt honorare, & invocare Sanctos generatim, & ſingillatim; verum officium ſuum eſſe putat, ac merito vertit, Deiparam Cultu ſpeciali venerari, quem vocat Hyperduliam, & qui medium tenet locum inter illum, qui unice adhibetur Deo, & illum, quo proſequitur Sanctos alios cujuſcumque ſint ordinis, & meriti coram Deo. Hinc poſt ea, quæ Deo uni, æternoque Verbo debentur obſequia, magnificentiſſima elogia, quæ fieri poſſint in Sanctæ Virginis honorem, & cultus omnis, qui eidem præſtari valeat, probatur, & adhibetur in Eccleſia, immo etiam cenſetur infra meritum digniſſimæ hujus Genitricis Dei.

Satis cognitæ ſunt reſtrictiones, cenſuræ, modificationes, quas plurimi æque inimici Eccleſiæ, ac Glorioſæ Virginis evulgarunt hoc in argumento ſcriptis impiis, peſſimique exempli ſub ſpecie cultum hunc moderandi, alii quidem redarguentes titulos Mediatricis, Redemptricis, Advocatæ peccatorum, alioſque id genus, quos ſuperſtitionis nomine ſuggillarunt, & contumelioſos Salvatori dixerunt; quin attenderent, quo in ſenſu uſurparentur ab Eccleſia, quæ innixa ſententiis Patrum Sanctorum, ac Traditioni ſæculorum omnium nullam cenſuit habendam ſibi rationem harum modificationum, quæ ab indigniſſimis cenſoribus afferuntur.

Monitum æquiſſimum quod hac in re præſtari valeat fidelibus, reſpicit terminum Adorationis, quo Sancti Patres nonnulli, & Sanctæ Virginis pii Cultores uſi ſunt, & quem ſemper intellexerunt in ſenſu Scripturæ, & qui exprimit ſolum reverentiam, honoremque externum, qui adhibetur iis, quorum præclara ſunt merita, & qui ſupra nos ſunt. Hoc tamen nomine, & hac loquendi ratione non utimur amplius ad auferendum omnem ſcandali prætextum his Cenſoribus importunis, parum Chriſtianis, & minus Catholicis.

Quod pertinet ad Eccleſiæ ſententiam de peculiari hoc Cultu, aſſerere licet, nullam umquam praxim antiquiorem fuiſſe illi, præſertim vero, ex quo Maria declarata fuit Dei Mater in Synodo Epheſina, quod nunc etiam declarat per omnes feſtivitates, quas celebrat in honorem Myſteriorum omnium, quæ ad ipſam referuntur, per Officium, quod in ſingulas hebdomadas ſtata die recitat, & per interceſſionem ejus, quam vulgo cum illa Salvatoris conjungit in ſingulas partes Officii, quod recitatur quotidie ab omnibus Confraternitatibus, omnibuſque Religioſis Ordinibus Nomini ejus devotis: ita ut contra hyperbolem dicere poſſimus hanc eſſe devotionem Eccleſiæ generatim, æque ac fidelium omnium ſingillatim. Non loquimur hoc in loco de Magnalibus, prærogativis, excellentiis, & privilegiis, quibus innititur cultus hic, & honor adeo ſingularis; namque ſatis fuſe in Bibliotheca noſtra actum eſt in tertio Tomo Myſteriorum, præſertim vero ſub titulo Devotionis Deiparæ.

DE SINGULARI CULTU
BEATISSIMÆ VIRGINIS.

Cultus, quo Virgo colitur Hyperduliæ dicitur.

Diximus jam, Sanctam Virginem, cum Sanctis omnibus præcellat, mereri Cultum ſuperiorem illi, qui Sanctis omnibus adhibetur, & qui Hyperdulia vocatur, quod nomen ſignificat honorem ſuperiorem illi, quem Dei famulis præſtamus: ita ut Adoratio Hyperduliæ, quæ uni illi reddenda eſt, ſit profunda reverentia excellentiæ, quæ illi propria eſt; ſit veneratio omnium qualitatum, quæ illi conveniunt propter divinam Maternitatem ſuam, humillima reverentia ſupereminentis Sanctitatis ſuæ, affinitatis cum Deo, incomprehenſibilis dignitatis, quam poſſidet quatenus Mater ejus, elevationis ſuper omnes Angelos, imperiique ſui ſuper omnia creata. Ecce quid ſit adoratio Hyperduliæ, quam *Hendry Bibl. Conc. Theol. de Myſter.* Tom. V. Catholica Eccleſia præſtat Virgini Sanctæ; quam ut iterum paucis explicem verbis, profunda eſt veneratio magnalium Sanctæ Virginis præ omnibus Sanctis. *Ex libro cui titulus: Vera devotio erga Deiparam, Auctore Patre Ruppè Recolecto.*

Hoc unum a te peto, ut probe conſiderans quid ſit cultus Hyperduliæ Deiparæ debitus magna utaris aſſiduitate in eadem colenda. Peto ut hac bifariam utaris; primum quidem formaliter per actum explicitum hujus adorationis, deinde vero implicite, ſi ita loqui licet; hoc eſt habitualiter, & virtualiter admiſcendo venerationem, & Hyperduliæ reverentiam cum omnibus officiis, quæ præſtas illi, & concomitando omnes praxes, quibus illam veneraberis obſequio adeo profundo, ac reverentiali, ut dici queat, cultus perpetuus Hyperduliæ.

S. Virginem honorare debemus magna cũ aſſiduitate; & bifariam.

Hinc facile eſt inferre, æquum eſſe moderari reverentiam tam interiorem, quam exteriorem, cum qua oranda eſt Sanctiſſima Virgo per excellentiam, & dignitatem perſonæ ſuæ. Conſtat enim, licet expreſſerit ad unguem reverentiam eamdem, cum qua Angeli ipſam alloquuntur, hanc procul adhuc abſuturam ab ea, qua illam precari, eique officia noſtra debemus perſolvere: ſed fac ſaltem, quidquid per Spiritus tui applicationem fieri poterit. Antequam preces incipias, & laudes quaſcumque eidem offerre volueris; puta, Roſarium, Officium illius, aliaque id genus, pauliſper te collige; cogita, quid facturus ſis ad Dei Matrem confugiens, & intrinſecus dic: quanam ſatis magna reverentia alloqui potero Sponſam Spiritus ſancti, Reginam Cæli, ac terræ, illam, quam colunt Angeli, & quam Deus ipſe tamquam Matrem obſervat! Deus meus, præſta, ut ea quæ debeo attentione, ac reverentia, Matri tuæ mea obeam officia. Potes etiam illam ipſam invocare, & humiliter precari, ut tibi oranti ferat opem; quamobrem uti potes brevi illa ſed devota oratione, *Dignare me laudare te Virgo Sacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Ex libro eod.*

Honeſto corporis habitu Virgo ornanda eſt.

Tuum erit, ubi Mariam orabis, ita tuum oris habitum componere, ut niſi evidens urgeat neceſſitas, te ab honeſta artuum tuorum compoſitione diſpenſes. Præſtaret enim a laudibus abſtinere, eique non offerre preces, quam oſcitanter, & negligenter nuncupare vota cum voluntariis evagationibus mentis ſine ulla ſpecie pietatis. Adoratio Hyperduliæ, quamvis non ſecus ac adorationes ceteræ conſiſtant in actibus interioribus, tamen effectus habet extremos; quamobrem ſe proſternere ad cultum Sanctiſſimæ Virgini adhibendum, vel ad imagines ejus ſalutandas, actus ſunt exteriores hujus adorationis, qui illi admodum accepti ſunt, & coram Deo meritorii, ſi illos pars interior, & anima concomitetur; & ſi in iis omnibus, quæ in illius obſequium præſtamus, conabimur intrinſecus conſociare verum ſenſum magnalium illius, hoc erit elevare omnem praxim, & actum devotionis noſtræ ſpiritu ſanctiſſimi cultus Hyperduliæ, eamque perfectime honorare. *Ex eodem.*

Quomodo colenda ſit Sanctiſſima Virgo per cultum Hyperduliæ.

Ita honorare debemus Virginem Sanctiſſimam cultu Hyperduliæ, eamque his verbis precari. Cum reverentia, & ſubmiſſione ſpiritus mei, quæ maxime eſſe poteſt, accedo ad Thronum tuum, & proſtratus ad pedes Majeſtatis tuæ Virgo Sanctiſſima, digniſſima Dei parens, & glorioſa Cæli, terræque Domina, veneror humillime gratias omnes, prærogativas, & ineffabilia magnalia, quæ in te Deus ipſe conſtituit. Colo te ſuper omnes Angelos & Sanctos, tamquam univerſis Sanctiorem. Colo te tamquam unicam Sponſam Spiritus ſancti, cariſſimum objectum deliciarum cordis JESU CHRISTI, & poſt hunc, præſtantiſſimum inſtrumentum gloriæ Sanctiſſimæ Trinitatis. Colo te tamquam veram Dei Matrem, cui dignatus eſt ille ſeſe tamquam Filium ſubjicere; & poteſtatem, quam ſuprema hæc dignitas tibi ſuper Univerſa largitur reveror. Fateor creaturas omnes debere ſeſe tuæ auctoritati ſubjicere, tibique ſuæ obedientiæ teſtimonia præbere; utque, quantum in me eſt, tanto ſatisfaciam officio, ſincere offero tibi corpus, animam, vitam, totumque me ipſum. Te ſupplex rogo, Virgo Sanctiſſima, ut digneris uti abſoluto jure, quod habes in me, & in eo, quidquid pertinet ad me, ac de me ad Sanctæ voluntatis tuæ arbitrium diſponas, & quoniam ex toto corde tibi gratulor gloriam, qua Dei bonitas te coronavit, eamque reveror, hanc mihi largire gratiam, ut omnino me in tuam recipias clientelam, & ne derelinquas miſeram creaturam hanc ſub tuo patrocinio vivere, & mori cupientem. *Ex eodem.*

J. C. tradidit nos S. Virgini; quare ſemper ſumus illius etiamſi nolimus.

Quamvis nolemus S. Virginem participem eſſe eorum omnium, quæ ad nos pertinent; tamen in partem accedere non ceſſaret. Non enim devotio noſtra nos huic Mundi Reginæ nos ſubjicit, ſed ipſius propria magnitudo; non ideo ſumus illius, quia noſmet illi mancipamus; ſed quia JESUS CHRISTUS, cujus ſumus, nos illi tradidit. Inter JESUM CHRISTUM, & Mariam arcta adeo intercedit neceſſitudo, ut alterutrius eſſe nequeamus, niſi ſimul ſimus utriuſque: & ſicuti perfecta adeſt communitas bonorum omnium naturalium Filium inter, & Patrem; non deeſt altera inter Filium, & Matrem bonorum acquiſitorum; ita ut auſim mihi perſuadere, non deeſſe aliquod juſtitiæ genus, & aliquam obligationis ſpeciem in JESU CHRISTO communicandi Sanctæ Virgini Magnitudinem, & regnum ſuum, & dici poteſt ſicuti recipiens a Patre divinam eſſentiam, recepit ab illo omnes honores, quibus cumulatus fuit, quatenus Dei Filius, recepiſſe a Matre ſua honores omnes, qui eidem dati fuerunt tamquam hominum Redemptori recipientem ab ea naturam, & Sanguinem, quorum adminiculo operatus eſt Redemptionem. Ne miretur ergo quiſpiam, ſi poſtquam oſtendimus, & ſtatuimus ſubordinationem, quæ in duobus his officiis reperitur, credimus hominem poſſe non ſolum ſervire Domino, Dominæque; ſed non poſſe bene alteri ſervire, niſi ſerviat utrique. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

Auctoritates SS. Patrum de cultu Mariæ. S. Ephrem or. de laudibus Matris Dei.

S. Irenæus c. 19. libri quinti contra hæreſes ait, ſicuti Eva decepta fuit, ut a Deo recederet, ita Mariæ perſuaſum fuiſſe, ut Eva, quæ tunc erat Virgo, Advocatam haberet Virginem Mariam. S. Ephrem Mariam his verbis affatur. Tu es portus meus Virgo puriſſima, & certiſſimum refugium meum. Omnibus perſpectis, ſub tua cuſtodia, & clientela quieſco. Manantibus lacrymis tuum auxilium imploro; te oro, & obteſtor in genua provolutus, ne ſinas, ut me perdat dilectus Filius tuus in die iræ ſuæ, quam in caput meum pertraxi tanta peccatorum meorum multitudine. S. Joannes Chryſoſtomus in Sermone de Arbore vetita, per antitheſim opponit Evæ Mariam, & Adæ, JESUM CHRISTUM; & alibi illam ſalutat, & vocat Templum Dei animatum, Domicilium Cæli, ac terræ, habitaculum illius, qui capi non poteſt. S. Cyrillus Alexandrinus in Homilia, quæ recitata fuit in Epheſino Concilio contra Neſtorium, illam pariter ſalutat, & vocat Ornamentum Mundi, ſceptrum doctrinæ, ac Templum devotionis. S. Epiphanius locutionibus utitur energeticis ad exprimendam pietatem, & amorem ſuum erga S. Virginem. Ita S. Gregorius Nyſſenus in oratione, quam illi dedicat de Nativitate Salvatoris. S. Joannes Chryſoſtomus in Sermone de Annuntiatione Virginis; S. Bernardus, aliique plures Sancti certatim adlaborarunt, quiſnam majorem teſtaretur reverentiam, & amorem erga Sanctam Virginem. *Pater Cotton.*

Teſtimonia ex Ambroſii, & Auguſtini de cultu debito Mariæ. Cap. 35.

S. Ambroſius ad Deum in oratione confugiens, ait: Ut efficax ſit oratio mea, poſtulo ſuffragia Beatæ Virginis, quam omni gratiarum, & beneficiorum genere cumulaſti. S. Auguſtinus in Meditationibus exclamat: Dominus Miſericors, ne præbeas te inexorabilem precibus meis propter peccata mea, ſed per bonitatem tuam excipe preces, ac impetrationes glorioſæ Virginis Dominæ noſtræ. Et alia in occaſione exclamat: Sancta Mater Dei, ſuccurre miſeris, juva puſillanimes afflictorum lacrymas abſterge, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo ſexu; ſentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Deinde ait Deum per ſuam providentiam voluiſſe, ut Mater ſua per omnes tranſiret conditiones, ut mulieres potiſſimum ad illam confugere excitarentur. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Quovis tempore S. Virgo honorata, & orata fuit.

Dies Feſti omni tempore inſtituti, & obſervati in Sanctiſſimæ Virginis honorem, hoc ipſum probant, & Patres antiqui teſtantur. Ex Græcis, S. Athanaſius honorat potiſſimum feſtum Annuntiationis diem: dicit enim ea die Filium Dei de Cælo in terram deſcendiſſe. Sanctus Gregorius Nyſſenus, & Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus celebrant feſtum, quem Purificationis dicimus, eumque nominant Occurſum Domini noſtri, Sanctæ Matris Mariæ, & S. Simeonis. Sanctus Joannes Chryſoſtomus reliquit nobis Orationem de Archangeli Legatione habitam die Martii vigeſima quinta. Sophronius ſacrum Aſſumptionis diem: Andreas Cretenſis diem obitus, quem cum Græcis omnibus vocat *Somnum Matris Dei*. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus feſtum Præſentationis in Templo. Sanctus Joannes Damaſcenus feſtum Nativitatis; quemadmodum antea fecerat Sanctus Gregorius Magnus. *Idem.*

DE

DE CULTU,

QUEM PRÆSTAT ECCLESIA ANGELIS, ET PRÆSERTIM CUSTODIBUS.

MONITUM.

Onſuetudo eſt, & Sancta praxis Eccleſiæ honorare, & precari Angelos tum generatim, cum præſertim Angelos Cuſtodes. Hoc nobis in Scripturis præcipitur, & variis in Bibliorum locis plura nobis ſuppeditantur exempla; qua de re integrum jam tractatum edimus in Parte tertia Bibliothecæ Concionatorum, quæ ſpectat ad Panegyricas Orationes, ubi collegimus quidquid probatiſſimum nacti ſumus in Concionatoribus, aliiſque Scriptoribus Aſceticis.

Hic unum addo merito Eccleſiam peculiarem hanc ſibi curam depoſcere efficiendi, ut a fidelibus ſpecialis Cultus Angelis adhibeatur, qui ſæpe in Scripturis vocatur Adoratio; qua tamen infinitis ſpatiis minor eſt Cultu ſupremo, qui Deo uni debetur; non ſecus ac ille, qui Sanctis aliis adhibetur, eo potiſſimum intuitu, quod primi ſunt Miniſtri voluntatum Dei; & qui eo major eſt, quo magis illi inter ſeſe honore, & dignitate ſibi invicem præſtant. Quod autem minimum facere poſſumus, eſt hac in re ſequi ſenſus Eccleſiæ; illos videlicet eo honore proſequentes, quo ipſa eos proſequitur animi grati cauſſa pro vigilantia, caritate, & cura, quam gerunt ſalutis hominum tam generatim, quam ſingillatim.

DE CULTU,

QUEM PRÆSTAT ECCLESIA ANGELIS, PRÆSERTIM VERO CUSTODIBUS.

Cultus, & invocatio Sanctorum Angelorum non adverſatur primo præcepto divinæ legis.

SCIRE tenentur Fideles omnes, Cultum, & invocationem Sanctorum Angelorum, aut venerationem, quam Eccleſia ſemper adhibuit erga beatas mentes, non repugnare primo divinæ legis præcepto, quo Deum unum amare, & colere jubemur. Quis enim adeo demens eſt, qui edicente Rege, ne ſe pro rege quiſquam gerat, aut regio cultu, atque honore affici patiatur, continuo putet nolle Regem, ſuis ut magiſtratibus honos deferatur? Etſi enim Angelos Chriſtiani adorare dicuntur exemplo Sanctorum veteris Teſtamenti, non eam tamen illis venerationem adhibent, quam Deo tribuunt. Quod ſi legimus interdum Angelos recuſaſſe, ne ſe homines venerarentur: eo feciſſe intelligendum eſt, quod eum ſibi honorem haberi nolebant, qui ſoli Deo deberetur. Spiritus enim Sanctus, qui ait; ſoli Deo honor, & gloria; idem præcepit, ut honore parentes, & ſeniores afficeremus. Sancti præterea Viri, qui Deum unum colebant, reges tamen, ut eſt in divinis litteris, adorabant, id eſt ſupplices venerabantur. Quod ſi Reges, per quos Deus mundum gubernat tanto honore afficiuntur: Angelicis Spiritibus, quos Deus Miniſtros ſuos eſſe voluit, & quorum opera non modo ad Eccleſiæ ſuæ, ſed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utitur, quorumque ope maximis tum animæ, tum corporis periculis quotidie liberamur, etiam ſi ſe nobis in conſpectu non dent, tanto majorem honorem non habebimus, quanto beatæ illæ Mentes dignitate regibus ipſis antecellant? Adde caritatem, qua nos diligunt; qua ducti pro iis Provinciis, quibus præſunt, ut ex Scriptura facile intelligitur, preces fundunt: quod etiam præſtare iis, quorum ſunt ipſi cuſtodes, ne dubitandum quidem eſt: noſtras enim preces Deo offerunt, & lacrymas. Quamobrem in Evangelio docuit Dominus, puſillos ſcandalizandos non eſſe: *quod Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris, qui in Cælis eſt*. Invocandi itaque ſunt, quod & perpetuo Deum intuentur, & patrocinium ſalutis noſtræ ſibi delatum libentiſſime ſuſcipiunt. Extant divinæ Scripturæ teſtimonia hujus invocationis. Jacob enim ab Angelo, quicum luctatus fuerat, petit, ut ſibi benedicat: immo etiam cogit: ſe enim non dimiſſurum illum profitetur, niſi benedictione accepta: neque ſolum ſibi ab eo tribui, quem intuebatur, ſed ab eo etiam, quem minime videbat, tum cum dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. Ex Catechiſmo Tridentini Concilii.*

Matth. 18.

Geneſ. 48.

Quo in pretio habendi ſint Angeli.

Generatim Angeli omnes æſtimandi ſunt potentiſſimi, & ad opem ferendam aptiſſimi in rebus, & occaſionibus omnibus, ſive in morbis ſive in negotiis; atque potius illorum interceſſionem quærere debemus, quam vias humanas experiri. Hoc ipſum aliis quoque conſilium dandum eſt, ut confugiant ad bonos Angelos locorum, & Urbium, in quibus ſunt, ut omnia cedant ex voto; & qui hoc utuntur medio ut plurimum omnia ſibi benevertere experiuntur, & profitentur ad opem inveniendam prodeſſe potius oculos in cælum attollere, quam tendere manus ad terram. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

Deus unicuique noſtrum dedit Cuſtodem Angelum.

Legimus in Canticis lectulum Regis Salomonis ſeptum fuiſſe ſexaginta militibus ex fortiſſimis, & prudentiſſimis Iſrael, & eorum ſingulos vigilaſſe gladio ſuccinctos, donec Rex ſomno indulgebat, ut illum ab inſidiis, nocturniſque periculis tuerentur. Gratiæ habeantur divinæ bonitati; ne unus quidem noſtrum eſt, & qui gloriari nequeat ſe pari, & majori prærogativa gaudere; & ſi verum eſt animam ſingulorum fidelium eſſe tamquam lectulum, ubi novus quieſcit Salomon, verum quoque eſt illam ſeptam eſſe non quidem ſexaginta militibus ſtrenuis electis ex Iſrael, ſed bellatore immortali, & invicto electo ex cohortibus, & exercitibus Domini. Hic longe melius quam fortes illi excubat ad tuendam hanc animam contra inſidias poteſtatum tenebrarum, & inferorum. Hic cavet ne tenebrarum principes nobis inſidientur, & ne animæ requiem perturbent, & hic ſemper exerto gladio, non eo modo, quo alius ille Angelus vigilat, ut nos ab Ingreſſu terreſtris Paradiſi prohibeat; ſed e contra, ut nos in verum cæli Paradiſum inducat. Ita enim nobis loqui licet de hac adorabili inſtitutione, per quam dare voluit Deus ſingulis noſtrum Angelum Cuſtodem, ſocium, & ducem in mundi hujus itinere, ubi voluit Virginibus ipſis in adjutorium præbere non ſolum Virginem ipſis ſimilem, ſed longe nobiliorem, & ubi tandem per admirabilem caritatem, & humilitatem videtur non quidem populus minutus in Principum cuſtodiam vigilare, ut illos tueatur, eiſque deſerviat. Profecto non ſatis celebrare laudibus poſſumus Dei bonitatem, quæ nobis adeo validam, & illuſtrem tribuit clientelam: ſed pares agere poſſumus gratias his glorioſis ſpiritibus, qui ſeſe eo uſque demittunt, & qui humilitatem illam Domini ſui imitantur, qui aſſociat Angelicam perſonam imperfectæ naturæ, humilique noſtræ, ut illi præſit, eique ferat opem, quemadmodum dignatus eſt eidem conſociare divinam Perſonam ſuam, ut illam ſuſtineret, & gubernaret. *Idem.*

Rationes propter quas Angelos revereri debemus.

Quo magis in hoc Miniſterio pro amore noſtro Angeli ſeſe humiliant, eo magis tenemur illos revereri, ac reſpicere tamquam tot Principes a Deo præpoſitos ſingulis viventium animabus. Singularem habent in nos poteſtatem, ut Deum per nos, & in nobis honorent, & oportet, nos eſſe valde ſollicitos, ut noſmet cum illis conjugamus in oblatione, quam Deo faciunt eſſentiæ noſtræ. Perutilis praxis eſt quotidie per actum formalem, explicitumque noſmet ſubmittere uſui, quem bonus Angelus noſter ſcit, poteſt, & vult facere noſtri ad gloriam Dei, & noſmet omnino tradere ductui, ac regimini Spirituum horum immortalium, qui ſunt tamquam ſecundæ animæ glorioſæ, illuminatæ, & impeccabiles, quas Deus nobis largitur, ut infirmis, cæcis, & peccatricibus animabus noſtris ferant opem. Hoc unum erat etiam in Conſiliis ejus, ut in tentationibus, & præ his, quæ incidunt nobis, noſmet ſocios adjiceremus illis, cogitatione, & voluntate, ut illos

cogeremus in pugnam deſcendere ad nobis ferendam opem, referendamque iterum in nobis victoriam de ſuis antiquis inimicis. Noſmet cum eorum virtutibus debemus conjungere, ut oppoſita vitia ſuperemus; exempli gratia eorum puritati, ut carnis concupiſcentiæ; humilitati, ut ſuperbiæ; & ſic de reliquis, reſiſtamus. Verbo debemus ſimilibus in occaſionibus voluntatem noſtram in manibus bonorum Angelorum noſtrorum collocare, quibus major præ nobis cura eſt ſalutis noſtræ, & qui imitantur Nutrices, quæ ut plurimum alumnorum ſibi curæ mandatorum ſalutem ſine ulla comparatione impenſius quærunt, quam ſuam. Nam quamvis ſemper, & quomodocumque noſter bonus Angelus ſit admodum potens ad nobis opitulandum; tamen hoc ille facilius, & liberalius facit, cum hoc modo illi relinquimus animam noſtram; & ille non ſolum noſtræ ſtudet conſervationi, ſed multo magis nos tueri feſtinat, cum eorum voluntati nos totos permittimus, & tantum habemus donum, quo Deus nos illi donavit. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

Deus dat unicuique Angelum, qui nos cuſtodiat ab ipſo momento creationis noſtræ.

Si ex Sancti Hieronymi ſententia certiſſimum excellentiæ animarum noſtrarum argumentum eſt, ſcire Deum ſtatim ac illas creavit, demandare alicui ex Aulæ ſuæ Principibus curam illius, hoc tamen non admodum mirari debemus: quandoquidem hic ordo eſt Sapientiæ Dei, in quo elucet ejus Magnitudo, atque Majeſtas, cum cæleſtes has mentes tamquam Miniſtros ſuos in hoc Univerſorum regimine adhibeat. Sed intueri, hos immortales Spiritus, qui tantum nobis antecellunt ex natura ſua, & hac plenitudine beatitudinis, qua perfruuntur, nec non poſſeſſione ipſius Dei, qui ſummum eſt bonum eorum, intueri inquam creaturas has adeo nobiles, adeo perfectas, & humiles deſtinatas eſſe non ſolum regendis Principibus, atque Monarchis, ſed noviſſimo cuique ex populo; & ſcire illos omnem adhibere curam, ac reſpicere hoc munus ſuum, tamquam ceterorum maximum, & glorioſiſſimum, ita ut nomeo hoc deferant, & illud ſibi honori vertant. Hoc, auditores, omnes homines admirari debent, non ſecus ac argumentum gratitudinis ſuæ. Sed ad beneficii hujus magnitudinem concipiendam, notandum eſt, ſi vobis lubet in terreni Principis aula, duo eſſe miniſtrorum genera, qui variis occupantur muneribus, quæ ſunt æque neceſſaria. Alii quidem in Regiis Ædibus commorantur; Regi adſtant, eumque quovis comitantur: alii vero ad maxima quæque per ditionem agenda, & procuranda ultro, citroque mittuntur. Hoc ipſum accidit in Aula Cæleſti, cum hoc tamen diſcrimine, quod hæc duo officia ſimul inveniri poſſunt in iiſdem perſonis, quoniam, Evangelio teſte, iidem Angeli, qui noſtri curam gerunt in terra, non ceſſant eſſe in Cælo coram Deo:

Matth. 18.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt. Felicitas, qua perfruuntur, non prohibet quominus noſtris egeſtatibus ſubveniant; laudant, & benedicunt Creatorem, & creaturarum neceſſitatibus invigilant: In Cælo ſunt, ſimulque cum hominibus in terra converſantur. Hinc fit, ut beati Spiritus hi conſiderari poſſunt in duabus hiſce functionibus, quæ referuntur ad homines, quarum utraque exprimitur per nomen Angelorum, quod ex eorum officio, non autem ex illorum natura expreſſum eſt, ut Sanctus Auguſtinus ait, & quod Nuntios, Legatos, Miſſoſque ſignificat: quod Sanctus Bernardus feliciter paucis expreſſit: *Illos utique, & tuos ad nos, & noſtros ad te Angelos facis.* Puri Spiritus iſti, ait ille, ſunt tui ſimul, & noſtri: hoc eſt Nuntii ſunt hominum apud te, tuique apud homines Legati. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quanta ſit Dei Providentia, quæ nobis dedit Angelos.

Noſtis, Auditores, quovis tempore injuſte litem hanc divinæ Providentiæ intentatam fuiſſe, ipſam poſtquam creavit hominem operum ſuorum præſtantiſſimum, viſam eſſe dereliquiſſe illum omnibus obnoxium injuriis, miſeriis obrutum, omnibuſque ſubjectum neceſſitatibus. Qui ex Philoſophis cauſſam illius propugnandam ſuſceperunt, ad hujus Providentiæ Apologiam inſtituendam, ſatis eſſe arbitrati ſunt, aſſerere, huic homini datam fuiſſe rationem, ac ſpiritum parem proſpiciendo omnibus egeſtatibus ſuis, propulſando inimicorum impetus, & inveniendo ſalutarem malis omnibus medicinam: ſed certus ſum alios, quin hanc Dei Providentiam erga homines inſimularent, inceſſanter illam potius admiraturos fuiſſe, ſi hæc illis palam veritas hæc innotuiſſet, quam aliqui tantum ſubodorati ſunt; ſcilicet illi nequaquam ſatis fuiſſe, homini immittere mentem rationabilem, quæ intra nos eſt, & noſtri partem conſtituit, verum aliam etiam exteriorem nobis aſſignaſſe occultiſſimam æque ac amantiſſimam, ut nihil præterea concupiſcere valeamus. Videretur tantum abeſſe, ut nos dereliquerit Deus, ut conquerantur, ſed plura nobis conceſſiſſe tis, quæ ne ſperare quidem auſi fuiſſemus. Quamobrem Sanctus Bernardus ſe cohibere non poteſt, quin id cogitans exclamet:

Pſalm. 143.

Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei; aut quid apponis erga eum cor tuum? O Deus quid eſt homo, ut tantam illius curam ſuſcipias? Et quomodo meritus eſt, ut ad illius ſalutem apponeres cor tuum! Tibi ſatis non eſt ad nos miſiſſe Filium tuum, qui nobis eſſet exemplo; dediſſe nobis Spiritum ſanctum tuum, quo uteremur Magiſtro; niſi etiam beatis his Spiritibus hanc demandares provinciam; ut nobis cuſtodes adſiſterent. *Idem.*

Quantum Angelis debeamus.

Quamvis homo omnia debeat bonitati Creatoris ſui, id minime vetat, quominus Angelis debeat qui tanta diligentia hoc perfunguntur officio Nuntiorum Dei apud nos propter duo, vel tria præclara beneficia, quæ pertinent ad eum ſtatum, in quo in hac vita verſamur. Primum eſt, nos hic eſſe tamquam pupillos, qui cum ſimus filii Dei per gratiam nondum noſtra felicitate perfruimur. Anhelamus ad cæleſtem hæreditatem, quæ nobis promiſſa eſt, & quam expectamus: prima enim qualitas, quam gerimus ſecundum Sanctum Paulum, qualitas eſt filiorum, qui jure naturæ habere debemus tutores, & gubernatores ad inſtitutionem morum, & bonorum adminiſtrationem, donec per ætatem ſe ipſos regere valeant: *Quanto tempore hæres parvulus eſt ſub tutoribus & actoribus eſt.* Tempus vitæ hujus vere tempus eſt infantiæ noſtræ. Infirmi ſumus; parum nobis luminis eſt, parum conſilii, & plura ſubimus pericula. Hoc autem tempore, Sanctus Thomas ait in hæc Apoſtoli verba, Cuſtodes Angeli ſunt perſonarum noſtrarum tutores, noſtrorumque bonorum adminiſtratores. Noſtrum habita ratione Tutelares vocantur, & munere Præceptorum funguntur, qui nos erudiunt, qui nos noſtrorum admonent officiorum, & nos urgent, ut illis perfungamur; habita vero ratione bonorum vocantur adminiſtratores, quo in ſenſu nonnulli interpretantur illud Sancti Pauli verbum: *Ipſi ſunt adminiſtratorii Spiritus, iis, qui capiunt hæreditatem ſalutis.* Quatenus præceptores, efficiunt, ut curam geramus gratiarum Dei, quæ fulgurum inſtar prætereunt, quin ad illas animum advertamus: nobis explicant, quid ſibi velit Deus, & quid a nobis requirat; & cum ille tacet, & in nos animadverſurus ſubtrahit gratias ſuas, neque illas amplius generoſe largitur; tunc ſunt, Sanctus Dionyſius inquit, *divini ſilentii interpretes* ſecretis exprobrationibus ſuis, nos de noſtra negligentia corripiunt, nobiſque ſingillatim dicunt, quod unus illorum olim univerſo dicebat populo: *Noluiſtis audire vocem meam,* Jud. 2.
& cur hoc feciſtis? Noluiſtis audire vocem meam, & conſilia mea: quid feciſtis renuentes illa? omnia perdidiſtis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quotuſquiſque audit vocem interiorem Angelorum loquentium.

Vos auditores nunquam audire voluiſtis vocem, & verba Angelorum exprobrantium? Dicite quæſo: quod conſilium ſequimini, cum in alea bonorum, & conſcientiæ veſtræ jacturam facitis; cum voſmet mancipatis libidini veſtræ, cum viam juſtitiæ deſeritis, quam vobis indigitaverat Deus? *Noluiſtis audire vocem meam.* Vos Matronæ, cum luxum, vanitatem, ſocietates nimium in omnem licentiam effuſas deperitis: audiſtis ne ſapientis hujus Directoris conſilium? Non ita, ſed potius dæmonis, qui nullum non movet lapidem, ut perdat vos: ſed tandem aliquando vos exprobrabit; non ille quidem ſecreto, ſed coram omnibus: *Noluiſtis audire vocem meam.* Hic Angelus, ut omnia verbo complectar, fungitur apud nos Officii præceptoris, directoris, conſiliarii, moderatoris; quia hæc omnia in tutoris officio continentur. *Idem.*

Angeli ſunt tutores, & curatores bonorum noſtrorum.

Quod ad noſtra attinet bona, videmus leges tantam gerere curam rei œconomicæ pupillorum, ut jubeant tutores reddere rationem illius ære proprio: *Omnem rationem adhibere ſubveniendis pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquere omnibus volo:* Magnus inquit legislator. Sed lex hæc pro hominibus irrogata nunquam melius, quam ab Angelis obſervata fuit. Quam rationem, & curam non habent eorum omnium quæ poſſidemus; videlicet virtutum noſtrarum, meritorum, gratiarum, ac ſtatus interioris animæ noſtræ? Singula rationibus noſtris inferunt, bonas cogitationes, bona verba, bona opera, magna, levia, publica, ſecreta; eorum cauſſas, intentiones, quin ne unum quidem eos fallat. Orationi das operam; ne verbum quidem omittit, ſive ore proferas, ſive corde; Quoniam hæc omnia ſuam in Cælo mercedem ſunt habitura. Erogas eleemoſynam, minimum recens & obolum; quia inde creſcit theſaurus tuus. Pergis ad Eccleſiam, Xenodochia, carceres, noſocomia. Omnes greſſus tuos numerat; vigilias, jejunia, actus charitatis. Hi tituli ſunt quibus debetur hæc hæreditas. Fidelis iſte tutor omnia ſervat in depoſito. Lectioni vacas, meditationi, labori propter Deum? Horæ, & momenta diligentiſſime ad calculos referuntur; cumque adibis poſſeſſionem bonorum tuorum, rationem ſibi redditurus eſt; ad id enim ipſe infert in rationarium ſingula, eaque offert Deo, ut Raphael Angelus olim Tobiæ dicebat: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, abſcondebaſque per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. 12.
Auctor Sermonum in omnia argumenta.

De natura Angelorum.

In lege veteri Sadducæi aliique nonnulli Hæretici omnino negarunt Angelos, & omnes Spiritus, ut in Actis Apoſtolorum ſcriptum eſt. Poſt annos centum, Baſilidiani docuerunt Angelos ab Angelis, non ſecus

ac

ac ab hominibus homines naſci per naturalem propagationem. In lege nova Tertullianus contra Mareionem diſputans tribuebat illis ſolidam humanorum corporum ſubſtantiam; Origenes Platonem ſecutus corporeos eſſe arbitrabatur; Fauſtus Manichæus ſibi fingebat exercitus Spirituum innumerabilium, quos ex Dei ſubſtantia genitos aſſerebat; & Proclus Philoſophus docebat inferiores Angelos filios eſſe Superiorum. Hos omnes errores damnavit, & proſcripſit Eccleſia per ideam, & definitionem, quam nobis adſtruxit horum beatorum ſpirituum: videlicet Deum in ipſo ſæculorum primordio ex nihilo eduxiſſe omnia creata, non corporea tantum, verum etiam ſpiritualia; videlicet infinitam Angelorum multitudinem, qui jugiter permanerent coram throno divinæ Majeſtatis, futuri tamquam Miniſtri in illius voluntatibus exequendis. Hæc eſt Eccleſiæ doctrina ingenti numero ſacrorum teſtimoniorum confirmata, quorum alia eorum exprimunt potentiam, alia vigilantiam, alia denique in ope hominibus ferenda ſolertiam. *Ex pluribus Auctoribus.*

Senſus Patrum, & Doctorum de exiſtentia, & vario munere Angelorum.

Quin hoc in loco repetamus quidquam eorum, quæ de Angelis diximus in Concionatorum Bibliotheca, Sanctus Gregorius Magnus loquitur de ordine, qui adeſt in hac cæleſti Hierarchia, qui occurrit etiam in Sancto Paulo, aliiſque locis Scripturarum. Sanctus Ignatius Martyr eos omnes ſuis nominibus vocat. Eorum bis meminit Sanctus Irenæus in libris contra Hæreſes. Sanctus Clemens Alexandrinus in caput tertium Epiſtolæ primæ Sancti Petri, & animadvertit Apoſtolum hunc nominaſſe ordines ſingulos ex qualibet Hierarchia. Sanctus Athanaſius, Sanctus Ambroſius, Sanctus Hieronymus, & Sanctus Auguſtinus fuſius de illis verba fecerunt (ut videre eſt apud Patrem Coton pag. 64.) & apud Sanctum Dionyſium, qui creditur eſſe Areopagita, pag. 37. *Idem.*

Devotio erga Cuſtodem Angelum, & immenſa Dei bonitas illum nobis concedentis.

Deus nos adeo dilexit, ut ſingulis Angelum dederit nobis cuſtodem adhibens incomprehenſibili bonitate perfectiſſimas creaturas ſuis, & cæleſtes has mentes creatis ad ipſum contemplandum, eique inceſſanter ſerviendum in Cælo, ut noſtrum curam gerant. O immenſa Dei bonitas nil minus, quam Aulæ ſuæ Principem deputantis in cuſtodiam pauperis ſervi ſui! Et, ut egregie Sanctus Bernardus ait, nondum compos voti, cum jam miſerit ad nos Filium ſuum, nobis dederit Spiritum ſanctum ſuum, cumque nobis promiſerit perfruitionem ſui; ne quid reliquum eſſet in Cælo, quod ſaluti noſtræ non impenderit, nobis etiam mittat Angelos ſuos, eiſque præcipiat, ut noſtra ſint duces, atque doctores. Singulari honore, & dilectione illum proſequere, quem Deus tibi donavit: Semper tibi prope eſt ut te deducat, atque cuſtodiat. Ille bonas cogitationes immittit; in maximi momenti negotiis tibi aſſiſtit; in tentationibus fert opem, ſubſidiumque. Avertit a te mala plurima, quæ ingruerent, ſive animæ, ſive corpori, & bona tibi officia præſtare pergit, quo magis illius opem repoſcis. Quid huic duci, & patrono non debes? Igitur Angelum tuum venerare, & ubi tentatus fueris, ut pecces, memento præſentiæ illius; pudeat te facere coram illo, quod coram homine probo facere non auderes. Illum ſingulari amore complectere, temet illi quotidie commenda; precare, ut te regat, & invigilet ſaluti tuæ; ut ab omnibus vitæ hujus malis, potiſſimum vero a peccato, quod malorum omnium maximum eſt, prohibeat. *Gobinet in Inſtitutione Adoleſcentiæ.*

Quibus in occaſionibus invocandum ſit Angeli Cuſtodis auxilium.

Neque prætermiſeris confugere ad Angelum tuum in omnibus neceſſitatibus tuis, duabus vero potiſſimum in occaſionibus; quarum prima eſt, cum deliberas, & aliquid magni momenti faciendum aggrederis, in quo conſilio indiges, & præſidio. Ora Angelum tuum, ut te in hoc negotio deducat, ita ut illud nequaquam aggrediaris, niſi fuerit ſecundum voluntatem Dei, & pro Dei quidem gloria, tua vero ſalute, & niſi tibi adſtiterit, ut omnia feliciter cedant. Hæc ratio validiſſima eſt, ut tibi omnia feliciter vertant. Altera autem occaſio eſt, cum aliqua te invadat tentatio, & in periculo peccandi verſeris. Ubi videris, Sanctus Bernardus ait, magnam quampiam tentationem imminere, vel magnam accedere tribulationem, invoca Cuſtodem tuum, doctorem tuum; illum qui opportune adjutor eſt in neceſſitatibus tuis. Hoc remedium præſentiſſimum eſt in omnibus tentationibus, iis vero potiſſimum, quæ caſtitati adverſantur. Angeli virtutem hanc in deliciis habent, ejuſque patronos ſe exhibent, quia hæc efficit homines ſimiles illis, atque imitatores vitæ eorum prorſus puræ, atque cæleſtis in terram. Unde fit, ut mirum eſſe non debeat, Sanctus Ambroſius inquit, ſi Angeli protegant animas caſtas in terris Angelicam vitam ducentes. *Gobinet ibidem.*

Angeli noſtri ſunt mediatores apud Deum.

Hi cæleſtis Aulæ Principes adeo excelſi, ſapientes, atque potentes, ſunt Mediatores noſtri, atque Internuncii apud Dei Majeſtatem ad procuranda ſalutis noſtræ negotia; & ex hac ipſa præſentia, & adſpectu Dei, qui eorum gloriam, ſummumque bonum conſtituunt, hauriunt rationes ardentis hujus caritatis erga nos, perinde ac ſi felicitas eorum non eſſet niſi propter nos, & omnes illorum prærogativæ eo tenderent, ut illos aptiores, & promptiores ad nobis opem ferendam efficerent. Primum, quia hic adſpectus, qui hunc amoris ignem ſuccendit, quo flagrant pro hoc objecto divino, efficit, ut illius ardor reſiliat in nos. Cum enim videant inceſſanter faciem ejus, & in ejus corde legant immenſam caritatem, qua complectitur homines; amant, quod vident ab ipſo amari; cumque cuperent pro gloria ejus abſumi, videntes nos eſſe præcipuum hujus amoris objectum, nihil vehementius cupiunt quam nobis opem ferre, & eam, quam poſſident, felicitatem nobis communicare. Itaque, Auditores, ſi ex me quæſieritis, quid illos excitet ad nos tanto cum zelo adjuvandos, tantamque erga nos teſtandam caritatem, hanc unam afferam cauſſam; quia *ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt;* Matth. 18. Jugiter Dei faciem intuentur; ſemper adſtant coram illo: vident motus cordis ejus, & infinitam ejus erga nos caritatem. Divini hujus amoris omnes dimenſiones accipiunt, ſecundum quas ſuum componunt. Sanctus Paulus profecto efficere conabatur, ut illum ex effectibus intelligeremus; *Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum.* Ad Epheſ. 3. Sed ſublimes iſti Spiritus illum vident in ipſo Deo illuſtrati lumine gloriæ ipſius. Illius comprehendunt altitudinem, & profunditatem, cum vident hunc Deum Majeſtatis dignari obtutu ſuo creaturas adeo miſeras, quales ſunt homines. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Angelorum ſollicitudo in ope ferenda neceſſitatibus noſtris.

Tantum abeſt, quod ſublimes iſtæ Mentes ſe humiliari arbitrentur iis officiis, quæ nobis præſtant, ut glorioſiſſimum ſibi putent obſequi imperiis Dei, & ampliſſimum ſibi munus demandatum glorientur, ſe ſe devoventes, ut ita dicam, omnibus eorum neceſſitatibus, quorum Summus rerum Moderator curam illis demandavit. Vident hujus ipſius caritatis longitudinem, conſiderantes, ſe ab æterno eadem inflammatos fuiſſe, & primum cordis ſui motum fuiſſe, illos aſſociare velle propriæ felicitati; & hoc intuitu perennare cuperent zelum ſuum, ſuumque Miniſterium. Quapropter ab ipſo primo vitæ noſtræ momento initium faciunt, atque indefeſſo labore producunt ad extremum uſque vitæ noſtræ Spiritum, ſi pluribus ſæculis, totaque æternitate viveremus in terris nunquam ceſſarent ſuam in nos præ ſe ferre caritatem; illam quippe ſecundum longitudinem divinæ metiuntur. Ejuſdem denique latitudinem, atque extenſionem, nullis circumſcriptam terminis vident, quia nihil ille ad ſalutem noſtram prætermiſit, & arbitratus eſt, omnes labores, omneſque paſſiones ſuas, vitam, & ſanguinem recte impenſos fuiſſe pro cauſſa hac; & hæc divinæ caritatis immenſitas tribuit tantam extenſionem caritati erga nos horum beatorum Spirituum, ut illos quidquid aggredi, ac ſuſcipere cogat. Hoc nobis teſtatur Sanctus Auguſtinus loquens de Angelo Cuſtode: *Grandis eſt ei cura de nobis, & magnus dilectionis affectus erga nos, & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis caritatis, qua dilexiſti nos.* Illorum cura par eſt amori; ſed amor hic magnus eſt, & ardens per reflexionem ignitæ hujus caritatis, qua Deus nos proſecutus eſt: *Diligunt, quos tu diligis,* ſequitur ille, *cuſtodiunt, quos tu cuſtodis.* Nos amant, quia amamur a te, Deus meus! & amor, quo nos complectuntur, accenditur in hac fornace caritatis, quæ in te erga homines eſt ſuccenſa. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Felices ſumus habentes Angeles, qui apud Deum negotia noſtra procurant.

Quæ noſtra felicitas eſt, auditores, cum apud Supremum Univerſorum Regem, ac Dominum, Principem habeamus cæleſtis aulæ, qui ſimul gerit qualitatem Internuncii noſtri, noſtrique tutoris, atque Curatoris? Qui conſtanti amore nos diligit; qui, ut me expediam verbo, ſua putat intereſſe, noſtram felicitatem procurare: ita ut ſi fieri poſſet unquam, ut hic Deus bonitatis obliviſceretur amoris, & curæ ſuæ erga nos, hic Internuncius inceſſanter illi repræſentaret, quanti ſteterit illi hæc anima, quam adeo dilexit: cumque hic Patronus noſter ſincere nos diligat, nobis apud Deum ſumma cum fidelitate opitulatur, id unum cogitans, qua ratione nos, in ejus gratiam magis, magiſque promoveat. Dæmones, Apoſtatæ illi Angeli tantam inde concipiunt invidiam, atque indignationem, ut ad rabiem uſque ad deſperationem procedant: ſed fideles iſti Spiritus obſequuntur intentioni Domini ſui per affectum puriſſimum, atque ardentiſſimum, qui fingi valeat; etenim cum oriatur ex Dei corde non alium habere poteſt finem, quam ferendi nos ad Deum, tamquam fontem noſtræ communis felicitatis. *Auctor idem.*

Omnia nobis ab Angelorum ſubſidiis ſperanda ſunt, eo quod tantam gerant ſalutis noſtræ curam.

Sanctorum Angelorum poteſtas, atque gratia, tota ſemper, & jugiter nobis impenditur, ut noſtris neceſſitatibus conſulant. Sunt enim Angeli noſtri apud Deum; & ſciunt, ſe eo majorem gloriam conſecuturos, quo melius credito ſibi munere profungentur. Quid ergo nobis ab eorum ſuppetiis ſperandum non eſt? Quænam validior interceſſio? Quod medium va-

ſidius ad impetrandam aliquam a Deo gratiam, ſi hac uti noverimus occaſione? Si Legatus, qui reſidet in aula Principis alieni, flagitare conſuevit, ut ſibi aditus pateat ad Regem, ut de creditis ſibi negotiis ſermonem inſtituat; & ſi omnes induſtriæ ſuæ nervos intendit, ut exitum felicem conſequatur: nos agimus cum Deo per Angelum in illius Aula permanentem, per quem de magnis profecto negotiis tractamus. Non enim de temporali quapiam re agimus, ſed de Regni ipſius hæreditate, nec non de abſolutiſſimæ perfruitionis æternitate. Quot lites diſcutiendæ ſunt ſuper hac hæreditate? Quot nobis obſtant inimici? Quot conditiones nobis Deus ipſe proponit? Quot ipſi pacis conditiones proponimus? Cui nam tutius negotia hæc noſtra demandare poſſumus, quam huic Internuntio, & Curatori noſtro, cujus tanta eſt cognitio, fidelitas, zelus, atque potentia? Quoties fœdus inter animam noſtram, Deumque percuſſum, fractum eſt? Quis melius utriuſque negotia procurare poteſt Miniſtro hoc conſultiſſimo, & utrarumque partium amiciſſimo? Hic mulcet Deum ſceleribus noſtris irritatum; hic noſtram cauſſatur infirmitatem; hic repræſentat inimicorum noſtrorum laqueos, & inſidias, & quidquid divinæ indignationis violentiam imminuere poteſt, & flectere. *Idem.*

Angeli in lucro ponunt noſtra bona.

Angelis ſatis non eſt noſtra ſervare bona, ſed illa ponunt in lucro, quoad fieri poteſt, nihilque intentatum relinquunt, ut quam expectamus hæreditatem ampliorem reddant, & locupletiorem, quærentes, ubi noſtras Deo actiones præſentant, novas referre gratias, & per conſenſum noſtrum efficere, ut validiores, gravioreſque mereamur; neque enim quidquam illis antiquius eſt, quam aliquid ſemper adjicere bonorum operum, meritorumque noſtrorum theſauro. Ah! ſi illorum curis obſequeremur, vigilantiæ, atque intentionibus, quas in Cælo divitias, quos gloriæ theſauros, ut loquitur ſanctus Paulus, aliquando poſſideremus? *Quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis!* Tunc diceremus, quod junior Tobias dicebat Patri loquens de Angelo, qui illius curam ſuſceperat, quin illum cognoſceret: *Bonis omnibus per eum repleti ſumus.* Sed quam metuendum eſt, ne conſiliis ejuſdem minime obtemperantes amittamus omnia? Diſſipas quæcumque tanta cura ille tibi acquirit, & uno temporis momento, unoque crimine obliguris omnem meritorum acervum, quem hic ſundus tibi in manibus ejus produxit; ideoque ægre, & gravate fert a te diſpergi theſaurum illum, cujus ſequeſter eſt, atque cuſtos. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ad Epheſ. 1.

Exemplum junioris Tobiæ in creaturis omnibus invenitur.

Statim ac ſi aliquis in lucem prodit ſuum curriculum ingreſſurus, in ipſo primo aditu invenit, quod olim junior Tobias, qui longum iter ſuſcipere meditabatur: *Invenit juvenem ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.* Nactus eſt, Sacer textus inquit, Angelum ſub imagine adoleſcentis ad iter ingrediendum præcincti. Ineunt neceſſitudinem, ac ſocietatem; viam eamdem capeſſunt; alter dux eſt, alter ducem ſequitur; ſed heu? Itane ipſi nos, ut ille, fidelem hunc ducem ſequimur? Nobis hac iter ingrediendum indigitat, nos alio tendimus. Quoties cum in luſtra pergis, ac lupanaria, quoties cum pravos ſodales ſectaris, ac cæce ruis in temet perdendi occaſiones; quoties inquam tibi intrinſecus ea tibi repetit verba, quæ alius olim dixit Angelus ad Balaam: *Perverſa eſt via tua, mihique contraria?* Hic iter eſt ad interitum; hæc via certiſſime ducit in æternum exitium: tu nihilo ſecius prætergrederis, neque inſtitutum iter relinquis. *Idem.*

Num. 22.

Quare ex ſalutaribus Angeli Cuſtodes conſiliis non proficimus.

Si ſalutaria conſilia, quæ tibi nonnunquam bonus ſuggerit Angelus, cum prope eſt ut pecces, non gignunt in te impreſſionem, quam cupit; tunc, ut ita dicam, te manu arreptum educit ex periculo, & occaſione; non ſecus ac eorum quidam arripuit Lot de Sodoma, ut in tutum transferret. Quoties cum aberras in via iniquitatis, & recedis a Deo recedens ab officio, fidelis hic Cuſtos te increpuit, & revocavit? *Revertere in domum tuam;* tu vero clamoribus ejus aures tuas obſtruxiſti; cum ſemper in viam perditionis te procedentem non ideo dereliquit, ſed tibi ob oculos ſtatuit malum in quod temet implicabas, cave, ſiſte in gradum, in interitum ruis; nihil intereſt, ut ipſe reddidiſti, eo feſtinans, quo te rapiebat exempli vis, quo te pravæ ſocietates trahebant, & quo te tuum ſtudium ferebat. Mirum ſane! Mentes has circumagere cælos, & aſtra; regere motus, atque periodos magnorum illorum corporum, ſine labore, & difficultate; ab hominibus vero inutiles fieri omnes motus, & omnes impreſſiones illorum; & his placere magis ſuæ parere libidini, & cupiditati, quam beatorum horum Spirituum conſiliis? *Idem.*

Gen. 11.

Auxilium quod a Sanctis Angelis Cuſtodibus recipimus.

Pſalm. 90.

Cum in via, quæ ducit in cælum plurima occurrant pericula, ac jugiter in ſalutis diſcrimine verſemur; Angeli in ſingula momenta adſtant nobis opem laturi: *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* In lubrico, in occaſionibus periculoſæ plenus aleæ, in diſcriminibus manifeſtis ſive animæ, ſive corporis; *in omnibus viis tuis.* Sæpe ſecus oram abyſſi obdormimus, & ſi pauliſper procedimus, jam de nobis actum eſt, & tunc a ſopore excutimur per Angelum, non ſecus ac Petrus in carcere poſitus: *Surge velociter.* Adoleſcens, qui ingreſſus es in hoc commercium, & periculoſam hanc neceſſitudinem; Angelus vigilat, dum ſtertis adhuc in ſumma negligentia, atque in integra ſalutis tuæ oblivione. Ille tibi in auriculam clamat; *ſurge velociter.* Expergiſcere; ex hac egredere domo; frange vincula, quibus arcte teneris; fuge ocyus malum, ex quo non niſi per celerem fugam tibimet proſpicere vales. Modo nos interiori præſenſu monet qui unde proficiſcatur ignoramus, & quid ſibi velis, nos latet. Verum ſi noſmet contuliſſemus in eum locum, quo conſuevimus; ſi interfuiſſemus illi ſocietati, cui nos intereſſe decreveramus, de nobis jam erat actum: Neſcimus, quinam hanc deflexerit a capite noſtro tantam calamitatem: Sed illam a nobis avertit Cuſtos iſte Fidelis, qui nos in omnibus viis noſtris cuſtodit: *In omnibus viis tuis. Idem.*

Angelo Cuſtodi tria debemus.

Sanctus Bernardus ait, Angeli noſtri cuſtodiam tria nobis inſpirare debere; reverentiam, amorem, confidentiam. Reverentiam propter præſentiam; amorem, vel devotionem propter benevolentiam: confidentiam propter curam, quam noſtri gerit; Igitur Angelum tuum revertere, & cum tentatus fueris ut pecces, memento præſentiæ illius; pudeat te facere coram illo, quod coram viro bono facere non auderes. Illum ſingulari amore proſequere, temet in ſingulos dies illi commenda; illum etiam, atque etiam precare, ut tibi conſulat, ut a te omnia vitæ hujus avertat mala; peccatum vero præſertim, quod malum eſt malorum. Memento ad illum confugere in neceſſitatibus tuis, præcipue vero duplici in occaſione præ ceteris. Prima eſt cum deliberas &c. ut ſupra. *Gobinet pagina 43. paullo poſt principium.*

DE

DE RELIQUIIS SANCTORUM, EARUMQUE CULTU.

MONITUM.

JURE Propheta Regius affirmat, Deum eſſe mirabilem in Sanctis ſuis; *nihil enim aptius eſt ad ciendam admirationem noſtram ea cura, quam divina ſibi ſumit Providentia, ut Sancti ſui cum in Cælo, tum in terris colantur. Admirabilis eſt cum glorificat animas eorum in Cælo, & erit admirabilis, cum de ſepulcro educet corpora eorum per glorioſam Reſurrectionem, & reformabit illa ſecundum prototypum Salvatoris.* Cum venerit glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilis fieri in iis, qui crediderunt. *Verum audeo dicere non minus noſtras mereri admirationes, cum per Eccleſia ſua curas efficit, ut colamus pretioſas horum eorumdem corporum reliquias, quas in ipſo etiam tumulo glorioſas efficit propter pietatem confluentium populorum ad colendos illorum cineres, & oſſa, quæ in aris collocari permittit, eorumque ſacrum Translationis diem celebrari ſollemni cum pompa, & apparatu, eiſque debitum deferri cultum in præmium honoris, quod Sancti ipſi, dum viverent, Deo præſtiterunt.* 2. Theſſ. 1.

Nimis procul a propoſito mihi argumento diſcederem, ſi hoc in loco probare vellem cultum hiſce Reliquiis debitum; & modum, quo illis reddi permittit Eccleſia. Hoc ſatis prolixe apud Controverſiarum Scriptores invenitur diſcuſſum: mihi dicere ſatis eſt, hanc vetuſtiſſimam eſſe conſuetudinem infinitis comprobatam exemplis, & ab antiquiſſimis Patribus confirmatam; quamvis nonnunquam abuſus obrepſerint, cujuſmodi fuit adulterinas pro veris ſupponere, & earum ſacrilegam negotiationem inſtituere, quod Apoſtatæ Chriſtiani nonnunquam fecere; quod ipſum Hæreticis anſam præbuit generatim contra Reliquiarum cultum inſurgendi. Eccleſia illas tantum coli jubet, quas citra omnem dubitationem veras agnoſcit; quas hac in re cautiones adhibeat, & in his collectaneis cauſſas, & modum illas colendi, videbimus.

DE RELIQUIIS SANCTORUM.

EARUMQUE CULTU.

Cultus, qui adhibetur Reliquiis Sanctorum oſtendit, quid differat honor, quem homines præſtant amicis ſuis, & quem Sanctis adhiberi jubet Deus poſt mortem eorum.

HOc intercedit diſcrimen inter obſequia, quæ terrenis Principibus adhibentur, & quæ ſupremo Cælorum Domino præſtantur; quod ſi primi illi agnoſcunt eam, quam illis præſtamus, ſervitutem, donec vivimus, & adhuc illis utiles eſſe poſſumus, raro accidit, ut ſenſus iſti poſt mortem permaneant: vel ſi quem deferunt honorem memoriæ nominis noſtri in exequiarum noſtrarum pompa; hic honos paucis diebus perſeverat, quibus elapſi tumulus idem, qui tegit corpus noſtrum, obruit etiam gloriam noſtram oblivione, æternoque ſilentio. Sed Deus non ſolum amicis ſuis honorem adhiberi jubet, illis videlicet, qui ſervierunt ipſi, æternam illis in Cælis gloriam tribuendo: ſed vult etiam, ut hæc gloria poſt mortem eorum in terris læte refulgeat; & cum Mundi Optimates in oblivione delitescunt, & nemo eorum ſepulturæ locum inquirunt, & ubi eorum oſſa quieſcant, ſciſcitantur: amici Dei e contra, poſtquam ſæpe latuerunt in Mundo, & nonnunquam contempti fuerunt, exules, & exagitati, non ſolum in Cælo colantur, & invocentur, ſed etiam eorum cineres, & oſſa ſuper terram fiant objectum venerationis populorum, ac theſaurus Urbium atque Nationum: Quamobrem Propheta Regis dixit, *Nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.* Hæc autem duo, quæ Deum reddunt in Sanctis ſuis admirabilem: cura, quam ipſius gerit Providentia harum Reliquiarum; efficiendo, ut hæc honorentur corpora, quorum jam caro in pulverem redacta eſt; & virtus atque potentia, quam adjecit his oſſibus, atque cineribus pro ſalute, atque ſanctificatione eorum, a quibus coluntur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pſal. 138.

Deus Sanctis poſt eorum mortem reddit gloriam, quam contempſerant dum viverent, propter amorem ejus.

Quamvis Deus gloriæ ſuæ zelotes ſit, & pati nequeat eam ſibi ab aliquo uſurpari, aut dividi cum ipſo: illam tamen partitur cum amicis ſuis in præmium gloriæ Mundi hujus ab illis contemptæ; vel gloriæ, quam in hac vita illi procuraverunt. Ita enim Deus ipſe teſtatus eſt per os Prophetæ ſui: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Et ſane felicitas, quam illis præparat in Cælo, gloria dicitur: & dum inimici ejus, qui leges ipſius contemnunt, æternum erit objectum opprobrii, quemadmodum illis minitatur; iſti in æternum glorificabuntur. Illud vero mirabilius eſt, & cauſſa cæremoniæ hujus diei hæc eſt, quod præter gloriam, qua fruuntur eorum animæ beatæ in Cælo, & eam, quam reſervat corporibus eorum poſt reſurrectionem; perinde ac terminus iſte, quem Sapienter Providentia diſpoſuit, nimis procul abeſſet; nunc etiam aliam procurat gloriam accidentalem nonnullis amicorum ſuorum, ea cura, quam gerit efficiens, ut in honore habeantur ipſi etiam cineres, eorumque Reliquiæ, tamquam ſacra pignora, quæ ab aliis ſecernit per cultum, & venerationem populorum, ut innoteſcat, quid illi fuerint, & quid aliquando futuri ſint, & quod in præſentiarum quoque ſunt in oculis ſuis. Oſtendere inquam vult, quid fuerint; cum enim hic honor illis collatus non fuerit, niſi eo quod illum meriti ſunt, & gloria ſita ſit in cognitione meritorum perſonæ alicujus & eorumdem confeſſione, nunquam hæ pretioſæ coluntur reliquiæ, niſi habita ratione illius, quod olim fuerunt, videlicet Servorum, & amicorum Dei, & Sanctorum, qui in hoc terrarum orbe ſe ſe ſuper terrena omnia extulerunt per generoſum eorum contemptum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deus hoc pacto palam oſtendit quanti faciat Sanctos, quid fecerunt e corporibus ſuis ſuæ ſalutis inſtrumentum.

Sancti in corporibus vixerunt, quaſi eſſent extra corpora; vel potius maximum ſalutis ſuæ obicem in beatitudinis ſuæ inſtrumentum converterunt. Corpora enim ſua ſubjecerunt, mortificaverunt, & ex illis totidem Spiritus ſancti Templa effecerunt. Hinc fit, ut Sanctus tanto ſit in pretio coram Deo, ut Sanctus Paulus Apoſtolus loquens de Sanctis legis antiquæ, aſſerat Mundum nequaquam dignum fuiſſe, qui eos poſſideret: *Quibus dignus non erat Mundus*; ideoque illos extollat ſuper omnia, quæ in hoc mundo intuemur, ſuper Cælos, Sydera, elementa, quidquid noſtram merentur admirationem. Neque miror; quandoquidem ad producenda hæc omnia, quæ oculos noſtros perſtringunt miracula, Deus uno tantum uſus eſt verbo; ſed ad Sanctum efficiendum, quot gratias impendit, quot interiora verba, quot afflatus, & inſpirationes? Sanctis vero quot ſuſtinenda fuerunt certamina, quot ſalutis inimici ſuperandi? ac tandem quot victoriæ de ſemet ipſis reportandæ? *Idem.*

Ad Hebr. c. 11. Ecce quomodo Deus in honore habet Sanctos, quos homines ſæpe contempſerunt & male acceperunt. 1. Cor. 4.

Hæc ea ſunt, quæ coram Deo Sanctos commendant. Mundus ſæpe illos dedignatus eſt, dum viverent; quia non novit illos; ſæpe etiam illos perſecutus eſt, & tamquam opprobrium hominum, & plebis abjectionem deſpexit, ita enim Apoſtolus loquitur; *Omnium peripſema uſque adhuc.* Sed fecit Deus, ut poſt obitum ſuum in honore haberentur, & cineribus eorum fieret quædam repa-

ſa carie confecta, luxata, ſejuncta, & ſi placet ſemiputreſcentia; ſed illa intueri debemus, tamquam cæmenta templorum dirutorum, quæ ſunt adhuc auguſta propter Miniſterium, in quo olim uſurpata fuerunt, cumque illa video in altaribus noſtris expoſita, mihi videor poſſe illis dirigere hæc Prophetæ verba: *Oſſa arida, audite verbum Domini*. Oſſa ſacra quidem, licet arida, audite verbum Domini; anima veſtra cui olim conjuncta fuiſtis, modo in Cælo eſt; ubi juges concinit laudes Deo expectans, ut aliquando vos iterum cum illa conjungamini; Sed quandoquidem divinæ juſtitiæ poſtulat ordo, ut adhuc in terra maneatis, audite ſaltem laudes, quas per occaſionem veſtram illi tribuimus, eo quod ſeſe adeo præbuerit admirabilem in Sanctis ſuis. Sed illuſtres, & glorioſæ reliquiæ! Facite etiam aliquid amplius præterquam audire laudes, & benedictiones, quibus illum cumulamus. In caput noſtrum detrahite gratias ejus, & beneficia per eam potentiam, & auctoritatem, quam vos animæ Sanctæ habetis apud Deum! Hoc innuere voluit Regius Propheta per illa verba: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. *Auctor idem*.

Ezech. 37.

Pſalm. 138. Deus nobis concedit gratias per interceſſionem SS.

Deus vulgo gratias, quas nobis largitur, modo concedit precibus, quas alii viciſſim pro aliis fundimus; & modo petitionibus noſtris in gratiam amicorum ſuorum, qui ſuam apud illum auctoritatem, & potentiam oſtendunt per ea beneficia, quæ nobis quotidie obtinent. Dico autem hoc ſæpe fieri in gratiam Reliquiarum Sanctarum. 1. Civitatibus, & nonnunquam populo univerſo per ſingulare patrocinium, quod hæc ſacra pignora illis promerentur. 2. Perſonis piis, quæ illa ſingulari cum pietate, ac fiducia reverentur; & 3. Ipſis etiam nequiſſimis peccatoribus, quandoquidem nihil validius eſt, ad illos impellendos, ut vitæ rationem mutent, quam exemplum eorum, quos hæ Sanctæ Reliquiæ oculis ipſorum ſubjiciunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Utilitas, quam Populi percipiunt diligentes ſub Sanctis pro Patronis, & Protectoribus

Populorum has pretioſis Reliquias poſſidentium ſenſus eſt, conſiderare, & invocare Sanctos, qui illis ipſis reliquerunt, vel quorum lypſana divina illis conceſſit Providentia, tamquam Patronos, & Mediatores ſuos apud Deum, & non pauci ſunt etiam, qui hanc protectionem ſenſerint per inſignes effectus, & ſæpe etiam per manifeſta miracula. Hoc mihi in mentem revocat, quod legimus in Scripturis; Cum Populus Dei de Ægypto egreſſus eſt, peculiarem habuit curam deferendi ſecum oſſa Patriarchæ Joſeph, quæ in toto illo itinere conſervavit, tot inter rerum diſcrimina, & pericula. Factum hoc omnibus cognitum eſt, & ab ipſa Veritate comprobatum. Sed noſtiſne, cur juſſerit Deus, Moyſem curam ſuſcipere? Non ſolum, ut nonnulli Sancti Patres inquiunt, ne oſſa illa remanerent amplius in regione idolorum cultrice, ubi caruiſſent honore, quem Dei Populus illis adhibebat, ſed præſertim, ut aſſerunt alii, ut cum Iſraelitis traducendi eſſent horrentia deſerta, ac terribiles hoſtes ſuperandi, antequam viam ſibi facerent in terram promiſſam: verbo, cum plurima illis obeunda eſſent pericula, haberent in hoc ſacro depoſito, pignus, & vadimonium protectionis Dei, qui eduxerat illos de Ægypto. Ita illi certi erant cum ſacræ illæ reliquiæ eadem obirent pericula, quæ ipſi, in tanta bellorum varietate, Deum ſacrum illud depoſitum tuentem, illos etiam tuiturum in ejus gratiam, & ipſos illud tamquam clypeum oppoſituros eſſe omnibus hoſtium incurſibus. Hoc ipſum dicere poſſumus, Chriſtiani, de his pretioſis reliquiis, quas ob oculos habetis: hæ ſunt certum pignus protectionis Dei: anhelamus non ſecus ac populus Iſrael ad terram promiſſam; ſed heu! quot nobis ſuſtinenda ſunt prælia? Quot ſuperandi inimici? Quot evitanda pericula! Sed Sacrum hoc depoſitum vobis Cæli protectionem ſpondet; & hæc ſententia alte adeo impreſſa fuit in mente populorum, ut pauci ſint inter Chriſtianos, qui non ſibi aliquem hujuſmodi protectorem elegerint. *Idem*.

Populi ad SS. reliquias tamquam ad urbium propugnacula confugiunt. De vita S. Babylæ.

Cum populi reliquiis, vel aliquam inſignem corporis partem poſſident, ad Sancti illius preces in publicis neceſſitatibus perfugiunt; eumque objiciunt furori hoſtilium armorum, tamquam vallum aliquod, quo ſe ipſos tuentur. Quamobrem S. Chryſoſtomus inquit: *Oſſa Sanctorum tamquam turres, muniunt Eccleſias*, quod aſſerunt etiam Concilia Nicænum, & Lateranenſe ſub idem fere tempus, & Eccleſiaſtica Hiſtoria ſcatet exemplis auxilii, quod Cælum in eorum gratiam conceſſit. Hinc factum eſt, quod in primorum Fidelium idiomate, id genus Reliquiæ vocarentur *Patrocinia*, pignora, arrhæ validæ protectionis. Sufficit mihi S. Joannis Chryſoſtomi teſtimonium, qui magnam ſermonis partem, habiti in translationem Martyrum ex Ægypto Conſtantinopolim, occupat veritatem hanc probaturus, præferens aſylum hunc mœnibus, & urbium propugnaculis: *Sanctorum corpora quovis adamantino, & inexpugnabili muro tutius nobis urbem communiunt*. Quis ergo me prohibebit, Fideles, quo minus dicam, Sanctas Reliquias, quas in hoc Templo poſſidetis, ſimul eſſe theſaurum veſtrum, perfugium, ac propugnaculum? Quamvis enim Deus non ſemper manifeſta operetur miracula, alia non deſunt, quæ quia

In 'no' Martyrum Ægypti.

nos latent, non ideo minoris facienda ſunt. Quis enim aſſerit Sanctorum preces non detorſiſſe a capitibus veſtris flagella iræ Dei, cum ſumpturus pœnas de graviſſimis, publiciſque ſceleribus, jam jam moliebatur immittere atram luem, bellum, famem, meſſium ſterilitatem, aliaque mala, quibus ſolet pœnas de hominibus in hac etiam vita repoſcere? Hoc Deus aliquando nobis ſignificavit, & procul dubio ad noſtram pertinet utilitatem, hæc ſubſidii genera experiri, quæ a nobis impendentia detorquent mala, quam Sanctorum ope liberari, poſtquam acciderunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Sed quandoquidem quilibet privatus facilius propriis movetur utilitatibus, quam publicis, dico favores, quos ſinguli expectare poſſunt, nobis oſtendere, quantum diligat Deus hæc pretioſa depoſita; & magnum Concilium Nicænum, quod probat, & commendat cultum reliquiarum, nobis vadimonium præſtat potentiæ, & auctoritatis Sanctorum, quorum ſunt hæ pretioſæ reliquiæ apud Deum, illas vocans *fontes ſalutis*; & veræ admirabiles curationes, quas dignatus eſt Deus illis largiri, qui eas petierunt in earum gratiam, & quas adhuc quotidie largitur, oſtendunt hos vere inexhauſtos eſſe fontes beneficiorum. *Idem*.

Beneficia, quæ privati obtinent per protectionem SS. quorum colunt reliquias.

Omnis e mundo auferenda eſt humana fides, neganda ſunt acta probatiſſima, ac fideliſſimi teſtes improbandi, ut ſuſtineamus tot curationes ad Sanctorum tumulos factas in gratiam reliquiarum eorum, totidem eſſe calumnias ad fallendam populorum credulitatem, & alendam ſimplicium pietatem; hæc potius eſt iniquiſſima ludificatio, quam Religionis inimici adhibuerunt. Et ſane quis mendacii audebit arguere S. Auguſtinum narrantem admirabiles curationes, quas ipſe oculis ſuis uſurpavit in tranſlatione corporum SS. Gervaſii, & Protaſii, vel S. Ambroſium in iis, quæ ſcripta reliquit tamquam teſtis oculatis miraculorum Sanctorum, quorum reliquias aſſervabat ſummo cum honore in Eccleſia ſua, & qui fidele perhibet teſtimonium beneficiorum, quæ ſeſe extendebant uſque ad finitimos populos, & ad eos præſertim qui Sancta hæc corpora venerabantur? *Non clauditur locis*, inquit ille, *quod diffunditur meritis. Invocaſti ubique Martyrem, ubique te exaudit ille, qui honoratur in Martyre*. Falſi nomine inſimulandus erit S. Gregorius Turonenſis ob ea, quæ ſcripſit de S. Martino Magno? & ſi huic ludificationi patefecerit locus, quæ in Mundo reliqua fides erit, & quid certum erit; neque dubitandum? *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Fides habenda eſt miraculis, quæ fiunt per interceſſionem SS. quorum ſunt reliquiæ.

Serm. de SS. Mart. Nazar. & Celſo.

Sin autem dixeris, miraculoſas hujuſmodi curationes, aliaque beneficia, quæ Reliquiarum virtuti tribuimus, eſſe infrequentiora, ac rariora hodierna die, quam olim extiterint; non inde oritur fideles perinde ac Sancti, quos colimus in pretioſis eorum reliquiis, non eamdem habeant virtutem, quam ſemper habuerant apud Deum; ſed inde oritur diſcrimen, quod ipſi minorem habemus fidem, minorem fiduciam, minorem Religionem. Qui ſe ſpiritus fortes jactitant, & nil credunt, niſi quod vident, illa videre non merentur, illorum curioſitas non minimus eſt obex, ne ſaluberrimi fontes illi defluant, & licet hæc miracula in oculos irruerent, ut ita dicam, nec aliquis illa inficiari poſſet, ſtupor, & admiratio ſola fructus eſſet, qui inde perciperetur, quemadmodum inquit S. Auguſtinus de Judæis: qui ea, quæ Mundi Salvator operabatur, *mirabantur* quidem, *ſed non convertebantur*. Sed petamus gratias ſpirituales, quæ nobis ſunt magis neceſſariæ, & quæ longe pluris faciendæ ſunt; petamus virtutes, & victoriam de vitiis noſtris; has certiſſime impetrabimus per virtutem pretioſorum horum pignorum: quæ in hoc potiſſimum ſenſu fontes ſunt gratiæ, & ſalutis, & ſubſidia contra inimicos ſupremæ noſtræ felicitatis, S. Joannes Damaſcenus inquit: *Fontes nobis ſalutares Dominator CHRISTUS reliquit, Sanctorum Reliquias, multimoda beneficia ſcaturientes*. Hac mente in Eccleſiis, & in Altaribus exponuntur, ut offerentes Deo preces noſtras, ac exponentes illi noſtras neceſſitates, meminerimus adhibere pro Mediatoribus Sanctos, quorum intuemur lypſana; quaſi innuere vellemus, cum indigni facti ſimus per noſtra ſcelera, quorum preces ab illo exaudiantur, illum obſecramus, obteſtamurque, ut ſuam nobis gratiam largiatur per merita amicorum ſuorum, ipſum pro nobis in Cælo deprecantium. *Idem*.

Miracula SS. cur quam olim infrequentiora, quia fides noſtra imminuta eſt.

Tract. 39. in Joann.

Maxima, & incompatabilis utilitas, quam inſignes etiam peccatores percipere valeant ex Reliquiis Sanctorum, & ratio potiſſima, propter quam permittit Deus, ut in terris colantur, eſt, ut illas ob oculos habentes magis afficiantur exemplis Sanctorum; quorum actiones, virtutes, & Sanctitatem in mentem revocant. Quæ Magni etiam Chryſoſtomi ſententia eſt: *Eam ob cauſſam*, ait ille, *Sanctorum Reliquias nobis conceſſit Deus; ut nos ad ſe eorum imitatione perduceret*. Hæ nobis exemplo ſunt, & prototypo, ut Sancti efficiamur, animamur ad multa propter Deum ſuſtinenda in conſpectu Reliquiarum Martyris, eo modo quo miles ſtrenuus videns gladium, & arma eximii ducis, reminiſcitur, hæc fuiſſe inſtrumenta victoriarum, quas ille reportavit; ac intus ſentit ſibi ſuam ignaviam exprobrari, &

Fructus, quos inſignes etiam peccatores ex SS. Reliquiis percipiunt.

L. 4. de Fide cap. 16

ad

ad hujus objecti intuitum confirmari. Ita poteſt ne melius in Chriſtiani ſpiritu excitari memoria virtutis, heroicarumque actionum Sanctorum, quam oſtendendo corporum eorumdem reliquias? Ecce hæc corpora, & membra, ſibimet inquit, quæ cæſa, & ſciſſa fuerunt pro fide tuenda? Ecce manus, quæ tot eleemoſynas erogarunt, & tot opēs in ſinum pauperum effuderunt? Ecce oſſa, quæ adhuc retinent notas ſuppliciorum, atque equuleorum quibus fracta fuerunt: revocatur ad intuitum cinerum ſuorum memoria flammarum, a quibus ita abſumpta fuerunt; & interior gratia hæc objecta concomitans, movet cor, ibique ſaltem excitat deſiderium aliquid efficiendi pro Deo, ſi minus illorum conſtantiam, ingentiaque facta eorum exæquat: Ita ut inter omnes repræſentationes, quæ in nobis cient memoriam virtutum Sanctorum, hæc Reliquiarum vividior ſit præ omnibus, & potentior ad excitandos motus homine Chriſtiano digniſſimos. Eorum imagines, & ſimulacra ad vivum expreſſa faciem eorum facilius nobis repræſentant; ſed colores illi, mortui ſunt, & figuram tantummodo nobis proponunt: eorum ſcripta, ſi quæ nobis reliquerunt, præſentant ſenſus, quos habuerunt, dum viverent; eorum hiſtoriæ, quibus actiones illorum narrantur, profecto minutiſſimas earum circumſtantias nobis exhibent; ſed locorum diſtantia, ac temporis intervallum imminuunt ſenſum, quem recentis facti narratio produceret. Sed cum vitæ eorum exempla ſunt veluti depicta, & repræſentata in pretioſis hiſce ipſorum reliquiis, longe aliter nos afficiunt; uti refert S. Ambroſius de pluribus Martyribus, quos ille ex eorum loculamentis juſſit educi. Univerſus Mediolanenſis populus iiſdem pietatis, ac devotionis ſenſibus affectus fuit, æque ac ſi teſtis fuiſſet eorum Martyrii; vulnera enim, profundæque eorum cicatrices, quæ adhuc in Sanctis illis corporibus apparebant, & ſanguis, quo illorum ſudarium adhuc rubebat poſt ſæculum elapſum, tantum pietatis in ſpectatoribus excitarunt, ut nemo non lacrymis madidos, ac ſuffuſos haberet oculos ad hujus ſpectaculi intuitum, & nemo non animaretur ad patiendum propter Deum, & ad ſerviendum illi, qui novit paſſionum, & ſeveritatis noſtræ merita remunerari. *Auctor idem.*

Sancti per Reliquias ſuas nobis viam monſtrant, quam ſequi oportet.

Sanctorum Reliquiæ totidem ſunt exempla, quæ oculis noſtris proponuntur, ut vias nobis oſtendant, quas Sancti ſecuti ſunt in Cælum profecturi: & hoc præcipuum eſt Eccleſiæ Conſilium illas publicæ venerationi exponentis, quemadmodum palam Tridentina Synodus docet: *Sanctorum Reliquiæ, tamquam ſalutaria exempla fidelium oculis objiciuntur, ut ad eorum imitationem mores componant*; ut hoc medio concipiamus recentia bene vivendi deſideria, eorumque virtutes imitandi, quaſi nobis diceret Eccleſia: Hæ ſunt reliquiæ eorum, quos non perſecutiones, non paupertas, non ærumnæ, non omnia vitæ hujus mala ſeparare valuerunt a Caritate Dei; cui nos tanta cum ignavia famulamur. Hi ſunt cineres, & oſſa Martyrum, qui maluerunt millies mori, quam animæ vitam perdere, & millies corporis vitam pati, quam peccati mortem ſuſtinere. Hæ ſunt Sanctarum Virginum reliquiæ, quæ puræ fuerunt corpore, & ſpiritu, & nos docent, quod nihil coinquinatum intrare poteſt in Cælum: & eos tantum, qui mundi ſunt corde, viſuros eſſe Deum. Hæc tandem ſunt depoſita Sanctorum Confeſſorum, qui auſteram duxere vitam, & duriſſimas exercuere pœnitentias, ſed qui exemplo ſuo nobis dicunt, Cælum non niſi via hac rapi poſſe. Quod ſi eorum exempla ſequi refugimus, erunt aliquando judices noſtri, ac teſtes, qui nos accuſabunt ante tribunal Dei, cum poſt reſurrectionem hæc eadem corpora apparebunt amicta gloria, & reſurgent ex hoc loco, & hoc Templo, ubi depoſiti loco aſſervantur; & poſtquam noſtri fuerunt Protectores, Advocati, ac Mediatores, nos accuſabunt, quod ſatis fuiſſe rati, eos laudibus extollere, eorumque virtutes admirari, quæ erant quodammodo primæ reliquiæ, quæ nobis reliquerunt; illas imitati non ſumus eodem tempore, quo illas venerabamur; quandoquidem hæc una erat via, qua æternæ eorum gloriæ conſortes evadere poteramus. *Idem.*

Seſſ. 25.

De devotione erga Sanctorum reliquias.

Voſmet proſternitis coram reliquiis Martyrum, qui rotis affixi, atque in medio flammarum cruciatibus obruti reſpiciebant carnifices ſuos, atque tyrannos peramanter, & flagrabant deſiderio illos Sanctos, ſalvoſque faciendi. Cum veſtra vos pietas ad eorum tumulos adducit, vel ad aras oſſibus illorum locupletatas, procul dubio non recordamini illis non fuiſſe ſenſus, aut cor Mundi ſectatorum, qui ſtylo adeo magnifico celebrant animi robur infeſto animo in inimicum ſævientis. Hoc eſſet, nulla veſtrum ratione habita, vobis illudere, majorem in lucem proferre comparationem, quam vobis facere inſtitui; Religio veſtra deteget vobis, quidquid in ea continetur, quod humiliare vos poſſit. Si mihi redditis, hos Sanctos, hos Martyres, quorum Sanctitas claruit per amorem, quo perſecutores ſuos coluerunt, heroes eſſe Chriſtianiſmi, & Eccleſiæ; & non eſſe vulgarium animarum, quales ipſi ſumus, adniti ad eum gloriæ apicem, quem aſſecuti ſunt; huic reſponſioni ſubjiciam quærens ex vobis, quomodo ſimul conciliari poſſit, & gradus, quem tenent inter Electos, & peculiaris honor, qui debetur illis; ſi verum eſt noſmet conformari debere Mundi judicio, qui tantam nanciſcitur fortitudinem in ultione, tantamque ignaviam in venia? *Sermones Patris la Poſſe Tome 5.*

Duo varia obſequia, quæ præſtat Sancta Eccleſia.

Cum Sancti, quos colimus, conſtarent corpore, & ſpiritu, cumque utrumque impenderint in obſequium Dei: Eccleſia ducta Spiritu Sponſi ſui, duos anni dies elegit, ut illis duo diverſa præſtet obſequia. Etenim natalitio eorum die, colit eorum ſpiritum; die vero tranſlationis reliquiarum ſuarum, veneratur corpus eorum, gratulatur honores, quos ab hominibus recepit, & miracula, quæ Deus per illius cineres operatur. Et profecto æquum eſt, ut corpus, quod adeo fideliter ſervivit ſpiritui, particeps fiat remunerationis ejuſdem, & antequam de pulvere educatur in ſepulcro ſuo fidelium obſequia recipiat. Quamobrem, Auditores, ſatis non eſtis arbitrati unum elegiſſe diem, quo celebretis introitum animæ Sancti N. in Cælum, hunc etiam eligitis, ut triumphum corporis ſui celebretis ſuper terram. *In Panegyrico S. Benedicti Patris Senault Oratorii. Tome 2.*

Impii ſolum renuunt venerari SS. Reliquias.

Ambr. in natali SS. Nazarii, & Celſi Serm. 95.

Infelix hoc ſæculum fert impios, qui improbant eam reverentiam, quam natura probat miraculis, & qui putant non poſſunt honorem adhiberi corporibus ſenſu, vitaque carentibus. Per vos mihi liceat illos impugnare argumentis, quibus S. Ambroſius uſus eſt, & cum hoc Sanctiſſimo Doctore illis rationem reddere cauſarum æquiſſimarum, propter quas Eccleſia SS. Reliquias veneratur. *Quid honoras*, Magnus hic Doctor ait, loquentem inducens aliquem e grege horum impiorum, *in carne conſumpta, atque jam reſoluta, de qua nulla jam Deo cura eſt?* Verum, non meminiſti amplius, reddit illi Sanctus Antiſtes, verborum, quæ eadem Veritas protulit per os Prophetæ? *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Numquid oblitus es aliorum, per quæ Scriptura teſtatur: *Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, & unum ex his non conteretur?* Verum quoniam auctoritas apud te non valet tantum quantum ratio, ſcias, me *honorare in carne Martyris exceptas pro CHRISTI nomine cicatrices*; ſcias me honorare *Viventis memoriam: perennitatem virtutis*; ſcias me honorare *per Confeſſionem Domini ſacratos cineres*: ſcias me honorare *in cineribus ſemina æternitatis*; ſcias tandem me honorare *corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Pater Senault in Panegyrico S. Benedicti.*

Pſalm. 115.

Pſalm. 33.

Argumentum, quo utitur S. Ambroſius, ut cogat impios venerari Reliquias SS.

S. Ambroſius homines æquo liberiores rubore ſuffundens, concludit mortales poſſe quidem Sanctorum noſtrorum Reliquias colere, quandoquidem dæmones ipſi colunt illas, & ſuperbi ſpiritus iſti reformidant in eorum ſepulcris illos, quos in ſuppliciis afflixerunt. Ne igitur mirum vobis videatur, ſi Sancti N. cineres veneratur Eccleſia. Si Europa illi tot extruxit altaria, & ſi Deus ipſe tot illi honores procurat, poſtquam illum, dum viveret, mortificavit, eumdem poſt mortem excitat, & generalem præveniens reſurrectionem, illi ſuper terram nonnulla immortalitatis bona communicat. *Idem.*

Quomodo SS. corpora ab aliorum corporibus differant.

Corporibus Sanctorum non idem accidit quod aliis odoriferis. Cum hæc computreſcere incipiunt, bonus exiſſat odor, & in graveolentem mutatur. Sed cum Sanctorum corpora in terra putreſcunt, ex eorum ſepulcris cæleſtis odor exhalat, qui grati ſſimo ſuffitu Cælum, terramque lætificat. Certum eſt tamen, cum Eccleſia ſapientiſſime regulas inſtituerit pro publico honore, qui Sanctis debetur ad prohibendum cultum voluntarium, quod adeo Religioni veræ adverſatur, ac ad infinitos abuſus tollendos, qui inter fideles obrepere poſſent, expectandum eſſe Eccleſiæ hujus oraculum, antequam peculiaris devotionis noſtræ motum ſequamur. Oportet, ut veritatis Magiſtra per os Supremi Paſtoris loquatur, & certos faciat filios ſuos, eum, quem Sanctum putant, re vera talem eſſe. Oportet, ut illic aperiat ora, & ſolvat linguas, ut tuto laudibus Sanctorum reſultent. Pietas omnis, quæ Eccleſiaſticis non regitur inſtitutis, eſt irregularis, fallax, inutilis, & errori obnoxia. Sexcenta nobis ſuppetunt exempla in hiſtoria Eccleſiaſtica: Quamobrem vetus Eccleſia fuit adeo ſollicita in excutienda eorum qualitate, qui Martyrii palmam conſecuti videbantur, & antequam Epiſcopus recognoviſſet diligenti examine illos Orthodoxam fidem fuiſſe profeſſos, & vere pro JESU CHRISTI cauſſa mortem oppetiiſſe, eorum Reliquias venerari licebat nemini. *Godeau in Epiſcoporum Elogiis, in S. Franciſci Saleſii Elogio.*

Quare utile ſit SS. Reliquias venerari.

Sanctorum reliquiæ ſervari, & coli poſſunt; 1. Quia fuerunt Templa Spiritus ſancti, & membra JESU CHRISTI. 2. Quia inſtrumenta fuerunt ad victoriam de Mundo, & inferno referendam, & efficiendum, ut JESUS CHRISTUS regnaret. 3. Quia aliquando reſurgent iterum animabus ſuis conjungendæ, & cum JESU CHRISTO regnaturæ. Illas in honore habemus habita ratione Sanctorum, quos colimus, & aſſervamus quidquid ad illos pertinuit; & quia hæc pretioſa ſunt lypſana eorum, qui fuerunt Patres noſtri in Fide, & quos Deus nobis dedit tamquam prototypos, in virtute imitandos. Honor, qui Sanctorum reliquiis adhibetur, æquiſſimus eſt, ſacris innititur Scripturis, ubi legimus a Deo ſæpe miraculis fuiſſe comprobatum. Biblia Sancta

teſtantur, Eliæ pallium effeciſſe, ut Jordanis aquæ dividerentur; ut Eliſeus ſiccis pedibus flumen traduceret: mortuum tactu corporis Eliſei mortui reviviſceret; ut mulier, quæ jampridem fluxu Sanguinis laborabat ad tactum veſtium JESU CHRISTI convaleſceret: ut populi catervatim confluentes, ut Sanctum Petrum tranſeuntem viderent, ejuſdem umbra ſanarentur; ut ſudariola, quæ tetigerant Corpus Sancti Pauli, omnia morborum genera curarent, & dæmonia ejicerent. Non ideo tamen illis idem adhibetur honor, qui Deo præſtatur; quæ idololatria eſſet, atque abominatio. Hic nihilominus honor vetuſtiſſimus eſt, eſt enim conſuetudo Traditionis Apoſtolicæ, ex confeſſione eruditiſſimorum Proteſtantium in ipſis etiam prioribus ſæculis in praxi poſita. Eccleſia ſemper coluit Reliquias Martyrum, aliorumque Sanctorum, quorum Sanctitas authentice fuit recognita. Hic idem honor tribuitur illis, quos Confeſſores vocamus; & cultum hunc Deus maximo miraculorum numero, quæ ad eorum tumulos facta ſunt, comprobavit; Quorum plura videri poſſunt apud Sanctum Gregorium Turonenſem, unum ex Succeſſoribus Sancti Martini, qui multa etiam narrat, quæ Sanctus idem in ipſo Scriptore operatus eſt. *Auctor Recens.*

Authoritates Scripturæ & non illorum Patrum.

Scriptum eſt in Exodo capite 13. Moyſem, cum jam diſceſſurus eſſet cum populo univerſo, quem eduxit de Ægypto, honorifice ſecum abſtuliſſe oſſa Patriarchæ Joſeph, & mox illa in agro Sichem contumulaſſe; Regum tertio, Leonem Propheta neſcio ejus corpus ſervaſſe. Eodem in libro Pallium Eliæ ſcidiſſe Jordanem fluvium, ejuſque curſum retardaſſe. In Libro eodem ſcriptum eſt, mortuum corpus ad contactum oſſium Eliſei Prophetæ revixiſſe, ideoque a Filio Syrach vocatum *Prophetam poſt mortem*. In Sancti Marci capite quinto legimus, Mulierem, quæ jam annum duodecimum ſanguinis fluxu laboraverat, & multa a Medicis paſſa fuerat, audito JESU CHRISTI Nomine per confertam populi turbam veniſſe, ac illius veſtem tetigiſſe, intra ſe dicentem; ſi tetigero ſolum fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero; & reipſa convaluiſſe: Apud Sanctum Lucam 11. Dominus noſter nonne Judæos reprehendit, quod monumenta ædificarent ſuper oſſa, & corpora Sanctorum prophetarum? ſed illos miſeros vocat, quod erant filii eorum, a quibus Prophetæ cæſi fuerant. In Actis Apoſtolorum capite quinto, & undevigeſimo legimus, umbram S. Petri curaſſe infirmos, & ſudaria, quæ Sanctum Paulum tetigerant, infirmis bonam reddidiſſe valetudinem. Sanctus Juſtinus Martyr quæſtione 28. ait, Sanctorum corpora, & Martyrum reliquias diſſipare inſidias dæmonum, & morbos quamtumvis conclamatiſſimos ſanare. Sanctus Athanaſius in Sancti Antonii vita teſtatur quanta affectus lætitia receperit pallium Sancti hujus Anacoretæ; & Sanctus Hieronymus nobis exponit honorem, in quo Sanctus idem Antonius habebat tunicam ex Palmarum foliis contextam, qua uſus fuerat S. Paulus primus Eremi cultor, illam induens diebus duntaxat Paſchatis, & Pentecoſtes. Sanctus Baſilius in illa Regii Pſaltis verba; *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, ait, olim non licuiſſe polluì tactu corporis mortui; ſed modo illum, qui tangit oſſa Martyris, participem fieri quodammodo gratiæ, quæ Martyris hujus animam ſanctificavit. Sanctus Gregorius Nyſſenus in Oratione de Sancto Theodoro Martyre narrat miracula, quæ fiunt per Sanctorum exuvias; quia eorum corpora fuerunt organa, & inſtrumenta animarum ſuarum, deinde repræſentat admiratione populorum, cum vident Templa, fornices, parietes, ſtatuas variaſque tabulas, quibus ornata ſunt, beatos ſe exiſtimantes, cum aliquid colligere poſſunt pulveris, qui in lipſanothecis invenitur, ipſa enim lipſana attingere illis gratia eſſet nimium ſingularis. *Auctor recens.*

Sanctorum Patrum teſtimonia.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus in homilia 32. in Epiſtolam ad Romanos præfert honorem, quem percipit Roma ex Reliquiis Sanctorum Petri, & Pauli, omnibus bellicis Trophæis, Triumphalibus arcubus, columnis, & ſimulacris, omnique auro, & argento, ceteriſque ſæculi ornamentis; deinde addit, quis mihi tribuet, ut ſuper hoc ſepulcrum jaceam, ut deoſculer pulverem ex oſſibus eorum collectum, & ſacras eorum colam exuvias? S. Ignatius animadvertit, Deum reliquiſſe nobis miraculoſas Sanctorum reliquias, ut magis magiſque nos ad illorum imitationem excitarent, & nobis eſſent in adverſis perfugium. Sozomenus libro tertio hiſtoriæ ſuæ recitat; quomodo Hezychas clam tranſtulit in Palæſtinam Sancti Hilarionis Reliquias, eaſque in Monaſterio ſuo tumulavit, ubi quotannis feſtivitas recolebatur magna cum populorum confluentium frequentia. Theodoretus in libro tertio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 9. 10. 11. narrat Julianum Cæſarem cum decreviſſet bellum in Perſas inferre, miſiſſe conſultum Oracula, quæ erant in Finibus Imperii Romani, ut belli hujus exitum cognoſceret; ſed dæmonem per aliquod ex illis ſimulacris reſpondiſſe, nullum ipſi expectandum eſſe reſponſum, quia non longe aberant ſacrata corpora Martyris Babylæ, aliaque nonnullorum, qui pro JESU CHRISTI fide cæſi fuerant. Imperator intelligens quid ſibi vellet oraculum, Chriſtifideles invitavit, ut ſecum illinc auferent prædicta Corpora, quod ſtatim ſumma cum lætitia, pompa, & magnificentia præſtiterunt. Sanctus Ambroſius ſcribens de inventione Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii, narrat quo pacto ipſe Deo revelante cognovit locum, ubi Corpora eorum quieſcebant; qua cæremonia inde fuerint ablata; nec defuiſſe cæcum, qui ad ſolum tactum panni, quo pretioſæ horum Sanctorum reliquiæ tegebantur, oculorum aciem recepit. S. Auguſtinus ſcribens ad Quintianum ait: Qui hanc ſibi ferent Epiſtolam, ſecum afferant Reliquias beati Martyris Stephani: Non ignorat Sanctitas tua quinam illis honos debeatur; & novit etiam me illas venerari. Idem in libro de Civitate Dei, inquit: ſi aſſervamus quam diligentiſſime ea, quæ patres, & amici noſtri nobis reliquerunt, cur contemnemus corpora, ſacrataſque Sanctorum exuvias, qui nobis præceſſerunt? & libro 22. capite 8. recitat ingentem numerum Miraculorum, quæ Deus operatus eſt per lypſana Beatiſſimi Protomartyris Stephani, quorum plerorumque ſe ocularem teſtem fuiſſe fatetur. *Auctor recens.*

DE

DE ADORATIONE CRUCIS MONITUM.

CUM Adoratio Crucis Cultus ſit longe alius ab eo, qui adhibetur Sanctis, eorum Imaginibus, & Reliquiis, meretur ſecundum conſilii noſtri ordinem longe alia ratione, & prorſus ſingulari pertractari; tamquam ſignum, quod alias diſtinxit Ethnicam ſuperſtitionem a Religione Chriſtiana, & hodierna quoque die veram Eccleſiam diſtinguit ab hæreticorum cœtibus, qui per deplorabilem, obſtinatamque pertinaciam Cultum hunc reſpiciunt tamquam Idololatriæ profeſſionem. Catholica autem Eccleſia numerat Crucem, in qua Filius Dei ſpiritum emiſit, inter Myſteria, quæ veneratur, & colit, cum ſit unum ex præcipuis fidei ſuæ objectis. Fulget Crucis Myſterium.

Explicabitur deinceps Cultus hujus natura, & quomodo Eccleſia illum intelligat, & exerceat. Sufficit modo dicere ſignum Crucis ſignum eſſe Chriſtiani, quod in ſingula fere momenta imprimit in fronte: & ut Sanctus Auguſtinus loquitur, quod in fronte omnium Templorum, omniumque eminet altarium, ubi incruente inſtauratur Sacrificium, quod in Cruce peractum eſt. Non potuit igitur connotare per praxim magis authenticam, & manifeſtam, quo in honore habeat Crucem Salvatoris, quam per feſtos dies quos celebrat Inventionis ejuſdem in Calvario, ejuſque Exaltationis poſtquam de Perſide allata fuit, & potiſſimum per Cæremoniam, quam ſervat tempore Paſſionis invitans fideles, ut ad illam adorandam conveniant. Ecce lignum Crucis venite adoremus; *ac tandem illam publice proponens adorationi omnium Fidelium, qui religioſe illam adoraturi procumbunt.*

Qua in re, animadvertite, quæſo quamvis jam hoc argumentum in Prædicatorum Bibliotheca pertractaverim, Tomo primo Myſteriorum, & quamvis ægerrime ſemper uſus fuerim repetitionibus, non potuiſſe tamen hoc in argumento me continere; ſed hoc nobis curæ fuit, ut noſmet coarctaremus in exteriori hujus adorationis praxi, & excitaremus Chriſtianos ad reſpondendum actibus ſuis ſigno, quod gerunt, & profeſſioni, qua ſe diſcipulos Crucis eſſe gloriantur.

DE CRUCIS ADORATIONE.

De Signo Crucis.

SIgnum Crucis vetus eſt conſuetudo ab antiquis Primitivæ Eccleſiæ Fidelibus invecta, qui omnes actiones ſuas inchoabant in fronte Signum hoc efformantes eo modo quo ad hanc quoque diem facimus. Hoc docet Tertullianus, qui narrat illos non ſolum hoc efformaſſe ſignum, cum aliquem pietatis, & Religionis actum inciperent, verum etiam cum vulgaribus quoque vitæ officiis operam darent, cum mane e ſtrato ſurgerent, ſeſe induerent, menſæ accumberent, egrederentur domo negotiis ſuis vacaturi, & operam daturi humilioribus etiam officiis, quæ hic Auctor recenſet, quin timeat inde ſuum ſermonem ſordeſcere; quem tamen Suggeſtus Majeſtas hodie non patitur. S. Hieronymus Magnus ille Doctor Eccleſiæ ſcribens ad Euſtochium nequaquam duxit indignum ſuo Directoris Miniſterio ad particulares illius actiones deſcendere, & modum glorioſi Signi hujus efficiendi. Alii Patres antiqui, veluti S. Chryſoſtomus plures aſſerunt Sanctæ hujus, veteriſque praxeos cauſſas, videlicet 1. Ad ejiciendos dæmones, qui Crucem horrent per quam victi fuerunt. 2. Ad implorandum Cæli ſubſidium in actionibus, quas aggrediuntur pro Dei gloria, atque ut ille ſuam iiſdem largiretur benedictionem, quæ huic Signo quodammodo erat adnexa. 3. Ad inſtaurandam memoriam duorum præcipuorum Religionis Noſtræ Myſteriorum, quæ ſunt tres divinæ Auguſtiſſimæ Trinitatis Perſonæ, quæ per hoc Signum exprimuntur: & Verbi Incarnatio fructum mortis ipſius repræſentando. 4. Eccleſia, ut Sanctam hanc praxim probaret, & Dei benedictionem attraheret ſuper actiones, quas incipimus per Signum hoc tot Myſteriis refertum, reliquit nobis formulam precum, quibus illam peteremus a Domino: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta oratio, & operatio per te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Ex Theologis.*

Aliæ rationes hujus conſuetudinis, & praxis Eccleſiæ Signũ Crucis faciendi.

Veterum Chriſtianorum pietas, & conſtans Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo non probavit ſolum, verum etiam venerabile fecit Signum Crucis propter cauſſas, quæ ſequuntur: 1. Ut nos excitaret ad juſtam gratitudinem incomparabilis beneficii Redemptionis noſtræ, quam Mundi Salvator adimplevit in Cruce. 2. Ut nos animaret ad ſpem noſtram, gloriam, & confidentiam in Cruce Salvatoris collocandam ad S. Pauli exemplum: 3. Ut innueret per hoc Signum Chriſtianis Fidelibus peculiare, illos diſtinctos eſſe ab Ethnicis, & Judæis, cum quibus nihil habere volunt commune, palam profitentes ſe Crucis eſſe Diſcipulos, & ſibi gloriæ vertentes, quod ad Deum Crucifixum pertinent. 4. Ut per hoc Signum, tamquam ſymbolum excitarentur ad patientiam, & ad ſuſtinendas Cruces, & perſecutiones, quas permittit Deus ad probandam illorum virtutem, atque in ſuo ſervitio fidelitatem. 5. Ut ad noſmet tuendos armis uteremur contra ſalutis noſtræ inimicos, qui nos tot modis adoriuntur: *In hoc Signo vinces*: ſecundum illud primi Chriſtiani Imperatoris Hieroglyphicum. *Ex Theologis.*

Crux a Deo abominata ante Paſſionem Salvatoris, facta eſt post ejus mortem ſignum honoris.

Inſignis fuit effectus Sapientiæ Filii Dei, rem adeo turpem, & abominabilem, qualis fuerat Crux, uſque ad Mortem illius, factam fuiſſe notam dignitatis, & honoris, ita ut ſit etiam ornamentum coronarum Imperatorum, & Regum; & veros Salvatoris Diſcipulos in ea non gloriam tantum ſuam, ſed ſuavitatem naneiſcantur & cum lætitia amplectantur. S Andreas ubi primum eminus illam proſpexit, cui ſuffigendus erat; Salve, exclamavit, o pretioſa Crux, cui Domini mei Corpus admirabilem pulcritudinem communicavit! O Crux quam jampridem concupivi; quam vehementer quæſivi, quam efflictim amavi, quam tandem erectam intueor, & quam reſpicio tamquam ſcopum ſpei meæ, meorumque votorum, ad te venio ſecuritatis plenus, & gaudii. Recipe diſcipulum Salvatoris, Domini mei, qui inter brachia tua mortuus eſt. *Cardinalis Bellarmini in Opuſculis.*

Explicatio adorationis Crucis, & quid nos doceat Eccleſia.

Neceſſe eſt hic meminiſſe eorum, quæ a nobis dicta ſunt de Cultu Sanctorum, & de illo potiſſimum, qui debetur Deiparæ, quem hyperduliam vocari diximus, & qui major quidem eſt eo, qui Sanctis vulgo adhibetur; ſed Infinite minor illo, quem uni Deo præſtare debemus: 1. videlicet. Quamvis cultus omnis, qui adhibetur perſonis venerabilibus propter earum merita, & eximias qualitates, ſive Sanctis legis antiquæ, ſive novæ, Adorationis nomine nuncupari. 2. Triplex tamen eſſe genus adorationis, ſicuti explicuimus, & illud quod hyperdulia vocatur, applicari poſſe cultui, & adorationi Cruci, quæ imbuta fuit Sanguine Redemptoris, & in qua ſpiritum fudit; quoniam peculiarem habuit rationem cum Salvatore, ac inſtrumentum fuit, quo Mundum redemit.

Hoc in ſenſu intelligendus eſt cultus adorationis Cruci debitus, cultus, qui refertur ad Filium Dei, qui ex illa pependit, quin tamen credamus, ſine hac peculiari cauſſa, lignum quod hactenus infame fuerat, & maledictum, ullam ex ſemet virtutem habere. Scio non deeſſe Theologos, quos Eccleſia neque damnat, neque improbat, qui aliter explicant hanc adorationem, quoddam ſibi fingentes compoſitum ex JESU CHRISTO in Cruce obeunte, & ex hac Cruce eadem, & docent in conſideratione hac deberi verum adorationis cultum, qui ſimul incidit in utrumque. Verum cum JESUS CHRISTUS modo a Cruce ſeparatus ſit, & Crux conſideretur ſolum ſub ea relatione, quam habuit cum hoc Homine Deo; idem adorationis cultus reddi poteſt clavis, qui ſuffixerunt Filium Dei Cruci, Coronæ Spineæ, & Sanctæ Sindoni, qua ſacrum illud Corpus poſt obitum involutum fuit;

ſed

ſed ſemper oportet hoc fieri in ſenſu, in quo ab Eccleſia intelligitur de cultu ſacris rebus debito, licet inanimes ſint, cui tribuitur nomen hyperduliæ, ex Bellarmini Cardinalis ſententia; ut diſtinguatur ab alio minori cultu, qui præſtatus Crucibus aliis, quæ non ſunt niſi imagines, ac repræſentationes primæ illius, quæ eſt Religionis noſtræ inſtrumentum. *Ex Theologis.*

Jampridem Eccleſia utitur ſigno Crucis.

Vere dicere poſſumus, jampridem Eccleſiam Catholicam uſum invexiſſe hujus ſigni Crucis: & hoc ex apoſtolica traditione recepimus. Nicephorus, libro 2. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, narrans obitum S. Joannis Evangeliſtæ, dicit illum munientem ſe ſigno Crucis ingreſſum fuiſſe in tumulum; & in lege veteri non defuerunt Signi hujus figuræ: Moyſes enim Deum orans ſublatis manibus cum virga contra Amalecitas, ſignificabat victoriam; quam quotidie referunt Servi Dei per orationem, & Crucis ſignum de dæmone. Moyſes erigens æneum ſerpentem in deſerto ad eos curandos, quos ſerpentes momorderant, ſignificabat JESUM CHRISTUM attollendum in Crucem pro medicina hominum ſpiritualiter vulneratorum morſu dæmonis, qui antiquus eſt Serpens, & ſæpe Chriſtiani ſalutariter repræſentabant hanc eamdem elevationem facientes ſignum Crucis, ut participes fierent fructuum, qui inde profecti ſunt. *Auctor modernus.*

De uſu, & fructu ſigni Crucis.

Signo Crucis uti debemus, cum aliquid incepturi ſumus, præcipue vero cum aliquo in corporali, vel ſpirituali diſcrimine verſamur; quoniam hoc unum eſt ex optimis inſtrumentis, quibus uti valeamus dæmonem ſuperaturi nihil tam reformidantem quam Crucis ſignum, cum quo victus, ſuperatuſque fuit, & quo Dominus Noſter moriens in Cruce ex faucibus ejus excerpſit homines, quos in ſua ditione tenebat. Certum eſt autem, Signum hoc eximiam eſſe orationem ad impetrandam a Deo opem, atque præſidium; qui enim hoc faciunt, perinde faciunt, ac ſi dicerent: Domine meus, ac Deus meus, te deprecamur per Sanctiſſimæ Trinitatis Majeſtatem, per JESU CHRISTI Incarnationem, per Mortem, & Paſſionem ſuam, & per gratias omnes quas ab illo recepimus; ut tibi placeat nobis opem ferre hic in re, quam aggreſſuri ſumus, vel in hoc periculo &c. Crucis uſus antiquiſſimus eſt in Eccleſia ſecundum illa Magni Tertulliani verba: ambulantes, ingredientes, egredientes, noſmet induentes, in cubiculum introeuntes, menſæ accumbentes, cubitum euntes, denique ſingulas actiones noſtras inchoantes, debemus in fronte ſignum Crucis deſcribere. Si ex vobis quæratis praxeos hujus origo, & principium, reſpondete; Hanc conſuetudinem nobis Traditio commendavit, ratio confirmavit, fides exſecuit. Hoc Signo uti debemus in actionum noſtrarum principio, ut omnia faciamus in nomine Domini ſecundum Apoſtoli conſilium, & ut felicem exitum obtineamus in negotiis omnibus per merita ejuſdem Salvatoris noſtri Crucifixi. Hoc utimur ante Orationem, ut Oratio per Crucem ſit meritoria: Sæpiſſime utimur etiam in Sacramentorum adminiſtratione, & in Sancto Miſſæ Sacrificio, ut intelligamus Sacramenta, & Sacrificium ſuam habere virtutem, & efficientiam a Morte, & Paſſione Domini noſtri Crucifixi. *Idem.*

Laudabile eſt plantare Cruces in locis publicis.

Optimum, ac omni laude dignum eſt in medio platearum, vel in quadriviis, compitiſque plantare Cruces; ut ubique meminerimus Myſteriorum, quæ in Cruce peracta ſunt, quaſi Crucis imago diceret nobis: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus!* ut ubique frangamus dæmonis potentiam per præſentiam Crucis; perinde ac Crucem attollentes diceremus: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ; vicit Leo de tribu Juda.* Hac eadem ex cauſſa objicitur oculis ægrotantis in agone poſiti Crucifixus, quæ vetuſtiſſima eſt Eccleſiæ conſuetudo, quemadmodum videre eſt apud S. Auguſtinum; unde ſequitur ad fructum percipiendum, quem a Crucis ſigno ſperamus, hoc faciendum eſſe magna cum fide, ac fiducia in Dei Miſericordia, & meritis Domini noſtri potiſſimum ea confitentes bona, quæ ille nobis per Crucem comparavit. *Idem.*

Elogium ſigni Crucis a Patribus Sanctis factum.

En paucis verbis Elogium ſigni Crucis a Sanctis Patribus concinnatum; S. Cyprianus illud vocat Signum Sacramenti, Signum Salutis noſtræ, communis noſtræ libertatis, manſuetudinis, & humilitatis JESU CHRISTI. S. Epiphanius illud noſtræ Salutis effigiem vocat. S. Auguſtinus lapidem pretioſum inſertum in diademate. S. Ephrem invictam Chriſtianorum armaturam. Denique S. Cyrillus, ut ceteros omittam; nominat illud inimicorum terrorem, gaudium fidelium, dæmonum formidinem, Signum regale. Præcipui vero effectus ſigni Crucis tres numerantur, quorum primus eſt, evertere omnes dæmonum conatus, omnemque inferorum potentiam; quod palam innoteſcit ex SS. Patrum ſcriptis, & exemplis, quæ ſequuntur. S. Ephrem teſtatur ad Signi hujus conſpectum omnes inimicorum poteſtates contremiſcere. Origenes aſſerit immortale hoc vexillum in fronte poſitum, omnes nefarios Spiritus perterrefacere. S. Auguſtinus teſtatus, omnia Dæmonum molimina per Crucis virtutem labefactari. Idem ſentit S. Athanaſius, qui aſſerit omnia incantamenta, faſcinationes, magias, aliaque dæmonis præſtigia, prorſus ſigno Crucis everti. Sozomenus refert Julianum Apoſtatam profectum, ut dæmones in ſpecu quodam conſuleret, formidine correptum per rumorem, quem illi in horrenti quodam receſſu excitaverant, illico ſe Crucis ſigno muniiſſe per habitum quemdam, quem ante apoſtaſiam contraxerat, & licet invitum dæmones omnes in fugam conjeciſſe. S. Athanaſius in vita S. Antonii, & S. Hieronymus in illa S. Hilarionis, narrant inſignes victorias, quas ſancti illi per ſignum Crucis contra dæmones retulerunt. Severus Sulpicius hoc ipſum refert in vita S. Martini. Verbo, ſignum Crucis quolibet tempore fuit valida armatura ad vincendas, & ſuperandas Inferni potentias.

Effectus alter ſigni Crucis eſt præſens eſſe remedium, & ſalutaris medicina contra omnia vitæ hujus mala. Sanctus Auguſtinus libro 22. de Civitate Dei, narrat quamdam mulierem, cui nomen Innocentia, cum incurabili ulcere, & cancro laboraret, ſigno Crucis curatam fuiſſe a femina recens Sacro abluta Baptiſmo. Sanctus Paulinus affirmat quemdam ſigni hujus virtute a Sancto Martino fuiſſe curatum, & Gregorius Turonenſis de eodem Sancto ſcribit, cum ad ægrum accederet, huic præcepiſſe, ut ſemet ſigno Crucis ſignaret, quo facto, ille ſtatim convaluit. Plena ſunt hiſtoriarum monumenta miraculoſis curationibus, quæ ſigni hujus virtute acciderunt. Cæci oculorum aciem receperunt, Muti, Claudi, Paralytici valetudini redditi fuerunt; feræ cicures factæ; flammæ, & incendia extincta; verbo, omnia vitæ hujus incommoda divinæ Virtuti, & ſigno Crucis ceſſerunt.

Tertius Signi hujus admirabilis effectus eſt, quod inanimis rebus applicitum admirabiles parit fructus benedictionis, & Sanctificationis. Eccleſiaſtici Auctores veritatis hujus fidem faciunt fideli narratione plurimorum Miraculorum, quæ per aquam, panem, oleumque cum ſigno Crucis benedictum contigerunt. S. Gregorius narrat, hominem fractam coſtam habentem, divinitus convaluiſſe per adſperſionem aquæ, quam cum Crucis ſigno benedixerat Epiſcopus quidam Fortunatus nomine. S. Gregorius Nazianzenus aſſerit Matrem ſuam Nonnam e morbo convaluiſſe poſt buccellam panis manducatam, quæ antea Crucis Signo fuerat benedicta. Gregorius Turonenſis teſtatur, S. Maxentium cum oleo benedicto curaſſe brachium, quod exaruerat, eo quod illum fuſte dolare voluerat. Poſt tot miracula, mirum eſt; Chriſtianos, qui frequentiſſime ſe Crucis ſigno muniunt, adeo modicum fructum recipere, cujus rei hæc eſt cauſſa; illud enim in fronte duntaxat gerunt, non autem in corde. S. Auguſtinus aſſerit parum prodeſſe frontem habere Cruce coopertam, & cor criminibus plenum; & cum ſignum Crucis ſit adeo pretioſum, hoc ſignandas eſſe non paleas, ſed aliquid maximo habendum in pretio, & hoc olim in Adagium apud Chriſtianos, venerabili Beda teſte, abiiſſe, habere JESUM CHRISTUM in Corde, & Crucem in fronte. *Ex pluribus Auctoribus excerptum.*

Quouſque proceſſit hæreticorum impietas de cultu Crucis.

Aliquanto poſt Iconoclaſtarum excidium neſcio quis Petrus de Bruis inter ceteros errores, quos in Provincia, in Occitania, aliiſque pluribus regionibus adnixus eſt ſerere, aliquid adjiciens impietati aliorum Hæreticorum, qui jam illuc ſeſe effuderant, aſſerere auſus eſt evertendas eſſe non ſolum Imagines, verum etiam Templa, & Eccleſias, & potiſſimum Cruces, quas cupiebat Chriſtianos tamquam abominabile Signum perhorreſcere. Immo eo uſque furoris, & impietatis evaſit, ut animus refugiat narrare, die quadam in Paraſceve, cum ingentem excitaſſet pyram ex Crucibus, quas ipſe minutatim conciderat, ignem appoſuiſſe, quo excoqui ſibi juſſit obſonium, quod palam cum ſuis comedit, prætereuntes invitans, ut ſibi ſacrilegæ illi cœnæ hilares accumberent convivæ: Quod ita zelum fidelium contra impium hominem ſuccendit, ut populus omnis oppidi, quod *Saint Gilles* vocant, contra illum exarſit, effecitque, ut debitas daret pœnas, & in hoc etiam Mundo inchoaſſet Infernum in anteceſſum, vivens adhuc, conjectus in ardorem illius popularis tumultus. *Ex Hiſtoria Iconoclaſtarum Tomo 2.*

Figura Crucis ex Scriptura.

In Geneſi legimus cap. 48. Sanctum Patriarcham Jacob benedicere volentem filios Joſeph, data opera decuſſaſſe manus, conſulto poſuiſſe brachia in formam Crucis, & extendiſſe dexteram manum ſuper Ephraim, ſiniſtram vero ſuper Manaſſem: & reſpondiſſe Joſepho, qui illum avertere cupiebat, ne hoc faceret; ſibi hoc ita faciendum; per hoc deſignans, quemadmodum Patres nonnulli animadverterunt, futurum Crucis Myſterium. Ita loquitur Iſidorus Peluſiota *lib. 1. Epiſt. 362.* Actio Moyſis, quæ deſcribitur in Exodi cap. 17. myſtica figura eſt glorioſi hujus Signi, cum Sanctus Legiſlator iſte ulnas ſuas in Cælum extendens, ideoque Crucis ſignum formans obtinuit JESU Filio Nave integram, numeriſque omnibus abſo-

Juſſu omnia Tropha Cypr. l. 2. adverſ. Judæos c. 2.

abſolutam victoriam, pugnans uſque ad Solis occaſum, non tam precibus, a Moyſe in ea corporis poſitura factis, quemadmodum S. Cyprianus, & S. Juſtinus Martyr loquuntur, quam ſigno Crucis, & illius nomine, qui Cruci erat pro hominum ſalute ſuffigendus.

Non immorabor loquens de littera *Thau*, de qua ſermo in Propheta Ezechiele cap. 9. cum conſtet ex teſtimonio, & Sanctorum Patrum expoſitione, litteram hanc eo modo, quo pingitur, Crucis figuram referre.

Apocal. 7.

Capite 7. Apocalypſios Angelus tenens Signum Dei viventis clamat ad quatuor Angelos, quibus imperaverat, ut terræ, marique nocerent: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus Servos Dei noſtri in frontibus eorum*, quod Signum eſt Crucis.

Quid ſit ſignum Crucis?

Signum Crucis eſt chriſtiana cæremonia Paſſionem Domini noſtri repræſentans per expreſſionem figuræ Crucis factam cum ſimplici motu manuum. Signum autem Crucis nota eſt, qua Milites JESU CHRISTI ſecernentur ab inimicis Eccleſiæ, videlicet ab Ethnicis, Judæis, Turcis, & Hæreticis hujus temporis, qui Signum hoc perhorreſcunt. Hoc Signum nobis repræſentat Myſteria Sanctæ Trinitatis, Incarnationis, Mortis, & Paſſionis Domini noſtri JESU CHRISTI: cum enim dicimus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, teſtamur unum eſſe Deum; & tres hasce Perſonas unam, eamdemque habere divinitatem. Secundo loco nobis repræſentat Myſterium Incarnationis: etenim cum manus primum capiti, mox vero pectori admovetur; hoc docet Dei Filium deſcendiſſe de Cælo, & carnem humanam ſumpſiſſe in utero Virginis per virtutem Spiritus ſancti. Denique Signum hoc nos docet Myſterium Mortis, & Paſſionis JESU CHRISTI; nobis enim exhibet Crucem, in qua Dominus noſter mortem ſubiit pro omnium ſalute. *Auctor recens.*

Eccleſia ſigno Crucis utitur in ſuis Myſteriis, omnibusque Cæremoniis.

Eccleſia ſemper adhibet Crucis ſignum in omnibus Myſteriis, quæ celebrat; nulla enim eſt cæremonia, Benedictio, Sacramentum, vel Sacramentale, in quo Signo hoc non utatur; omnis enim gratia, benedictio, & Sanctificatio proficiſcitur a meritis JESU CHRISTI crucifixi. Ecce quare omnes loci, res omnes, & Perſonæ Deo Sacræ conſecrantur per orationem: & per ſignum Crucis initium fit omnium operum ſuorum, ut fiant omnia pro Dei gloria, & benevertant per merita JESU CHRISTI; & ut Tres Sanctæ Trinitatis Perſonæ ſingularem inde oblectationem percipiant; Pater quidem videns bonum uſum Eſſentiæ, quam dedit per Creationem; Filius fructum Mortis, & Paſſionis ſuæ, qua [illegible] ſanctitatem conſtituit: Spiritus ſanctus [illegible] gratiæ ſuæ, & [illegible] amoris, qui nos [illegible], ut hoc, vel illud faciamus, & huic, vel illi negotio vacemus. Fit autem in orationis principio ad invocandam opem Dei, & ut [illegible] exaudiamur per merita Domini noſtri JESU CHRISTI; quemadmodum etiam, ut imitemur primos fideles, qui orabant manibus in Crucis formam extenſis. Narrat S. Clemens, S. Petrum contra Simonem Magum oraſſe; & S. Epiphanius aſſerit, S. Jacobum cognomento Juſtum extenſis in Crucis formam manibus, preces fudiſſe, & in maxima ariditate de Cælo [illegible]. S. Chryſoſtomus teſtatur populum in [illegible] corporis [illegible] orationem fundere conſueviſſe, dum Sanctum Miſſæ Sacrificium peragebatur. *Auctor recens.*

Quare perſonæ ſigno Crucis benedicantur.

Perſonæ ſigno Crucis benedicuntur ad avertendas [illegible] inſidias. Hæc etiam Oratio eſt, per quam a Deo aliquam petimus gratiam pro creatura, ſuper quam aliquam habemus ſuperioritatem, [illegible] per JESU CHRISTI merita. Sed ecce [illegible] in occaſionibus antiquitus Chriſtiani utebantur ſigno Crucis. 1. Cum facienda erat Chriſtianæ fidei profeſſio, cum accedere debebant ad ſanctum Synodum, & cum contra [illegible] erat decertandum. 2. Cum committebat contra Hæreticos concertatio, cum ingrediendum erat in Templum, vel egrediendum; cum audiebantur vel blaſphemiæ in Deum, vel in ſe contumeliæ. 3. Cum Cælum micaret fulguribus, atque tonitribus, ac inter timores, ac triſtitias ſpiritus, in morbis, in vitæ extremis, in tentationibus, cum aliquis ſeſe Deo devovebat; cum longum aliquod iter ingrediebatur, vel negotium aliquod magni momenti, & in omnibus fere occaſionibus. *Idem.*

Chriſtiani diē inchoare debebant a ſigno Crucis.

Cum incipit dies, novam recipimus lucem, tamquam novum de manu Dei beneficium, eamque impendimus in obſequium, ac ſervitium illius, a quo nobis conceditur. Quamobrem illam debemus incipere Chriſtianorum more per ſignum Crucis, per quod adoramus, & invocamus Sanctiſſimam Trinitatem, proferentes nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & noſmet conſecramus JESU CHRISTO memoriæ repetentes Myſteria Incarnationis, & Paſſionis ſuæ, per quæ completa ſunt Mundi ſalus, & imprimimus in nobis Signum Filii Hominis, notam JESU CHRISTI, characterem amoris ſui, & noſtræ libertatis, Crucem imprimendo, per quam ſalvum fecit populum ſuum, & per hanc impreſſionem ſanctam, & ſalutarem profitemur nos eſſe JESU CHRISTI, & ingredi velle in partem meritorum Sanguinis ſui, qui effuſus in Cruce fuit, ut nobis vitam tribueret. *Opera aſcetica Cardinalis de Berulle.*

Tria conſideranda ſunt in ſigno Crucis.

Nobis cogitandum eſt 1. Hoc Crucis ſignum fieri in Crucis formam ad colendam Paſſionem, adeoque etiam Incarnationem Filii Dei, qui factus eſt Homo, ut propter homines pateretur. 2. Signum hoc præcipuis applicari partibus, quæ ſunt origo, & effectus vitæ noſtræ, ut illis applicemus gratiam, quam nobis comparavit, & roboremus ſenſus, & cogitationes noſtras, quæ in capite reſident, motus noſtros, & affectus, qui dominantur in corde, opera, & actiones noſtras, quarum organum ſunt manus, & brachia. 3. Hoc ſignum Crucis fit transferendo manum a fronte ad pectus, non autem a pectore ad frontem, & a ſiniſtra in dexteram, non vero a dextera in ſiniſtram, ut intelligamus, Dei Filium deſcendiſſe de Cælo, de Sinu Patris in Virginis Sinum per Incarnationis Myſterium; & per adventum ſuum nos de terrenis rebus ad æterna bona elevaſſe, de peccato ad gratiam, de morte ad vitam, de inferis in Cælum, & ipſum velle ſiſtere nos ad Dei dexteram ſecum, & in æternum. 4. Hoc ſignum Crucis fit dicendo ſacra illa, & divina Verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In nomine, inquam, non in nominibus, ad innuendam unitatem Dei in Perſonarum Trinitate: potentia enim, natura, & auctoritas una eſt in omnibus tribus Perſonis, quæ exprimuntur, ſingulæ propriis nominibus, quæ ipſe Dei Filius revelavit, & docuit Eccleſiam. *Idem.*

Ex quo compoſitum ſit Crucis ſignum.

Signum Crucis ex duabus rebus, iiſque venerabilibus, ſanctis, & efficacibus compoſitum eſt; ſcilicet ex pronunciatione horum nominum, quæ propria ſunt divinarum Perſonarum, & ex ſigno Crucis, in quo ſalus hominum facta fuit. Quid reprehendendum occurrit in uſu, & praxi tantæ venerationis? Si enim loqui opus eſt, poſſumus ne ſanctiora verba proferre, & diviniora his, quæ exprimunt nobis divinas Perſonas, cauſas totius Sanctitatis? Et ſi quis motus tribuendus eſt brachiis noſtris, & manibus, numquid hoc ſanctius, & religioſius facere poſſumus, quam efformantes ſignum Crucis, ſuper quo Filius Dei offerre voluit ſe ipſum in holocauſtum Æterno Patri, & ibi mundi ſalutem operari? JESUS CHRISTUS per Crucem adorare voluit Deum Patrem ſuum, illius Juſtitiæ ſatisfacere, ejus iram mulcere, homines redimere, gloriam æternam acquirere, quæ omnia Sancta ſunt, omnia divina, & admirabilia, & per ſignum Crucis [illegible], nos Chriſtianos eſſe; videlicet adhærentes JESU CHRISTO tamquam Diſcipulos ſuos, tamquam Crucis mancipia, tamquam ſubjectos [illegible] ejus, tamquam filios familiæ ipſius, & gloriæ [illegible]. Profitemur, in locum miſeri ſtatus in quo eramus tamquam filii Adam, jam Deum habere pro Patre, & Filium ejus pro Redemptore. Habemus Sanguinem JESU pro pretio, fidem ejus pro lege, Eccleſiam pro Matre, & gloriam illius pro noſtro Patrimonio. Hæc omnia magna ſunt, [illegible], & [illegible] æterna digniſſima. *Ex Operibus [illegible]*.

Præxis ſigni Crucis eſt perantiqua.

Praxis ſigni Crucis eſt inter antiquiſſimas, & univerſales Chriſtianæ [illegible] cæremonias; & Signum hoc ſemper in pretio habitum eſt, quemadmodum Signum Chriſtianum, quo [illegible], & ſeparatur a Gentilibus, Judæis, Turcis, immo etiam ab Hæreticis [illegible] ſpecialibus [illegible]. Omnes Chriſtiani per univerſam terram a JESU CHRISTI morte ad hoc uſque ſæculum adhibuerunt illud per reverentiam mortis, & Paſſionis ejuſdem, quam in Cruce adimplevit, & illo uſi ſunt in omnibus actionibus ſuis, ſeu ſacris, ſeu profanis, ſeu publicis, ſeu privatis, ſeu Eccleſiaſticis, ſeu domeſticis; & quod [illegible], illud videmus adhuc inſculptum in marmoribus, & in coronis, in ædibus, ac in Templis ante [illegible] annum ædificatis. Profecto hæretici ſæculi hujus illud improbaverunt; ſed ſi malum eſt, cur adhibent illud in Baptiſmo? Sin autem ſanctum, cur aliis in actionibus illud reſpuunt? Et ſi omnium ſæculorum Chriſtiani illo ſunt uſi, cur novi hi Fideles illud dereliquerunt, & damnaverunt? Sequamur ſemper antiquitatem, & novitatem hanc deſeramus, quæ neque ſapientior eſt, neque ſanctior, neque religioſior quam Chriſtiani omnium ſæculorum, quam ſancti omnes, Martyres, Doctores, Paſtores, Reges, & populi, qui JESUM CHRISTUM per hoc Signum uſque ad nos adoraverunt. *Idem.*

Sanctorum Patrum [illegible] Origenis.

Origenes in Homilia octava in varios Evangelii locos hortatur Chriſtianos, ut ſæpe ſe muniant ſalutari ſigno Crucis, & illud imprimant in fronte. Idem in Homilia ſexta in Epiſtolam ad Romanos oſtendit utilitates ſigni Crucis, & ut, ubi anima Chriſtiana ſe attentam præbet ad illud cogitandum, nullam

in ho-

in homine adeo effrænem eſſe cupiditatem, quæ non facile ſuperetur.

Teſtimonium Conſtantini Imperatoris.

Poſtquam Conſtantinus Imperator vi Signi hujus Maxentium fregit, ardenti flagravit deſiderio efficiendi, ut ubique hoc ſalutis Hieroglyphicum in honore impoſterum haberetur. Hinc in locum Imperialium Aquilarum imperavit, ut in exercitibus ſuis pro vexillo Crucis ſignum, vulgo *Labarum* nuncupatum, deferretur. Hoc in omni monetæ ſpecie juſſit excudi, Pictoribus, atque Statuarum artificibus præcepit, ut impoſterum perſonam ejus exhiberent tamquam manu dextera tenentem Orbem, & ſuper illum Crucem, ut oſtenderet Orbem terrarum per hoc Signum ſalutare conquiſitum, & ſalvatum eſſe; in quem finem ſe pingi curavit cum Cruce in frontis vertice; quin loquamur de veræ Crucis inventione, quam Centuriatores Magdeburgenſes in dubium revocare auſi ſunt poſt teſtimonium antiquiſſimorum Hiſtoricorum, Sanctorumque Ambroſii, Severi Sulpicii, Gregorii Turonenſis, S. Gregorii Magni, aliorumque plurimorum.

Teſtimonium Euſebii Cæſarienſis.

Euſebius Cæſareæ libro 3. de vita Conſtantini c. 2. refert magnum hunc Imperatorem identidem ſemet ſigno Crucis in fronte ſignare conſueviſſe, & S. Athanaſius, qui hoc ipſum teſtatur, ubi agit de Verbi Incarnatione: has reddit rationes: quia, inquit ille, per hoc Signum ſuperamus tentationes, ejicimus ſpiritus nequam illuſiones, præſtigia infringimus, idolis ſilentium irrogamus, & dæmonia in fugam conjicimus.

Teſtimonium S. Athanaſii.

S. Athanaſius in vita S. Antonii, narrat, hunc coram Ethnicis Philoſophis, Energumenos liberaviſſe invocando nomen JESU, & ſignum Crucis faciendo, eumque Diſcipulis ſuis monitum tradere conſueviſſe: ad detegendas, evitandaſque dæmonis inſidias, qui ſe in Angelum lucis transformabat, ſatis eſſe, ſemet ſigno Crucis notare.

S. Baſilii.

S. Baſilius *libro de Spiritu ſancto cap.* 27. loquens de conſuetudinibus non Scriptis Eccleſiæ, inter primas traditiones ponit commune Crucis ſignum.

S. Cyrilli Jeroſolymitani Catech. 8.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus ait: imprime ſignum Crucis in fronte, ut dæmones characterem hunc ſupremi Regis videntes fugam arripiant: bibens, & manducans, & quodcumque faciens Signum hoc adhibeto.

S. Ephrem.

S. Ephrem in tractatu de *Creatura Spirituali*, ut addat facilitatem cum utilitate Sacri hujus Signi, hortatur, ut non manu tantum, ſed ſpiritu etiam, & corde fiat.

S. Gregorius Nyſſenus.

S. Gregorius Nyſſenus narrat miracula a S. Gregorio Thaumaturgo facta per ſignum Crucis.

S. Chryſoſtomus.

S. Joannes Chryſoſtomus in demonſtrationibus de JESU CHRISTI divinitate, animadvertit per ſingularem providentiam voluiſſe Deum, ut hoc Signum, quod antea erat opprobrii, & infamiæ, fieret mox ornamentum, & gloria actionum noſtrarum.

S. Ambroſius, lib. de Iſaac, & anima.

S. Ambroſius ait, nos hoc ſignum Crucis imprimere in fronte, in corde, in brachiis; in fronte ad confitendum JESUM CHRISTUM; in corde ad illum ſemper amandum; in brachiis ad agendum, & aggrediendum omnia ad gloriam JESU CHRISTI.

S. Hieronymus.

S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, narrat quomodo ille ſigno Crucis ejiciebat dæmones ſibi ſub variis ſpeciebus apparentes. Hic idem S. Doctor alibi paſſim loquitur de Sacro hoc Signo, & potiſſimum in Epiſtola ad Demetriadem cap. 6.

S. Auguſtinus.

S. Auguſtinus *Tractat.* 118. *in Joann.* hæc habet: Quod eſt Signum JESU CHRISTI, niſi Crux JESU CHRISTI? Et ſi Signum hoc non applicitum fuerit fronti Fidelium, vel ipſi aquæ, per quam regenerantur, nil recte fit. Præter ea, quæ alibi ait, hic ex Patribus ſæpiſſime, & magnificentiſſime de illo locutus eſt.

Juſtinianus Imperat.

Imperator Juſtinianus *in Autentic. de Sanctiſſimis Epiſcopis cap.* 22. tria præcipit in honorem hujus Signi. 1. Ut Crux in honeſto loco ponatur. 2. Ut in ſupplicationibus circumferatur. 3. Ut ad id deſtinentur perſonæ, & hoc fiat coram Epiſcopis, & clero; ex quo liquet quænam tunc temporis adhiberetur Cruci reverentia.

Quid autem dicemus de tot aliis Eccleſiæ Patribus, qui verba fecerunt de glorioſo hoc titulo? Quid de antiquioribus Auctoribus, puta, Arnobio, Euſebio, antiquis Liturgiis, quas probat Eccleſia, ubi nil frequentius memoratur ſigno Crucis? Adde his probra, quæ faciebant Ethnici hac in re primis fidelibus; hæc enim totidem ſunt argumenta probantia praxim Eccleſiæ in hoc noſtræ Religionis Articulo; qua in re libentiſſime a Proteſtantibus quærerem, quid reſpondere valeant tot teſtimoniis Sanctorum cujuslibet ſæculi, & auctoritati conſuetudinis adeo conſtantis, quæ nonniſi ab Apoſtolis potuit proficiſci.

Rationes, quæ impellunt Eccleſiam ad Signum hoc colendum.

Eccleſia conſiderans Sacrum hoc Lignum, in quo JESUS CHRISTUS totum ſuum effudit Sanguinem, vitamque ſuam pro illa ſacrificavit, tamquam currum triumphalem, & gloriæ ſuæ Thronum; facere non potuit quominus illud peculiari veneraretur obſequio. Admirata in Paſſione Salvatoris ſui tot effectus non communes omnium divinarum perfectionum, ac tot admirabilia omnium virtutum exempla; agnoſcit ſe illi ſenſus ſuos teſtari debere, quantum fieri poteſt; nec putat, ſe perfecte hoc munere perfungi poſſe, ſi magni hujus Sacrificii Altare, & Organum inſignium horum miraculorum non excipit partem venerationum ſuarum, ita tamen ut illas deferens Cruci propter JESUM CHRISTUM dumtaxat, huic proprie dirigat, quemadmodum unus ipſe illas promeruit, non alio ſibi propoſito fine, niſi explicandi per externum hunc cultum zeli ſui magnitudinem, & adorandi mortem, & ſalutares Redemptoris ſui paſſiones in præcipuo earum inſtrumento, earumque acerrima repræſentatione. *Verjus in Panegyricis.*

Quantum debeamus Salvatori, quod mori voluerit in Cruce.

Ad texendum hodierna die Crucis Panegyricum, ſecundum Eccleſiæ mentem, explicandi hoc in loco mihi eſſent incomprehenſibilia mortis Dei Myſteria. Funditus detegenda ejuſdem neceſſitas, efficientia, opus, quod ejuſdem habebant homines per peccatum perditi, & ingentia bona, quæ ex hoc admirabili holocauſto perceperunt. Sed opus hoc nimis late patet, neque unico ſermone poteſt contineri; quamobrem ſatis erit mihi aliquot tantum conſideranda proponere, quæ proderunt ad Crucem in mentis noſtræ conceptu exaltandam; ſimulque nos officii noſtri admonendos, quas referre debeamus gratias immortali, qui in Cruce mori voluit, ut nobis vitam largiretur æternam. Rem tamen opus non eſſe in cœtu adeo Catholico probare, quod facillimum eſt efficere, contra veteres, recenteſque Hæreticos, inſtitutam poſt tot ſæcula conſuetudinem, adorandi Crucem Salvatoris, celebrandi feſtos dies in illius honorem, preces illi nuncupandi, eamque laudibus efferendi. Traditio clara, & conſtans ab ipſa ſanctæ Religionis noſtræ inſtitutione, teſtimonia, & infinita Sanctorum Patrum exempla per omnem Sæculorum ſeriem deducta, & generalis adeo totius populi Chriſtiani conſenſus, ſatis illam tuetur ab eorum calumniis, & palam oſtendit praxim hanc Apoſtolis inſpiratam fuiſſe a Sancto Spiritu, cum replevit eos omnibus veritatibus neceſſariis ad docendas, regendaſque omnes Orbis terrarum nationes. Credo inutile eſſe dicere vobis Auditores, in hac conſuetudine non ſecus ac in ceteris cæremoniis, maximi eſſe momenti conſiderare mentem Eccleſiæ illas inſtituentis; & quibus diſpoſitionibus ſpiritus velit eas a nobis ſervari; ne nimis exterioribus ſignis inhærentes umbram pro corpore accipiamus, & figuram pro veritate. *Verjus in Panegyricis.*

Quid intelligendum ſit pro Crucis adoratione.

Satis ſcimus, quemadmodum res corporeæ nequeunt terminare amorem noſtrum, ejuſque extremum eſſe finem citra injuſtitiam, eas etiam non poſſe terminum eſſe noſtrarum adorationum, citra idololatriam. Cum adoramus Crucem, reverentia, cultuſque noſter non immoratur in hoc trunco mortuo, & ſenſu carenti; ulterius procedit; & ſacrum hoc lignum, cui delatus fuit honor ſuſtinendi artus adorabiles Filii Dei morientis, & rubeſcendi pretioſo ejuſdem cruore, noſtram juvat memoriam, & excitat imaginationem, ut noſtra deferamus obſequia, & venerationem ad illum uſque, a quo per munus hoc adeo Sanctum, & Auguſtum ſanctificatum eſt: & ut omnia verbo complectamur, facimus quod S. Ambroſius de Helena Imperatrice teſtatur: Crucem adorantes, JESUM CHRISTUM Crucifixum adoramus. Et non ſecus ac populi, qui videre nequeunt Principes ſuos, ac propriæ eorum perſonæ obſequia ſua deferre, quia nimis abſunt ab Imperii ſede; hoc perfunguntur munere imagines eorum venerantes, quæ ad illos in Provincias mittuntur; Regem noſtrum colimus in Signis potentiæ ſuæ ac in trophæo victoriarum ſuarum. *Verjus in Panegyricis.*

Reverentia, quam adhibet Eccleſia Cruci Salvatoris.

Sicuti Dominus noſter ut in æternum imprimeret in animabus noſtris reverentiam, & amorem paſſionum ſuarum, lignum Crucis tot inſignavit miraculis, ac illud in Evangelio ſuum Signum, vexillum, & gloriam appellat, quemadmodum Patres omnes animadvertunt; Eccleſia, cui eædem ſunt intentiones, & quæ flagrat amore præbendi omnis, quæ poteſt grati animi ſigna erga ſuum Salvatorem, zelo ſuo nequit ſatisfacere, niſi omnes excogitabiles honores morti ejus, Crucem adorando, retribuant. Minimas ejus colit particulas, eaſque majori habet in pretio, quam ſceptra, & coronas, immo etiam quam Solis radios, ut Sanctus Chryſoſtomus loquitur: figuram ejus, quomodocumque occurrat, reveretur: nullam exercet pietatis actionem, neque ullum facit authenticum ſacræ ſuæ auctoritatis actum, niſi illum Crucis ſigno confirmet: & fatetur ſe ortum ſuum, incolumitatem, & gloriam debere huic morti vivificanti. Teſtatur Crucem fontem eſſe vitæ ſuæ, pulchritudinis, & virium omnium: fontem gratiarum, quibus ſuſtinetur, animatur, & a quibus omnem recipit Majeſtatem. Celebrat quotannis ſolemnes Crucis feſtivitates, ut gaudiis, plauſibuſque æternis

victoriis Salvatoris ſui in hoc triumphali ſupplicio, ſuumque gratum reſtetur animum, propter bona, quæ inde recepit. *Idem.*

Eccleſia nobis repræſentat magna miracula quæ Dominus operatus eſt per ſuam mortem in Cruce.

Eccleſia non tam præcepit Crucis Adorationem, ut inſtauraret ſolemnem Exaltationis ejuſdem diem, quam ut inde occaſionem arriperet actionis adeo celebris revocando in Fidelium mentem magna miracula, quæ Dominus noſter operatus eſt per mortem ſuam, & infinita ejuſdem in nos merita. Vult, ut nobis repræſentemus qua pompa, & magnificentia Heraclius Byſantii Imperator humeris ſuis reportaverit Crucem hanc adorabilem in locum, unde ablata fuerat a Perſis, poſtquam liberaverat illam a captivitate, in qua Princeps impius eam retinebat, ut olim novi fœderis Arcam: Verum etiam vult, & ardentius optat, ut Exaltationem ejus in Calvarium uſque feramus, eamque intueamur rubentem Sanguine Dei pro mortalium omnium redemptione. Ut igitur ſequamur, quantum fieri poteſt, mentem Eccleſiæ hac in re, admirari debemus victorias, ac triumphos JESU CHRISTI per mortem ejus in Cruce. *Idem.*

Quænam fuerint victoriæ Crucis.

Si verum eſt, quod plures Sancti Patres, & plerique Sanctorum Interpretum, inquiunt, Prophetam Habacuc nobis deſcribere in Cantico ſuo Crucis victorias: non miror, ſi teſtatur, revelationem a Deo ſibi factam ſpiritum ſuum confundere, ac ingenti ſtupore replere: Dicendum eſt ſane omnem Omnipotentem vim ibi contentam fuiſſe ad gignendos inſignes effectus, de quibus loquitur Propheta, & quia JESUS CHRISTUS per Crucem ſuam conjecit mortem in fugam; quia egreſſus eſt diabolus ante pedes ejus; quia contriti ſunt montes ſæculi, & colles Mundi, ut ait Propheta; Jure quidem Myſterium hoc opus Dei vocavit per excellentiam, & dixit, gloria ejuſdem repletam fuiſſe terram, & ſuperatam fuiſſe ipſam etiam Cælorum altitudinem. Fatendum quippe eſt infinitam Dei potentiam nunquam magis claruiſſe, quam in victoriis, quas Crux in Mundo reportavit. Quis umquam cogitaſſet, infirmitatem, & ipſam humilitatem, objectum Judæis quidem ſcandali, Gentibus autem irriſionis, everſuram fuiſſe quidquid maximum, & excelſum erat in orbe univerſo? Sed Dei magnitudo in eo ſita eſt, ut ea facere valeat, quæ non ſolum creaturarum omnium vires excedit, ſed ea etiam, quæ mentes illarum aſſequi nequeunt, & quæ ipſarum admirationes, & laudes nunquam poſſunt exæquare. Crux Cælum vicit, infernum, & terram; Dei Juſtitiam, dæmonum potentiam, & hominum nequitiam atque miſeriam. *Idem.*

Xaveria bona, quæ percipimus ex morte Salvatoris in Cruce.

Vox Sanguinis, qui de Cruce defluxit, adeo valida, & potens fuit, ut in Cælum aſcenderit, non quidem ad ultionem depoſcendam, ſed ſcelerum noſtrorum veniam impetrandam. Hanc impetravit, & modo liberati ſumus per virtutem hujus Sanguinis ab originis noſtræ maledicto. Qui jam ſupplicio damnati eramus, & inimici, evadimus Filii Dei, & Regni, gloriæque ejus hæredes. Aperit nobis januas, quæ jam in æternum clauſæ videbantur. Flexit illa omnes indignationis ſenſus Dei contra nos irritati, eumque coegit, ut conſenſum præſtaret paci, quæ tanta cum difficultate Cælum inter ac terram erat ſancienda. Hæc prima eſt Crucis victoria, & prima, quam habeamus erga JESUM Crucifixum, obligatio. Nonne ingens eſt? Nonne admirabilis? *Verjus in Panegyrico.*

Crux Filii Dei magnas de dæmonibus victorias reportavit.

Altera Crucis victoria ea eſt, quam de dæmonibus reportavit. Rebelles iſti Spiritus, qui per ſummam nequitiam efformaverant miſerrimum confuſionis, ſceleriſque ſtatum in Dei Omnipotentis Monarchia, cum homines viciſſent peccato, tamquam belli jure, adeo abſolutum ſibi vindicaverant in illos imperium, tantamque violentiam, & crudelitatem exercebant, ut nihil eſſet calamitoſius eo ſtatu, ad quem univerſum terrarum orbem redegerant. Tenebant illi mentes omnes monſtroſis erroribus, tamquam catenis obſtrictas, & voluntates captivas libidinoſis, turpibuſque cupiditatibus, ut Apoſtolus loquitur. Cum autem Juſtitia Dei illis tradidiſſet creaturas omnes, quæ propter homines factæ fuerant; ipſi abutebantur bonis ſervorum ſuorum ad illorum excidium, & ea abuſi poteſtate, quam obtinebant in omnia elementa, excitantes in illis graviſſima, & inaudita mala, quæ ad eorum arbitrium ceſſabant, feſellerunt homines fictis prodigiis, atque mendacibus oraculis, formidinem ſui injicientes, & ſub nominibus Deorum variorum, populorum omnium thura, & obſequia captantes. *Idem.*

Crux Filii Dei omnes Ethnicorum divinitates exterminavit.

Crux omnia diſſipavit phantaſmata divinitatis, quæ tanto zelo ab Ethnicis adorabantur: Amovit horribiles tenebras impietatis, quæ univerſæ terræ incumbebant, S. Chryſoſtomus inquit, effecitque, ut in vivum vere Religionis lumen, & magnam hanc Sanctarum Veritatum lucem, in qua vivimus, converterentur. Hæc populis oſtendit, Deos, qui a Majoribus ſuis adorabantur, & qui ab illis putabantur Auctores [divitiarum] ſuarum, & gloriæ, conditores, & patroni Imperii ſui, Martes, Mercurios, Penates, Deoſque ſuos tutelares, non aliud eſſe, quam Poetarum commenta, vel Dæmones in Inferno cruciatos, vel homines poſt mortem miſeros, qui dum viverent, omni ſcelere fuerant coinquinati. Videre Romanum Imperium deteſtari hoſce Deos, quos ſibi ſubjeciſſe putabant omnes terrarum nationes; evertere Delubra, & Aras, quas Pompeii, Scipiones, Cæſareſque ſui ædificaverant, & manubiis orbis univerſi locupletaverant; & has omnes mutationes efficere, ut Deum crucifixum adorarent; hoc eſt prodigium prodigiorum omnium maximum; hæc victoria eſt cumulatiſſima, quæ fingi poſſit, Dei Veritatis, Juſtitiæ, Poteſtatis. *Idem.*

Crux Domini, ſimulac prodiit, omnes cupiditates evertit.

Ubi Crux apparere cœpit in Mundo, quidquid illic erat, ut quidam inquit Apoſtolus, non erat niſi concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; vel potius, ut apertius dicam; impuritas, avaritia, ambitio, ceteræque peſtes ex venenatis his fontibus manantes, taliter ſpiritus omnes infecerant, ut tunc dici poſſet, quod olim dixerat Rex Propheta: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* (Pſalm. 13.) Victoria admirabilis! Miraculum ineffabile! Prodit Crux, & vitia evertuntur, cupiditates evaneſcunt, naturæ ſtudia corrupta edomantur; terra univerſa felici ſubverſione per Crucis victorias convertitur. Terra, S. Chryſoſtomus inquit, per Crucem in Paradiſum mutatur, cum antea propter ſcelera in Infernum mutata fuiſſet. Illico ſtatim viſus eſt infinitus Chriſtianorum numerus, qui pedibus ſuis calcant omnes terræ divitias, & magnalia, ut ſuam poſt JESUM CHRISTUM bajulent Crucem. Videntur Martyrum turbæ, qui neglectis Imperii Romani opibus ad mortem tamquam ad triumphum feſtinant, Dei Crucifixi exemplo animati. Videntur ſeveriſſima hæc placita odio habendi ſe ipſum, perdendi animam ſuam, abrenuntiandi rebus omnibus, ut JESUM CHRISTUM ſequamur, perſuaſa, acceptata, & probata ab infinita perſonarum multitudine, quæ relictis omnibus ſeceſſerunt in horrentes ſolitudines, unum habituræ Deum teſtem actionum ſuarum. *Verjus in Panegyricis.*

Gloria, & honor redditur Cruci in omnibus partibus Mundi.

Inſigne prodigium eſt, intueri gloriam, & honores præſtitos Myſterio Crucis in omnibus Mundi partibus poſt Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutionem. Sanctus Chryſoſtomus animadvertit, a Domino illam ſemper vocari gloriam ſuam. Summus enim hic vir, cum JESUS CHRISTUS hæc dicit verbis Patri ſuo: *Pater clarifica Filium tuum*, illa intelligit de gloria Crucis; & cum S. Joannes dicit, Spiritum ſanctum nondum fuiſſe datum, quia JESUS CHRISTUS nondum erat glorificatus; hoc eſt ſecundum Patris hujus ſententiam, quia Cælum nondum cum terra reconciliatum fuerat per mutuum Dei, & hominum amorem, cujus principium eſt Spiritus ſanctus; quia miraculum hoc Cruci reſervabatur; quæ eſt etiam ſententia S. Cyrilli Epiſcopi Jeroſolymitani, in eadem verba. *Verjus in Panegyricis.*

Eccleſia Chriſtiana omnem gloriam ſuam in Cruce J. C. conſtituit.

Si Crux eſt JESU CHRISTI gloria, mirum non eſt eamdem omnem eſſe gloriam Eccleſiæ Chriſtianæ, illam ſemper tanto in honore apud Chriſtianos omnes habitam fuiſſe. S. Paulus Apoſtolus tamquam ſacrilegam horret cogitationem ex prædicationibus ſuis gloriam ſibi vindicandi, niſi gloriam Crucis: Judæorum ſævitiam, & Gentilium cæcitatem redarguit, niſi quia ſunt Crucis inimici; divinæ eloquentiæ ſuæ fulmina non torquet in illos, qui ſtatuere volunt Juſtitiam ſuam cum Divinæ detrimento, niſi ut Crucis honorem tueatur; non luſtrat terras, & maria tot inter labores, atque pericula, niſi ut prohibeat, ne virtus Crucis, non ſatis agnoſcatur; quod palam nobis oſtendit, omnium Apoſtolorum curas, itinera per univerſum orbem, eorum prædicationes, ſcripta, labores, Martyria non aliud habuiſſe ſcopum, niſi efficiendi, ut ubique Crucis ſupplicium triumpharet. Egregios hoſce Magiſtros Eccleſia imitata eſt: & dicere poſſumus totum Splendorem, & Majeſtatem ejus, inſtitutionem, regimen, Hierarchiam, Sacramenta, cæremonias, quidquid Sancti, & Auguſti reperitur in hac Sancta Jeruſalem non eſſe niſi pompam triumphi Crucis. Hæc eſt imago honoris, quem Eccleſia Catholica præſtat Cruci Salvatoris, vel potius Salvatori in Cruce. Per hanc liberata fuit ab horribili captivitate; eaque huic debet ſuam libertatem, ſalutem, & gloriam. Quapropter illi, quoſcumque excogitare potuit, honores reddit. Crux iſta olim omnium hominum horror, & execratio, ſervorum, ac latronum ſupplicium, nequiſſimorum reorum opprobrium, facta eſt tantæ gloriæ argumentum, ut in Mundo nihil unquam glorioſius, aut magnificentius extiterit triumpho ſuo. Nullum finem invenirem, ſi vellem ſingillatim perſequi partes omnes, quæ adeo fulgere videntur in omnibus Patrum operibus, in hiſtoriis, & univerſa Eccleſiæ praxi. *Verjus in Panegyricis.*

Inte-

Cum Dominus noſter ad homines judicandos venerit non aliud ſignum habebit Cruce fulgidius.

Integri non ſufficerent anni ad attentius conſiderandum apparatum triumphi Crucis, & ad omnem illius magnificentiam per otium admirandam. Tamen unum ex præcipuis ejuſdem ornamentis præterire non poſſum: *Cum venerit* Dominus noſter *in Majeſtate ſua* ad homines judicandos, non aliud inſignius hujus Majeſtatis, ſupremæque poteſtatis Signum, niſi Signum Crucis, habiturus eſt. Hæc eſt Sententia S. Auguſtini, S. Chryſoſtomi, omnium SS. Patrum in hæc verba: *Tunc parebit Signum Filii hominis in Cælo.* Sol, & Luna luminis ſui jacturam patientur; Stellæ omnes de Cælo labentur, ut narrat Evangelium; & Crux ſola majori in luce micabit, quam omnia ſimul Aſtra; quandoquidem incomparabili nitore ſuo eorum officiet claritati. Opus eſt, ut Rex iſte Syderum exuat radiorum ſuorum coronam, ut illi præſter obſequium; & Luna, & Stellæ abjiciant hæc pretioſa ornamenta lucis, & flammarum, quibus fiunt inter creaturas omnes pulcherrimæ, ac ſpecioſiſſimæ, ut majori cum ſubmiſſione ſalutent recens hoc ſalutis, & gloriæ meteorum. *Ex Panegyricis Verjus.*

Ejuſdem argumenti.

Non ſatis eſt Solem in Eclypſim incidere magna illa die, qua Crux refulſit; honores illi præbebantur illi cum adhuc videbatur eſſe ſedes infamiæ, atque ignominiæ in Calvario. Sed poſt tot glorioſas victorias, opus eſt, ut creata omnia eam revereantur, & omnes homines in hoc generali conventu beatum hoc ſydus adorent. Opus eſt ut Sancti omnes colant inexhauſtam hanc luminum, & ardorum divinorum originem, hunc æternæ vitæ fontem, hoc univerſale principium univerſarum, & admirabilium productionum gratiæ; hunc Solem, qui inceſſanter producet vivas claritates, quibus in æternum magna dies æternitatis fulgebit. Opus tandem eſt, ut omnes Hierarchiæ horum Spirituum lucis æque raptæ in Crucis admirationem certatim lætitiæ plauſus illos effundant, quos audimus in Apocalypſi; benedictionem, gloriam, poteſtatem Agno, qui immolatus fuit ſuper Crucem, *Idem.*

Quouſque procedit Crucis triumphus.

Nonne verum eſt, Auditores, hunc Crucis triumphum auguſtum eſſe, & magnificum? Mors, dæmones, peccata inermia, & vi carentia in illo trahuntur; tota militans Eccleſia, populi omnes, omneſque Principes Chriſtiani, quos illa de inimicorum ſuorum captivitate liberavit, illam cum epiniciis ſequuntur. Omnes Angelorum ordines, & omnes beatæ Sanctorum legiones lætitiæ plauſibus illam excipiunt; Maria, & Montes interpellare non poſſunt terræ hujus pompam, & finis ipſe omnium ſæculorum illius finem facere non poterit. Cælum, & terra, Propheta inquit, gloria, & laudibus Myſterii Crucis replentur. *Idem.*

Rationes propter quas Crucem adorare debemus.

Quod huc uſque diximus de cultu Crucis, non ne ſatis eſſe debet, ut inde intelligamus, quo in pretio nobis habenda ſit Dei noſtri paſſio, & mors; & ut oſtendamus cum mentem Domini noſtri, qui tot miraculis probavit cultum, qui ab Eccleſia adhibetur Cruci, tum Eccleſiæ intentionem, quæ effecit, ut ubique gentium illa triumpharet, & indeſinenter aleret in nobis ſenſus venerationis, & grati animi erga Deum, quem exceſſus amoris erga nos detraxit propter ſalutem noſtram de throno gloriæ, & immortalitatis ſuæ, uſque ad ſuppliciorum omnium ſæviſſimum? Ipſa vult, ut glorioſum noſtri Regis vexillum ubique gentium in oculis noſtris refulgeat, ad inflammanda corda noſtra contra inimicos, & nos excitandos ad effundendum Sanguinem, ſi opus fuerit, pro illius ſervitute, & ad mortem millies obeundam potius, quam deſimus Sacramento, quod emiſimus in ſpirituali militia facti milites Crucis; quemadmodum ait quidam ex antiquiſſimis Patribus; neque enim eſſe debemus inutiles, & otioſi ſpectatores victoriarum, ac triumphorum illius. Non ſolum debemus infinitas gratiarum actiones Auctori inſignium harum victoriarum, & altiſſima obſequia, ardentemque zelum Sanctæ Religioni noſtræ, quæ per tot præclara miracula inſtituta, & conſervata eſt; quandoquidem Crux non delevit tot inimicos, niſi ut nobis pacem, æternumque regnum compararet; omnes in hoc ipſum conſilium conferre debemus; tenemur omnes illis obtemperare pro viribus contra inimicos eoſdem, adimplentes ea, quæ deſunt Paſſioni Domini noſtri JESU CHRISTI, noſmet paſſionibus illius conformantes. Ope illius inceſſanter præliari debemus contra dæmones, errores, & vitia, quæ per ejuſdem victorias facile poſſumus ſuperare. Opus eſt præſertim, ut noſmet pro illa ſtare profiteamur, contra concupiſcentiam noſtram, & pravos mores, qui quotidie adnituntur illi victoriam exſculpere de manibus, & nos præliorum illius fructu privare. Paſſiones, & dolores Crucis inimici ſunt deliciarum, & voluptatum noſtrarum; nuditas ejus, atque paupertas inimicæ ſunt luxus noſtri, inſanorumque ſumptuum; ejuſque opprobria, & ignominiæ vanitati noſtræ adverſantur. Hoc noſtræ poteſtatis eſt, ſed multo magis officii, præferre Crucem inimicis gloriæ ipſius, & qui noſtræ ſalutis ſunt multo magis inimici. Certemus ergo, Auditores, pro cauſa adeo legitima, ac tanti momenti cum viribus Crucis; & quoniam Caput noſtrum ingreſſum eſt in gloriam ſuam, poſtquam vicit per Crucem; ſi fortiter, ac perſeveranter ſub hoc glorioſo vexillo præliati fuerimus, in Cælum ibimus cum eodem, in Cælum, ibi in omnem æternitatem triumphaturi, & regnaturi. *Verjus in Panegyricis.*

Teſtimonia Patrum de ſigno Crucis.

Tertullianus temporibus Apoſtolorum proximus; In ſingulos greſſus, ait, & ſingula ferre momenta, ſive domo exeuntes, ſeu domum redeuntes, ſive noſmet induentes, ſive e cubiculo aſſurgentes, ſive cubitum euntes, ſive aliud quodvis facientes noſmet Signo Crucis ſignare debemus. S. Hieronymus dicit, claudite oſtium cordis veſtri, & ſæpe munite frontem veſtrum Signo Crucis. S. Baſilius ejuſdem ſæculi, verba faciens de quodam Martyre ait: Cum JESU CHRISTI miles hæc dixiſſet, muniit ſe Signo Crucis, & animo firmo, & conſtanti facie, non mutato oris colore alacriter ad ſupplicium profectus eſt: Idemque alibi teſtatur hanc conſuetudinem efficiendi Signum Crucis, ait, vulgatiſſimam, ac publicam apud Chriſtianos: S. Auguſtinus ait, Signum Crucis cognitum eſſe univerſo, & in fronte fidelium applicari. Hoc adhibetur in Baptiſmo, in Confirmatione, & in Miſſæ Sacrificio. Hi Patres ſunt antiquitate ſua Venerabiles, ac teſtes irreprehenſibiles doctrinæ, & praxeos Chriſtianorum ſæculi ſui; eorumque Eccleſia facere conſueverat, quod vix ipſi conſueviſtis, & quod iſti condemnant. Tamen illa tunc erat in puritate ſua, quemadmodum ipſi Crucis inimici fatentur. Tunc vigebat ardor martyrii, tunc ille Idololatriam perſequebatur; tunc rapiebat regnum Cælorum; tunc ſtuporem Mundo injiciebat, tunc dæmones confundebat, terram miraculis, & Sanctitate ſua ſubigebat; inſtituebat Regnum JESU CHRISTI, & ad ipſum lumine ſuo omnia præclara univerſi orbis pertrahebat ingenia. *Ex Operibus Aſceticis Cardinalis de Berulle,*

DE PRECIBUS PRO MORTUIS.

MONITUM.

ORATIO pro Mortuis tantum habet nexum cum Purgatorii veritate quam præſupponimus, & de qua ſatis multa diximus in Tomo Bibliothecæ noſtræ Tertio, ut difficile ſit exponere conſuetudinem, & profeſſionem, quam facit Eccleſia orandi pro animabus Defunctarum, quin ſimul adducantur rationes, propter quas hoc operatur, videlicet, ut eas liberet a pœnis, quas patiuntur, ut divinæ ſatisfaciant Juſtitiæ, & expient peccatorum ſuorum reliquias.

Hæc duo tamen argumenta non confundemus, niſi quantum oportuerit ex altero mutuari ad probandam, confirmandamque praxim alterius. Quapropter præcipue operam dabimus probaturi antiquitatem, neceſſitatem hujus conſuetudinis, illius utilitatem, & fructus, quos inde pro nobiſmet percipiemus.

Hæc praxis, & conſuetudo unum eſt ex præcipuis argumentis, quæ ſecernunt Eccleſiam Catholicam, & Romanam ab aliis hæreticis, Schiſmaticiſque ſocietatibus noviſſimorum ſæculorum, quibus cum deficiat caritas erga defunctos, ſe non ſolum præbent indignos, ut pro illis poſt obitum oratio adhibeatur; verum etiam inutiles reddunt preces, quas pro illis funderet Eccleſia morientibus in Schiſmate, & errore: ita ut caritas in eorum gratiam nihil efficere poſſit, niſi in hac vita precari, ut cum eadem Eccleſia redeant in gratiam ad hoc, ut poſt mortem participes eſſe valeant ſuffragiorum, quæ offert Deo pro illis, qui in ſua communione decedunt.

DE PRECIBUS PRO DEFUNCTIS.

Mortuis ſubvenire eſt caritatis officium.

COGITATIO pro Mortuis orandi, ſancta cogitatio eſt: innititur enim Chriſtianæ caritati, quæ virtus eſt omnium præſtantiſſima. Quid poſtulat caritas? Ut membra, quæ bona fruuntur valetudine, illis ferant opem, quæ laborant mala. Non id ſolum, ſed etiam, ut opitulentur illis, quæ agendi carent libertate: *mementote vinctorum tamquam ſimul vincti.* Certum eſt autem fideles vita functos, & in Purgatorio detentos, non minus eſſe Eccleſiæ membra, quam fideles viventes: Sunt etiam membra alioquin ſana, quandoquidem ſunt in ſtatu gratiæ; ſed membra quodammodo vincta, membra, quæ ſibimet opitulari non poſſunt in neceſſitatibus ſuis, cum merendi tempus poſt mortem illis defecerit: *Mox venit, cum nemo poteſt operari.* Sanctum igitur eſt, fideles viventes, & qui ſana ſunt membra, præſtare auxilium fidelibus mortuis. *Omnia membra æque curam habeant alterum alterius. Pater Segneri in Meditationum libro 5.*

Ad Hebr. 13.

Oratio pro Mortuis utilis facientibus, & illis pro quibus fit.

Pro Defunctis orare non ſolum ſancta, ſed etiam ſalutaris eſt cogitatio: Primum quidem ſalutaris pro Defunctis, quoniam in eorum præcipue cedit utilitatem. Profecto non omnibus generatim; Sancti enim in Cælo non indigent amplius, ut pro illis precemur, & reprobi in Inferno membra ſunt a Myſtico Eccleſiæ corpore amputata. Fructus ergo precum noſtrarum pro mortuis coarctatur ad ſolos fideles, qui in Purgatorio patiuntur. Verum eſt afflictas haſce animas non eſſe amplius in via, quia nequeunt Cælum verſus progredi per merita recentia, ſed adhuc in via ſunt, quod illis reliquum eſt, ut ad ultimum terminum perveniant, qui eſt ſedes gloriæ. Neque illis opem ferre poſſumus, ut mereantur, quod facimus cum viventibus; poſſumus tamen illis prodeſſe, ut meritorum ſuorum mercedem recipiant. *Idem.*

Difficile eſt illis opem ferre, ut dum viverent neglexerunt orare pro mortuis.

Quamvis fideles Purgatorii flammis damnati, mortui ſint in gratia: non deſunt tamen in eorum numero qui pro aliis orare neglexerunt, vel qui pro ſe ipſis maluerunt poſt mortem differre ſatisfactionem pro peccatis ſuis, quam pro illis in vita ſatisfacere. Hoc facto meriti ſunt, ut Dominus illis eam renuat gratiam, quam aliis concedit intuitu precum noſtrarum. Si volumus igitur his mortuis opitulari, enixius pro illis preces debemus effundere, quia magis indigi ſunt, qui participes fiant theſauri miſericordiæ, quem Deus in Purgatorio diſpenſat, quam animæ, quæ olim fuerunt, & erga alias magis miſericordes, & ſibi cautiores. *Idem.*

Adhortatio ad hanc rem pertinens.

Quodnam cor adeo durum poſſet non flecti cruciatibus horum captivorum, quos divina Juſtitia detinet in Purgatorio? Hi fratres noſtri ſunt; nobiſcum ſunt ejuſdem corporis membra: ſemet adjuvare nequeunt, & de medio flammarum opem noſtram implorant. Caritas hoc ſpectaculo poteſt non affici, & non moveri? Non ita Domine; efficit, ut miſerear malorum animarum captivarum; efficietque, ut nullum non moveam lapidem ad eas liberandas. Illis opem negare, eſſet idem, ac mihimetipſi amorem detrectare. Hi, quos libero, amici tui ſunt, Domine. Quinam uberior mihi fons meritorum, Deus meus? Hi potentes patroni, quibus Cælum aperio; nunquid mihi eſſe poterunt ingrati? Nonne illi viciſſim conabuntur procurare mihi eamdem felicitatem, quam illis procuravero? Jejunium, eleemoſyna, oratio, omnia pietatis opera; quot mihi præ manibus media ſunt, ut decidant illæ catenæ quibus adhuc animæ iſtæ in captivitate detinentur! Quamvis omnes rigores in illas exercueris Domine, liquet, a te Paterno more in illas animadverti, quandoquidem adeo facile eſt illas de manu Juſtitiæ tuæ revellere. Quam igitur nocens eſſem Domine! ſi detrectarem opitulari fratribus meis, quibus, ut ita dicam, ſatis eſt manus tendere, ut liberentur? Minimum, quod me manere deberet, ſupplicium, hoc eſt, ut punias ſævitiam meam, vel permittens, ut homines ſeſe mecum *ſimiliter* gerant, vel renuens acceptare illorum preces pro mea liberatione. *Idem.*

Variis tenemur rationibus opitulari animabus in pœnis ipſarum.

Quænam ſunt perſonæ, quæ terribili eo in loco, quem Purgatorium vocamus, patiuntur? Sunt animæ Sanctæ, quæ licet mœrore confectæ in omnem æternitatem Dei felicitate ſunt perfruituræ; animæ ſunt Deo dilectæ tamquam filiæ, licet in eas ille quatenus ſeveriſſimus Judex animadvertat. Hi ſunt amici veſtri, conſanguinei, parentes, qui fortaſſe jampridem ſuſtinent harum flammarum vim eo quod, voſmet nimium dilexerint, & fortaſſe nimia cum feſtinatione vobis congeſſerint bona, quin poſt tot annos meminerint eiſdem opem afferre? Si nocentem videretis lento igni comburi, quamvis ignotus eſſet vobis, nonne vos illius miſereſceret? Non autem miſeratione ducemini erga eos, quos tantopere debetis diligere? *Clamat in tormentis filius; clamat in tormentis pater; & non eſt qui reſpondeat? Ecce veſtra inhumanitas.* Ita ne duro eritis corde, ut Sanctis his Animabus eam negetis opem, quam petunt, & quam tanta cum facilitate illis præſtare poteſtis? Quæcumque preces, eleemoſynæ, bona opera pro illis Deo a vobis oblata, lenient flammarum ardorem, & ſuppliciorum diuturnitatem imminuent. Quod ſi poſt hæc nullus vos afficit ſenſus malorum quæ animæ patientes ſuſtinent, mementote, quod *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Conſiderationes Chriſtianæ.*

Luc. 6.

Fidelium ſolæ nequeunt frangere vincula peccatorum ſuorum, quæ preces noſtræ frangere valent.

2. Machab. 12.

Proverb. 5.

Vincula, quibus Animæ in Purgatorio detinentur, ſunt earum peccata; peccata quidem remiſſa, ſed pro quibus nondum fuit ſatisfactum: *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Quod in corporibus catenæ hoc faciunt, in animabus peccata. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Ita cum peccamus, nobiſmet vincula plectimus, quibus ſumus conſtringendi; vincula duplicia, quorum alia ſunt peccati culpæ, alia pœnæ peccatis debitæ. Animæ in Purgatorio primis vinculis impeditæ non ſunt; ſejun-

ſejunctæ ſunt enim a corporibus & in ſtatu gratiæ: ſed nondum ſolutæ ſunt a ſecundis, quæ illi per ſe nequeunt infringere. Peccator in terris, non ſine Dei gratia compedes ſuos frangere poteſt: *Conſurge: ſede Jeruſalem, ſolve vincula colli tui captiva filia Sion.* Sed animæ Purgatorii noſtro indigent miniſterio, ut egrediantur e carcere; noſtrum eſt illas ſolvere, & in libertatem adducere. igitur in tanta neceſſitate relinquemus illas, quin inde illas educere feſtinemus? Cogitemus igneas eſſe earum catenas, ideoque nullum temporis ſpatium ad eas inde eripiendas eſſe amittendum. *Pater Segneri.*

Iſai. 52.

Media ad opem Defunctis ferendum.

Duplici ratione aliquid conferre poſſumus ad animarum Purgatorii liberationem; per interceſſionem, & per ſatisfactionem. Ratio prior complectitur Sanctum Miſſæ Sacrificium, & Orationem; totum enim myſticum Eccleſiæ corpus colligere poteſt communem interceſſionem ſuam in gratiam Mortuorum, quod fit in Sacrificio Miſſæ. Singula etiam Eccleſiæ membra ſeorſim adhibere poſſunt interceſſionem ſuam pro Defunctis, quod accidit cum ſinguli privatim preces pro illis effundunt Patri miſericordiarum. *Idem.*

Magnitudo ſuppliciorum, quæ animæ Purgatorii patiuntur noſtram excitare debet miſerationem.

Reor vos ſatis cognoſcere magnitudinem pœnarum, quibus torquentur Animæ in Purgatorio: ſed ita ne duri eritis, ut parum ſubſidii negaretis illi, quem ita videretis torqueri coram vobis, quantumvis illum nullo in diſcrimine haberetis? Naturalis miſeratio nonne vos moveret, ad illi opem ferendam, ſi hoc vobis liceret? Heu! Ubinam igitur eſt caritas Chriſtiana? Ubi vox naturæ, & humanitas? Reſtat ne tibi aliquid miſerationis, ut hoc debitum minime ſolvas fratribus, & conſanguineis, qui hanc opem a te præſtolantur? Verum ut adhuc vehementius te urgeam, tibique imprimam vividiorem imaginem magnitudinis pœnarum, quas divina Juſtitia in altera vita repoſcit pro criminibus, quæ expiare in hac quiſpiam neglexit... *Idem.*

Naturæ lege tenemur orare pro Mortuis.

Naturæ lege tenemur Defunctis opem ferre, & hoc erga illos caritatis officio perfungi. Alii nobis conjuncti fuerunt ſanguinis propinquitate; fuerunt enim parentes noſtri, & conſanguinei; alii arctis amicitiæ vinculis; mariti, uxores, amici, neceſſarii, quos ſumma caritate complectebamur; alii vero fœdere humanæ, civiliſque ſocietatis, eo quod ejuſdem fuerunt naturæ, ordinis, profeſſionis, fuerunt illi, quod ſumus; hoc ſatis eſt, & fratres dicuntur noſtri, quia in eadem fide, eademque Religione, in qua ſumus obierunt. Natura igitur jubet illis opitulari, cumque lex iſta impreſſa ſit in eſſentia noſtra, jugulare non poſſumus ſecretam hanc vocem, quæ nos ſollicitat, ut illis omnia præſtemus, quæ per nos præſtari poſſunt ſubſidia. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Chriſtiana caritas officium eſt conjungere membra J. C. Eccleſiæ militantis, & patientis per commercium mutui ſubſidii; & quomodo?

Caritas quæ lex eſt fundamentalis Chriſtianiſmi, & character, qui verum Chriſtianum diſtinguit, non ſolum in eo ſita eſt, ut proximum diligamus; verum etiam arctiſſimum vinculum eſt, quod conjungere debet omnia membra cum Capite ſuo, qui eſt JESUS CHRISTUS, & hæc eadem membra invicem ſimul, ut fiat corpus myſticum, quod Eccleſia eſt, quæ in Cælo triumphat in perſona Sanctorum, & pugnat in terra in perſona fidelium, ſed patitur in Purgatorio in perſona animarum prædeſtinatarum, quæ adhuc rationi reddendæ obnoxiæ reliquiarum debiti ſui erga Dei Juſtitiam fratrum caritatem implorant, qui ſunt in terra, qui ſoli merari poſſunt pro earum liberatione, vel ſaltem ſubſidio. Hanc commercii ſocietatem inſtituit caritas inter ejuſdem Corporis membra, quod alit idem principium, quo formatum fuit, & quod utrique parti utiliſſimum eſt. Quemadmodum Eccleſia Spiritu ſancto animatur, ita eodem afflata indeſinenter fovet religioſum hoc commercium petens a Sanctis eorum interceſſiones apud Deum pro Fidelibus qui ſunt ſuper terram, & ab iiſdem fidelibus petens illorum ſatisfactiones, preces, bona opera pro ſolatio harum animarum, quæ patiuntur, & quæ noſcent opportune reddere centuplum omnium auxiliorum, bonorumque, quæ inde perceperint. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Quanta utilitatis ſint preces, quas fundit Eccleſia pro Morientibus.

Apocal. 14.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur, inquit dilectus Apoſtolus. Certum eſt, preces quas Domini Sacerdos fundit ſuper Morituro, ingenti eſſe ſubſidio ad illi pretioſam Mortem procurandam. Sunt orationes commendatitiæ, ad illi plures amicos apud Deum comparandos, & ſupremum Judicem exorandum. Nunquid tanti momenti ſubſidium negligendum eſt? Parum eſt eodem privari? Eximiæ morientis qualitates non memorantur amplius. Non oratur amplius, ut Mundi Salvator reminiſcatur, hunc fuiſſe virum præclaro ortum genere, inſigni præditum ingenio, vel abſolutæ auctoritatis. Nemo meminit inſignium factorum ejus, aut dignitatum. Superbi tituli jam abſoleti eſtis. De ſola Chriſtiani qualitate ſermo &c. de fide ſolum quam hæc Anima profeſſa eſt; de ſpe in miſericordia Dei, in quo ſupponitur illa fiduciam omnem collocaſſe. Sermo tantum eſt de qualitate Servi Dei, & diſcipuli JESU CHRISTI: nulla præter hanc qualitas in alteram vitam migrat. Quid autem de illis fiet, quibus nihil erit hujuſmodi qualitatum? *Idem.*

Quid autem proderit ſi moriens impius extiterit incredulus, impudicus?

Eccleſia Deum orat, ut Morientis miſereatur, ut obliviſcatur criminum adoleſcentiæ, & omnium iniquitatum illius, & rationes, quas adfert univerſæ hujus commendationis, hæ ſunt, quia moriens opus eſt manuum Dei; quia anima eſt redempta a communi Salvatore hominum, cujus implorat miſericordiam. Sed ſi Moriens hic toto vitæ ſuæ ſpatio fuerit impius, qui ſibi gloriæ verterit incredulitatem ſuam; ſi homo in omnem effuſus licentiam, qui ſibi in ludibrium verterit apertiſſimas Religionis veritates; ſi mulier mundana, cui nulla unquam fuit religio niſi per conſuetudinem, hæc Eccleſiæ Commendatio aliquem ne obtinebit effectum? Cum Sancti exorati, ut pro hoc animam agente intercedant, in illo niſi reprobi ſigna compererint; hunc in Cælum oculos non attollere, niſi quia Mundus deſiit illum intueri, neque ipſorum opem expoſcere, quia non ultra poteſt ſibi in jocum traducere præclara eorumdem exempla: nunquid Sancti, quos fortaſſe contempſit, laborabunt plurimum propter ſalutem illius? Cur ergo non cogitamus, dum vivimus colere eorum amicitiam, cujus in mortis hora tantum indigebimus? Validam quidem habemus commendationem, ſed quid proderit nobis, ſi falſis tantummodo titulis fuerit innixa? Deus meus! Quanto terrore laborare debent animæ hæ mundanæ, quæ tot vinculis in dies ſingulos multiplicatis adhærent, modo cogitent fatale hoc momentum, quo decidendum eſt de æternitate vel beata vel miſera. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Multæ nobis ſuppetunt cauſſæ opem ferendi patientibus in Purgatorio.

Non deſunt nobis validiores, & urgentiores cauſſæ juvandi animas Purgatorii. Vincula quibus illis jungimur, pœnæ quas patiuntur, ſingularia bona, quæ nobis caritas iſta procurat, exemplum, quod inſignis hujus caritatis nobis præbet Eccleſia. Si ſuſpiria, & ejulatus, quos inceſſanter fratres noſtri, & dilectiſſimi amici profundunt in Purgatorio patientes ad aures noſtras pervenire valerent, quamprimum illorum nos moverent querimoniæ. Fieri ne poſſet, ut Filius, & Filia intueri poſſent miſerrimum ſtatum, ad quem Pater, vel Mater eorum redacti ſunt? Hic Pater, qui nullum non movit lapidem, ut illis maximas opes relinqueret; hæc Mater, quæ illos tanto amore complectebatur? Quod ingenium adeo barbarum; quod cor adeo durum non flectatur videns conſanguineos, & amicos, qui ingenti incendio involuti de medio flammarum, quibus ambiuntur, opem ejus implorant? Reperiretur ne homo adeo inhumanus, qui renueret de ardenti lacu auferre famulum, ignotum, & qui ne illi manum tenderet, eumdem flammis abſumi pateretur? Nonne quilibet illum crudelem, tyrannum, barbarum increparet? Heu! nonne pleriſque noſtrum hoc dici poteſt: *Tu es ille vir.* Tu hic inhumanus, tu crudelis ille tyrannus, tu cor hoc adeo barbarum. Jam pridem hic Pater tuus, Mater tua, filia, quam tantopere diligebas; carus hic amicus, qui ſeſe pro te ſacrificavit; pauper hic domeſticus, qui tot annos fidelem tibi ſervivit ſervitutem; qui ſuas vires, adoleſcentiam, valetudinem, vitam attrivit, ut tibi famularetur; jam ſex menſes, vel annus elapſi ſunt, ex quo perſonæ id genus, olim tibi cariſſimæ, ignibus Purgatorii torquentur; neque ignoras, & ut ita dicam ſub oculis tuis Juſtitiæ Dei victimæ torquentur, eiſque opem ferre contemnis? Dominus proprie loquendo, te ſortis illorum arbitrum facit; tibi fecit poteſtatem illos juvandi, & liberandi per bona opera tua, per preces, & eleemoſynas tuas; nec placet tibi de illis optime mereri? Et vides illos, animo ſedato pati; & ſexcentis oblectationibus vacas? traducis dies tuos in hilaritate, donec graviſſima hi ſuſtinent ſupplicia, cum in tua ſit poteſtate eos recreare, & liberare? Intelligis ne quanta ſit inhumanitas, quantum ſcelus obliviſci, & nullo affici ſenſu animarum adeo mœrentium? *P. Croiſet in Aſceticis.*

Ratio alia juvandi Mortuos.

Alia ratio opem ferendi mortuis jejunium eſt, & eleemoſyna; jejunio, ad quod iſtic redigimus omnes pœnitentias, quas *afflictiones* vocamus, plurimum imminuere poſſumus de pœna, quam Juſtitiæ divinæ debent Defuncti; & hanc pœnam eleemoſynis redimere nobis licet. Hæ tamen compenſationes Deo acceptæ non ſunt niſi per modum ſuffragii, quemadmodum loquitur Eccleſia; nulla enim datur proportio inter pœnas, quas mortuis divina infligit Juſtitia, eam, quam in permutationem a viventibus recipit. Divina Juſtitia in hoc Mundo levibus tantum damnat ſuppliciis: *Nunc non infert furorem ſuum, nec ulciſcitur ſcelus valde:* In altera autem vita Deus Juſtitiam ſummo cum rigore exercet: *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Semper igitur inſignis eſt gratia, cum recipit Deus hujus vitæ pœnas ad pœnas vitæ alterius penſandas. Mos non eſt rejiciendi hanc compenſationem, ſed jus habet hoc faciendi: reliquum igitur eſt, ut enixe precemur illum, ut eam nolit ejicere. *Auctor recens.*

Job 35.

Matth. 5.

Preces noſtræ cum J. C. Sanguine pro Defunctis ſunt conjungendæ.

Sacræ Scripturæ nihil ultra dicunt, niſi ut oremus pro Mortuis: Huc referendum eſt quidquid facimus pro illis. Jejunemus, carnem mortificemus, erogemus eleemoſynam; ſed ſimul etiam Domini miſericordiam exoremus, ut accipere dignetur has obla-

tiones adeo inferiores debitis, quæ fratribus noſtris remitti procuramus. Jungamus etiam preces noſtras Sanguini JESU CHRISTI; longe efficientius pro nobis deprecanti. Inter præcipuas Sanguinis hujus adorabilis virtutes non minima eſt carceres tot vinctis animabus aperire, quas devorat ſitis ardens videndi Deum, & quas impotentia ſemet inde liberandi in vinculis detinet. *Tu in Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* *Pater Segneri.*

Zachar. 9.

Quam proſit orare pro Defunctis.

Sancta, & ſalubris cogitatio eſt pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur. Heu! cur non frequentius in mentem Viventium hæc ſubit cogitatio orandi pro Mortuis! Animæ ſanctæ; quæ in atris Purgatoris Carceribus torquentur propter peccata, quæ in hac vita patrarunt, tandiu non languerent in miſero ſtatu, ad quem redactæ ſunt, quin ſolatium inveniant: miſereremur earum calamitatis, & omni ope apud miſericordem Deum adniteremur ad leniendos rigores Juſtitiæ ejus erga illas. Sanctæ animæ de mediis ignibus, quibus torquentur, non quererentur de ſævitia, & inhumanitate propinquorum ſuorum, qui obliviſcuntur illarum in triſti loco exilii ſui, & qui cum poſſint modico ſumptu ſua perſolvere debita, nulla ducuntur miſeratione malorum, quæ ſuſtinent. Sed undenam quæſo, cogitatio iſta adeo ſalubris, ita raro ſubit in mentem Chriſtianorum? Et poſito etiam, quod ſubeat aliquando, unde nam fit, ut negligant juſta amicitiæ gratique animi propinquitatis officia erga homines, cum quibus in vita arctiſſimis vinculis juncti erant, & quos nunc derelinquunt, cum potiſſimum eorum indigent ope, & auxilio? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Defectus fidei, & caritatis cauſa eſt noſtræ inhumanitatis erga Defunctos.

Duæ rationes, Auditores, mirabilem hanc pariunt inhumanitatem, quam vix, & ne vix quidem crederemus, niſi noſmet reos ſentiremus. Sunt autem in quibuſdam fidei, in aliis vero Chriſtianæ Caritatis defectus. Fortaſſe nondum ſatis perſuaſum erat de Purgatorii veritate, & de pœnarum magnitudine, quibus animæ a corporibus ſuis ſeparatæ poſt vitam hanc damnantur. Non igitur mirum eſt, ſi quod fides & ratio nos docent, modicam adeo in nobis impreſſionem efficiant. Deeſt vera Chriſtiana caritas erga fratres, quamvis hæc illa ſit virtus, quam præ ceteris Dei Filius magis, magiſque commendavit. Ecce duobus verbis cauſæ modici ſubſidii, quod præſtamus animabus fratrum noſtrorum Defunctorum, ſubſidii, quod enixis precibus poſtulant, & quod petunt propter eas rationes, quæ validiſſimæ ſunt, & ad animos permovendos efficientiſſimæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Memorabile factum Judæ Machabæi inſinuare nobis debet ſenſus caritatis erga Mortuos.

Judas Machabæus Caput, & Dux populi Dei, cum inſtar Reipublicæ regeretur; facta collatione ex fidelium eleemoſynis duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerendas pro peccatis Mortuorum, qui in cruento eo prælio ceciderant. In hoc autem pio facto ſapientiſſimi hujus Principis multa ſunt animadvertenda. Primum quorum illud eſt, quod Hiſtoricus Spiritu ſancto afflatus, non ſolum hanc actionem enarrat, tamquam ſignum pietatis ſummi hujus Viri, neque tamquam factum hiſtoricum, quod probet, ſed illud extollit laudibus, tamquam factum non ſine pio Religionis ſenſu, quam profitebatur: *Bene, & religioſe cogitans de reſurrectione.* Et ne quis putet hunc peculiarem ſenſum fuiſſe hujus Principis Religioſi, quod ipſum magni ponderis eſſet; ſcriptum addit, populum univerſum liberaliter in hoc pietatis opus contuliſſe, *collatione facta*; ex quo liquet, hanc fuiſſe communem fidem in lege veteri, animis defunctorum hoc indigere ſubſidio; & per hæc Sacrificia liberari a carcere, in quo detinebantur, antequam ſperata requie perfruerentur; ſi enim illis perſuaſum non fuiſſet de hac veritate, nunquid inutiliter inſumpſiſſent bona ſua in ſuperſtitioſam cæremoniam, niſi per legem probata fuiſſet? Tertio animadvertendum eſt, Sacro Textui non ſatis eſſe probare factum, ſed jus etiam probare; & quin locum præbeat ſuſpicioni, non defuiſſe aliquam ſuperſtitionis ſpeciem in praxi per legem probata. Eſt igitur, arguit, *ſancta, & ſalubris cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*, non quidem ab illis, propter quæ digni ſiunt æterno ſupplicio; quippe illis jam perſuaſum erat, non ſecus ac nobis, ſupereſſe nullum ſpei, vel miſericordiæ locum eo in carcere, ubi reprobi nunquam ſatisfaciunt, neque per ſe, neque per alios divinæ Juſtitiæ. Oportebat igitur, ut crederent illi ſicut nos, ſtatum tertium, tertiumque locum, ubi fieret expiatio quorumdam peccatorum, quæ pœnam æternam non merebantur, & quæ nihilo ſecius prohibebant, ne in tranquillitate expectarent ſummi boni perfruitionem, quam ipſi quoque, non ſecus ac nos, ſe conſecuturos ſperabant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Scriptura per factum Machabæi Ducis exemplum nos docet noſtra pietatis erga Mortuos officia.

Ut nobis perſuaſum eſſet, in lege veteri fidem hanc communem fuiſſe, mortuis preces prodeſſe, Scriptura ipſa rationem reddit, propter quam actio generoſi Machabæi ſit probanda: *Quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* Sciebat magnus ille vir, & ipſe ſecum animo reputabat, eos; qui cum pietate deceſſerant, & in Patrum fide obierant, certam habere ſpem, fore, ut Deus gratificaretur illis, & poſt Reſurrectionem gloriam largiretur. Ad quid autem profuiſſent hæ preces, & hæc Sacrificia, ut idem Sacer Textus adjicit, niſi reſpexiſſent beatitudinem, quam ſperabant, & qua frui non poterant donec in triſti eo loco detinerentur? Locus, qui adeo perſpicue, ſimulque adeo magnifice loquitur de Oratione in Defunctorum ſubſidium, convincit Hæreticos, qui victi perſpicuitate facti, de quo dubitandum non eſt, quo jus ipſum probatur, quo gaudet Eccleſia, cum ſenſum detorquere non poſſint, quod aliis in locis faciunt, acceperunt conſilium hæreticis vulgatiſſimum, quale eſt, cum non audeant refellere Scripturarum teſtimonium, quandoquidem non aliam admittunt fidei ſuæ Regulam, propria auctoritate rejiciunt, & ex numero librorum Canonicorum expungunt libros Machabæorum, ubi factum hoc adeo authenticum enarratur. *Idem.*

Quam vetus ſit conſuetudo orandi pro Mortuis.

Oratio pro Defunctis antiquior eſt Eccleſia JESU CHRISTI, quandoquidem conſtans erat praxis illius in lege veteri, & præter teſtimonium Machabæorum, Joſeph, qui Judæorum ſcripſit Hiſtoriam, ſub primis Imperatoribus de hac, tamquam de antiqua, loquitur conſuetudine in populo, cujus rituale fidem faciebat; & ſcimus ad hanc quoque diem, qua Templo, & Sacerdotibus carent, & qua legem a Deo receptam adulterarunt tot aliis in locis, ſervare hanc praxim fundendi preces ſolemnes pro Mortuis. Tanta vis eſt conſuetudinis per veterem Traditionem conſtitutæ. *Idem.*

Nulla eſt utilior, & laudabilior actio, quam pro Defunctis orare.

Omnia miſericordiæ opera cum ſpiritu, & chriſtiano corde peracta, ingentis ſunt pretii, meritique. Quid laudabilius, quid ſuavius quam calamitoſo benefacere, & citra incommodum reddere tranquillitatem, & gaudium ſpiritui, quem ſæpe tentatio deſperationis urget, & cordi, quod præ mœrore, ac triſtitia contabeſcit. Hi ſunt effectus viſitationum, quibus pauperes, infirmos, ac egenos pudibundos conſolamur; quibus miſeris in carcere detentis opitulamus: quibus ſingulariter Deus adnectere vult felicitatem, æternamque gloriam. Tamen hi pauperes infirmi, & captivi erunt fortaſſe reprobi, qui æternum in inferis Deum maledicent. Nihil intereſt. Bonum opus ſemper habet meritum ſuum, ſuamque in Cælo remunerationem. Quam ergo mercedem, quod meritum habere non debent caritates, quæ fiunt animabus Purgatorii; nam præter meritum boni operis, & caritatis, quod illi commune eſt cum ceteris operibus miſericordiæ, habemus honorem atque conſolationem opem ferendi, lætificandi, ex ſæviſſimis cruciatibus liberandi animas prædeſtinatas, ſponſas Salvatoris, quarum ſedes parata eſt in gloriæ habitaculo? Quæ utilitas eſt ex compedibus eruere Regem vel Reginam? Hujuſmodi liberator, quam inde mercedem poteſt expectare [illegible]tur qua cura ſtudeat Eccleſia ne ſinat aliquem unum menſem elabi, aliquam Hebdomadam, aliquem diem, quo non effundat aliquam orationem in ſolatium fidelium Animarum, quæ piacularibus flammis emundantur; & omnium temporum praxis piam hanc devotionem confirmat. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Liberare conantes animas Purgatorii nobis amicos apud Deum comparemus.

Si neglexerimus opem ferre Sanctis Animabus, quæ in Purgatorio patiuntur, permittet Deus; ut nos quoque cum ibi expiabimur, nemo cogitet de nobis; ſi enim caritate uſi fuerimus erga illas, viciſſim alii utentur erga nos; eſt igitur ſancta, & ſalubris cogitatio pro Defunctis exorare; in hoc enim acceptam Deo actionem agemus, qui Sanctus has diligens animas, non aliud cupit, niſi eas intueri de manibus Juſtitiæ ſuæ ereptas: quibus adde, has fore totidem amicos, quos nobis apud Deum comparabimus: cum enim Animæ iſtæ opera noſtra a pœnis liberatæ fuerint, quid illæ pro nobis rependent, ubi fuerint gloriam adeptæ? Præſertim vero cum videbunt nos in iis flammis, ex quibus eas liberaverimus; & quas videmus ſecundum ſpeciem nos certe non evitaturi? Modicum requiritur, ut in ignes illos incidamus. Minima in Dei ſervitio negligentia, leve mendacium, levis impatientia nos illuc ducere poſſunt. *Illo tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen per ignem; non capitalia, ſed minima peccata purgantur.* *Conſiderationes Chriſtianæ.*

Cæſarius.

Caritas nos urget, ut exoremus pro Mortuis.

Conſtans eſt veritas, Chriſtianam Caritatem, ſeu quam habemus erga Deum, ſeu quam erga Proximum, ſine fide ſubſiſtere nequaquam poſſe, & etiam ſecundum Apoſtoli ſententiam, illam in operibus ſuis ſequi lumina fidei, quæ illius regula eſt, eamque moderatur: *Caritas, quæ per fidem operatur.* Quamobrem cum vobis perſuaſum ſit, ut decet, de Purgatorii veritate, & Animas fratrum noſtrorum in hoc tormentorum loco pati; ita enim illum hoc nomine appellare poſſum, Sancti enim Patres non ægre illum Infernum etiam dicunt, quamquam cum modificationibus

Galat. 5.

nibus

nibus quibuſdam illum fecerant a loco, in quo calamitoſæ victimæ Æternæ ultionis Dei torquentur: Cum perſuaſum inquam ſit vobis Patres noſtros in hoc tormentorum loco torqueri, non ægre vobis oſtendam, nos ex caritate ad præſtandam illis opem teneri. Conabor vobis eas afferre urgentiores cauſſas, quæ ſunt etiam aptiores ad ciendam in vobis hanc erga Sanctas animas caritatem, & iterum inflammandum ignem ſemiſopitum, ad quem in terras deferendum Dei Filius deſcendit; hodierna die ſatis erit mihi, vulgatiores vobis exhibere, & quæ inevitabiliter omnes generatim Chriſtianos obligant, ad hoc officium explendum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Unio cum fratribus noſtris nos cogit pro illis orare tamquam membris J. C.

Prima deſumitur ex unione quam habemus cum fidelibus Animabus, quatenus ſunt membra ejuſdem myſtici Corporis JESU CHRISTI, qui Caput eſt Eccleſiæ ſuæ in tres ſtatus illud componentes diviſæ. Profecto nemo inter Chriſtianos eſt, qui ſcire neſciat, hujus Eccleſiæ partem eſſe triumphantem in Cælo, quippe quæ feliciter adepta eſt glorioſum terminum, quo omnes contendimus. Illic gaudet præmio laborum ſuorum, & ſupremam poſſidet felicitatem, ſpei, noſtræ argumentum. Pars altera hujus Eccleſiæ iſthic præliatur, ideoque militans appellatur, obnoxia periculis, quæ obimus in hoc mortali periculo, & pari incertitudine futuræ noſtræ Salutis, utrum modo ſimus accepti in oculis Divinæ Majeſtatis. Tertiæ Eccleſiæ hujus pars ſupremæ quidem felicitatis ſuæ eſt ſecura, quæ tandem aliquando illi deeſſe non poteſt: ſed patitur moram, damnata divinæ Juſtitiæ judicio ad perſolvenda debita, quæ in hoc mundo contraxit, & ad luendas pœnas pro peccatis, quæ expiare neglexit per ſalutarem pœnitentiam, atque inde illi factum fuit nomen patientis. *Idem.*

Sequitur idem argumentum.

Precibus noſtris aliquid conferre debemus ad felicitatem fidelium, qui obierunt; quia fratres noſtri ſunt, & partes ejuſdem Eccleſiæ. Illis opem ferre poſſumus precibus noſtris, eleemoſynis prodeſſe, eorumque perſolvere debita ſatisfactionibus, quas communi Capiti noſtro pro illis offerimus. Quis autem ambigere poteſt, an ad id nos obliget caritas? Hi fratres ſunt, & proximi noſtri, ſin minus carne, ſaltem ſpiritu, quod eſſe debet vinculum arctius, & validius ad nos ſimul tamquam Chriſtianos conjungendos, qui ſunt ejuſdem capitis membra, & quæ unum, & idem corpus componunt. Horum membrorum pars, ut Apoſtoli utar verbis, & ſimilitudine: *membra corporis infirmiora*; hæc agere non poteſt, neque ſibi vel minimam opem procurare. In hac autem infirmitate, ac impotentia ſemet liberandi ab incomprehenſibilibus malis, quæ ſuſtinent, nonnunquam etiam per occaſionem noſtram, qua cura, qua feſtinatione illis

Eccleſ. 7.

opitulari debemus? *Mortuo ne prohibeas gratiam*, Sapiens exclamat; ne illi neges ſolum illud boni, quod ei procurare vales, quale eſt pœnis, quas patitur, ſolatium afferre. Eccleſia illum filium ſuum confitetur, & pro illius requie preces inſtituit: ne ſolus ſis, qui illi neges ſubſidium. Hominum Salvator pro illo ſuum effudit Sanguinem; hunc illi applicare, tuum eſt. Ceterum hic eſt frater tuus, filius Patris tui Cæleſtis, membrum corporis ejuſdem: *Mortuo ne prohibeas gratiam*. Inhumanitas, & barbaries eſt non audire naturæ vocem; perinde ac ſi frater ſecundum ſanguinem fratri neceſſariam negaret opem in urgentiſſima, neceſſitate. Inauditum eſſet, ejuſdem corporis membra ſibimet mutuo ſolatium detrectare; manum exempli gratia pedi nolle medicinam facere. Heu! quod judicium ferendum eſt de Chriſtianis ſimul per gratiam conjunctis, quod arctiſſimum vinculum eſt, nolle, vel negligere fidelibus defunctis opem ferre in graviſſima neceſſitatum omnium, in qua ipſi ſibi opitulari non poſſunt? Nonne hoc eſt juſtiſſimi officii oblivisci, & deeſſe caritata, quæ latiſſime ad omnes ſeſe extendere debet? *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Chriſtianæ caritatis officia non coarctantur intra vitæ hujus ſpatium; & ſi docet Apoſtolus illam nunquam ceſſare, ſed in ipſius gloriæ habitaculo permanere, tunc etiam cum fides evanuerit per claram ſupremi boni viſionem, & ſpes noſtra locum fecerit poſſeſſioni objecti illius, quod ipſi expectamus; ardor ejuſdem caritatis, quæ viventes Chriſtianos conjunxit, intepeſcere non debet, neque deficere ea in ſeparatione, quæ fit in aliorum obitu; qui enim ſuperſunt totam ſervare integram debent; cumque ſimus in ſtatu optime merendi de proximo, idque eo magis noſtra indiget opera, cum ſua uti non poſſit, nonne dicere debemus, in hac occaſione nobis eſſe præbenda realia, practica, & eſſentialia teſtimonia ad progreſſum illius felicitatis, quam illi procurare debemus? *Mortuo ne prohibeas gratiam.*

Per preces pro Defunctis Chriſtianam diſtinguimus caritatem ab humana.

Alia ratio, quæ nos cogit omnem operam impendere, ad opem ferendam fratribus in Purgatorii piacularibus flammis detentis, hæc eſt, quod hoc ſubſidium, quod illis afferre poſſumus proprie diſtinguit Chriſtianam caritatem ab officiis humanæ amicitiæ, quam viventes reddunt amicis ſuis, & conſanguineis Defunctis. Etenim propter hanc neceſſitudinem alii deplorant ſortem amicorum ſuorum, ſuiſque lacrymis eorum tumulos irrigant: nonnulli, qui nullam conſolationem admittere poſſe videbantur; nec defuerunt, quos doloris exceſſus eo rapuit, ut ſeſe in eodem ſepulcro tumularent, vel in eumdem rogum conjicerent, quo eorum corpora abſumebantur, ut ſuis etiam cum cineribus amicorum permiſcerentur; & alii denique conſolati jacturam illorum quærerent exequiarum magnificentia, & funebri pompa, qua illis poſt obitum parentarunt. Hæc quidem ſunt amicitiæ conſtantis indicia; ſed officia inania! infirma viventium, potius quam mortuorum ſolatia, S. Auguſtinus exclamat; æquivoca doloris, & amicitiæ teſtimonia eorum, qui ſæpe ſignificant ſe dolere mortem amici. Sed in hoc Chriſtiani caritas non conſiſtit, quæ æqualiter abeſt a ſtoica cupiditate, quæ rei nullius afficitur ſenſu, & a ſenſibus nimis acribus, quos in aliorum corde excitat natura, & amicitia. Caritas non damnat dolorem, quem in funeſtis hiſce caſibus inſpirat amicitia; ſed moderatur illum, atque intra juſtos cancellos coercet. *Modicum plora ſuper mortuum, & fac planctum ſecundum meritum ejus*; dicit Spiritus ſanctus per os Eccleſiaſtici. Sed huic ipſi caritati non ſufficit lugubris apparatus, non hic conſiſtit; ſolidiora præbet pietatis, & Religionis argumenta; procurat enim fratribus noſtris perfruitionem quietis, æternæque felicitatis, ad quam jus habent acquiſitum; cujus tamen nondum poſſeſſionem adierunt. Caritas illa preces cum lacrymis miſcet, relevat pœnas, amaroſque Defunctorum dolores, quin ſuos mulcere contendat; ſumptus aliquos erogat, ut honoret Defunctorum exequias, ſed plures erogat eleemoſynas, ut perſolvat eorum debita erga Dei Juſtitiam; & contemnens faſtum, qui facere velle videtur, ut referant triumphum de morte per quamdam ſpeciem immortalitatis, quam illis procurare conantur, ipſi realem, veramque procurat in ipſo gloriæ habitaculo. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* Eccli. 22.

Vera caritas ſeſe prodit in precibus, quæ fiunt pro Mortuis, in hoc ab humana ſecernitur amicitia, quæ in morte deſinit; vel ſi ultra tumulum ſe extendit, hæc, ut a S. Auguſtino vocantur, ſunt *Humanitatis officia, non vitæ æternæ præſidia*. Etenim cui bono illis eſſe poſſunt? Agnoſcunt iſti ne hæc amicitiæ teſtimonia; hæc veſtræ recordationis monumenta? Et ſi Deus efficit, ut illa cognoſcant, ipſi ne iiſdem afficiuntur? Indigent ne his lacrymis, hoc luctu, his ſumptibus immodicis? Exigunt a vobis officia religioſiora, & caritatem ſolidiorem, cujus effectus, & ſigna ſunt implorare pro illis Domini miſericordiam; opitulari, ut divinæ ſatisfaciant Juſtitiæ per jejunia, aliaque bona opera, quæ in hunc finem offeretis. Quin eorum Sepulcrum colatis, quin eorum ſtemmata in Templum apponi adnitamini, & prolixum luctum faciatis, facite, ut plura offerantur Domino Sacrificia, & preces, ad divinam miſericordiam pro illis ſollicitandam. Hoc S. Hieronymo teſte fecit illuſtris Pammachius, æque pietate clarus, ac honore, quo in Mundo florebat. Mors illi conjugem in ipſo ætatis flore eripuerat. Hanc ex officio, & animi ſtudio dilexerat ſibi virtute, ac meritis ſimillimam, filiam admirabilis S. Paulæ, & nunquam a Majorum ſuorum pietate degenerem. Pammachius tantam poſt mortem ejus fovit caritatem, quantum viventi teſtatus fuerat amorem. Quin autem floribus ſpargeret ſepulcrum ejus, Sanctus hic Pater inquit; quin bonorum ſuorum partem effunderet in magnificis eidem exequiis procurandis, vel effuſis lacrymis dolorem ſuum teſtaretur, omnes collegit egenos circum illuſtris hujus Defunctæ ſepulcrum, & ut laudatus Doctor inquit, *Sanctam ejus favillam, oſſaque veneranda eleemoſynæ balſamo irrigavit*. Hæc ſigna ſunt ſanctæ amicitiæ, vel potius perfectæ caritatis. Hoc eſt teſtari ſe bonum amicum, bonum patrem, bonum conſanguineum, bonum virum; & Chriſtianam caritatem nos in hoc Mundo conſociaſſe, cum poſt mortem non obliviſcimur eorum, quos, dum viverent, tenero amore ſumus amplexi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* Sequitur idem argumentum.

Chriſtianam caritatem inconſtantiæ obnoxiam eſſe non decet; non temporum, neque locorum intervallum prohibere debet, quominus Chriſtiani ſemper conjuncti, & ſeſe mutua caritate complectantur: quæ ſi in Cælo non amittitur, multo minus amitti, infirmarique poteſt in Purgatorio erga eos, qui celeri opus habent auxilio; & in hoc ſenſu potiſſimum dicere debemus, caritatem morte ipſa, & inferno eſſe fortiorem; videlicet, migrare debere uſque in ſubterraneum hunc carcerem, qui has animas ſanctas a Luminum ſede ſecernit. *Fortis, ut mors dilectio, & dura ſicut Infernus æmulatio.* Hæc igitur eo uſque ſeſe debet extendere, & nunquam eorum obliviſci, quos mors abſtulit oculis noſtris, & relegavit in hanc tenebrarum, dolorumque regionem. Sed quæ ſævitia, & quæ ſtupiditas in pleriſque Chriſtianis eſt, qui poſtquam deduxerunt propinquos ſuos, & amicos ad tumulum, eos ibi relinquunt, & poſt aliquot luctus Fideles ſemper conſtantem præferre debent caritatem, & præſertim erga mortuos.

dies

dies omnino eos tradunt oblivioni. Hæc enim plerumque conſuetudo eſt, propter quam Rex Propheta inquit: *Oblivioni datus ſum, tamquam mortuus a corde.* Æque parum mei reminiſcuntur, ac mortui, de quo nulla ſupereſt cogitatio, poſtquam illi parentatum fuit. De hoc jure conqueruntur Animæ Purgatorii. Heu! nonnulli vivunt in ſtabulis, quæ illorum meminerunt, vel in ſcriptis, quæ reliquerunt; vel quæ ſcribuntur de illis, de vita, deque actionibus eorum; alii vivunt in celebritate, & hominum memoria, ac ore illorum, qui aliquo modo vivunt in Epitaphio tumuli ſui; ſed omnes fere moriuntur in corde propinquorum, amicorum, filiorum ſuorum, qui illis non ſubveniunt precibus, & bonis operibus ſuis: *Oblivioni datus ſum, tamquam mortuus a corde.* Ah! Si nobis perſuaſum eſt de Purgatorii veritate, & neceſſitate, in quo ſunt auxilii noſtri ii, qui piacularibus flammis ibi emundantur: ſæpe cogitatione deſcendamus in hanc Mortuorum regionem, conſideremus miſerum ſtatum, ad quem redactæ ſunt animæ illæ, & caritas nobis tribuat miſericordiæ viſcera, ut eorum miſeriam relevemus. Sed ne contenti ſimus ſterili miſeratione; offeramus pro illis preces, & eleemoſynas, potiſſimum vero Altaris Sacrificium, pro eorum liberatione. Non apud ingratos beneficium ponemus, ſed mirum in modum gratiſſimos; & qui ſua utentur apud Deum auctoritate ad eam nobis procurandam beatitudinem, in cujus poſſeſſione illos collocaverimus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pſalm. 30.

Animæ Fidelium, quæ in Purgatorio patiuntur ſeſe precibus noſtris commendant, ut pœnas earū brevius efficiamus.

Nullus dubito, quominus animæ, quæ ſunt in Purgatorio libenter ſuſtineant omnia excogitabilia tormenta, ut unius tantum horæ ſpatio prævertant tanti boni perfruitionem; ſed ad vos, Auditores, confugiunt, ut illud conſequantur. Deus eorum clamoribus, ac precibus obſtruit aures, ſed ſe facilem præbet veſtris; petitionibus veſtris concedet, quod enixiſſimis negat eorum flagitationibus. Ita eſt. Sanctæ illæ Animæ vos eligunt pro mediatoribus ſuis apud iratum Patrem ſuum. Hic iratus eſt contra illas; vos pacem reconciliare poteſtis intercedentes pro illis. Operam ne veſtram tenuitis? Hæ amabiles ſponſæ Judicis, adeo ſevere illas punientis, vos deprecantur, ut in earum gratiam ipſius iram flectatis: quandoquidem ipſis non licet ultra exaudiri, & ſatiſfacere; ideoque quod vos flagitant adeo exiguum eſt, ut id illis detractare, opus ſit extremæ crudelitatis. Facite igitur voſmet Salvatores earum prævertentes in anteceſſum æternam ipſorum beatitudinem, & manum Dei illas non ſolum a ſua præſentia repellentis, verum etiam a ſede omnium deliciarum, & loco ſuæ felicitatis amoventis, cohibere. Hoc Cælum eſt, ad quod anhelant indeſinenter; ita ut ſi deſiderium videndi Deum, quo ad tempus carent, illas citra omnem conſolationem affligit, dolor intuendi ſemet ab hac beati ſede ſemotas, dolorem earum maxime augeat. *Idem.*

Quanta ſunt paſſiones, & ægritudines animarum Purgatorii.

Animæ iſtæ, quæ languent in pœnis Purgatorii, beatorum ſedem conſiderant tamquam optatiſſimam Patriam; illius ſublimem ſibi proponunt imaginem; illam reſpiciunt tamquam partem beatitudinis ſuæ, a qua cum exulent Supremi Judicis Sententia, & arceantur, cum prope eſt, ut illuc ingrediantur, dubitandum non eſt, quominus hæc mora illis graviorem, & acriorem pariat dolorem, quam ſit dolor viatoris, qui poſt annos plurimos inquietas ſollicitudines, ac deſideria iterum videndi patriam regionem aliquo funeſto caſu ſe retardatum videret, quod cogeretur diutius adhuc expectare. Hoc deſiderium, & hæc ægritudo tanta eſt, ut nihil acerbius, ut ex Moyſe exiguæ infidelitatis pœnas repoſceret, invenerit Deus, quam eminus illi promiſſam terram oſtendere, ad quam annos jam quadraginta anhelabat: *Vide terram, & morere.* Ecce hæc terra, objectum votorum tuorum, & ardentiſſimorum deſideriorum: ſed tibi illam videre ſufficiat, neque pervenies ad illam. Heu! Hæc terra, ubi aliquando naſciturus erat Homo Deus erat ne comparabilis cum illa viventium terra, ubi Cæli, terræque Monarcha ſuam gloriam oſtentat? *Vide, vide terram, & morere.* Reſpice terram hanc, tunc dicetur animæ in horrenti carcere detentæ; hæc eſt optatiſſima Patria tua, hæc ſedes omnium deliciarum, hic locus ad quem tamdiu anhelas. Hanc igitur intuere, & præ dolore in ſingula momenta morere, quoniam tempus exilii tui nondum abſolutum eſt. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* Illa exclamare poteſt: tandiu iſtic permanendum eſt? Hic dolor, qui adeo illam pervaſit, facit ut in ſingula momenta mille effundat ſuſpiria, & mille ſingultus; habet enim ſemper præſentem cogitationem hanc actualem; & vehementia deſiderii, quod habet loci illius ad quem contendit, non ſinit illam inde mentem avertere. Si igitur precibus, ſubſidiiſque tuis ejus exilium brevius facis, eamque adducis in poſſeſſionem boni quod optat, quam tibi gratiam eſt habitura? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deuter. 34.

Pſalm. 119.

Quanta eſt gratitudo animarum Purgatorii erga illos, qui pro earum liberatione laborant.

Si eodem tempore quo Deus repellit afflictas has animas manu Juſtitiæ ſuæ, nos illis benignam tendimus noſtram illas erepturi de hoc ſtatu, ut illis Cælum aperiamus, eiſque Dei ipſius poſſeſſionem procuremus, quam illæ nobis gratiam non debebunt? Vos profitemini exercere caritatis opera, quæ probo univerſa, etenim in magno ſunt pretio in oculis Dei: ſed quodnam excellentius, aut dignius exercebitis in urgentiori neceſſitate erga perſonas, quæ melius merentur, & quæ in majori ſint opem ſibi procurandi impotentia? Neque enim obolum datis egeno ad redimendam importunitatem quam parit; illis Cælum largimini cum omnibus bonis, vel ſaltem illius poſſeſſionem prævertitis: non operitis nudum, gloriæ ſtolam tribuitis animæ, quæ fortaſſe ad annos plurimos ea privata fuit: non egeno, & fame laboranti panis offam præbetis, Sanctum deliciarum torrente ſaturatis: non captivum inviſitis, vel de carceris ſquallore educitis, ſed hic futurus eſt Aulæ Cæleſtis incola, cui procuratis libertatem filiorum Dei, illum de carcere tenebrarum educentes. Non poteſt, Auditores, caritas melius exerceri, quam erga illos, erga quos Deus ſe ſeveriorem oſtendit; & uti miſericordia erga illos, erga quos videtur Deus inclementius ſuam exercere Juſtitiam. *Auctor idem.*

Permittet Deus, ut eorum, qui negligunt pro Defunctis exorare, poſt mortē omnes obliviſcuntur.

Joelis 3.

Ecce pœna, quam populo ſuo minitatur Deus per Joelem Prophetam: *Reddam viciſſitudinem vobis.* Par pari referam, & eadem vos excipiam menſura, qua fratres veſtros excepiſtis. Negabitur vobis aquæ gutta ad refrigerandum ardorem, qui vos in triſti hoc loco comburet, quandoquidem aliis micas menſæ veſtræ negaſtis; hoc eſt, aliquam partem, & reliquias aliquot veſtrarum ſatisfactionum illis, qui in carceribus Juſtitiæ meæ languebant. Fruſtra illi opem veſtram imploraverunt, vos alienam fruſtra implorabitis: propinquorum, & amicorum veſtrorum obliti eſtis; alii viciſſim obliviſcentur veſtri, & nemo amplius veſtrum recordabitur: *Reddam viciſſitudinem vobis . . . eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Contenti fuiſtis levium quarumdam precum, ubi auribus veſtris accidit nuntium mortis illorum; & quæſiviſtis potius conſolari jacturam veſtram, quam illorum pœnas, cum poſſetis adhibere preces, jejunia, & eleemoſynas ad eas liberandas. Voſmet dolori, ac inutilibus quæſtibus tradidiſtis eo quod familiæ veſtræ fulcrum, vel fortunarum veſtrarum ſpem amiſiſtis: ecce quomodo permittet Deus, ut vobiſcum agatur; plorabimini aliquot dies; lacrymis, ſuſpiriis, ac inutilibus lamentationibus obitum veſtrum proſequentur, quod tempus melius inſumendum eſſet, ut divinæ ſatisfieret Juſtitiæ, impendetur in exequiis peragendis, in exequendis poſtremis voluntatibus veſtris, in magnifico Sepulcro extruendo, in elogio veſtro concinnando; ſed nemo curam pro vobis exorandi aggredietur. *Reddam viciſſitudinem vobis. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Fructus precū, quæ fiunt pro Defunctis, applicatur illis, qui dum viverent deprecati ſunt pro animabus Purgatorii.

Saltem, inquis, particeps ero ſuffragiorum toti Eccleſiæ communium, & ſi nemo peculiariter meminerit mei, in partem accedam illius acervi precum, quas generatim fideles offerunt quotidie, & devotionis, qua plures ſæpe fruuntur pro derelictis, vel illis, quorum non eſt ſingularis memoria. Ipſa etiam Eccleſia in Sacrificiis, quæ in hunc finem offert, nonne Deo commendat animas omnium Defunctorum! Spes inanis, Auditor mi; & ſi putas hanc tibi cauſſam profecturam, quomodo aliquando hanc illuſionem deplorabis! Etenim adeo parum calles effectum precum, & ſatisfactionum, quæ offeruntur pro Mortuis, ut nondum ſcias, id quod offertur Deo pro illorum liberatione, vel pœnarum ſolatio, offerri per modum ſuffragii, & Deum ſemper reſervare ſibi jus illud applicandi, & cui, & quantum ſibi placuerit; alioquin ſatis eſſet ſemel tantum offerre Altaris Sacrificium ad extinguendas omnes Purgatorii flammas, & liberandos omnes, qui in triſtibus illis carceribus detinentur. Cum autem horum ſuffragiorum applicatio ſit in manibus Dei, ipſe diſponit de actionibus caritatis, quas faciunt viventes in mortuorum ſolatium ſecundum ordinem Juſtitiæ ſuæ; cumque regulis providentiæ erga pias perſonas, ſit illas remunerari, vel plectere ſecundum menſuram caritatis, quam exercuerunt erga proximum; hæ preces, & ſatisfactiones illis applicabuntur, qui aliis opem tulerint, dum viverent; erga vos autem omnem adhibebit Juſtitiæ ſuæ ſeveritatem: *Judicium ſine miſericordia ſit, qui non facitne miſericordiam.* Secundum hanc regulam divinitus inſtitutam, quod Deo pro vobis offeretur, illis applicabitur, qui majori uſi fuerint caritate, zelo, ſedulitate in hujuſmodi obeundis officiis. *Idem.*

Epiſtola Jacobi cap. 2.

Oblivíſci aut illos contemnere qui olim amici noſtri fuerunt, hoc eſt infideles illis eſſe. quid eſt ergo erga mortuos, qui nobis fideles

Cum eorum obliviſcimur, qui nobis olim cari fuerunt, hæc habenda eſt tamquam cordis duritia, & inhumanitas nova, quæ fecit, ut frigus, & oblivio profunda ſuccederet amori, teneræque benevolentiæ, ac pretio in quo illos habebamus. Hoc vos appellaretis infidelitatem, ingratitudinem, pravum ingenium, & crudelitatem erga viventes: heu unde nam fit, ut idem pro nihilo habeatur erga mortuos? Cum nobis

eſſet

fuerunt & quos amavimus.

eſſet perſuaſum animabus eorum eamdem fortem futuram, quam corporibus, & nihil reliqum ex illis futurum, niſi nomen, & recordationem, teneremur adhuc eorum memoriam colere; ſed edocti fuerimus, ut ſumus, ſtatum animarum noſtrarum, & quid illæ patiantur ad expianda peccata, quæ in hac vita patraverunt, & quantum noſtris indigeant ſubſidiis, illas contemnere, derelinquere, earum obliviſci, nunquam fere de illis cogitare, vel de illis cogitare quidem, ſed eis opem non ferre? Amici infideles! filii inhumani! Homines ſenſu carentes! Nunquid vobis mirum videri debet ſi par pari vobis rependatur? Vel aliud ne expectare poteſtis, quam ut vobiſcum pari cum inclementia agatur? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Juſtitia Dei ſeſe nobiſcum geret, quemadmodum nos geſſimus erga animas Purgatorii.

Videmus homines non ita facile miſereri eorum, qui in alios fuerunt immiſericordes; cum aliquis eadem remetitur menſura, qua erga alios uſus eſt, ſtatim omnes in hanc vocem erumpere audimus, Deum eſſe juſtum, & in illum animadvertere pro meritis. Quam crebro ipſa etiam humana Juſtitia nocentem damnat ad eaſdem pœnas ſubeundas, quas innocentibus inflixit? Nihil magis naturali æquitati conſentaneum, quam hæc agendi ratio; & nemo, ut verbo me expediam, jure queri poteſt etiam clanculum, cum utimur eadem ſeveritate erga illum, qua ipſe in alios uſus eſt prior. Hic autem eſt ordo, quem divina ſervat Juſtitia in puniendis criminibus hominum: nonnunquam in hac etiam vita, ſed ſemper certiſſime in altera, ut docet Scriptura. Dives epulo, de quo loquitur Evangelium micas de menſa ſua negaverat Lazaro præ foribus ſuis eſurienti; & cum immitis ille dives ſepultus fuit in Inferno, negata fuit illi aquæ gutta ad moderandum ardorem ſitis, quæ erat ardentior ignibus illis, quibus urebatur. Barbari hujus ſævitia eadem punita fuit repulſa, quam languenti pauperi dederit. Mirum eſt videre, quomodo Sancti Patres præſertim vero S. Chryſoſtomus laudet hanc æquiſſimam reſtitutionem, repulſam guttæ aquæ ad puniendam micæ panis repulſam, & quomodo Abraham nequaquam miſertus eſt ſtatus miſeri, ac intolerabilium cruciatuum illius, qui alienæ mendicitatis miſertus non fuerat. Sanctus hic Patriarcha rejecit non ſine probro preces illius, qui aures ſuas obſtruxerat clamoribus, & fletibus eſurientis, & opem implorantis; teſtatuſque eſt ſuam inhumanitatem in illum, qui talem habuerat cordis duritiem in pauperem extrema neceſſitatem laborantem. Terribile exemplum divinæ Juſtitiæ in altera vita; & quamvis tantum ſit diſcrimen inter animam in Inferno reprobatam, & animam Sanctam, & Dei amicam in Purgatorio, Juſtitia hæc nihil mutat in hoc ordine; eamdem rationem ſervandi quam in hoc Mundo illæ ſervaverint erga fratres, quibus opem ferre poterant in ſimili neceſſitate. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Preces quas fundimus pro animabus Purgatorii nobis nã prodeſſe non poſſunt, quippe Dei Filius ipſis ſor eſt.

Quamvis viventes veſtri obliviſcerentur, & animæ, quibus opem tuliſtis, non ſatis eſſent potentes, ut ſeſe objicerent divinæ Juſtitiæ decretis; tertium habetis auctorem veritatis, quam aſſetui, Filium Dei ipſius, quippe dignatur ipſe ſubire onus animarum, quibus opem tuliſtis: vobiſque quodammodo gratias beneficii eiſdem præſtiti debere. Hinc enim ſequitur ipſum nobis eamdem mercedem collaturum, perinde ac illum ipſum eduxerimus de flammis, cælumque ipſi aperuerimus. Si enim eleemoſynis, quas erogamus, illas dignatur recenſere tamquam totidem beneficia a nobis ſibi facta: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare, nudus eram, & cooperuiſtis me, in carcere eram, & viſitaſtis me.* Quam ergo habebit gratiam illis, qui in perſona fratrum ſuorum illum de hoc horrenti carcere liberaverint? Quid dicet illis, qui precibus ſuis Dei iracundiam flexerint, ignem, quo urebatur extinxerint, æs alienum, quo obſtrictus erat, perſolverint? Quomodo illos excipiet, qui illum Cæleſtibus deliciis ſaturaverint; qui illum de tot pœnis liberaverint, eumque tot cumulaverint gaudiis? Ille, qui eo uſque liberalis eſt, ut totum Regnum ſuum promittat pro calice frigidæ caritatis titulo, & in illius nomine traditæ? Num dubio locus eſſe poteſt, quominus gratiam referat tot beneficiis in uno collectis omnibus benevolentiæ ſignis, quæ ab illo poſſunt expectari? *Idem.*

Nobis orandum eſt pro animabus Purgatorii, quomodo cuperemus orari pro nobis, ſi iis pœnis afficeremur.

Speras, te aliquando in Cælum ingreſſurum; hæc eſſe debet votorum tuorum ſumma; ſi tibi eſt ſenſus vere Chriſtianus. Via, per quam eo tenditur, noſti, Sancta vita eſt, fides, & bona opera. Sed quia fides eadem nos docet ſimul, nihil eſſe medium Cælum inter, quæ Beatorum ſedes eſt, & infernum, quæ æterna eſt ſedes reproborum; & medium hoc, quod Purgatorium vocamus ad tempus Cæli aditum nos prohibere, ac ſupremam Beatitudinem noſtram retardare; habes, ſi vis, tutum, ac certiſſimum medium ad beatum hunc terminum perveniendi; quod eſt, ſecundum Filii Dei conſilium, aliis facere in hac vita, quod cupis ab aliis tibi fieri; & dum vivis adhuc, amicos tibi conciliare, qui te in æterna recipiant Tabernacula. Hos autem amicos non ſolum conciliare tibi vales, non ſolum de mammona iniquitatis, ſi quid forte ex ea congeſſiſti, ſed etiam de theſauro bonorum operum tuorum; tuarum precum, & ſatisfactionum, quibus opitulari potes Purgatorii animabus. Sanctæ illæ animæ, beatæque aperient tibi Cæli januam eodem modo, quo eamdem ipſis aperueris. Dei Filius, qui illam meritus eſt, eamque pro omnibus mortalibus comparavit, applicabit tibi virtutem Sanguinis ſui peculiari modo, ut aditum hunc tibi præbeat faciliorem; & caritas, cui potiſſimum Cælum promiſſum fuit pro mercede, ejuſdem poſſeſſionem tibi maturabit. *Idem.*

Quanta ſit gratitudo animarum Purgatorii erga eos, qui pro illorum liberatione precantur.

Quid tibi non debebunt animæ ſanctæ, quibus adeo opportunam, ac in tam urgenti neceſſitate opem tuleris? Cum ſint admodum generoſæ, rependent illæ profecto inſigne hoc beneficium, nec par pari referre ceſſabunt. Nihil enim perit eorum, quæ pro illis fiunt; & quantumvis parum pro illis fiat, infinitam habent gratiam, & nunquam obliviſcuntur boni, quod acceperunt a nobis in extrema neceſſitate ſua, cum ſibimetipſis opem ferre non poſſent, & multo minus invicem ſibi: qua in re hoc intercedit diſcriminis inter illas, & afflictos homines, qui in terris verſantur, neminem hic adeo miſerum eſſe, qui nequeat aliquem exerere conatum, ut ſemet adjuvet, vel ſaltem, qui nequeat aliena ope juvari: ſed miſeræ animæ illæ, quo ſe vertant neſciunt. Deus illas non audit; Fratres ſui, amici, propinqui penitus earum obliti ſunt. Fruſtra in Cælum clamores attollunt; hoc earum precibus obſurdeſcit; necquicquam eorum implorant opem, quos in terris reliquerunt; Ab iis chaos immenſum, ac infinitum illas ſeparat intervallum. Tempus, quod ipſis conceſſum erat ad debita perſolvenda jam præteriit, advenit mors, & fatalis illa nox, qua nemini licet operari per viam meriti. In hac autem miſera cujuslibet ſubſidii deſtitutione, illis opem tuliſti, & eduxiſti de hoc loco tenebrarum, & miſeriarum, eiſque procuraſti cumulum deſideriorum ſuorum. Eſſentne illæ ſanctæ, ſi eſſe poſſent ingratæ? Eſſentne autem juſtæ, niſi eſſent gratæ? Quas ergo preces pro vobis non effundent, cum in Cælo exaudientur? Fatigabunturne unquam, divinam deprecantes clementiam in gratiam illius, a quo tot affectæ fuerunt beneficiis? Quas non obtinebunt gratias, enixis, ac perennibus precibus ſuis? Cumque prope erit, ut iiſdem te afficiat ſuppliciis Deus, a quibus per te liberatæ fuerint, conſurgent, & adibunt ad divinæ hujus Majeſtatis tribunal pro te gratiam expetituræ, clamabuntque tamquam populus a Jonatha ſalvatus: æquum non eſſe, ipſum ſubire pœnam, a qua alios liberaverat. Ita flectent divinam Juſtitiam, quantumvis ſevera ſit, vel ſaltem tibi obtinebunt medium ſatisfaciendi in hac vita leviori ſumptu. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Orantes pro Mortuis nobiſmet comparabimus potentes amicos apud Deum, qui pro nobis deprecabuntur.

Si conſideras multitudinem perſonarum, de quibus benemereris in maxima earum neceſſitate, cogita has totidem eſſe Regni Cæleſtis hæredes, totidem perſonas potentes apud Deum, quarum tibi concilias amicitiam, & quæ totidem tibi erunt patroni, qui aliquando cauſſam tuam perorabunt ante Tribunal Dei, totidemque interceſſores in aula Cæleſtis hujus Regis; ſed interceſſores, qui pro te deprecabuntur, & Mediatores majori caritate ſuccenſi, quam ipſe temet erga illos præſtiteris. Si ſcires aliquem extrema neceſſitate laborantem, Regem eſſe, vel Principem, qui ſe tui auxilii indigentem videret, ſed aliquando tibi operam ſibi præſtitam rependere poſſet, qua cura, qua ſollicitudine non offerres illi, quidquid per te fieri poſſet? Nonne occaſionem hanc amplecteteris tamquam felicem ſortem, quæ ſeſe tibi offerret? Heu! in ſingula momenta toto Cælo beatior occurrit tibi, & eadem uti neſcis? Quamobrem aſſerere audeo ex omnibus actionibus nullam melius poni, & cujus merces ſit tutior, quam illius, quæ erga animas Purgatorii exercetur. Quamvis enim Deus illas in Proximi perſona recipiat, quæcumque eſſe poſſit ſemper illius rationem habet. Accidit ſæpe nihilominus, perſonas, de quibus optime meremur, indignas eſſe. De ingratis bene meremur, & fortaſſe de reprobis, qui bono, quod illis procuramus, contra Dei ipſius mentem abutentur. Sed hic nihil eſt periculi metuendum; beneficia hæc ſemper optime poſita ſunt, quoniam animæ Sanctæ nunquam eorum obliviſcentur, & mihi aſſerere poſſe videor vobis, quod olim Salvatori dixerunt Judæi, ut illum ad opem neſcio cui afferendam impellerent: *Dignus eſt, ut hoc illi præſtes;* meretur, ut hanc illi gratiam largiaris, atque de illo bene merearis. Hoc ipſum reſtor in hoc argumento; non eſſe aliquem, qui melius opem hanc mereatur. Deus illas amat, & habet in pretio. Poterunt aliquando vobiſmet gratificari apud Deum, apud quem omnia poſſunt tamquam Regni hujus Principes, in quod quicumque ingrediuntur totidem ſunt Reges. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* Luc. 7.

Permittit Deus, ut qui dum viverent pro animabus...

Non ſatis eſt, ut quibus tantam opem contulimus, animum gratum nobis profiteantur, illud etiam addo,

nobis

...mabus Purgatorii deprecari ſunt, poſt mortem viventium precibus juventur.

nobis officium hoc illis eſſe perſolvendum, quod Deus facere noverit, ut qui poſt nos victuri ſunt, eamdem pro nobis caritatem habituri ſint, & fideliter eadem nobis officia præſtituri ſecundum illud principium, quod a nobis conſtitutum eſt: ſi enim locum habet hoc principium, quid expectare ſibi debet inhumanitas, ac ſævitia eorum, qui bonis fruuntur ſibi relictis a majoribus ſuis, & qui conqueruntur de modicis ſumptibus ſibi erogandis ad æternam hanc illis requiem comparandam! Heu! Miſeris hiſce animabus uſuvenit, a proximis ſuis derelictis, quod olim Patriarchæ Joſeph poſtquam prandium attulit fratribus ſuis, qui in agro armenta ſervabant; Fratres enim allatum ſibi panem, ac vinum ſumpſerunt, eumque exutum tunica conjecerunt in aridam ciſternam, in qua miſer innocens tamquam in ſepulcro poſitus barbaros precabatur, ut ex illo carcere ipſum educerent, non ſine lacrymis, flebilibuſque modis, qui cor eorum findere potuiſſent, ſi quid humanitatis reliquum in illis fuiſſet, quin tamen illius querimoniæ ad naturæ ſenſus in illis excitandos valerent. Quod deinde adeo inhumanum viſum eſt Prophetæ Amos, ut illis exprobraverit: *Bibentes vinum in phialis, nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph*. Epulabantur veſcentes iis, quæ Joſeph frater ſuus illis attulerat, & illius infelicitatem non miſerabantur. Hoc ipſum accidit in illis, qui in triſtibus Purgatorii carceribus detinentur. Fruſtra exclamant, & conqueruntur, ſicuti Joſeph; Hæredes eorum, qui adierunt hæreditatem ipſorum, vivunt ex eo, quod alii congeſſerunt laboribus manuum, & ſudoribus frontis ſuæ lucrati ſunt; hi dum manent interea in carcere ſuo, illi nullo ſenſu afficiuntur dolorum, quibus torquentur. Putant ſe officio ſuo ſatisfacere, cum exequiis eorum aſſiſtunt non ſine ſolitis cæremoniis, cum Templa, & aras apparari jubent, cum gentilitia ſtemmata, nobilitatis inſignia, & avorum imagines, ac decora in triumphi morem deferri curant; quæ profecto ea bona ſunt, quæ Mortuis negotium faceſſunt! *Hæc ſolatia ſunt qualiacumque vivorum*, S. Auguſtinus inquit, *non ſubſidia Mortuorum*; qui precibus tantum, boniſque operibus indigent; de quibus ne cogitant quidem hæredes. Sed quid inde fiet? fiet non ſine juſtiſſimo divinæ Providentiæ Conſilio, ingratos hos eadem pœna eſſe afficiendos. Legabunt bona ſua aliis, ſimiliter utenda; & ſi ita felices fuerint, ut in gratiæ, & ſalutis ſtatu moriantur, eorum filii, & conſanguinei eamdem pro illis habebunt ſævitiam; & permittet Deus, ut ab omnibus deſerantur, quemadmodum ne ipſi quidem dum viverent aliorum miſerti ſunt. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Matth. 7.

Caritas erga Mortuos excellit operibus corporalibus miſericordiæ.

Hoc caritatis opus pro Mortuis nequaquam comparabo cum operibus illis, quæ miſericordiæ corporalis opera nuncupamus; qualia ſunt, opem ferre pauperi in neceſſitate, eo ſubſidii genere, quod ex egeſtate illum poſſit educere; ægrotanti accumbere, calamitoſum pauperem de carcere eripere, ubi forte ob leviſſimam cauſam detinetur, aliaque id genus, quæ ſunt nihilominus tanti pretii coram Deo, ut in noviſſimo judicio videatur Cælum non conceſſum iri niſi iis, qui illas exercuerint. Fatendum eſt tamen hæc omnia temporalia ſubſidia comparari non poſſe cum ſpiritualibus, exceptis peculiaribus quibuſdam circumſtantiis, quæ poſſent aliunde pretium hoc compenſare; ſi modo vero comparationem inſtituis ſubſidii, quod procuras animabus in altera vita patientibus, cum illo, quod afferre poteſt illis, quæ ſunt adhuc in hoc Mundo; non omnis conſolatio quam afflictiſſimo cuique præbere vales, ad illius mœrores leniendos, non ſaluberrima conſilia, quæ in rebus dubiis ſuppeditare potes, non opportuniſſima correctio, quam ad eorum utilitatem, & doctrinam facere potes, ut ſuis muneribus, officiiſque perfungantur; hæc omnia non exæquant eam utilitatem, quam Sanctæ illæ animæ percipiunt. Dignitas perſonarum, extrema earum neceſſitas, beneficii magnitudo, propter quod æternam habituræ ſunt gratiam, factum hoc extra comparationem ponunt, tamquam ordinis quodammodo ſuperioris. Fides enim, & ſpes ſe ſibi cum caritate conſociant; ibi integritas perfectior eſt, cetera quæcumque opera bona cum hoc conjungi videntur, & quidquid præclarum aliquod factum commendare poteſt, ibi in ſupremo gradu invenitur. Ne dubites igitur amplius de ſua inter virtutes excellentia; actus eſt caritatis. Inter caritatis actus hic reſpicit animam fratrum noſtrorum, quod ſine ulla comparatione nobiliorem illum conſtituit iis, qui ad corpus tantummodo referuntur; quod autem actionem hanc ſupra ceteras extollit, quas virtutum omnium præſtantiſſima facere poteſt ad utilitatem, ac ſalutem earumdem animarum, illud eſt, quod bonum, quod animabus Purgatorii procuratur, certiſſimum eſt: gratiſſimis ſit, ac illis, qui eodem nequeunt abuti. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Facilius eſt opem Mortuis ferre precibus quam vivis.

Longe facilius eſt juſtos Defunctos precibus juvare, quam peccatores viventes. Primi enim ex parte ſua non obſtant, ſicuti obicem ponunt vivi, qui in ſuis flagitiis immerſi reſiſtunt interioribus Cæli gratiis, & conatibus, qui ſiunt ad illos juvandos; neque opus eſt peregre proficiſci ad captandam occaſionem Sanctis hiſce animabus opem ferendi, quemadmodum faciunt Apoſtolici viri, qui terras, & maria traducunt inventuri animas, quas convertant; hoc ubique poteſt benevertere vobis paucis ſumptibus; & quamvis immane chaos illas a nobis ſejungat, illæ in ipſo telluris centro, quo relegatæ ſunt, ſentiunt effectus caritatis veſtræ; & vobis licet ex quocumque loco illis opem ferre, quin loci ulla mutatio fiat. Ad peccatores permovendos, convertendoſque præter locorum diſtantiam, nihil a nobis prætermittendum eſt, quod ad id ſit accommodatius; noſmet in cor eorum viam aperire debemus, indulgere nonnunquam eorum infirmitati; dexteritatem, omnemque ſanctam induſtriam adhibere, quam caritas ſuggerere poteſt viro, qui vera caritate ſuccenſus eſt; ſed animæ Purgatorii ſemper paratæ ſunt ad opem recipiendam. Hanc petunt, hanc expectant, hanc perenni clamore, jugibuſque ſuſpiriis flagitant; hanc cum ſexcentis gratiarum actionibus recipiunt, eaque abuti non poſſunt. Quænam igitur tum ex earum parte, tum ex veſtra vos ſuadet utilitas, ut illas præferatis, ſi quid ſupereſſet ambiguitatis! Sed supereſt nulla; zelum veſtrum partiri poteſtis, quin minuatis, & utriſque in neceſſitatum varietate proſpicere. *Idem.*

Pro Mortuis precantes tot nobis amicos comparamus apud Deum gratiſſimos.

Vere dicere poſſumus, cum pro Mortuis deprecamur, nobiſmet tot fideles amicos, totidemque validos protectores adſciſcere, qui nobis viciſſim opem laturi ſunt ad eamdem nobis gratiam obtinendam, quam illis procuraverimus. Etenim non intercedent ſolum pro liberatione noſtra, ſi iiſdem ſuppliciis damnati fuerimus in Purgatorio, ſed præterea, ne ipſorum interceſſio tunc inutilis nobis eſſet futura, omnem navabunt operam, ut magis eſſentiale bonum procurent nobis, gratiam videlicet bene moriendi eo in ſtatu, in quo preces aliorum nobis prodeſſe poſſunt, ſi minus nos omnino tueri valeant a pœnis, quas peccata noſtra merita fuerint. A Deo impetrabunt nobis adeo valida in periculis ſubſidia, & in occaſionibus periculo proximis, in quibus in diſcrimen ſalus noſtra adducetur; & nullus dubito, quominus plures in Cælo perſonæ ſint, quæ æternam Beatitudinem ſuam debeant animabus, quas ipſæ a Purgatorio liberaverint, qua in re earum gratitudo infinitis ſuperat ſpatiis beneficium, quod perceperunt, ita ut reor, cum nos adierimus poſſeſſionem illius Beatitudinis, qua fruuntur, mutuam inter Beatos futuram gratulationem, ſanctumque certamen, uter melius grati animi ſignificationem ſit teſtaturus. Sine te, inquiet alter, nequam adeo celeriter tanta felicitate mea gaviſus fuiſſem: ego vero, alter ſubjiciet, ſine te meam nondum fuiſſem aſſecutus: gemerem adhuc, dicet ille, in horrentibus piacularium flammarum carceribus, ſine te: & niſi tua mihi caritas *profuiſſet*, æternis forſaſſe damnatus fuiſſem incendiis, *hic adjiciet*. Precibus tuis acceptum referre debeo progreſſum Beatitudinis meæ, repetit ille; hic autem reddet, per interceſſionem tuam in felicitatis meæ partem acceſſi. Quinam, Auditores, valeret exprimere quibus lætitiæ, amoris, & benevolentiæ ſenſibus illi ſemet beatos intuebuntur propter curas, quas aliorum ſuſceperint? Non ita pater e naufragio ereptus a filio; non amici duo, qui reciproce vitam ſuam in diſcrimen pro vita alterius adduxerint, ita ruunt in mutuos amplexus, & oſcula; non ita duæ perſonæ, quæ in ſumma locorum diſtantia mutuis ſibimet profuerunt, officiis, abſentes adhuc tanto flagrant ſeſe mutuo videndi deſiderio; & cum primum ſibi occurrunt mutuo tantam amicitiæ, & lætitiæ ſignificationem teſtantur, quantam in Cælo perſonæ duæ in perfruitione communis ſuæ Beatitudinis, in omnem æternitatem manſuræ. Sed ſufficiat nobis eorum aucupari gratiam in eo, quo nihil ipſis accidere poteſt jucundius. Illi cognoſcent eos, qui de ſe benemerentur; neque enim videtur Deus velle, hoc illos fugere: igitur eis bona cupiunt: in eo quippe caritatis regno amatur tam grati animi affectu, quam ex affectus propenſione. Pro quibus vero animæ illæ gratiſſimæ æquius operam ſuam collocare poſſunt, quam pro illis, qui in ipſorum neceſſitatibus opem, operamque collocarunt? Si amicus te eduxiſſet e carcere, vel ex captivitate, in quam tua te calamitas impuliſſet, ſi ſaperes, omne illi grati animi teſtimonium tribueres: conjice hinc, quam tibi gratiam ſint habituræ animæ Sanctæ, ubi licuerit ſibi palam facere effectus ſuæ protectionis; & ſcias te præclare beneficium pro te ponere, cum tibi adeo potentes mediatores concilias. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Omnes poſſumus animam de Purgatorio liberare, ſed non omnes poſſumus hominem ſanctificare.

Poteſtis quotidie animas in Cælum mittere, & in ſingula fere momenta hoc poteſt contingere, educendo illas de Purgatorio per preces veſtras, per veſtra Sacrificia, quæ vel ipſi offeretis, vel ad id offerri curabitis. Non omnes homines erudire vel prædicare poſſunt, neque in Barbaras regiones proficiſci ad

illuc

illuc lumen Evangelii inferendum; ætas, & ſexus alios diſpenſant; infirmitas alios; vincula non diſſolvenda tenent alios; & imperitia alios deterret. Sed ad recentem hunc Apoſtolatum, quem vobis propono animas ſalvandi, eaſque tuto in Cælum mittendi, nihil vobis metuendum eſt, nihil periclitandum; totus terrarum orbis idoneus eſt; Omnes homines ad id vocati ſunt: meſſis eſt ampla, fructus, & ſucceſſus certus eſt; non alia opus eſt miſſione, niſi præcepto caritatis, quod ſpectat ad omnes; nihil denique nobilius, nihil ſublimius eſt in caritate; quid ultra ad vos excitandos requiritur? Si autem ſcire vultis quam Deo gloriam comparetis, quærentes ſubvenire ſanctis Animabus, quæ in Purgatorio detinentur; illas in ſtatu adducitis illum videndi, laudandi, perfectius amandi, quam Sanctiſſimus quiſque valeat in terra. Igitur majorem Deo gloriam procuratis; in hoc enim illa ſita eſt; & ſi hæc Dei gloria objectum eſt zeli veſtri, ſatis commendare nequeo intentionem adeo præſtantem, & deſiderium adeo ſanctum, atque perfectum. Sed ubinam quærenda ſunt vobis media, & occaſiones; quæ ultro vobis occurrunt, & quæ ſemper in veſtra poteſtate ſunt poſitæ? Vos ex vobiſmet pares non eſtis, qui tantam, adeoque inſignem gloriam huic Majeſtatis Deo procuretis; in locum veſtrum ſufficite has animas ſanctas, locum illis facite laudandi, & amandi Deum, quantum poterunt, & ſpondeo, vos Deo majorem gloriam procuraturos, quam vobis licuerit per labores veſtros, & opera bona veſtra. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Rationes, quæ vos impellere debent ut Animabus Purgatorii feratis opem.

Si magnum eſt patientibus Animabus ſolatium certas eſſe ſalutis ſuæ, in hoc enim ſecernuntur a reprobis omni ſpe, & ſolatio carentibus: inquio, hanc eſſe cauſſam ſatis idoneam ad nos excitandos ad illis opem ferendam, ſcire, nos inde majorem percipere certitudinem noſtræ, & ſpem prorſus peculiarem tandem aliquando nos quoque conſecuturos beatitudinem, quam aliis procuraverimus. Quare? Quia Cælum promiſſum eſt operibus caritatis; cumque jam vobis oſtenderim nullam majorem, Deoque acceptiorem eſſe caritatem ea, quæ exercetur erga has animas, quas tanto amore proſequitur, hoc igitur eſt certam ſibi facere, quantum in vita hac fieri poteſt, beatitudinem, eas actiones facere, quæ illam merentur, & per quas Deus ipſe pollicitus eſt ſe eamdem tamquam juſtam mercedem collaturum. Ita fallitur, qui exiſtimat, melius ſe ſuis negotiis proſpicere, qui omnem ſibi reſervat bonorum operum ſuorum fructum, quam qui illum cum Defunctis partitur. Nobiſmet laboramus, pro illis laborantes. Accidit nonnunquam ut operam noſtram in amicorum gratiam conferentes, eorumque fortunæ progreſſum procurantes, noſtræ nutanti, ac laboranti ſubſidium quæramus. Sed hoc certiſſimum eſt, cum Purgatorii animabus opitulari conamur; hic enim effectus eſt, & chriſtianæ caritatis meritum obtinere nobis a Deo idem bonum, quod aliis procuramus. Qui large, effuſeque erogant eleemoſynam, quin fiant pauperiores, augent bona ſua cæleſti benedictione, quam ſibi promerentur. Scriptura his promiſſionibus redundat, & qui in alios miſericordiam exercent, divinam in ſe experiuntur: *Beati miſericordes, quoniam ipſi Miſericordiam conſequentur;* & videtur Deus, ut nos ad opera caritatis excitet, non validiorem invenire viam, quam polliceri, futurum, ut illa erga nos exerceantur; & præter mercedem, quæ nobis in altera vita reſervata eſt, in hac etiam nos remunerationem conſecuturos eſſe in eadem bonorum natura, quam aliis procuraverimus. *Idem.*

Matth. 57.

Diſcrimen inter ſtatum Animarum Purgatorii, & noſtrum.

Poſtquam ob oculos eas rationes attuli, quibus teneris opem ferre animabus fratrum tuorum in Purgatorio gementium, & opem tuam implorantium eniziſſimis precibus, liceat mihi, ut tandem finem faciam triſti huic argumento, eas cum ſtatu tuo comparare. Heu! Illæ pœnas luunt in teterrimo carcere, dum ipſe integra frueris libertate: ibi illæ aerem ignitum perflant, dum tu commodam vitam ducis; illæ ineffabilibus torquentur cruciatibus; dum tu ſolatiis vacas; & quod iniquiſſime ferunt, eſt, eos, qui magis illis opem ferre deberent, illos eſſe, qui primi earum obliviſcuntur; Ah! *Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei!* Vos, qui earum in terris amicitiam jactabatis! Vos qui adeo facile eas ſublevare poteſtis aliquibus precibus, vel eleemoſynis, miſeremini tantæ ipſarum calamitatis. Vos Sacerdotes, qui adeo crebro offertis ſuper Altare Sanguinem Agni pro Defunctis effuſi, non ſecus ac pro Viventibus; efficite, ut inde defluant in earum flammas, ut extinguantur. *Miſeremini mei.* Vos tandem, qui frequenter adeo pertranſitis per Templa, ubi quieſcunt oſſa propinquorum veſtrorum; vos qui inceſſanter habetis ſub oculis eorum ſepulcra, quomodo obliviſcimini eorum in vita altera, a quibus in hac nati eſtis? Videor enim mihi inter has confuſas voces opem flagitantium exaudire vocem Patris, qui de medio flammarum huc uſque attollit clamores, atque vocat filium, quem omnium bonorum ſuorum reliquit hæredem, pro quo ſuas ſibi cumulavit pœnas; eidem cumulans theſauros; Ingrate, & inhumane! Ego ne tot laboribus confectus ſum, ut omnia tibi commoda compararem, & ut tuam felicitatem ſtatuerem, ubi eſt gratus animus tuus? Non queror de hac Dei manu, quæ aggravata eſt ſuper me; nimis æqua eſt, & æquo animo patior; illud doleo, quod cum hic ſim propter te, & quod fortunam tuam ſaluti meæ prætuli, tu me in urgentiſſima deſeris neceſſitate, & ex tot reditibus, quos tibi reliqui, gravate feras minimam partem abradere ad levandam animam Patris tui in hac flamma gementis. Heu, ubi video aurum, argentumque, quod tibi congeſſi, in alea, in ſolatiis, inſaniſque ſumptibus tuis impenſum, quo dolore conficior videns, tibi reliquum eſſe, quod in nugis inſumas, & doleas id, quod tibi erogandum eſſet liberaturo ex tot miſeriis animam illius, per quem vivis? Ad id ſatis eſſet pars pannorum, quibus magnifice indueris; dum ego circumamictus ſum ignibus, & flammis; Ad id mihi ſatis eſſet, quod in jactu teſſerarum ludo objicis, vel quod in uno tantum inſumis convivio; & id negas mihi crudelis, quod idem eſt, tu de me ne cogitas quidem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quinam in Purgatorio opem noſtram implorent?

Vobis autem Matronæ dilectus vir de medio flammarum clamat, ubi fides illa adeo ſolemniter jurata, ubi conſtans amicitia, poſtquam illi morti proximo pollicitæ eſtis, vos potius in illius ſepulcro, quam in vobis victuras. Heu! mors vix illum abſtulit ab oculis veſtris, cum oblivio illum ex corde, & cogitatione veſtra delevit. Alia ex parte audire mihi videor animam pauperis derelicti, nautæ aquis inſepulti, militis, cui ager fuit pro tumulo inceſſanter clamantis, ſimilis Paralytico Evangelico, qui octo ſupra triginta annos ſecus probaticæ piſcinæ oram expectavit quin aliquem inveniret, qui benignam ſibi manum tenderet, ut in illam conjiceret; ita ut a Salvatore interrogatus, cur ibi tandiu permanſiſſet quin curaretur, triſtia hæc reddidit verba: *Hominem non habeo.* Heu! quot derelicti ab omnibus pauperes, ſine conſanguineis, ſine amicis, omnibuſque ignotis plurimos jam ardent annos in hac flamma; neminem quippe habent a quo in Domini Sanguinis piſcinam valeant immergi! *Hominem non habeo.* Opem veſtram implorant; ne detrectetis illis hoc officium, pro quo aliquando centuplum referent.

Joann. 5

Miſſæ Sacrificium præſentiſſimum eſt medium ad Animas de Purgatorio liberandas.

Operæ pretium hic eſt animadvertere incomparabilem utilitatem Sacrificii Miſſæ pro expiatione pœnarum Purgatorii præ ceteris quibuſcumque bonis operibus, quæ exerceri, offerrique Deo poſſunt in formam ſuffragii. Cum enim hoc Sacrificium agat per ſe, atque ex propria virtute, ut docent Theologi: agit independenter a meritis perſonæ illud offerentis, vel offerri curantis; quod non præſtant jejunia, preces, & mortificationes, quæ eumdem in finem adhiberi conſueverunt. Si enim hujuſmodi actiones fiant, quantumvis in ſemet ſanctæ ſint, niſi fiant in ſtatu gratiæ; licet non ſint inutiles omnino, tamen nec ſatisfaciunt pro facientibus illas, neque pro aliis. Sunt enim opera mortua, ſicut vulgo appellantur, cum minime vivificata ſint per caritatem, & gratiam juſtificantem, quæ tribuit illis pretium, & a qua omnes actiones noſtræ bonæ hauriunt meritum, & virtutem, quam habent ſatisfaciendi. Sed cum Altaris Sacrificium hanc a ſe ipſo virtutem habeat, ſive Sacerdos ſit in gratia ſive ſecus, nihilominus operatur. Si Sacerdos illud offert in peccato, committit ille quidem horribile ſacrilegium, de quo dubitari non poteſt; ſed quod offertur Sacrificium pro expiatione animarum, quæ expiantur, nihil amittit efficientiæ ſuæ, atque virtutis. Hoc ipſum de illo dicendum eſt, qui illud curat offerri. Si ille ſit in ſtatu peccati, per hanc actionem pro ſe nihil acquirit; ſed Sacrificium quod defunctis procurat, æque cedit in eorum ſolatium; quis hoc eſt pretium liberationis eorum undecumque proveniat; quoniam independenter operatur ab illo, qui vel ipſum offert, vel qui jubet offerri; & hac ratione tuto operatur. Quod non ſemper dici poteſt de omnibus aliis bonis operibus, quæ exhibentur Deo eadem mente, & pro eodem effectu. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Cyrillus Jeroſolymitanus inquit: Cum nos Miſſæ offerimus Sacrificium, a nobis fit quoque commemoratio eorum, qui mortui ſunt; magnum eſt enim ſubſidium animabus offerre pro illis orationem Sancti, atque terribilis Sacrificii, quod expoſitum eſt in Altari; quod, inquit ille, vobis oſtendere volo hoc exemplo. Scio complures eſſe, qui dictitant; quid prodeſt facere in Altaris Sacrificio commemorationem hominis mortui in peccato? Sed ſi Rex in exilium ejeciſſet eos, a quibus læſus fuiſſet, & deinceps invenirentur homines, qui Regi coronam offerrent in exulum gratiam, nonne illis remitteret aliquid de pœna, qua in illos animadvertit? Simili ratione offerendo preces pro illis, qui jam deceſſerunt, quamvis peccatores ſint, non quidem coronam facimus,

Cyrill. Catech. 5 Myſtag.

sed

ſed offerimus JESUM CHRISTUM pro peccatis noſtris immolatum, ut illum reddamus propitium erga illos ſimul & nos. S. Joannes Chryſoſtomus libro ſexto de Sacerdotio, ita loquitur: Sacerdos, inquit ille, qui eſt tamquam Legatus pro univerſo Mundo, orator eſt, atque interceſſor apud Deum, ut ſit propitius peccatis omnium, non viventium duntaxat, verum etiam defunctorum. Et in Homilia 21. in Acta: Non eſt ſimpliciter Diaconus, qui clamet pro iis, qui mortui ſunt in JESU CHRISTO, & pro illis, qui faciunt commemorationes; non eſt Diaconus, qui hanc vocem emittat, ſed Spiritus ſanctus; & in Homilia 3. in Epiſtolam ad Philippenſes: Non fruſtra præceperunt Apoſtoli, ut in venerabilium Myſteriorum celebratione fiat commemoratio mortuorum, ſciebant enim non mediocrem inde illis cedere utilitatem; aderat enim populus univerſus attollens manum in Cælum, ibique poſito adorabili Sacrificio, quomodo non placabit Deum orans pro illis? Idem S. Joannes Chryſoſtomus nos docet, opus non eſſe fletibus, neque lacrymis concomitandum illum, qui mortuus eſt; ſed adjuvandum precibus, eleemoſynis, & Sacrificiis: & alibi, non fruſtra, ait, qui prope Altare eſt in celebratione divinorum Myſteriorum exclamat pro omnibus in JESU CHRISTO dormientibus; ſi enim Sacrificium Job filios ejus emundavit; dubitas ne, ſi quod fecerimus Sacrificium pro illis, qui defuncti ſunt, hos inde non aliquid ſolatii percepturos? S. Epiphanius in anacephaleoſi inter Eccleſia dogmata memorat orare pro mortuis, adimplere divinum cultum pro illis, & Myſteriorum diſpenſationem. S. Cyprianus loquitur eo modo, qui ſequitur; Epiſcopi Prædeceſſores noſtri religioſa conſideratione, & ſalutari providentia præceperunt, ut ſi quis frater obierit, nominetur Clericus pro illius tutore, & curatore; nulla pro illo fiat oblatio, nec pro illius requie Sacrificium celebretur; non enim meretur in Altari nominari in Sacerdotum Oratione, qui avertere voluit Sacerdotes, & Miniſtros Altaris. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

DE OBSERVANTIA DIERUM DOMINICORUM, ET FESTORUM.

MONITUM.

NORUNT fideles Dominicum diem ſubrogatum fuiſſe Judæorum Sabbato; quod adeo explicite imperatum fuit, ex quo in Mundo lex extitit, & Religio. Eccleſia præceptum hoc in nova lege inſtauravit; addiditque ſolum dies Feſtos Sanctorum memoriæ & Chriſtianiſmi Myſteriis ſacros.

Quod ad Dominicos dies attinet Schiſmatici, quamvis ab Eccleſia ſejuncti, illorum obſervandorum obligationem agnoſcunt, tamquam a Deo ipſo inſtitutorum, & unice cultui ipſius dicatorum, quin tamen ullam rationem habeant præceptorum, quæ pariter proponit Eccleſia. Quod vero pertinet ad Sanctorum feſtivitates, illi errori ſuo mordicus inhærentes, hoc obſervare detrectant, & putant ſemet ſubjicere non debere huic obligationi, quam veris Fidelibus imponit Eccleſia.

Argumentum hoc tractaturi non immorabimur iis, quæ Theologi, Caſuiſtæ, & Controverſiſtæ docent, & quæ omnimodo præcepta ſunt, ac neceſſaria ad ſatisfaciendum huic præcepto; ſed præter ea quæ a nobis dicta ſunt de hoc argumento in Tomo 1. Bibliothecæ noſtræ, oſtendemus, ubi ipſi etiam Catholici in hoc argumento deficiant, & quomodo præceptum hoc religioſe, ac ut verum decet Chriſtianum, ſit obſervandum. Mihimet perſuadeo nihil magis, nihilque ſæpius eſſe admonendum; nullum enim præceptum eſſe reor, quod minus ſervetur, & in quo frequentius Chriſtiani deficiant.

DE OBSERVANTIA DIERUM DOMINICORUM, ATQUE FESTORUM.

Tria requiruntur pro Dominicorum Feſtorumque dierum obſervantia. AD Dominicos, Feſtoſque dies Chriſtianos ritu traducendos (utroſque enim conjungo, quandoquidem ab Eccleſia non ſejunguntur, & ab eadem utriſque præbetur facultas nos obligandi) tria requiruntur; unum quorum ſciendum, alterum faciendum, tertium vero omittendum. Primum non eſt obligationis, ſed cognitionis ad Feſtos dies majori cum pietate celebrandos; ſed opus eſt, ut Chriſtiani teneant mentem Dei, & Eccleſiæ in hac inſtitutione; ubi enim ignoratur, mens noſtra remanet vacua, & non habet unde cum utilitate occupetur. Generatim igitur dicimus, Dominicos, feſtoſque dies inſtitutos fuiſſe, ut per otium cum Deo pertractare poſſemus. Anima hæc immortalis, quæ in corporibus noſtris continetur, ſatis eſſet miſera, niſi tempus haberet ſemet in Cælum attollendi, & conſiderandi principium ex quo profecta eſt, & ſeſe conjungendi cum extremo fine ſuo, ad quem eſt reverſura; ſi facta propter Deum, ſemper avocata eſſet ab objecto digniſſimo amore ipſius, ut ſemper curis ſuis, ac terrenarum humiliumque rerum cogitationibus diſtineretur. Indigitabat illa tempore a reliquis negotiis vacuo, ut uni vacaret Deo, ut illum cognoſceret, ut opera ejus admiraretur, eique præcipuos Cordis ſui motus devoveret. *Ex libro cui titulus: Familia Sacra Patris Corderii.*

Cur ſecundo loco Dominici, feſtique dies inſtituti ſint. Secundo Feſti dies inſtituti ſunt, ut in hac quoque vita guſtemus ſuavitatem gaudii quod in Cælo ſperemus, ubi ab omni anguſtia & ſollicitudine immunes in Dei ſinu requieſcemus. Opus eſt, ut hæc prægustatio efficiat, ut per virtutum chriſtianarum, & laborioſarum exercitationem mereamur, quod per negligentiam poſſemus amittere. Hoc fit etiam, ut intelligamus, poſtquam peccato ſervivimus, & deinde damnati fuimus, ne unquam manum ab opere amoveremus, vocatos nos fuiſſe in libertatem filiorum Dei per merita Sanguinis JESU CHRISTI, cujus virtute feſtos dies celebramus. Dicam ne plura? Deus voluit etiam nos cogere, ut nobiſmet ipſis parceremus, & ne viribus exhauriremur indiſcreto labore. Non eſt nobis æneum corpus. Hoc atteritur. Nimius labor morborum cauſſa eſt, qui relaxatione potius, quam pharmacis indiget. Dominorum avaritia ſervorum vitam abſumeret; & neceſſitas alendi Familiam pauperum artificum valetudini officeret, ſi tenerentur ſine aliqua interpolatione quietis operari. *Ex eodem.*

Dignitas Dominicorum, feſtorumque dierum. Nullus feſtus eſt dies, qui non cedat in fidelium eruditionem. Dies Dominicus inſtitutus eſt, ut offeramus Deo noſtras gratiarum actiones pro bonis omnibus, quæ nobis largitus eſt per elapſam hebdomadam; atque ut ab illo petamus gratiam recte inchoandi illam quam ſumus ingreſſuri. Hæc eadem dies excitat in cordibus fidem noſtræ reſurrectionis ad gloriam: efficit, ut reminiſcamur Reſurrectionis JESU CHRISTI, propter quam declarata fuit ſancta præ omnibus diebus. Non poſſumus autem ſæpe exercere mentem noſtram hujuſmodi cogitatione, quæ una poteſt nos avertere a vitio, & efficere, ut vivamus virtuti. Alii Feſti dies unuſquiſque habent Myſterium ſuum. Quidam exhibent nobis JESUM CHRISTUM in ſpe-

in ſpectaculis, actionibus vitæ ſuæ, [illegible] nunquam illi teſtari poſſumus nimiam gratitudinem, ita nunquam nimias habere poſſumus occaſiones, quæ ſæpe cieant in nobis recordationem eorum, quæ fecit pro nobis. Alii inſtituti ſunt in honorem Deiparæ, modo ad imprimendam in mente noſtra juſtam magnalium ſuorum admirationem; modo ad ingerendam in nos ſingularem fiduciam in ipſius protectione. Reliqui dies Feſti in Eccleſiam introducti fuerunt, ut Sanctos coleremus, ac memoria repeteremus, quo pacto præclara eorum opera nacta ſunt Deum remuneratorem, ut exemplum, atque utilitas nos efficerent virtutum ipſorum imitatores. *Ex libro Patris Joannis Corderii Tomo 2.*

Christiani tenentur audire Miſſam diebus Dominicis, & Feſtis.

Ad Feſtos dies celebrandos, omnis Fidelis Miſſam audire tenetur, & grave peccatum eſt deeſſe huic officio legitima cauſa. Eccleſiæ præceptum explicitum eſt; nec poterat illa præcipere, ut melius Feſtos dies ſanctificaremus, quam requirendo præſentiam noſtram auguſtiſſimo, quod Deo offerri valeat, Sacrificio. Ut huic adſiſtemus cum eo ſpiritu, quem a nobis poſtulat actio ita ſancta; neceſſe eſt illi adhibere attentionem, devotionem & reverentiam. Videlicet oportet, ut noſtras colligamus cogitationes, quin permittamus, ut anima noſtra evagetur in res alias a propoſito abhorrentes, & noſtra modeſtia ita ſit compoſita, ut accedat ad illam Angelorum, qui ibi adſunt venerabundi. Quæcumque fuerit fidelium pietas, ſemper illis exprobrandus eſt devotionis defectus erga hoc adorabile Myſterium. Quin accedit eum viventi, profundaque fide, plerique accedunt cum mente profana, & magis ad evitandum peccatum, niſi accederent Miſſam auditum, quam Deum, ubi acceſſerunt, veneraturi. *Idem.*

Qua diligentia Judæi Sabbata obſervent.

Præter Miſſæ audiendæ præceptum Dominicis, Feſtiſque diebus, alius adhuc adhibetur cultus, videlicet abſtinendi ab operibus ſervilibus & mercenariis. Judæi adeo ſeveri ſunt Sabbatorum ſuorum obſervatores, ut non ſolum diem hunc colant generali interdicto ab omni labore, ſed ipſo etiam vigiliæ ſub veſperam, ſtatim ac Sol in occaſum vergit, relinquant tabernas ſuas, relinquant imperfectam mercaturam, ab omni opere ceſſent, ita ut ſi ad unum picturæ opus omnino perficiendum unus penicilli ductus requireretur, Pictor imperfectam relinqueret tabulam. Immo viſi ſunt Judæi mercatores, ad quos cum ad veſperam feriæ ſextæ pretium afferretur mercium ſummo mane venditarum, illud recipere detrectarunt; dicentes, habete nos excuſatos; incipit dies Domini, nobis per legem non licet pecuniam hanc veſtram attingere. Hoc tamen facere conſueverunt ii, quorum inſignis eſt avaritia. [illegible]

Christianæ Religionis Festa [illegible] Judæorum.

S. Chryſoſtomus videns nonnullos Chriſtianos [illegible] Judæorum Sabbati obſervantiam, ait, ſi [illegible] viderent ſub pedibus ſuis theſaurum, [illegible] inclinarent ut illum reciperent. [illegible] minime [illegible], ſed quamvis [illegible] habeamus Judæorum [illegible], non ideo minus [illegible] Feſtorum [illegible]. Habemus veritatem earum rerum, quarum ipſi figuram duntaxat habebant. Eorum cæremoniæ umbræ tantum erant Myſteriorum noſtrorum; eorumque devotio non niſi noſtræ pictura quædam eſſe debebat. Si extrinſecus minus [illegible], illius in anima longe major eſſe debet, niſi [illegible], & ingrati eſſe [illegible]imus, qui cum majora accepimus, [illegible]imus [illegible]. Rectius feremus judicium de præcepti hujus obligatione, quo Feſtos dies colere jubemur ab operibus mercenarium, & ſervilibus abſtinendo, ſi meminerimus tria eſſe operum genera; quorum alia fere ad ſpiritum pertinent, cujuſmodi ſunt, oratio, ſtudium, lectura, ſcriptura, aliaque ad genus, ad quæ corpus parum aliquid, vel minimum confert. Conſtat, cum anima ſit pars [illegible] in nobis omnes illius functiones quolibet Feſto die nequaquam vetitas eſſe; quamvis etiam propoſita ſibi mercede, & lucri ſpe ſuſciperentur. Quamvis enim hic finis ſit mercenarius, & abjectus, tamen ab Eccleſia toleratur, quæ in exceptionibus ſuis non fertur tam in actiones, quæ in animæ potiori parte latent, quam actiones, quæ externis ſenſibus prodeunt. *Idem Tomo 2.*

Quæ in occaſione permittat Eccleſia laborare diebus Feſtis [illegible].

Eccleſia non damnat eos, qui vivere non poſſent, niſi dominicis diebus operarentur. Novit neceſſitatem ipſa lege validiorem eſſe, neque inventam fuiſſe unquam Rempublicam, quæ eamdem edictis ſuis ſubjicere potuerit. Itaque plures ſerviles actiones Dominicis, Feſtiſque diebus ſunt licitæ; quia ſine illis eſſe non poſſumus, vel, quia qui diebus illis abſtineret, gravem ſuſtineret jacturam. Hæc ſunt obligationis. Verum cum ſperem, cœtum hunc, quem erudio, devotiorem futurum, quam homines vulgo; neque ibi tantum immorabor, ubi citra peccatum licet; cogitare nolo ex ſolido Feſto die ſemihoram abradere velle, Deo impendendam. Ipſe ergo ſibi Dominicos, Feſtoſque proponet dies, veluti Sacros, ac tempus agendi, transigendique omnia cum Deo, cujus momenta ſingula in pretio ſunt habenda. Admittetur ergo lucrum hoc exercere commercium a mane ſummo, uſque ad veſperam, & nulli deeſſe pietatis exercitationi, cui commode valeat intereſſe. Cavendum eſt, ſi fieri poteſt, ne Mundus manum inferat in ea, quæ pertinent ad Deum. Quemadmodum non adeo ſeverus ſum, ut negem illis honeſta ſolatia, quæ ſingulorum conditionem decent; ita non jam illis indulgere velim, ut devotio, quam tota die adepti fuerunt, diſſipetur ſub veſperam in nimia laxitate. Dies nunquam ſatis bene præterit, cum finis diſcordat. *Idem.*

Abuſus Feſtorum dierum, quibus [illegible] Chriſtiani.

Hodierno die vere dicere poſſumus, Feſtos dies vitiis duntaxat ſacros eſſe; nulla fere virtus audet in illis apparere, devotio ipſa non niſi ad aliquot horas ſuſtinetur; ſed quomodo excipitur? Quot illi mala ſunt perferenda? Quoties in locum ejus ſubit hypocriſis? Vitia omnia ſeſe impudentiſſime præter conſuetudinem oſtentant. Quæ diebus profeſtis privata ſunt, feriatis publica fiunt. Superbia erecta incedit collo, triumphat in luxu veſtium, & in conviviorum luxu. Qui videret gulæ intemperantiam, dies hos feſtos Ethnicorum vocaret, quibus gulæ fit ſacrificium. Tanta eſt profuſio, ut ipſi etiam opifices totius hebdomadæ lucrum labore comparatum obligurriant. Major in cauponis, & popinis eſt frequentia, quam in Templis. Sed [illegible] perſuadere poſſumus Chriſtianos homines ita [illegible]ter ſentire, ut credant, Feſtos dies [illegible] inſtitutos eſſe, ut homines otientur, & [illegible] ferientur? Hoc idem eſſe putarem, ac ſi [illegible] inſtituti, ut fierent latrones, helluones, blaſphemi; cum enim otioſitas ſit mater vitiorum omnium, illa ſecum trahit omnia. Cum Deus illis laborem ademit, hoc imperavit, ut vacaremus pietati, non ut vitiis indulgeremus. At quomodo tempus illud traducitis? Tanta eſt temporum perturbatio apud vos, ut licet omnes Hebdomadæ dies innocenter traduceretis, contemptus Feſtorum dierum vos perdere poſſet. Nemo eſt, mea quidem ſententia, qui non cenſeat querelam hanc æquiſſimam eſſe, & ad Dei ultionem prohibendam, majorem requiri pietatem. Noſtrum eſt afferre medicinam, & in noxam non convertere, quod ad ſanctificationem noſtram inſtitutum eſt. Sanctificemus dies Feſtos, ut per illos ſanctificemur. *Ex familiari ſ[illegible] Patris Corderii Tomo 2.*

A celebranda Dominica nemo diſpenſare non poſſunt niſi neceſſitate.

Non ideo tamen, Auditores, ſi qui vere ad neceſſitatem redacti eſſent, & ſine manuum labore non haberent, unde per hos dies viverent, hi, inquam, a præcepto minime diſpenſantur; Deus, qui olim hujus præcepti perfractionem morte mulctavit, neminem obligavit in [illegible] vitæ periculo, & quamvis Judæi in hoc verſarentur errore, ut mallent ſe ad internecionem deleri, quam arma capere ad inimicorum vim propulſandam die Sabbati; Eccleſia tamen, quæ pia mater eſt, noluit cum tanto rigore filios ſuos obligare; non ſecus ac in jejuniorum obſervantia, in obligatione, Sacris adſiſtendi, aliiſque præceptis, quæ jure ſuo illis irrogare poteſt, ſeſe illorum poteſtati accommodat, & nunquam illos cogere intellexit, cum agitur de ipſorum valetudine, vel de vitæ periculo, vel etiam de aliqua temporali neceſſitate, ut cum agitur de ſegetum meſſe, cum temporum ratio moram non patitur; & in nonnullis artibus, quæ ſunt omnino ad vitam neceſſariæ, aliiſque id genus neceſſitatibus, quæ fuſius enumerare opus non eſt. Loquor de illis, qui per avaritiam, & habendi libidinem præceptum infringunt; alii quidem præ metu commercium ſuum interpellandi, alii vero diſplicendi iis, qui ſua utuntur opera, per dilationem operis, quod intra ſtatum diem ſe abſoluturos promiſerant, & quo ſe deinceps obrutos, impeditoſque invenirent; & alii ne ſibi deſit lucri inſignis occaſio, quæ ſe ſe offert, & quæ ſibi fortaſſe elaberetur, alii præ cupiditate perficiendi, quod inceperunt, & quod imperfectum relinquere nollent; & alii tandem, qui cogunt domeſticos ſuos promiſcue operari ſine ullo temporis, ac dierum diſcrimine, vel qui illos tanto obruunt labore, ut illud aliquin adimplere non valeant. Cupiditas quæ ingenioſa eſt plures rationes excogitat, ac prætextus, ut illos cogat, & Pharaonem imitatur, qui ubi Iſraelitæ facultatem deprecabantur Deo ſacrificandi, immitis ille Tyrannus illis laborem [illegible] majorem præcipiebat, eiſque obruebat, ut [illegible] cogitationem auferret. Hoc ipſum [illegible] efficit avaritia, quæ crudelior, & imperioſior eſt domina; ſexcenta excogitat, quibus ſuos occupet famulos, cum Religionis officiis ſunt perfuncturi. *Auctor Sermonum in cuncta argumenta.*

Labor, qui fit die Feſto, [illegible].

Quam longe falluntur homines, ſi putant ſe probe [illegible] egeſtati, & affectam inopiam juvare, violantes diem, quem ſibi reſervavit Deus ad debitum ſibi cultum recipiendum! Poteſtne Deus labori eorum benedicere? Non ita; quandoquidem ſit contra ejus imperium explicitum. Sperantne diteſcere, & ſine illius benedictione locupletari? vel merentur ne illam negantes eam, quam divinæ voluntati præſtare debent obedientiam? Non ille qui plantat, non ille qui rigat, inquit Apoſtolus, fructus, & meſſes producit a

f.d

ſed Deus, qui dat incrementum, & ſingulis opportune maturitatem; ita ut ſicuti ſine Cœli influxu, & ſine imbrium ſubſidio, terra ſterilis manet, & nihil ferre poteſt: ſimiliter ſine Dei ſubſidio, ejuſque ſuper laborem noſtrum benedictione nunquam negotia noſtra felicem exitum ſint habitura. Dicam melius. Sicuti in rerum natura ſine Dei ope, qui cauſſa prima eſt, nihil agi poteſt, & nihil ſubſiſtere, eo quod neceſſe eſt, ut omnia creata a primo Ente pendeant; ita in vita civili, niſi a Deo pendeatis, & ille vobiſcum concurrat; videlicet niſi laboribus veſtris benedicat, nunquam proficietis. Hoc ipſum Deus paſſim profitetur: *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam; Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Fruſtra vultis domum ædificare veſtram, latius proferre fines prædiorum veſtrorum; ea, quæ congeſſiſtis, tueri, fruſtra dies noctesque laboratis, & Solis ortum prævertitis, ut diutius labori incumbatis; fruſtra, ne quæ temporis pereat particula, reliquis hebdomadæ dies Feſtos adjicitis; laboris quidem pondus ſuſtinebitis; portabitis, ut ait Evangelium, pondus diei, & æſtus; ſudor frontis veſtræ ad imos uſque manabit talos, & opus veſtrum rigabit; ſed niſi illi benedixerit Deus, hæc omnia nihil proderunt vobis: *In vanum laboraverunt, &c.* & ſicuti Deus ipſe ad redigendas in nihilum omnes creaturas, ex quo illas eduxit; ſubtrahat ſatis eſt manum, & illas ſuſtinere, & tueri ceſſet; ſimiliter ſi illam ſubtrahat cœptis, conatibuſque veſtris, omnia in nihilum cedent, & inde nullam percipietis utilitatem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ad Dei benedictionem promerendam opus eſt ut labor ordinem ſervet, & Sanctus Domini dies celebretur.

Quomodo mereri poteſtis benedictionem, & Cœli ſubſidium, ſi labor veſter extra ordinem eſt? Si lucellum ſanctiſſimis Dei legibus antefertis; ſi quin pendeatis a Dei providentia, avaritiæ impenditis dies, qui in obeundis veſtris erga illum officiis impendendi eſſent? Si inexplebilis cupiditas veſtra non eo contenta temporis ſpatio, quod vobis dedit Deus, illud etiam negatis, quod ſibi reſervavit, gloriam ejus negligitis, & vultis illi curæ eſſe veſtram utilitatem? Vobiſmet bona ſua vindicatis, & ſperatis fore, ut augeat veſtra? Non ita, non dicet ultra vobis, quod olim Jacob: *Ego ero tecum: benedicam tibi, & multiplicaberis.* Augebo bona tua, oves, & hæreditatem tuam; ſed e contra, opes tuæ hac ratione partæ bonum ſit ſcelere partum, inferet maledictionem in domum tuam, fructus erit iniquitatis, ſecum trahet interitum ceterorum, quæ legitime poſſidebas; idque juſto judicio Dei punientis paupertate, ac jactura bonorum avaritiam, & cupiditatem, qua impellimur ad coacervandum contra ordinem providentiæ ſuæ. Pollicetur e contra juſto benedictionem ſuam, illi videlicet, ut fidelitas ſua in Dei ſervitute non obſit negotiis ſuis, vel labori: *Quoniam tu benedices juſto.* Utique; Deus procurabit tua negotia, quemadmodum tu gloriam illius; & ſi non paupertatis metus, neque lucri ſpes effecerit, ut leges ſuas perfringas; nimis illi carus es; non deferet te, neque patietur, pietatem tuam ulla in re tibi officere: *Quoniam tu benedices juſto.* Utique; benedictio hæc proderit tibi, & multiplicabit bona tua magis, quam omnes ſollicitæ curæ tuæ acquirendi, & improbus iſte labor, quem perferes illius ſervituti; non ſolum quod pendebis a Dei Providentia; ſed ſecundo loco propter confidentiam, quam in illum te habere ſignificabis pia hac, & regulari agendi ratione; nihil enim magis conſtat, neque apertius in Scripturis teſtatum legimus, quam opem, & peculiare ſubſidium, quod pollicetur Deus ſperantibus in illum: Hæc providentia plures habet damni farciendi rationes, nobis ignotas profecto, ſed tamen certiſſimas, & propter quas tenemur omnem in Dei ſinum ſollicitudinem projicere, ſecuri illi curam noſtri futuram, donec ipſi noſtris officiis perfungemur. *Omnem ſollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis;* ut Princeps inquit Apoſtolorum, & licet Providentia id ſe facturam non ſpopondiſſet, hæc ipſa confidentia noſtra illam obligaret; nihil enim aptius eſt ad promerendos divinæ bonitatis effectus ſuper nos, & excitandas paterni ejuſdem amoris curas, quam eidem relinquere omnem perſonarum, negotiorum, bonorumque noſtrorum curam, & cogitationem, ſicuti nihil ægrius fert, nec quidquam ſibi contumelioſius putat ea diffidentia, quam de ipſo teſtamur. Quæ vero apertior diffidentia ſignificari poteſt divini auxilii, & curæ ipſius Providentiæ, quam ſperare, nos per curſum, laboreſque noſtros aſſecuturos, quod ille nobis per bonitatem ſuam pollicitus eſt? Quod ſi hic ipſe labor eſt contra ejus imperium, non ne hoc eſt uti medio injuſto, & crimino ſo ad votorum ſummam aſſequendam? Hinc ergo conjicite, an Deus benedicturus ſit huic labori, qui feriatis diebus contra illius interdictum ſuſcipimus, an potius illi maledictionem ſuam daturus ſit; atque ita quin optatum finem aſſequamini, ſumptibus veſtris diſcatis, non eſſe induſtriam, quæ in utilitatem veſtram convertere valeat, quodcumque invito Domino aggredimini. *Non eſt conſilium contra Dominum.* Per contemptum legum illius diteſcere voluiſtis, feſtos, profeſtos dies omnes uno ordine habuiſtis, ut opes congereretis; immo feriatis diebus ipſis majorem quæſtum feciſtis; Fortunæ veſtræ, ac rerum veſtrarum progreſſus antiquiores vobis fuerunt, ut eorum curam non alteri cuipiam, quam vobiſmet ipſis commendare volueritis. Heu! quid vobis expectandum eſt ex diffidentia ita noxia, & Chriſtiano indigna, niſi ut Deus in vos animadvertat per ipſam rerum omnium inopiam, quam perhorruiſtis; jacturam videlicet bonorum, quæ per viam adeo legibus oppoſitam congeſſiſtis; & per infauſtum ſuſcepti laboris exitum, quem adeo importune eſtis aggreſſi? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Gen. 28.

Pſalm. 5.

1. Petr.

Proverb. 21.

Ethnici credidiſſent futurum ut labor ſuus male verteret, ſi violaſſent a celebratione dierum feſtorum in paganiſmo religionem.

Mirum profecto eſt, Auditores, intueri, Ethnicos olim, Tertulliano teſte, in dierum feſtorum obſervantia adeo religioſos extitiſſe, ut crederent laborem ſuum male ſibi ceſſurum; vel ſe ſibi infortunium aliquod conflaturos eſſe, ſi illos aliquo modo per hæc occupationum genera profanaſſent; itaut ne auderent quidem comedere, niſi quod ſuperiori die peractum fuerat; quod illis commune; ut noſtis, cum Judæis erat; tantum imperii, atque auctoritatis in mentibus eorum habebat religio; tunc cum in infidelibus illis non niſi exca'erat ſuperſtitio! Chriſtianus vero in prorſus Sancta Religione, quæ docet hos dies devotos eſſe cultui veri Dei, exiſtimabit ſe ingens lucrum facturum abutentem hoc tempore ſacro in labore ſervili contra explicitum illius interdictum? Quid Dei Juſtitia facere poteſt, quæ olim in lege veteri præcepti hujus perfractionem morte mulctabat, quam animadvertere in hanc diffidentiam, quæ ad ipſam pervenire videtur infirmitatem per eam egeſtatem, quam viribus omnibus evitare contendunt? Quid S. Auguſtinus ait; itane de Patris Cœleſtis Providentia diffiditis? Et putatis ipſum permiſſurum eſſe, ut Chriſtiano, uni ex famulis ſuis, & uni ex filiis ſuis ad victum neceſſaria deficiant? Et hoc, cum ſuis fungitur officiis, & ad breve tempus ſua relinquit negotia, divinis vacaturus? Undenam tanta in anima Chriſtiana infidelitas? Diffidentia, quam in hac occaſione teſtamini, nonne meretur, ut vos derelinquat? *Auctor idem.*

Corpus animæ, & Cœlo terram præfert, qui Dominicis, feſtiſque diebus manuum labori impendere.

Dominicos, Feſtoſque dies in manuum labore inſumentes præfertis animæ corpus, Cœlo terram, vitæ hujus bona cœleſtibus contra ordinem divinitus inſtitutum, & conditionem, qua propoſita, Deus ſe vobis opem laturum in neceſſitatibus veſtris ſpopondit. Cum enim hæc Providentia ſita ſit in ordine, quem ille conſtituit inter cauſſas, & eventus vitæ hujus, & quem illa procurat, ita ut efficiat, ut in noſtram cedant utilitatem omnia, quæ videntur fortuiti caſus; ſimili ratione poſcit, ut adſit ordo etiam in vitæ noſtræ ratione; & hic ordo ille eſt, quem Dei Filius nos docuit, præcipiens, ut animæ noſtræ ſalutem corporis noſtri curæ anteferemus: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Hic autem ordo quandonam indignius ſubvertitur, quam cum præceptum infringitur, quod nobis Deus irrogavit conſecrandi ſanctos hoſce dies ſibi? Non ne palam corporis bona animæ bonis præferuntur, cum per ſpem exigui boni, vel ſub commentitiæ neceſſitatis prætextu negligitur unum ex præcipuis noſtræ Religionis officiis? Nonne terræ bona quæruntur ante Regnum Cœlorum? Nonne corporis commoda ſaluti præferuntur? Sed quid expectandum eſt ea agendi ratione adeo abnormi, & contumelioſa Deo, niſi juſto ſupplicio nos privet utriſque, & iis, quæ labore noſtro quærebimus, videlicet lucello præſenti, quod quærimus, & ſimul iis, quæ nobis non defutura fuiſſent, ſi Regnum cœlorum ceteris prætuliſſemus? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Matth. 6.

Ex ſanctificatione diei Dominici Ethnici cognoſcebant primorum Fidelium ſanctitatem.

Dominicæ Sanctificatio adeo religioſe a primis Fidelibus ſervabatur, ut apud Ethnicos conſtituere videretur eorum characterem; Magiſtratus enim ſæpe Chriſtianos interrogabant, utrum die Dominico interfuiſſent Eccleſiæ, quaſi tota Chriſtianorum Religio in uno hoc actu conſiſteret. Utique; Chriſtiana ſum exclamabat generoſa Thelica, & quia Chriſtiana ſum, S. Dominicæ diem ſervavi; adſui in cœtu filiorum Dei, & cum illis divina celebravi Myſteria: *In collecta fui, & Dominicum cum fratribus celebravi; quia Chriſtiana ſum.* Non timemus ſanctum Domini diem celebrare; abſtinere quippe citra peccatum non poſſumus: *Securi Dominicum celebravimus, quia non poteſt Dominicum intermitti. Lex ſic jubet, lex ſic docet;* & ſi hoc vita ipſa nobis ſtaturum eſſet, ſanctum Diem hunc ſanctificaremus. *An neſcis*, dicebat S. Felix Amulino Proconſuli, *in Dominico Chriſtianum, & in Chriſtiano Dominicum conſiſtentem;* Non quæro abs te, utrum Chriſtianus ſis, nec ne, dicebat Judex ille S. Martyri; quæro utrum Dominicum ſerves. Bona fide, quæſo, modus hic abnormis, irreligioſus, & quem peſſimi exempli vocare poſſumus, quo chriſtianorum plerique hodie ſanctum hunc diem colunt, numquid eſſe poteſt teſtimonium puritatis fidei eorum, &

Sancti-

Sanctitatis vitæ ipſorum? *Pater Croiſet in Aſceticis exercitationibus. Tomo 1.*

Sententia Theophili Alexandrini de obligatione diem Dominicum celebrandi. Anno 829.

Theophilus Alexandrinus tradit qua cum ſollemnitate ſanctum hunc diem celebrare teneamur: *Et conſuetudo*, ait, *& officii ratio poſtulat, ut diem Dominicum honoremus, eumque feſtum habeamus*, tamquam diem Domini, cum ſumma ſollemnitate. Eodem ſpiritu ſexta Synodus Pariſienſis, *hunc diem ceteris celebriorem*, vocavit, & *venerabiliorem*. Ita etiam una ex primis legibus, quam tulit poſt converſionem ſuam Conſtantinus Imperator, fuit præcipere, ut dies Dominicus celebraretur in univerſo Romanorum Imperio ſingulari cum celebritate, exonerans illa die omnes Chriſtianos milites a qualibet militari functione: edicto ſuo cavens, ne Ethnici etiam milites ea die in aciem deſcenderent, ut ſimul omnes uni vero Deo conſtitutas preces effunderent; *Cunctis ſub imperio Romano degentibus præcipiens, ut Dominico die feriarentur.* Credidit Pius hic Imperator, Principis legem per corporalis pœnæ formidinem effecturam, ut Dei lex diligentius ſervaretur, circa diei Dominici obſervantiam. *Pater Croiſet. Ibidem.*

Celebratio diei Dominici non in ſola ceſſatione ab operibus ſervilibus ſita eſt, ſed in Religionis actibus exercendis.

Non in ſola ceſſatione ab operibus ſervilibus Eccleſia diei Dominicæ celebrationem conſtituit: imperat etiam, ut diem hanc ſanctificemus ſanctiſſimis Religionis exercitiis, & omnium Chriſtianarum Virtutum praxi. Legis obſervantia non redigitur ad ſolam Sanctæ Miſſæ auditionem. Pauci antiquitus erant fideles, qui per Sanctam Synaxim non fierent die illa Sacrorum Myſteriorum participes; & nemo ab audiendo verbo Dei abſtinebat. Oratio, Aſceticorum librorum lectio, meditatio, opera bona ſolæ ſunt occupationes, quæ Sanctum Dominicæ diem decent. Ad connotandam etiam hujus diei ſollemnitatem, eamque a ceteris anni diebus diſtinguendam præcepit Eccleſia, ne die illa jejunium ſervaretur, & alia etiam pœnitentiæ exercitia inhiberentur. Sicuti Dominica eſt memoria, & octava perennis Dominicæ Reſurrectionis, non vult Eccleſia Myſterii hujus lætitiam turbari. Ipſa etiam conſuetudo orandi ſtantes ipſo Paſchatis die, totoque Paſchali tempore non vacat a Myſterio; cum Eccleſia hoc corporis habitu nobis velit innuere, cum jam reſurrexerimus JESU CHRISTO, nobis non eſſe ultra inhærendum terræ. *Si conſurrexiſtis cum CHRISTO, quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. Idem.*

Coloſſ. 3.

Conſiderationes ad hoc argumentum pertinentes.

Quam uberem conſiderationum copiam non ſuppeditat nobis quidquid dictum eſt de inſtitutione, ſollemnitate, & ſanctitate Dominicæ? Nunquid hodierna die cum eodem Religionis ſpiritu dies Dominici celebrantur? Cum iiſdem pietatis ſenſibus, cum eadem veneratione, cum eadem ſollicitudine? Heu! Pauci immo videntur mihi dies deterius profanati! Quotuſquiſque diem Domini traducit nos in inutilibus occupationibus, non in ſolatiis, non in profanis exercitationibus? Dummodo rapide, & more potius Ethnicorum, quam Chriſtianorum terribili Altaris Sacrificio adſiterimus, ſatis nos perfunctos fuiſſe credimus munere Dominicum diem ſanctificandi. Miſſa ſine pietate, ſine reverentia, & dici poſſet, ſine ſenſu Religionis audita, plerîſque loco eſt omnium piorum operum, quorum praxis inevitabiliter fidelibus omnibus imperatur. Si quis voluptuarius cœtus, ſi quæ luſoria concertatio, ſi quæ ad deambulandum condictio, ſi lautius inſtitutum convivium; verbo, ſi quid minus Chriſtianum, ne dicam magis Paganum eſt, hoc in Sanctum Dominicum diem rejicitur. Hiccine dies, poteſtne amplius dies Domini nuncupari; Heu! Dominus diei hujus nulla fere partem obtinet; & neſcio utrum potius dicendus eſſet dies hominis; eſt enim dies intemperantiæ, aleæ, oblectationum; quippe in iis ferme rebus impenditur, quæ indulgent genio, quæ amorem proprium alunt, quæ humanis favent cupiditatibus; & ſi quis poſt hæc miratur, Deum nobis iratum eſſe; nos voti non damnari; corde corruptionem, & mentis errorem latius omnia ſus deque miſcere; ſi quis miratur extingui fidem, exiguum eſſe Electorum numerum, paucos veros fideles ubique inveniri; dicere poſſumus profanationem diei hujus Dominici malorum omnium originem eſſe. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo 1.*

Origenis reſponſio quæſtioni quæ poteſt inſtitui, cur ſive Deus hebdomadæ diem elegerit, ut colatur.

Hoc in argumento inſtitui quæſtio poteſt, quam tamen decidendam minime aggredior; Cur Deus qui hominem poſt peccatum labori damnaverit, & in ſuæ inobedientiæ pœnam voluerit, ut in ſudore vultus ſui panem labore ſibi comparatum manducaret; cur inquam Deus imperaverit, ut hic homo ſeptima qualibet die abſtineret ab opere per præceptum, quod non dubitamus quo minus illi fuerit indictum, quandoquidem inde legem populo univerſo irrogavit: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices?* Sed reſponſio Origenis Quæſtioni huic reddita locum mihi præbet oſtendendi jus, quod habuit Creator homini utrumque præcipiendi, & quanti interſit hominis utrumque obſervare. Primum, Pater laudatus inquit, illud impoſuit tamquam Judex ad crimen ejus puniendum, & prohibendum, ne per otium ille recentia peccata committeret, ſi terra ſponte ad victum neceſſaria, & uſque ad delicias ſuppeditaret, ut area, quin ejuſdem cultura indigeret. Alterum vero præceptum inflixit, tamquam Dominus, ac ſummus Dominator, ſibi ſervans diem unice cultui, honorique ſuo conſecratum; hoc quippe minimum erat officium quod exigere poſſet, ut videlicet dies una impenderetur in cultu illius, qui ſex impenderat in productione creaturarum ceterarum, quas hominum ſervituti ſubjecerat. Non latet ratio, propter quam Deus ſibi pro requie diem ſeptimam elegerit, & cauſſa, qua Eccleſia mox diem Sabbati in Sanctum hunc mutaverit Domini diem, quo hominum Redemptor glorioſus egreſſus eſt de ſepulcro perfruiturus æterna requie, quam poſt completum magnum ſalutis noſtræ opus nobiſmet procuravit. Inutile eſſet etiam rationes afferre, propter quas Eccleſia ſancto huic diei adjecit dies Feſtos dicatos memoriæ aliorum Myſteriorum noſtræ Religionis, ac plurium Sanctorum, quorum exempla nobis ob oculos proponere voluit, & illos adducere per cultum, qui adhibetur illis, ad nos precibus ſuis, ſuaque apud Deum auctoritate juvandos. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quamvis multi calleant ſibi Dominicos dies obſervandos eſſe, plurimi tamen ſunt, qui hoc præceptum infringunt per avaritiam, aut licentiam.

Scio, Auditores, vos perfecte callere officium veſtrum, Dominicum diem celebrandi, ſolum cum hoc præceptum complectatur unum ex præcipuis officiis Chriſtiani, vos oro, & obteſtor, ut injuſtam hanc abjiciatis ſententiam, qua multi exiſtimant, hoc argumentum non ſatis eſſe dignum Majeſtate ſuggeſtus, aut audientium amplitudine; quia hinc ſolet inſtitui popularis ſermo; audeo enim dicere, eos, qui putant nihil eſſe, quod exprobrent ſibi in hujus præcepti obſervantia, fortaſſe nunquam illud, uti opus eſt, obſervaſſe. Veruntamen ut ex hoc ſermone familiari hauriamus documenta, dicam ſolum, præceptum hoc perfringi poſſe duobus modis ſecundum duas validiores cupiditates, quibus agimur, avaritiam videlicet, atque licentiam. Avaritia reſpicit illos, qui metuunt, ne laboris interpolatio gravem aliquam inferat jacturam bonis, ac negotiis ſuis; vel qui ſalutis ſuæ curæ lucrum præferunt temporale. Licentia vero ad eos ſpectat, qui cum commode vivant, & carere valeant labore manuum ſuarum, dies hoſce convertunt in noxiam requiem illos traducentes in alea, in ſolatiis, in commeſſationibus. Vel ſi mavultis, in unum colligo duas hujus præcepti partes, in quas vulgo dividi ſolet. Alii illud non ſervant omnino, non ceſſantes a labore communi; alii putant ſe præcepto ſatisfeciſſe ſimpliciter a labore abſtinendo, quin tamen Sanctos hoſce dies in Dei cultu traducant per graviſſimum errorem, quem tamen conſuetudo probare videtur. Primi aperte violant præceptum per ſordidam avaritiam; alii, ex S. Auguſtini ſententia, ſunt nocentiores; quippe polluunt dies hos Deo ſacros per actiones crimînoſiores, quam ſint opera ſervilia, quæ explicite vetita ſunt. *Idem.*

Plerique Chriſtianorum non cognoſcunt, neque diſtinguunt Feſtos dies niſi per intemperantiam.

Fateor, non ſine Religionis noſtræ dedecore, pleroſque Chriſtianos non ſecernere Feſtos dies a profeſtis niſi per intemperantiam, aleam, ludos, & ſolatia, quibus illos deſtinant, & in quibus inſumunt. Tandem enim avaritia, & lucri cupiditas non ita dominatur, ut ſibi religioni minime vertant Feſtos dies infringere, labore ſervili, & corporeo: ſed licentia, quam probat conſuetudo, univerſe ita graſſatur, ut de his omnibus diebus, qui pietati, ac devotioni dicati ſunt, id dici valeat, quod S. Bernardus peculiariter dixit de illis, quibus Eccleſia celebrat Salvatoris Nativitatem; quos homines polluebant magis per intemperantiam ſolis iis diebus, quam in totius anni decurſu. Saltem pro certo aſſerere licet per hos Sanctitatis dies, paſſim plura committi delicta, quam in reliquum hebdomadæ ſpatium: cum enim inſtituti ſint ad expianda peccata, vel reparanda per inſignem pietatem ea, quæ reliquis diebus perpetramus; illis adjicimus graviora crimina, & ſcandala, & ea, quæ aliquando optaturi ſumus, ut de vita noſtra deleantur; quemadmodum S. Job deſiderabat, ut dies ſuus natalitius non recenſeretur inter anni dies; quoniam fortaſſe in exitu vitæ noſtræ juſtiſſimum erit argumentum noſtræ damnationis, hos dies miſericordiæ, hoc tempus ſalutis, hos propitiationis dies, quo nomine in Scripturis vocantur, convertiſſe in cauſſas noſtræ damnationis, quia illos impendimus in conviviis, commeſſationibus, atque ſolatiis; videlicet quia tot mediis ſalutis noſtræ abuſi fuerimus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Memineſſe debemus finis, propter quem dies Dominici inſtituti ſint ut medicina eſſent malis, quæ his poſſimum diebus patrata fuerint.

Ad ea vitanda mala, quæ Sanctis diebus Dominicis fiunt, ad quæ fortaſſe nunquam ſerio animum advertiſtis, opus eſt, ſi vobis placet, finem repetere, propter quem ſancti dies illi inſtituti fuerunt, & in propriis Legis verbis invenietis inexpugnabilem erroris veſtri probationem, & hujus intemperantiæ damnationem. Nobiſmet perſuademus poſt horam in Dei cultu impenſam, reliquam diei partem nobis eſſe vacuam, eamque licere traduci in alea, & ludo, in viſitationibus obeundis, in converſationibus; quæ magis arrident, in omni ſolatiorum genere, ita ut hodie dies Feſtus, ac hilaritatis, dies unus, & idem eſſe videatur per abuſum, quem nemo ſatis deplorare poteſt. Animadverto autem in Scripturis Deo triplex fuiſſe conſilium in Sabbati, aliarumque ſollemniorum legis antiquæ Feſtivitatum inſtitutione, quibus, ut jam diximus, dies noſtri Dominici, aliique Feſti ſucceſſerunt.

ferunt. Primum eſt, illum ſibi hos reſervaſſe dies, quibus hominum cultum reciperet, quatenus Dominus omnium temporum, & Rex omnium ſæculorum. Alterum, ut populus ſuus illi gratum teſtaretur animum pro inſignioribus beneficiis, quæ talibus diebus receperat, ad quorum memoriam tuendam Judæis præceperat, ut quotannis illa recolerent. Tertium denique, ut ſecerneret populum ſuum ab aliis nationibus Infidelibus, & cultricibus Idolorum per cultum, & cæremonias, quas obſervari cupiebat magnis illis diebus. Hi ſunt, Auditores, fines iidem, quos Deus, & Eccleſia Spiritus ſancti numine afflata, in Feſtis Chriſtianorum diebus ſibi propoſuerunt; ſed Fidelium intereſt ad examen vocare, utrum illos celebrent ſecundum divina conſilia & utrum illos ad eoſdem referant fines. Sufficit igitur illos oculis veſtris ſubjicere, ut fateamini, licentiam in iis majorem obtinere partem, quam cultus obtineat, quam gratus animus, & officia Chriſtiani, cum dies Feſti paſſim modica cum pietate, modicoque cum Religionis ſenſu obſerventur. *Idem.*

Dominici Feſtique dies inſtituti ſunt ut debitus Deo cultus adhibeatur.

Dies hujuſmodi inſtituti ſunt, ut Deus honoretur eo cultu, quem illi debemus; nam quamvis adhuc in lege naturæ ſubſiſteremus, quin nobis fidei noſtræ lumina affulgerent, neque edocti fuiſſemus Religionis noſtræ Myſteria; ratio eadem, qua docemur Deum eſſe, & Ens Supremum, cui noſtra præſtare debemus obſequia, docet quoque, D. Thomas ait, nobis habendos eſſe ſtatos dies, quibus inevitabili hoc munere perfungamur. Hinc fit, ut hoc præceptum vere ſit de jure naturali; & nullam unquam extitiſſe gentem, quæ aliquam coluerit divinitatem, quæcumque tandem fuerit, quæ ſimul non conſecraverit diem aliquem, & Feſtivitatem in honorem illius, vel aliquas cæremonias, quibus ſua illi præſtaret obſequia. Sed Deus minime acquieſcens legi huic naturali, poſitivum inſtituit in veteri lege præceptum, ne populus omnino carnalis obliviſceretur eorum, quæ pertinent ad divinæ hujus Majeſtatis cultum, atque ſervitutem. *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* Quamvis autem in Lege nova, & in Eccleſiæ inſtitutione cæremoniæ Synagogæ obſoleverint; Hanc tamen Apoſtoli minime deleverunt, tamquam ab ipſo Deo inſtitutam; Diem hunc in alium duntaxat commutarunt, qui nobis majora repræſentat myſteria, & qui conſequenter eſt ſanctificandus, hoc eſt impendendus in cultum Dei cum majori ſenſu pietatis; ita ut dies iſti Sancti vocentur, quia adhibendi ſunt in Cultu Dei; & quia omnis Chriſtianorum cura in ſuimet ipſorum ſanctificatione ſit collocanda; unde ſequitur laborem his diebus vetitum non eſſe, niſi propter reverentiam, quæ illis debetur, & quia hominem avertit a Dei ſervitute. Hinc conjicite, Auditores, utrum dies iſti obſerventur ab illis, a quibus traducuntur in ſolatiis, & ganeis. Hoc nonne eſt, finem deſtruere? Nonne eſt illos nequiſſime violare? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Renuitis voſmet divinis ſubjicere imperiis, & illis parere, ne familia veſtra, ejuſque negotia quidquam detrimenti patiantur; ſed propterea, & quod muneri veſtro defuiſtis, peſſum ibunt bona veſtra; familia veſtra ad extremam redigetur inopiam, & maledictum a perſonis, ad veſtras opes migrans efficiet, ut miſera laboretis egeſtate. Cogitatis laborem hunc vobis admodum eſſe profuturum, & fortaſſe reparaturum dierum aliorum negligentiam, & otioſitatem, vel jacturam, ſi quam caſu aliquo paſſi eſtis, compenſaturum. Heu! Temporis damna ſumptibus bonorum æternorum non ſunt reparanda! Eſtote ſubjecti, uti decet, imperiis Dei; regulares in legum obſervantia, ſicut æquum eſt, reddite illi, quod illi debetis, & quod a vobis expectat: & Deus veſtri non obliviſcetur. Quod per ſcelus obtinere contenditis, per confidentiam in ipſo veſtram conſequemini. *Idem.*

Deus ſcit quibus indigemus? propterea illi ſervire debemus iis diebus qui eidem ſacri ſunt. Matth. 6.

Scit Deus vos temporalibus hiſce bonis indigere, & vos ſcire poteſtis, legitimam illorum acquirendorum viam laborem eſſe: *Scit Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Sed neſcitis, quo medio illum adigere valeatis, ut bona veſtra tueatur, eaque augeat, cum illa præfertis iis pietatis officiis, quæ vobis præſcribit. Neque ultra miror, quare Apoſtolus avaritiam, & adhæſionem terrenis his bonis idololatriam, & ſervitutem vocat Idolorum: *Avarus, quod eſt Idolorum ſervitus;* quia illis

ad Epheſ. 5.

ea præſtantur obſequia, quæ uni Deo debita ſunt, præferendo lucrum exiguum cultui illius, & in eo fiduciam omnem collocando. Hoc illis omnibus accidit, quibus cupiditas iſta dominatur, ſed cultus iſte ſacrilegus, quem Chriſtianus adeo perhorreſcit nunquam apertius apparet, quam cum dies divino cultui dicati violantur. Etenim nonne avaritiæ impenditur, quod uni ſupremo Domino debetur? Nonne Deo, qui meretur ſibi reverentiam adhiberi ſingulis vitæ noſtræ momentis, negamus tempus illud, quod in modici argenti lucro inſumitur? Nonne lucellum hoc præfertur Deo, qui hoc tempus ſibi reſervat noſtra recepturus obſequia? Nonne hoc eſt tibi perſuaſum eſſe, aliud majoris momenti non deeſſe negotium præ illo obeundi omnia noſtra Religionis officia? Sed ad id non ſatis attendit cæca cupiditas. Verum neſcio utrum ad id magis attendat licentia, polluens Sanctos hos dies modo quidem prorſus alio, non tamen minus nefando? *Idem.*

Cum Dominici dies in Dei cultum inſtituti ſint, illis uti non debemus in mundanis occupationibus.

Satiſne cogitaſtis, præcepti hujus finem eſſe ſervire Deo, ut Sanctos hos dies in mundanis, profaniſque negotiis inſumatis? Illos inſtituit Deus, ut homines teneantur illi ſua officia præſtare; ſed dæmon qui corruptor eſt operum Dei, Feſtos inde facit ſibi dedicatos, quoniam ſuo cultui ſacros. Parum intereſt illi, utrum dies Dominicus, aliique dies Feſti inſtituti ſint in honorem Sanctorum, atque auguſtiſſimorum Myſteriorum noſtrorum, dummodo in praxi finis mutetur, & diebus iſtis Deus ipſe gravius lædatur. Hi modo ſunt dies Feſti ſui; quoniam in illis exercet poteſtatem ſuam, quoniam ipſi melius præſtatur obſequium; quoniam plures habet ſectatores, ejuſque auctoritas univerſe in pretio eſt. Non potuit ille noſtræ Religionis cæremonias, neque Feſtos dies ad eas peragendas deſtinatos delere, quamvis olim Ethnicorum perſecutiones ſuſcitaverit; ſed votorum ſuorum ſummam fere conſecutus eſt per profanationem quæ fit ab ipſis fidelibus, qui videntur idem iniiſſe conſilium quod impii de quibus loquitur Regius Propheta: *Dixerunt in corde ſuo, quieſcere faciamus omnes dies Feſtos Dei a terra.* Conati fuerant Pſalm. 73. efficere, ut omnes Domini dies Feſti ceſſarent, polluentes illos, & alios ſubrogantes, quibus idola ſua colerent eo apparatu qui triumphi ſpeciem præ ſe ferret, celebrantes ludos, ſpectacula, conventus, convivia; quæ populos a Dei cultu averterent: ita ut cum Mundus univerſus ad inſolitos, magnificoſque apparatus confluerent, Templum Dei, ejuſque Altaria desererentur. Hæc nefaria fuit ars impii Antiochi quemadmodum legimus in primo Machabæorum. Sed hodierna die aliquid ſimile audent Chriſtiani: Sanctis enim his diebus celebrant conventus ſuos, ludorum concertationes, ſpectacula, & tempus fallere quærunt; & ſi judicium feratur ex modico cultu quem Deo reddunt, & ex parva Religione, quam præ ſe ferunt, dici poteſt, illos obtinuiſſe, ut dies pietati deſtinati ceſſarent: *Quieſcere faciamus omnes dies Feſtos Dei a terra.* *Idem.*

Dies Dominici, & Feſti inſtituti ſunt, ut grati ſimus Deo de beneficiis, quæ ab illo recepimus.

Quod ſi præcipuus Sanctorum dierum finis eſt reddere Deo honorem, & cultum, quem illi debemus; Scriptura alium nobis proponit, qui exigit a nobis non minus religioſam Feſtorum dierum obſervantiam; ut videlicet recolamus memoriam beneficiorum, inſigniumque gratiarum, quas per hos dies recepimus, ita Deus poſtquam eduxit populum ſuum de Ægypti captivitate modo adeo admirabili, in eorum gratiam dividens, ac ſuſpendens fluctus maris Erythræi, præcepit ad memoriam facti ſervandam, ut celebrarent Paſcha, & gratum animum teſtarentur magnum hunc colentes diem, non vulgari apparatu; & in Chriſtiana Religione quis ignorat Dominicum diem conſecratum eſſe memoriæ Reſurrectionis Salvatoris; Incarnationem, Nativitatem, aliaque Myſteria, quæ ſunt Chriſtianorum Feſtivitates inſtitutas fuiſſe tantum ad revocandam cogitationem totidem incomparabilium beneficiorum, & ad ciendos in nobis ſenſus Religionis, quos poſcunt auguſta Myſteria, quæ in mentem revocant? Devotio, gratiarum actiones, ſenſus gratitudinis, & Sancta lætitia Sanctos hos dies connotare debent in corde noſtro, quemadmodum connotatur ea pompa, & ſollemnitate, qua illos extrinſecus celebrat Eccleſia. Quid autem plerique efficiunt Chriſtiani? Videtur ingratitudo, irreligio, impietas nunquam eluceſcere magis, quam Sanctis hiſce diebus per criminoſum illorum abuſum; quandoquidem Sancta hæc, & Spiritualis lætitia, quam hæ ſollemnitates inſpirant, convertitur in lætitiam mundanam, in mentis evagationem, in effuſionem cordis, omniumque ſenſuum, quæ efficit ut non ſecus ac impii in Scripturis dicant; *Ubique relinquamus ſigna lætitiæ.* Hi Feſti ſunt dies, Sap. 2. toti ergo in gaudio, & in ſolatiis impendantur. Negotiis vacavimus per hebdomadam; huic moleſtæ neceſſitati nos ſtatus, & conditio noſtra ſubjecit; opus eſt igitur, ut diebus his damnum ſarciamus. Ludi, convivia, deambulationes, ſocietates, compotationes; tempus hoc gaudio deſtinatum eſt, cumque nos monitos velit Sapiens; *Particula boni diei non te prætereat*, Eccli. 14. pleraque tempus ſe perdidiſſe putarent, niſi ſatis genio indulſiſſent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Abuſus qui ſunt in modo Dominicos dies celebrandi.

Animadvertite, quæſo, quomodo abuſus quocumque adrepat, & quomodo ſanctiſſimæ conſuetudines ſenſim, ac ſine ſenſu degenerent; ſicut enim ad horum dierum celebritatem connotandam, probat Eccleſia, nos honoratioribus uti veſtimentis; hoc ſatis eſt, ut conſuetudo percrebeſcat oſtentandi per hos dies, quidquid magnificentius luxus excogitavit; & in hoc plures totam horum dierum celebritatem conſtituunt, ut olim conſueverant idololatræ in cæremoniis, & feſtivitatibus ſuis; & ſicuti nihil eſt, unde licentia ſibi creſcendi anſam minime vindicet, ſub prætextu, quod primi Fideles ad innuendam lætitiam, quam illis afferebat Myſteriorum recordatio, ultro citroque religioſe ſibi munuſcula largiebantur, poſtquam majorem diei partem traduxiſſent in laudibus Dei concinendis, agendiſque gratiis, quas ab illo receperant, & mox Sanctis ſermonibus ſe ſe excitabant ad illi fideliter ſerviendum; cum mox pietas & caritas intepuiſſent, in

earum

earum locum ſubiit proclivitas ad corporis oblectamenta; intemperantia ſanctæ ſucceſſit hilaritati; & omnia devotionis, grati animi, ac Religionis indicia degenerarunt in tot flagitia, quæ hodierna die totidem perbent Deo cauſas de Chriſtianorum Feſtis dicendi, quod olim dixit per Iſaiam Prophetam de ſollemnitatibus Judæorum; (Iſ. 1.) *Iniquus ſunt cœtus veſtri, & ſollemnitates veſtras odivit anima mea.* Hæ feſtivitates, & hæc ſolatia veſtra non ſunt conformia conſilio, quod habuit Deus inſtituendi Sanctos hos dies tot beneficiis connotatos. Horret veſtras ſollemnitates, quoniam tantum abeſt, ut homines meminerint Dei, ut immo illum afficiant dedecore, eumque cogant, ut de prævaricationibus legum ſuarum pœnas repoſcat. Quamobrem illos minitatur, fore ut (Amos 8.) *convertat Feſtivitates eorum in luctum, & convivia eorum in planctum;* Nihil enim Deus ſeverius punit, quam impietatem, & profanationem rerum Sanctarum, & nullus dubito, quominus pleraque domeſtica mala, quæ veſtris incidunt familiis, & quæ affligunt, ut dies adeo calamitoſos traducatis, ſint ſupplicium eorum, quos profanaſtis, animo parum pio, nec ſatis grato beneficia, quibus a Deo cumulati fuiſtis, recolentes. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

(Chriſtiani diſtinguuntur ab illis, qui nomine tenus tales vocantur per Dominic. in dierum ſanctificationem. Exod. 31.) Quemadmodum olim juſſit Deus populum ſuum diem Sabbati celebrare, ut illum ab aliis ſecerneret populis, atque ut hoc eſſet veluti ſignum fœderis, quod cum illo percutiebat: *Videte, ut Sabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos;* ſimili ratione per exactam, & regularem horum dierum obſervantiam verus Chriſtianus ſecernitur non ſolum a Judæis per ſollemnitatem Dominicæ, & ab Hæreticis per Feſtos SS. dies, quorum cultum rejiciunt, ideoque omnia honoris inſignia, quæ illis deferuntur, verum etiam ab iis, qui nomine tenus Chriſtiani ſunt, & qui ne ſpeciem quidem, corticemque præſeferunt, cum negligunt publico perfungi munere, ex quo liquet non ſolum quam religionem fuerint amplexi; ſed etiam interiores ſenſus, quos habent hujus Religionis per peccatum, & devotionem cum qua illos celebrant; cumque dies iſti hoc conſilio fuerunt inſtituti, hoc unicum fere medium eſt, quo ſatisfacere poſſumus tum exemplo, quod ſinguli proximo noſtro dare tenemur, tum præcepto, quod ex profeſſo Deo deſervire jubemur. Propterea non ſine graviſſimis propoſitis pœnis Eccleſia præcipit, ut his diebus adſtemus cum adorabile peragitur Miſſæ Sacrificium, quod magnum eſt noſtræ Religionis Myſterium. Propterea Divinum Officium ſollemniter, & majori cum apparatu canitur; Ideoque in hoc tempus reſervaſſe videtur cetera pietatis officia, verbum Dei, documenta, Sacramentorum frequentiam; & in his denique occaſionibus ſecernuntur homines pii ex ea aſſiduitate, quibus intereſſunt omnibus ad genus officiis, & qui habentur tamquam religioſi, ubi cum populi ædificatione iis muneribus perfunguntur. *Idem.*

(Quantum ſit [illegible] Miſſam Dominicis diebus.) Quæro ex vobis, Auditores, quid vobis cogitandum ſit de illis, quibus ſatis eſt ea ſolum præſtare, quæ omnino præcipiuntur, & qui reliquam diei partem in ſolatiis inſumant? Quid! Omnia officia, omniaque veri Chriſtiani ſigna ad id rediguntur, ut ad ſemihoram Deo vacent per hebdomadam, & reliquum temporis ſpatium voluptatibus ſuis tribuant? Hiccine ille eſt prælationis amor, quem debent Deo? Hæccine ratio eſt præſtandi cultum, quem a nobis in nova lege requirit? Et ſi nihil Deo contumelioſius eſt, quam cum Mundo cultum ejus partiri; quæ evidentior partitio eſt, quam abſcindere partem dierum, qui ipſi dicati ſunt, vanitati, voluptati, ſolatiis tribuendam? Quæ iniquior partitio, quam illi minorem partem relinquere? Miſſa una eaque breviſſima, illud eſt, quod plerique Chriſtianorum impendunt Deo. Hæ pomeridianæ deambulationibus, & viſitationibus deſtinatæ ſunt, veſpertinæ conviviis, & bona pars noctis aleæ, & hoc Feſtos dies obſervare vocatur? Vel, ut loquitur Scriptura, illos ſanctificare, ſe ipſos ſanctificando? Ah! *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*, exclamat Propheta. Nonne hoc eſt male hic operari, & uti fraude, ita ſuo officio perfungi? An potius irridere, & Dei cultum polluere? (Pſalm. 37.) *Gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſollemnitatis tuæ.* Si viderent infideles quomodo Chriſtiani traducunt hos dies unice Dei ſui cultui dicatos, quod ferre poſſent judicium de reliqua vita eorum? Quid de hac eadem religione cogitarent? Nonne hoc eſſet omnem illis æſtimationem auferre, ſi quam habuiſſent unquam, & nonne contingeret, quod olim Malachias Propheta dicebat de Judæorum feſtivitatibus? (Tren. 1.) *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata ejus.* Quid autem? Poſſuntne illi non contemnere Religionem, cujus ſanctiſſimos dies vident per otium, atque intemperantiam pollui? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

([illegible] Dominicis diebus ſaltare non eſt, [illegible] adſtantes [illegible].) S. Auguſtinus nobis oſtendere volens, quantum ſit eorum impietas, qui Dominicis, Feſtiſque diebus abutuntur, dicebat: *Otio abutuntur ad nequitiam, melius enim utique tota die foderent, quam tota die ſaltarent.* Quid? S. iſte Doctor de Judæis locutus dicebat, nonne ſatius fuiſſet arare, vel fodere terram tota die, quam illam in choreis, conviviis, aliiſque profanis gaudiis tranſigere? Si prius crimen eſt, quia hoc eſt non obedire præcepto, poſterius nunquid levius eſt crimen facere id, quod eidem præcepto prorſus oppoſitum eſt, atque directe contrarium? Si repulſa obediendi Principi ſuo, cum ejus ditio ab hoſte oppugnatur, illum offendere debet, quid erit in illum infeſta arma inferre? Hoc ipſum arguere debemus ex ea vivendi ratione, qua plerique Fideles utuntur. Abſtinere ab opere, una tantum præcepti pars eſt; ut totum ſervetur, efficienda ſunt opera ſancta, & pietati Religionis conformia; & ſicuti præceptum infringitur non ceſſando ab opere, quod præ manibus habebatur, criminoſius adhuc infringitur faciendo alia, quæ non ſolum nullo ſunt in diſcrimine, qualis labor eſt, ſed quæ ſunt mala, velut intemperantia, vel quæ in malum impellunt, qualia ſunt ſpectacula, & mundana ſolatia. Sed hæc cæcitas eſt ævi hujus fidelium; nullo in diſcrimine habere quod in præcepto præcipuum eſt, & id negligere, quod medium eſt ad illud ſervandum. Peccares, ſi in foro cauſſam perorares, vel ſi magiſtratus tui munera obires per hoſce dies; ſed cur non cogitas te illos majori cum ſcelere profanare, in alea traducens? Artifex ille jure ſemet accuſaret violati præcepti, ſi cui profeſſionis ſuæ operi incubuiſſet; at confitetur, ſe gravius peccare, cum in ganeis traducit ſolidum Feſtum diem, obligiuriens, quidquid hebdomadæ totius labore ſibi comparaverit? Peccares, mulier, acum, & fuſum attrectans, nec diffiteris; ſed bona fide, putaſne minus eſſe malum his diebus choreis, vel comœdiis intereſſe, vel viſitationes ultro citroque obire, & ſolatiis indulgere? Credis te præcepto ſatisfeciſſe, quia labore manuum abſtinuiſti; hoc eſt præcepti vim non aſſequi; ſi enim labor interdicitur, hoc fit ut de uno Deo cogitetur. Quod autem ridiculum eſt; non deerunt, quæ ſibi religioni vertunt rem œconomicam procurare, non autem meliorem matutini temporis partem in ſemet comendis, exornandiſque inſumere, & ancillam in aptanda cæſarie, in vittis, lemniſciſque diſtribuendis, ut tota die interſint ſocietatibus. O præclaram devotionem! O diem Feſtum rite obſervatum, cujus dimidia pars in vanitate, altera vero dimidia in cœtibus, & moribus, & ſæpe etiam flagitioſis teritur alloquiis! *Idem.*

Neceſſe eſt dies quoſdam Dei cultui deſtinatos eſſe; (Neceſſe eſt unã hebdomadæ diẽ Dei cultui conſecrari.) ſi enim Deus pro tot bonis, & gratiis, quas nobis contulit, omnes a nobis petiiſſet dies, & annos, cultui ſuo devovendos, nonne id jure ſuo flagitaſſet, quandoquidem nihil eſt, quod illi non debeamus? Cum autem contentus ſit modico, quod humana infirmitas illi valet offerre, numquid illi negabimus unum hebdomadæ diem, ſicut ille cupit, & jubet? Chriſtiani, qui ſedulo huic parent præcepto plurimum in ſe fructum percipiunt; quia familiariter agunt cum Deo in oratione, in aſceticorum librorum lectione, in receptione Sacramentorum, in Sanctæ Miſſæ celebratione, in Sermonibus, & aliorum complurium bonorum operum exercitatione. Adde his, quemadmodum Deus antiquitus deſtinaverat in honorem ſuum diem Sabbati, & ſimul ut liberaliter gratias ſuas populo largiretur, quod illa ſignificant verba? *benedixit diei ſeptimo;* ita Redemptor noſter ſecundum Tertulliani animadverſionem curationes fecit, & bonis cumulavit populum, potiſſimum die Sabbati. Et profecto ſi rite id velimus perpendere, nunquam majorem pro anima fructum recipimus, quam diebus Feſtis, atque Dominicis, cum omnino vacamus cultui Dei, ab omni cura vacui; cum magis diſpoſiti ſumus ad pœnitentiam, devotionem, aliaſque pias exercitationes. Sancti nos docuerunt modum Dominicum diem celebrandi. S. Gregorius Nazianzenus ait; Feſtos dies celebremus, non quidem omnigena magnificarum veſtium pompa; non conviviis, & ebrietatibus, quarum fructus ſunt, ut noſtis, impudicitiæ, ſed puritate, & gaudio ſpiritus. Et S. Gregorius Magnus inquit, Dominicis diebus corporis laborem eſſe derelinquendum, & omnino Orationi vacandum, ut ſi qua in re per hebdomadam defecerimus id precibus, ac pietate Sancto hoc die reparemus. *Ex Theologis.*

Præcipit etiam Eccleſia, ut quoſdam Feſtos dies celebremus, quemadmodum Dominicam: ut autem illos ſancte (Eccleſia præcipit ut dies Feſtos, non ſecus ac Dominicos ſanctificemus.) traducamus, a ſervilibus operibus abſtinere debemus, & eos in Dei honorem impendere; verbo, faciendum nobis eſt, quod diximus faciendum die Dominico, & hoc modo aſſequi debemus ſpiritum cujuslibet ſollemnitatis. Interdictum hoc, quo vetat Eccleſia, ne quis Feſtis diebus operetur, nequaquam oppoſitum eſt Dei præcepto dicentia: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septima autem die Sabbatum Domini tui eſt.* Hæc enim verba non aliud ſignificant, niſi vulgo in hebdomadæ curriculo, ſex eſſe dies labori deſtinatos, unum vero deſtinatum eſſe ad requiem Domini celebrandam. Sed verba hæc non excludunt obligationem abſtinendi, ab omni opere ſervili diebus Feſtis, qui præter ordinem accidunt in hebdomadæ ſpatio. Ita Deus ipſe interpretatus eſt in ipſo Exodi libro, ex quo hæc verba deſumpta ſunt; liquet enim ex eodem, nonnunquam infra hebdoma-

dam accidiſſe Feſtos dies, quibus vetitum erat operari, non ſecus ac die Sabbati. Quæ reſponſio confirmatur cap. 23. Levitici. In hoc enim Capite, poſtquam Moyſes eadem repetit verba, recenſet dies Feſtos, quibus operari erat neſas. Hæ porro Feſtivitates erant Paſchatis, Pentecoſtes, Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, & Cœtus. *Ex Theologis.*

Poteſtas, quam habet Eccleſia inſtituendi, & præcipiendi Feſtorum celebrationem.

Si Eccleſia Judaica facultatem habebat inſtituendi Feſtos dies, quibus interdiceretur opus manuum, potiori jure hanc habere debet Chriſtiana. Hoc probatur per Sacram Scripturam, ubi nanciſcimur, poſt legem latam plures inſtitutos fuiſſe dies, & in Evangelio videmus, JESUM CHRISTUM celebraſſe unam ea hujuſmodi Feſtivitatibus, diem videlicet Dedicationis Templi, inſtitutum a Judæorum Synagoga, rerum ſumma tenente Juda Machabæo. Jus autem præcipiendi Feſtorum dierum celebrationem pertinet ad Epiſcopos, qui a Deo præpoſiti ſunt regimini Eccleſiæ, & fidelibus gubernandis, ſecundum ea, quæ S. Paulus ait Actorum capite vigeſimo; atque inter dies Feſtos, qui hodie celebrantur in Eccleſia, non deſunt nonnulli ex Apoſtolica Traditione profecti, qui in memoriam Myſteriorum JESU CHRISTI celebrantur; & alii, quos tota conſtituit, vel recepit Eccleſia poſt illud tempus. Denique ſunt etiam aliqui, quos quivis Epiſcopus præcipit in ſua diœceſi. Tenemur autem non minus hos celebrare, quam illos, & noſmet conformare iis, quæ per Paſtores conſtituta ſunt, & ab Eccleſiis particularibus obſervata, ubi quiſque invenitur; tenemur quippe ædificare Fideles, & obedire Paſtoribus ad quos pertinet ſingulos in Eccleſia ſua jus dirigendi modum, ac tempus Cultus Divini. Omnes igitur dies Feſti ad Deum colendum, & fideles erudiendos inſtituti ſunt: quod facit Eccleſia celebrans præcipua noſtræ Religionis Myſteria, inſtaurando memoriam Deiparæ, & Sanctorum, in quibus effecit Deus, ut magis eluceſcerent dona ſua, eique gratias agendo. Quapropter aſſequi poſſumus ſpiritum harum ſollemnitatum, meditantes Myſteria, quæ colit Eccleſia, vel virtutes Sanctorum, quos nobis imitando proponit; & per hos dies ſacros, non ſecus ac diebus Dominicis ſanctis noſmet operibus exercentes. *Idem.*

Dominicis diebus oſtendere debemus per pietatem noſtrã quam Religionẽ ſimus amplexi.

Nobis efficiendum eſt, ut ex pietate noſtra innoteſcat, quam Religionem amplexi fuerimus; hic enim Dei finis eſt in Sanctorum horum dierum inſtitutione. Si infideles non ſunt teſtes modicæ devotionis noſtræ, non deſunt fideles, qui inde ſcandali occaſionem arripiant; & alii ad exemplum noſtrum ſeſe in ſua licentia confirment. Nos ipſi ſcandalizaremur, ſi quem videremus palam opus ſervile, & mechanicum exercentem: & nihilominus hæc una tantum eſt præcepti pars ab opere abſtinere! pars autem altera in eo ſita eſt, ut hos dies traducamus in pietatis actionibus. Avaritia ad alterius violationem impellit, licentia vero ad alterius. Deus autem utrobique, ex S. Auguſtini ſententia, æque læditur. Ait enim: cuinam rei vacabo, quandoquidem operari nefas eſt? Sed hoc quærere, Deum eſt irridere. Si Divinum Officium, ſi ſermo, ſi Aſceticorum librorum lectio ſatis tibi non ſunt; non ne ſunt adeunda noſocomia, & ægrotantes inviſendi? Nulla Caritatis opera exercenda? Etſi eges ſolatio, ut corpus totius hebdomadæ laboribus deſatigatum reficias, non ne aliud ſanctificare potes, præfigens deambulationibus tuis locum aliquem celebrem populi affluentia, ac devotione? Pios homines viſita; ex quorum ſermonibus, & colloquiis ſanctior redeas; Pauperes in partem accedant conviviorum Caritatis, ſi mavis primorum Chriſtianorum praxim imitari. Hoc erit tunc totum adimplere præceptum, hoc erit, præſtare Deo debitum honorem, & cultum, ædificare proximum per hæc pietatis monumenta, ac tandem in lucro ponere ſanctos hoſce dies ad beatam æternitatem promerendam, quæ vera feſtivitas, æternaque requies vocatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sanctus Domini Dies per cæteris eſt excellentiſſimus.

Quamvis omnes dies facti ſint manu Dei, qui ex nihilo illos eduxit, quo etiam redeunt celerius quam in mare flumina; non ideo tamen eadem eſt omnibus excellentia, neque omnes eadem a nobis ſimilia requirunt officia. Sancto Dominicæ die ſua Deus opera inchoavit: Angeli non ſecus ac Mundus illum nativitatis ſuæ die confitentur, & colunt. Illum venerabantur idololatræ, antequam Chriſtus eſſet, eumque collocarant in clientela Regis Syderum, Solis diem appellantes; quaſi innuere voluiſſent ipſum inter dies æque, ac Sol inter Aſtra micare, qui Princeps erat, & ceterarum dierum. *Ex libro cui titulus: Familia Sacra patris Joannis Corderii Tomo* x.

Quom diem ſanctificare teneantur Chriſtiani.

Memento, ut diem Sabbati Sanctifices; ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt; non facies omne opus in eo. Incipit Deus per hæc verba *Memento:* ut intelligant Judæi, Præceptum, quod irrogaturus erat, eſſe confirmationem ejus quod ſine interpolatione obſervatum fuerit a Mundi principio per Dei juſſum, qui per hoc præceptum imperat, ut ſpeciali modo Sabbati dies ſanctificetur; videlicet dies quietis Dei; dies, quo ceſſavit a novarum creaturarum productione. Deus enim impendit ſex dies in creatione Mundi, & ſeptimo die requievit .... Verum eſt in lege veteri Sabbatum ſanctificari conſueviſſe, ſed Eccleſia per JESUM CHRISTUM edocta, & Spiritu ſancto afflata diem hunc in Dominicum convertit; ita ut pro die ultimo primus ſanctificetur, qui dies Domini appellatur. Hanc vero mutationem per Dei Spiritum Eccleſia operata eſt. Hoc per Traditionem accepimus, cujus aliquod in Scripturis extat veſtigium. S. Paulus ait Chriſtianos cœtum facere conſueviſſe die primo hebdomadæ. S. Joannes in Apocalypſi ait, ſibi die Domini, quem Dominicum interpretamur, revelata fuiſſe futura; ſed loci iſti non probant Sabbati obſervantiam in Dominicæ diem fuiſſe translatam. Mutationem hanc nonniſi per Traditionem cognovimus, perennemque omnium terrarum orbis Eccleſiarum conſuetudinem. Inutile eſt hujus Traditionis probationes afferre; Proteſtantes ipſi nobiſcum conſentiunt. Factum negari non poteſt, Sabbati obſervantiam in Dominicum diem tranſtulit Eccleſia; quia Dominico die reſurrexit JESUS CHRISTUS & quia per hoc ingredi cœpit in requiem ſuam, poſtquam opus Redemptionis noſtræ conſummavit. Ita etiam die Dominico Spiritus ſanctus miſſus fuit ſuper Apoſtolos, & ſuper Eccleſiam, *Ex Theologis.*

Eccleſiæ poteſtas Feſtos dies inſtituendi.

Nemo unus ignorat, Eccleſiam habere poteſtatem inſtituendi Feſtos dies, & cogendi nos ad eorum obſervantiam. Ecce autem quænam extiterit praxis apud antiquos. S. Athanaſius loquens de Virginis Annuntiatione, quæ incidit in quintam Martii diem ſupra vigeſimam ita inquit: Feſtum Annuntiationis Mariæ unum eſt ex Feſtis Domini noſtri, ideoque ex præcipuis, & ſedulo obſervandum, quandocumque nobis exhibet adventum Domini Redemptoris noſtri ſuper terram. S. Gregorius Nyſſenus in Oratione Domini noſtri, Deiparæ, & Simeonis Juſti, ait, a nobis celebrari Præſentationem Filii, & Matris Purificationem eodem die, quo verbum æternum, cum eſſet adhuc infans, cum Sancta Genitrice ſua ivit in Templum. S. Cyrillus Jeroſolymitanus de eadem ſollemnitate ſcribit: Hodierna die congaudere, fideles cum Angelis, illuminamur cum Paſtoribus, adoramus JESUM CHRISTUM, celebramus hanc Feſtivitatem cum tota civitatem Bethlehem; occurrimus JESU CHRISTO cum Simeone, ſanctificamur cum Templo, & ſollemnitatem cum Virgine Sancta perficimus. Sanctus Joannes Chryſoſtomus Oratione in diem Feſtum Annuntiationis; Hodierna die, inquit ille, novo afficimur lætitiæ ſenſu: Angelus enim loquitur ad Virginem, quemadmodum Serpens locutus fuerat ad Mulierem. Origenes docet, jure in Eccleſiam Innocentium memoriam celebrari ſecundum Ordinem Sanctorum, quandoquidem primitiæ Martyrum pro Domino noſtro immolatæ fuerunt; & libro tertio in Job animadvertit, Eccleſiam gratulari ea die, qua Sancti ex hoc Mundo exceſſerunt, cum Ethnici luctu proſequantur Mortem conſanguineorum ſuorum; quia, inquit ille, ab omnibus doloribus liberantur, a tentationibus immunes fiunt, & per aditum mortis ingrediuntur ad vitam. Euſebius Alexandrinus Homilia de honore Sanctis debito, ait, nos Feſtos illorum dies celebrare, ut per illos preces noſtræ exaudiantur a Deo. Conſtantinus Magnus, Euſebio teſte, peculiare tulit Edictum, quo imperavit, ut dies ab Eccleſia in memoriam Martyrum dicati, tamquam proprius Dominicæ dies obſervaretur. S. Baſilius in Homilia de Sancta Julia, exponit, quem in finem ipſe illis propoſuiſſet hunc diem ſollemniter celebrandum; & in ea quam elucubratus eſt in Martyres quadraginta, ſuos hortatur Auditores ad inſtaurandam, augendamque devotionem ſuam juxta numerum eorum, quorum memoriam celebrabant. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione tertia, quæ prima fuit contra Julianum invectiva, quærit ea eo, utrum reformidaverit victimas, quæ immolatæ fuerunt pro JESU CHRISTO, videlicet SS. Joannem, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, alioſque, qui tanta cum ſollemnitate celebrantur, & qui dæmones ejiciunt, & curant infirmos. S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia quadam ait, memoriam S. Philogonii Martyris ſibi linguam ſolviſſe, & aperuiſſe labia; & in ſexageſima ſexta ad populum Antiochenum quærit, ut ſibi oſtendatur locus, & dies, quo obiit Alexander; docens Mundum nequaquam tantum deferre honorem ſervientibus ſibi, & ſectatoribus ſuis, quantum Deus fidelibus ſervis ſuis largitur; neque enim ſatis eſſe putat illuſtres eorum perſonas efficere, verum etiam illorum oſſa, ſepulcra, monumenta, ipſoſque dies coli jubet, qui illorum memoriæ dedicati ſunt. *Inſtitutio Catholica Patris Creton.*

Sententiæ SS. Patrum de ratione celebrãdi Dominicam.

Sozomenus narrat, Populum Antiochenum quotannis celebraſſe diem, qua S. Petrus ipſorum Epiſcopus Martyrium ſuſtinuerat, & Theodoretus recitat honorem, quem cives Antiocheni adhibebant quotannis S. Juventino, & Sancto Maximiano Martyribus. Sanctus Cyprianus de quibuſdam Martyribus verba faciens ita loquitur. Offerimus, ſicut noſtis, Deo ſacrificia, quotieſcum-

ſumque Martyrum paſſionem celebramus, eorumque memoriam recolimus. S. Ambroſius occaſionem deſumit ſcribendi librum primum de Virginibus; contigit enim, ut ea die, qua calamum ſumpſit ſcripturus, Eccleſia Sanctæ Agnetis feſtum diem celebraret. S. Hieronymus autem in Epiſtola undevigeſima *ad Euſtochium* memorabilem hanc profert ſententiam; ridiculum eſſe honorare velle Feſtos Sanctorum dies conviviis, & epularum copia, cum ſciamus hos Sanctos, quorum memoriam colimus, Dei gratiam ſibi fuiſſe promeritos jejunia, & abſtinentiis. Tertium Carthaginenſe Concilium permittit legi Martyrum hiſtoriam, die anniverſariæ ſollemnitatis ſingulorum. S. Auguſtinus elucubratus eſt ſermones de Feſtis Sanctorum, qui hoc nomine vocabantur; & in vigeſimoprimo, qui eſt de S. Joanne Baptiſta, poſtquam tradidit, quomodo Sanctorum memoria ſit celebranda, adjicit: *tunc S. Joannes poterit nobis, quidquid cupierimus, impetrare*; ſi die Feſtivitatis ſuæ nos invenerit ſobrios, pacificos, caſtos, & honeſtos. Hæc eſt ratio prima propter quam voluit Spiritus ſanctus in Eccleſia plures eſſe dies Feſtos, ut nobis facilius ſit imitari actiones eorum, quorum vitam, mortemque colimus; quod ipſe etiam docet S. Chryſoſtomus in oratione de Martyribus. Ratio altera eſt, ut colamus, quod Deus ipſe colit; ac tertia, ut Deo gratias agamus gloriæ, quam illi placuit Sanctis conferre. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton*.

Præcepit Deus, ut Dominicum diem celebraremus. Ars ſeveras erga eos, qui hoc facere negarunt.

Tertio præcepto ſuo præcipit Deus, ut religioſe Sabbatum obſervemus, quod pro Chriſtianis eſt Dominica, quo Deo ſingulariter ſervire debemus abſtinentes ab omni opere ſervili. Et profecto homo reddere deberet Creatori ſuo omnia obſequiorum genera quovis tempore, & ſine ulla intermiſſione: Sed infirmitas ſua & humanæ vitæ neceſſitas cum hoc non patiatur; voluit Deus per bonitatem ſuam huic indulgere infirmitati, & unum in hebdomada connotare diem, quo homo peculiariter vacaret cultui ejus ad tempus ceſſans a laboribus ſuis. Imperavit Deus Judæis ut Sabbatum obſervarent; Illis autem diem illum præſcripſit duplici ex cauſſa, primum quia perfecit Deus Mundi ædificium die Sabbati, ideoque voluit, ut dies illa ſanctificaretur in memoriam Magni illius beneficii creationis Mundi; præterquam quod hoc profuturum erat ad evertendum quorumdam Philoſophorum errorem, qui ajunt Mundum ſemper fuiſſe, hanc enim celebrando Feſtivitatem in memoriam creationis Mundi, tenemur confiteri, ipſum aliquod habuiſſe principium. Ratio altera eſt, Deum voluiſſe, ut eum homo ſervos, & jumenta ſua ſex integris hebdomadæ diebus laboribus fatigaverit, ſeptima die, quæ Sabbatum eſt, ceſſare permittat; & ita domini addiſcant mites eſſe erga operarios ſuos, & ipſorum quoque brutorum miſereantur. *Ex Theologis*.

Jure Eccleſia diem Sabbati convertit in Dominicum.

Chriſtiani diem Dominicum ſervant, non autem Sabbatum; jure enim ſuo Eccleſia Sabbatum in Dominicum transtulit; quemadmodum Dominus Noſter plures alias cæremonias veteres in alias meliores mutavit; veluti Circumciſionem in Baptiſmum, & Agnum Paſchalem in Sacramentum. Hoc autem merito factum dico; ſi enim Sabbatum celebrabatur in memoriam creationis Mundi, quoniam ea die opus conſummatum fuit, potiori jure Dominica celebratur in memoriam ejuſdem creationis, quæ die illa cœpit initium; & ſi Judæi dicabant Deo poſtremum hebdomadæ diem, rectius faciunt Chriſtiani, qui primum eidem devovent. Præterea Dominica facit, ut reminiſcamur trium præcipuorum Myſteriorum Redemptionis noſtræ; nam JESUS CHRISTUS natus eſt die Dominico; eodem reſurrexit, eodemque ad nos miſit Spiritum ſanctum. Denique Sabbatum ſignificat requiem, quam animæ juſtæ olim habebant in lymbo ante adventum Domini noſtri; & Dominica ſignificat gloriam, qua eædem animæ ſanctæ modo fruuntur in Cælo, & qua corpora etiam aliquando ſunt perfruitura. Sed Judæi celebrabant Sabbatum, quia poſt mortem pergebant in locum quietis ſuæ; Chriſtiani vero debent Dominicam celebrare, quia morientes ſperant ſe gloria æterna gaviſuros. *Idem*.

Abuſus triplex dierum feſtorum.

Feſtorum dierum celebratio magnum eſt medium ad acquirendam virtutem, eamque amplificandam; quamobrem potiſſimum commendatur. Ideo moneo vos, ut digne hoc perfungamini officio, & ne patiamini vos rapi plurimorum exemplo, qui Sanctos polluunt dies, quos alii quidem traducunt in temporalibus negotiis ſine reverentia, & promiſcue, ſicut profaniſſimos: Alii eos in otio, & inanibus recreationibus trahunt; quaſi dies Feſti ſolum instituti fuiſſent propter ſolatia, minime cogitantes, ſi jubemur per hos dies ab opere ceſſare, hoc fieri, ut mentem cæleſtibus, ſanctiſque cogitationibus occupemus; aliter enim dies Feſtos carnaliter obſervamus, ut Sanctus Auguſtinus ait, Judæorum ritu, qui Sanctorum dierum quiete abutuntur, ut male agant, & qui minus eſſent nocentes, ſi tota die terram ſinderent, & occarent, quam illam in gaudiis immodicis impenderent. Alii dies Sanctos adhibent in iis, quæ mala ſunt, in commeſſationibus, ebrietatibus, obſcœnis ſermonibus, rixis, ſpectaculis, alea, aliiſque id genus vitiis, quæ Dei Feſtos immutant in dæmonis ſollemnitates, propter quas dæmones lætantur, & gaudent, quemadmodum, Scriptura teſte, Deus illas exceratur, & perhorreſcit. *Gobinet in Inſtitutione Adoleſcentia*.

DE QUADRAGESIMALI JEJUNIO,

ET ILLIUS OBSERVANDI RATIONE.

MONITUM.

Jejunium Quadrageſimale, & hoc tempus pœnitentiæ dicatum adeo vetus eſt, adeoque probatum in Eccleſia Catholica, ut non ambigitur, utrum praxis hæc ab Apoſtolis proficiſcatur, qui a JESU CHRISTO juſſi ſunt inde præceptum ſtatuere; quandoquidem ſecundum S. Auguſtini regulam, & doctrinam, cum Sancta alicujus conſuetudinis origo ignoratur, quæ omni Chriſtianæ Religionis tempore viguit, præſumendum eſt, illam inſtitutam fuiſſe a diſcipulis Salvatoris juſſu Præceptoris. Hinc mandatum quadrageſimalis Jejunii, ex Doctorum ſententia partim eſt Divinæ Inſtitutionis, partim Apoſtolicæ, ſed indictum, atque præſcriptum ab Eccleſia, quæ inde unam ex præcipuis legibus ſuis irrogavit. Etenim quamvis diverſo modo pro temporum varietate in Eccleſiis particularibus lex hæc fuerit obſervata; eſſentia præcepti conſtans ſemper permanſit. Quibus addi poteſt, præceptum hoc impugnari a ſolis Hæreticis pœnitentiæ inimicis, cujus pars ferre præcipua Jejunium eſt. Non defuerunt tamen alii Hæretici, qui de illius neceſſitate convicti, veluti Tertullianus, qui lapſus eſt in errorem Montani, præcepta ad exceſſum uſque pertulerunt, ac plures Quadrageſimas inſtituere conati ſunt, ut ſuos errores probarent.

Error hic non admodum proceſſit; neque hodierna die ultra metuendus eſt: Quandoquidem Chriſtianorum mortificationes in alterum extremum lapſæ ſunt; aliorum quidem propter Aſſertam immunitatem fallacibus innixam cauſſis; aliorum per delectum epularum; aliorum per præoccupationem temporis, quo licitis utuntur; aliorum denique per intemperantiam, quam mundanorum uſus invexit cum Eccleſiæ contemptu, quamvis illa plurimum laxaverit de priſca ſeveritate, per indulgentiam, qua uſa eſt erga filios ſuos.

Caſuiſtis, Doctoribuſque relinquimus ſtatuendum quid in hoc argumento liceat, quid ſecus, recentem Concionatoribus ſuppeditaturi rerum copiam præter eam, quam attulimus Tomo Bibliothecæ Concionatorum, ſub Titulo de Jejunio.

DE QUADRAGESIMALI JEJUNIO.

EJUSQUE OBSERVANDI RATIONE.

Tempus Quadrageſimæ tempus eſt acceptabile, & dies ſalutis propter exercitia pietatis, maxime vero Jejunia, quæ ibi ſervantur.

TEMPUS Quadrageſimæ illud eſt, Auditores, tempus acceptabile, ac tempus illud ſalutis, de quo loquitur Apoſtolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Itaque & Eccleſia ipſa peculiarem ſibi ſumit curam, filios ſuos perſuadendi ad dies hos ſancte traducendos, excitans illos ad omnia pietatis exercitia, quæ nobis promereri poſſunt gratias omnes, & miſericordias Domini, & beneficia Sancto huic tempori inhærentia. Hoc autem potiſſimum tempore nobis Eccleſia præſcribit Jejunium; Jejunium, inquam, quod alii vocant animarum noſtrarum alimoniam, alii vitiorum omnium medicinam, & alii virtutum omnium theſaurum; Jejunium quod tot ignavi Chriſtiani reformidant, quod tot homines æquo licentiores prophanant, & quod omnes noviſſimorum ſæculorum hæretici impugnant, tamquam libidinis hoſtem, & omnium corporis oblectamentorum oſorem. De hoc inquam Jejunio hodierna die apud vos verba facere aggreſſus ſum, ut vos hortarer ad præceptum hoc religioſe ſervandum, quod hodierna die ſcopulus eſt, in quem plurimi alliduntur, quorum aliqui ſibi ob nimiam mollitiem indulgent; & alii medium ſalutis ſuæ in cauſſam interitus, & damnationis convertunt. Quovis tempore, Auditores, Jejunium ita fuit commendabile, ut antiquæ legis Sancti, non ſecus ac novæ illud potiſſimum dilexiſſe, & tamquam dilectiſſimam ſibi virtutem propoſuiſſe videantur, & prout illorum Sanctitas crevit, eorum abſtinentiam per jejunia arctiora, & admirabiliora enituiſſe. Diceres etiam ſecundum Tertuliani ſententiam, abſtinentiam, quam Pater hic Jejunii partem appellat: *Portionale Jejunium*; abſtinentiam inquam primam eſſe virtutem, quam exegit Deus ab homine ex ipſo ſæculorum primordio, tamquam primum innocentiæ, & ſanctitatis obſequium: Primamque legem, quam primis Parentibus noſtris impoſuit, & quam illi violare non potuerunt, quin ſecum in excidium omnem ſuam poſteritatem perducerent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Tertull. l. 5. de Jejunio.

Hæretici inficiari non poſſunt Jejunium a Deo ipſo inſtitutum fuiſſe.

Hæretici negare nequeunt, univerſam, veterem, recentemque diſciplinam ſtare contra ſe; Judæos quoque habuiſſe Jejuniorum dies, & tempora ſeveræ abſtinentiæ ſacræ; JESUM CHRISTUM dies quadraginta, totidemque noctes jejunaſſe: Apoſtolos, & plurimorum ſæculorum Patres, vel tantumdem temporis jejunaſſe, vel ſanctam Quadrageſimam inſtituiſſe, ita ut quod eſt divinæ inſtitutionis in ſubſtantia, quoad modum ſit de Jure poſitivo Eccleſiaſtico: Nequeunt inficiari, primos fideles per Quadrageſimam carnibus abſtinuiſſe, & ſemel tantum in dies ſingulos comediſſe; Concilia de induſtria Canones conſtituiſſe; ſanctam hanc Jejunii praxim ab omnibus fidelibus tam in Urbibus, oppidiſque, cum in deſertis obſervatam fuiſſe, in aulis Principium non ſecus ac in Cœnobiis, & hanc conſuetudinem, ac præceptum ad nos uſque migraſſe per traditionem, quam in dubium non audent arceſſere. *Ex Sermonibus Moralibus, T. 2.*

Relinquamus Hæreticos in reprobo ſenſu; in illis enim adimpletur veritas verborum Prophetæ Regis: *In labore* pœnitentiæ *hominum non ſunt; & cum hominibus non flagellabuntur*, ſeſe per Jejunium mortificantes: *ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Sed væ illis: inſurrexerunt in matrem ſuam teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. *Ibidem.*

Prophetæ verba, quibus damnantur Hæretici nolentes ſeſe mortificare Quadrageſimali Jejunio.

Pſalm. 72. 26.

Facile aſſequemini myſticam hanc Jejunii proprietatem, ſi duo ſupponas. Primum hanc peccatorum illuviem, quæ omnem ſere terram ſubmergit, proficiſci a carne rebelli, & indomita, quæ captivat ſpiritum, eumque invitum tenet ſub jugo. Alterum eſt, Jejunium potiſſimum inſtitutum fuiſſe ad carnem mortificandam, eamque tractandam, velut jumentum, cui parum cibi, ſed multum oneris, ac verberum datur. His enim poſitis ſequitur, Jejunium, Quadrageſimale vero præſertim, ad carnem macerandam inſtitutum, auferre illi, quidquid eam palpat, procurare quidquid illi incommodat, & quadraginta dies ulciſci rebellionem ejus; ſenſim, & ſine ſenſu illam cicurare, ne rebellet; ignem ejus, & cupiditatum illius impetum retardare, & Chriſtiano tantum virium in præliis conferre, ut ſpiritu Deo ſubjecto per illam, & corpore ſubjecto ſpiritui magis magiſque in tentationum fornace expietur, in quam ſua conſcientia, & dæmone conjicitur. *Idem.*

Duo illa, quæ facere poſſunt ut Jejunii proprietatem concipiamus.

Dæmon duobus capitalibus vitiis tamquam duobus terribilibus capitibus uſus eſt, ut de prima Mundi virtute victoriam referret; gula videlicet, ac ſuperbia: Cum enim homo duabus conſtet partibus, quarum altera Corpus eſt, & altera Spiritus; contra corpus gulam adhibuit, exhibens illi fructum vetitum; & contra ſpiritum ſuperbia uſus eſt, cogitationem, ac deſiderium immittens, quo Deo ſimilis fieret. Deus autem, qui ut Mundum ſalvum faceret, adhibuit conſilia iis penitus oppoſita, quæ illum perdiderant; Deus, inquam,

Jejunium eſt duobus vitiis contrarium, quibus dæmon primos Parentes tentavit.

non

non ſolum voluit, ut homines per pœnitentiam in viam ſalutis regrederentur; ſed præterea, ut nota, ſignum, & prima veluti belli declaratio, quod inferre volunt peccato per pœnitentiam, eſſet Jejunium, quod ſimul & corpus edomat, & humiliat animam. Ita Scriptura ut plurimum utrumque conjungit, tamquam duas virtutes, quæ invicem ſeparari non poſſunt, *Jejunavimus, & humiliavimus animas noſtras.* Hoc, iterum dico, me coegit, ut apud vos ſermonem inſtituerem de præcepto, quod Sancto hoc die nobis imponit Eccleſia, & de mediis ſanctificandi Jejunium, ut Prophetæ verbis utar: *Sanctificate Jejunium*, ne incidatis in malum eorum, de quibus S. Chryſoſtomus loquitur, qui in Jejunio ſuo, quæ unica fere eſt actio pœnitentiæ quam faciunt pro peccatis ſuis, recentia committunt peccata per alia Jejunia, aliaſque pœnitentias expianda. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Iſaia 58.

Quænam ſit obligatio Jejunii generatim & Quadrageſimalis.

Quod pertinet ad Jejunii obligationem, noſtis, nihil eſſe, quod Hæretici infenſius impugnent, nec quod pertinacius abolere conentur per inſolitum reformationis genus, quod abſcindit quidquid in Chriſtianiſmo auſteriſſimum eſt. Fatendum eſt tamen, non minus acriter ab ipſis impugnari Catholicis, non quod negent legitimam Eccleſiæ auctoritatem, a qua inſtitutum eſt, ſed propter difficultatem, quæ illos deterret, ne ſe ſubjiciant, ita ut quominus ſpiritus horret ſemel illi ſubjicere, eo magis intemperantia exemplo tot hominum in effrænem licentiam effuſorum, ac tot malorum Chriſtianorum roborata, in hæreticorum partes trahat. Operæ igitur pretium eſt ſemel hanc didiciſſe obligationem. Hæc deſumitur ſimul ex præcepto naturali, divino, atque Eccleſiaſtico, quorum quodlibet illam nobis imponere poteſt; quæ ſimul omnia illam vero Chriſtiano arctiorem reddunt, ac minus temerandam. *Idem.*

Cuinam innititur hæc obligatio.

Hæc autem obligatio innititur cuidam ſpeciei præcepti naturalis, & primæ legi, quam digitus Dei in cordibus omnibus impreſſit; & ratio eſt, quod poſt hominis primi peccatum naſcimur omnes cum miſera quadam in ſenſuum voluptatem proclivitate, & omnes ſubditi ſumus huic legi membrorum, de qua verba facit Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me ſub lege peccati.* Verbo, experimur omnes funeſtos effectus infelicis hujus concupiſcentiæ, quæ nos in malum impellit, & quæ tantum in nobis parit excidium. Propterea idem Apoſtolus vocat corpus noſtrum corpus peccati, hoc eſt corpus peccato ſubditum, quod toto pondere ſuo fertur in peccatum, & quod ſecum trahit in ſpiritum, niſi hic ſedulo inordinatum appetituum ſuorum curſum repreſſerit. Hinc ſequitur, quod quantum neceſſe eſt ſubjicere hanc corporis legem legi ſpiritus, tantum certandum eſſe ad auferenda hæc arma quocumque pretio huic inimico, qui noſtrumetipſorum partem conſtituit; ideoque validiſſima, eaque præſentiſſima media eſſe adhibenda. Ac conſtat domeſticum hunc inimicum abſtinentia infirmari, quemadmodum crapula, & dapum deliciis roboratur. Jejunio proſterni, quemadmodum edacitate reficitur, & denique quo magis corpori cibus ſubtrahitur, minus eſſe rebelle rationi. Inferendum eſt igitur, nos naturali præcepto teneri ad Jejunii obſervantiam, quamvis etiam aliunde non eſſet præſcriptum, & nos tamdiu, & tam frequenter obligari, quamdiu viget periculum ſuccumbendi ſtudiis naturæ corruptæ, quæ nos ad Dei legem infringendam impellit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

ad Rom. 7.

ad Rom. 6.

Veritas hæc probatur.
Hom. 8. in Gen.

Jejunium aptiſſimum eſſe medium ad coercendum hunc intemperantiæ appetitum, & hanc ſubigendam carnis rebellionem adverſus ſpiritum, hoc ſola debet docuiſſe experientia; cum corpus noſtrum ſit ſimile indomitis jumentis, quæ pinguedo efficit minus tractabilia ductori, qui illa aliquando feriari permiſit. Quo magis in mollitie, & otio quieſcit, opipare alitur, & ſaginatur; eo magis contra ſpiritum rebellat, quod Tertulliano locum præbuit dicendi, pertaro accidere luxuriam non eſſe cum gula conjunctam, quæ illam fovet, & nutrit: *Luxuria ſine gula monſtrum eſt*, videlicet res eſt inſolita, & fere ſine exemplo. *Idem.*

De Jejunio.

Jejunium inſtitiam reparat originalis Juſtitiæ, & quomodo.

Jejunium cum Sancto quodam viro vocari poteſt, originalis Juſtitiæ reparator; efficit enim in homine nonnihil eorum, quæ innocentiæ ſtatus operabatur, tenet appetitum rationi ſubjectum, reprimit cupiditatem, ac tandem præſens eſt antidotum contra peccata. Hoc ipſum ſentit Eccleſia, quæ inter Jejunii effectus omnia, quæ inde percipit, bona recenſet: *Qui corporali Jejunio vitia comprimis*, ut quadrageſimali tempore canit; neque aliæ inquirendæ ſunt cauſſæ, niſi quod infirmat corpus, dum roborat ſpiritum; domeſticum deſtruit inimicum, dum valide reſiſtit omnibus incurſibus exterioris; & ſi S. Chryſoſtomus appellat carnem noſtram dæmonem interiorem, qui noſtrummet partem conſtituit: *innatum dæmonem, omnia prava ſuadentem*, ego cum Salvatore dicere poſſum: *hoc genus non ejicitur, niſi in Jejunio, & oratione.* Hinc fit, ut qui Jejunium fugiunt, & quin hoc medio corpus edoment, id unum cogitant, quo pacto illud nutriant in deliciis ipſis præbeant arma inimico ſuo, quibus oppugnentur, & ſuperentur ſecundum præclara illa S. Cyrilli Alexandrini verba: *Tu das ſtimulos carni tuæ, tu eam adverſus ſpiritum armas, & potentem facis, cum eam ad omnes illecebras nutris. Idem.*

Jejunium receptum, probatumque fuit ſemper ab Eccleſia.

Si Jejunium eſt temporum omnium, ut ſupra oſtendimus; addere etiam poſſumus eſſe omnium locorum; Quoniam univerſe receptum fuit ab Eccleſia tota, quæ cum illo ſe extendit in Europam, Africam, & Aſiam, uti videmus in ſcriptis Sanctorum Patrum, qui illas rexerunt Eccleſias. Quamobrem S. Baſilius dicit, Jejunium annuntiatum fuiſſe in univerſa terra una cum eodem Evangelio, & nullam eſſe Urbem, vel Provinciam, vel Inſulam, vel Populum, vel ullum terræ angulum, quo præceptum de Jejunio ſervando nequaquam pervaſerit, & obſervatum non fuerit. Quid igitur reſpondere poſſunt hæretici, qui illud novum inventum appellant; Poſtquam idem S. Baſilius ævo ſuo teſtatus eſt, illum per antiquitatem ſuam jam fuiſſe Venerabilem; *Cujus veneranda eſt canities.* Quid ergo? quod conſtituerunt Apoſtoli; quod tota recepit Eccleſia omnibus ſæculis, & in omni Mundo; quod omnium temporum fideles obſervarunt, novum inventum vocabitur? Et ſuperſtitio erit facere, quod veteres Patriarchæ fecerunt? Quod ipſe Salvator exercuit, & cujus ipſe nobis primus in nova lege reliquit exemplum; & quod Sancti omnes exemplum ſecuti adhibuerunt tamquam medium ſeſe ad ſummum Sanctitatis apicem attollendi? Quid igitur vocabitur Religionem irridere, niſi ſcurrilis iſta hæreticorum noſtrorum reformatio nequiſſima impietate illam irridere cenſeatur? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Hom. de Jej.

Modus ſanctificandi Jejunii.

Non alia in hoc ſermone mihi mens eſt, niſi perſuadendi vobis Jejunii Quadrageſimalis neceſſitatem, oſtendendo quomodo ſolide innixa ſit validis argumentis, & docendi, quomodo digne munus hoc obire debeatis. Quamobrem relinquamus Hæreticos qui illam rejicient, tamquam praxim ſuperſtitioſam, & flagitioſos homines, qui illam repellunt, qui impune, & ſine ulla religione violant, & gradum faciamus ad ignavos fideles, qui crebro ſibi blandiuntur hac in re, ut illis oſtendamus modum præceptum hoc obſervandi cum merito, & rationem Jejunium ſanctificandi, ut quidam loquitur Propheta: *Sanctificate Jejunium.* Ad id ſatis eſt, reminiſci finis, quem ſibi propoſuit Eccleſia in prima ipſa Jejunii Inſtitutione; carnem videlicet mortificandi, & hoc pacto ſatisfaciendi divinæ Juſtitiæ, ut inferamus, Chriſtianis igitur obſervandum eſſe juxta hunc ipſum finem, atque conſilium, ideoque longe abhorrendum illis eſſe ab iis laxitatibus, quas prudentia carnis ſingulis diebus nanciſcitur. Quapropter quin deſcendamus ad minutam recenſionem earum rerum, quæ pertinent ad tempus, quantitatem, & qualitatem ciborum, quibus uti liceat, quod omnibus conſtat; generatim duntaxat dico, ad Jejunium ſanctificandum Eccleſiam nobis tria ſuggerere in precibus, quas Sancto hoc tempore fundit; primum illud ingrediendum eſſe pro vera pœnitentiæ cauſſa, & ut noſmet conformemus conſilio, quo ab ipſa inſtitutum fuit; ſecundo adjiciendam eſſe praxim virtutum, quæ ſuſtinent ipſum, ac illud concomitari debent; ac tandem hoc pœnitentiæ tempore vitam ducendam eſſe magis Chriſtianam, & regularem, abſtinendo a vitiis, quæ omne illius meritum coram Deo corrumperent. *Idem.*

Joel. 2.

Quam cauſſam prætexunt Mundi aſſeclæ, ut ſe a Quadrageſimali Jejunio diſpenſent.

Arbitretur aliquis ſe ſe neceſſarium eſſe Reipublicæ, neque ſibi ſatis eſſe virium, quibus adimpleat JESU CHRISTI legem, ſimulque profeſſionis ſuæ ſatisfaciat muneribus: Matrona quædam propter nobilitatem ſuam cenſeat, ſe magis indigere conſiliis Hyppocratis, quam ſalutaribus Evangelii inſtitutis; uterque audacter ad Confeſſarios, & Paſtores accedent gratiam petituri, cui vehementer dubito, utrum Deus ſit ſubſcripturus. Eccleſia profecto, quæ pia mater eſt, & de filiorum ſuorum interiori parte non judicat, petitam facultatem concedit; at quis reſpondebit mihi, utrum Deus, qui renes ſcrutatur, & corda eadem uſurus ſit indulgentia? Utrum quod tamquam mera habetur neceſſitas, ab illo tamquam noxia mollities reprobetur? Utrum; quod Miniſtri ipſius æqui, bonique fecerint; ab illo tamquam inanes, futileſque cauſſæ damnentur? Heu! Quam timeo, ne ubi accedente mortis articulo, de hac re interrogabimur, noſmet ſpe noſtra fruſtratos inveniamus, & Deus tot reproborum animibus dicturus ſit: Qua temeritate legem meam perfregiſtis, ac vobis licere voluiſtis Quadrageſimalem abſtinentiam violare? De Jejunii auſteritate veſtra auditur querela; verum illud ne inſtitui, ut nihil inde incommodum perciperetis? Neſciebatiſne, illos tantum, qui vim ſibi facerent, in Cælum eſſe ingreſſuros? & ad explanda tot, quot patraſtis facinora, amaro opus fuiſſe pharmaco, prolixis, auſteriſque ſatisfactionibus? Quis dixerat vobis: vos per aſſertam veſtram hanc nobilitatem ab officiis veſtris diſpenſari? Et quod non deerant vobis opes, & auctoritas, fas eſſe minus eſſe Chriſtianos, minuſque Eccleſiæ ſubjectos? Propter honores veſtros, atque pecunias poſſe vobis comparare jus me lædendi: me, coram quo omnes terrenæ poteſtates non ſunt niſi vapor exiguus,

qui

qui evaneſcit, flos qui eodem fere tempore, quo creſcit, exſiccatur? Quem Jejunare volebatis, quandoquidem voſmet a Jejunio immunes eſſe contendebatis? Si credebatis vobis profuturam cauſſam, vos familiæ veſtræ neceſſarios eſſe; quis non eamdem excuſationem adhibere potuiſſet? Et hoc poſito, quid fieret de lege mea, eaque ad quid redigeretur? Quoties vobis dictum eſt unum eſſe neceſſarium, & qui animam ſuam ſalvare voluerit, opus eſſe, ut perdat illam. Quoties fuiſtis admoniti, ne aſſertis neceſſitatibus veſtris aurem præberetis, in quibus omnia permittuntur mollitiei, & inordinatæ ſuimet philautiæ? Quot noſtis, qui cum nacti fuerint gracilliorem corporis conſtitutionem, ac minus firmam valetudinem, ſed majorem fidelitatem, ac Religionem, plures jejunarunt quadrageſimas, & pluribus ſeſe mortificationibus exercuerunt; quarum teſtes fuiſtis, & admiratores? Saltem vires veſtras experiri debebatis, & videre, utrum quod faciebant fideles illi in carne infirma, vos in robuſto corpore facere poſſetis; vos inquam, qui legi eidem ſubditi eratis; qui eorumdem Sacramentorum eratis participes, qui idem verbum Dei audiebatis, & qui eumdem Judicem præſtolabimini? Si ad captandam Principis alicujus gratiam, vel ad momenti alicujus negotium procurandum, aliquantiſper tibi jejunandum fuiſſet, eo uſque ut vires tibi deficerent, nonne id libenter, & æquo animo ſuſtinuiſſes; Ego vero, cujus amicitia ceteris quibuſcumque rebus tibi erat præferenda; ego, qui non petebam abs te niſi abſtinentiæ, & mortificationis tantum, quantum pati poteras, quin graviter tuæ officeret valetudini, per plures quadrageſimas vix unicum diei Jejunium obtinui. *Sermones Morales, Tomo 2.*

Exemplum S. Pauli efficere deberet, ut qui ſe a Jejunio diſpenſant, contremiſcerent.

Quod ſi S. Paulus caſtigabat corpus ſuum, ne rebellans contra ſpiritum cauſſa fieret ſuæ reprobationis; heu! quid vobis metuendum non eſt, qui tantum abeſt, ut illud ſubigatis, & redigatis in ſervitutem, pro qua factum eſt, illud ſubjicientes ſpiritui; ut illud mollitie excipiatis, & omnem curam veſtram impendatis, ut illius genio indulgeatis, eique omnia commoda procuretis? Quid inde vobis expectandum eſt, niſi jugem rebellionem contra rationem, quæ vos in omne flagitiorum, & libidinum genus pelliciat? Si Medico obſequeris diætam, atque abſtinentiam imperanti, ne pabulum præbeas febri, qua laboras, negabiſne idem remedium malo toto Cælo vehementiori? *Febris noſtra libido eſt*, S. Ambroſius inquit. Febris noſtra eſt ardor hic, & hæc violenta propenſio, quæ te in voluptates urget; hic mortalis eſt morbus, nec potes ambigere, & ratio ipſa te docet, Jejunium eſſe tibi præſens remedium. Heu! oſtende, velle te curari vere, dicens illa Salvatoris verba: *Anima plus eſt quam eſca*, opus eſt, ut alteram abſcindam, ut alterius ſecuritati proſpiciam;

Matth. 6.

& quamvis adhuc in lege Naturæ viveremus, hæc ſatis eſſet, ut nos deterreret ab imitatione primorum Parentum, qui ut ſuo indulgerent appetitui violarunt præceptum Domini ex vetito fructu comedentes, quin animadverterent, quot lacrymis, & ærumnis ſtatuta illis eſſet hæc inordinata voluptas, & ut perhorreſceremus factum Eſau infelicis, qui pro lentium edulio ſua vendidit privilegia cum bonis omnibus, quæ illis inhærebant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Jejunium Quadrageſimæ eſt de præcepto.

Quin iis malis immoremur, quæ gula parit, conſideremus potius Jejunium non generatim, ſed peculiariter tamquam tempori adnexum, aliiſque circumſtantiis, videlicet Jejunium quadrageſimale, & dico ſecundo loco, hoc eſſe de præcepto, & de neceſſitate, quæ eſt de jure poſitivo, & quæ innititur legitimæ auctoritati; & quæ non eſt mortalium inventum, ut hæretici prædicant, ſed, ut S. Ambroſius tenet, præceptum divinum eſt: *non humana cogitatione inventum, ſed divina Majeſtate præceptum.* Et conſtat ratio, quia Filius Dei dedit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem determinandi tempus, & circumſtantias præcepti, quod irrogavit de Jejunio in Evangelio; quod S. Auguſtinus perſpicue explicat in quadam Epiſtola, ubi ait, præceptum hoc eſſe partim divinæ Inſtitutionis, & partim Eccleſiaſticæ. Divinæ quidem Inſtitutionis eſt, quod Deus in veteri, novaque lege ſæpe præceptum hoc inſtauravit: *Ego in Evangelicis, & Apoſtolicis litteris, totoque inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum novum, video præceptum eſſe jejunium;* Canonicæ vero, & Eccleſiaſticæ, quia Eccleſia hos dies elegit quadraginta pro publico, ſollemnique Jejunio: Itaque alio quovis tempore jejunare medium eſt ad iram Dei mulcendam, & ſatisfaciendum pro criminibus noſtris; ſed non jejunare quadrageſimæ tempore, eſt iram hanc ſibi promereri tot peccatis, quotieſcumque hoc præceptum infringimus: *Aliis diebus jejunare*, idem Sanctus addit, *remedium eſt, in quadrageſima non jejunare, peccatum eſt.* Jejunium ergo quatenus illud nobis præcipit Deus, illud eſt, quod de jure divino in hoc præcepto invenitur; tempus vero, modus, aliæque hujus Jejunii circumſtantiæ, hæc ſunt de jure Eccleſiaſtico; ceterum cum Dei Filius hanc reliquerit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem determinandi tempus, & circumſtantias, ut vera dicamus, dicendum eſt, Jejunium hoc eſſe præceptum, quod Deus per Eccleſiam nobis irrogavit; præter propter, uti videmus Salvatorem poſt

Ep. 86. ad Caſulanum.

inſtitutionem Baptiſmi, aliorumque Sacramentorum in iis, quæ pertinent ad eſſentiam, reliquiſſe Eccleſiæ curam præcipiendi peculiares circumſtantias, quæ ſubſtantiam non mutant. Jejunium ejuſdem naturæ eſt; in nova lege non ſecus ac in veteri præceptum eſt tamquam remedium nobis neceſſarium; & Evangelium aperire ſufficit, ut de hac conſtet veritate; ſed quia quærendum ſemper eſſet, quando, & quomodo, & uſquequo præceptum hoc extenditur, opus eſt, ut hoc peculiariter ab Eccleſia ſignificetur. *Idem.*

Ratio ſervandi Jejunium olim auſterior erat, quam modo ſit.

Jejunii ſervandi ratio pro ſæculorum, ac temporum varietate mutata fuit: aliis quidem temporibus Eccleſia fuit auſterior, aliis vero indulgentior, & praxim pro caſuum varietate, & qualis modo eſt, talem ipſa probavit Eccleſia. Sed quamvis Hæreticis concederemus, Eccleſiam tantum hoc irrogaſſe præceptum, quamvis illa ſtatis tantummodo temporibus affixerit, atque determinaverit, Dei Filius nonne omnes Chriſtianos Eccleſiæ ſubjecit? *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Hanc agendi rationem Epicureis condonarem; ſed iis, quorum mens eſt Eccleſiam reformare, videlicet illam ſanctiorem efficere, nonne hoc eſt palam in reprobum ſenſum incidiſſe? Sed me miſerum! Hæretici nequam ſoli ne ſunt Jejunii quadrageſimalis oſores, & inimici? Diſſoluti partes eorum communiunt; & profecto mirari non oportet, ſi mortales, quorum Deus venter eſt, ut Apoſtoli verbis utar, tanto ardore cauſſam ſuam tuentur, & inſurgunt contra Jejunium, tamquam hoſtem infeſtiſſimum; & ſicuti licentia ubique nanciſcitur ſuffragatores ſuos, paſſim occurrunt id hominum genus, qui per deriſiones ſuas æque fatuas, ac impias, & ridiculas quæſtiones ſeſe ex eorum numero profiteantur, quos S. Paulus Crucis JESU CHRISTI Chriſtianæque mortificationis inimicos appellat, quorum calamitatem nonniſi ſummo cum dolore, ſuffuſiſque lacrymarum imbre oculis cogitare non poteſt. *Nunc autem, & flens dico, inimicos Crucis CHRISTI; quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Matth. 18.

ad Philipp. 3.

Hæretici Jejunii inſtitutionem irrident.

Cui bono, inquiunt hæretici, hæc Jejunii inſtitutio? Et quid animæ prodeſt hæc corporis mortificatio? Nunquid Deus nobis dedit carnes, ut ab earum eſu abſtineremus? Et fortaſſe, quo macilentiores ſunt, ſunt etiam ſanctiores, & Deo acceptiores? Video equidem, Auditores, ſicuti hæc Religionis officia, ita & ejuſdem placita, nunquam fixerunt crucem his hominibus in omnem licentiam effuſis, qui omnia illius ignorant principia, & qui omnes curas, cogitationeſque ſuas collocant in corporum ſuorum voluptatibus, ita eos nunquam intellexiſſe magnum illud ſubſidium, quod anima ex Jejunio poteſt percipere: illis igitur reſpondebo, ſicuti naturale præceptum jubet nos uti jejunio, tamquam antidoto quodam contra peccatum, ita Eccleſiam illud nobis præſcribere tamquam præceptum ad illius expiationem; quoniam inter actiones pœnitentiæ Jejunium ſemper primum locum obtinuit. Ratio eſt, quia pro corpore, & per corpus pleraque committuntur peccata; & anima plerumque illis non aſſentitur niſi ut corpori pareat. Hoc rationem fallit, hoc mentem excæcat, & animam conſortem efficit delictorum ſuorum, efficiens, ut hæc ab illa probentur; Igitur ſi pœnitentia rationem habere debet cum peccato; & ſi hic ordo eſt cujuſcumque juſtitiæ, optime inſtitutæ, ut qui nocentior eſt, graviori pœna puniatur; ideo pœnitentiæ nomine plerumque intelligitur, auſteritas, quæ in corpus exercetur. Sed omnes inter auſteritates, illa, quæ magis ſubigit corpus, proculdubio Jejunium eſt, non ſolum, quia, ut dictum eſt, ſeſe omnibus membris communicat, illa infirmando, ſed etiam quia eum privet nos innoxia, & naturali voluptate, quæ in uſu alimentorum invenitur, pœna majorem habet rationem cum peccato, quod vulgo per voluptatem committitur. *Idem Auctor.*

Quadrageſimæ tempus eſt pœnitentiæ, & qui Jejunii inimicus eſt, inimicus eſt pœnitentiæ.

Dicere poſſumus, quicumque inimicus eſt Jejunii, conſequenter inimicum eſſe pœnitentiæ, quæ deſtruit peccatum, & quæ hujus remedium eſt. Cum ergo Sanctum hoc Quadrageſimæ tempus peculiariter conſecratum ſit pœnitentiæ, ſecundum mentem Eccleſiæ, quæ illud inſtituit ad plorandam mortem Salvatoris, meliuſque diſponendos Fideles Paſchali Communioni; velle ſine legitima cauſſa diſpenſari, hoc eſt diſpenſari velle a Dei ſatisfactione poſt peccatum. Tandem enim Jejunium eſt veluti ſpecies aliqua publicæ pœnitentiæ, per quam omnes Chriſtiani in unum corpus colliguntur ad flectendam Dei miſericordiam: hæc eſt generalis purgatio totius Corporis Eccleſiæ compoſiti ex omnibus fidelibus; verbo, hoc tempus eſt, quod ipſa elegit ad ſedandam per ſollemne jejunium, & diutiorem abſtinentiam iram Dei, quam alio quovis tempore nimium irritamus. Ita ſenſerunt Sancti Patres ab ipſo Eccleſiæ primordio; ideoque hæc dici nequit recens inſtitutio, quemadmodum contendunt Hæretici, qui ſub hoc colore illam rejiciunt tamquam novum jugum, quod nullo jure fuerit Chriſtianis impoſitum. Criminationis hujus iniquitas efficit, ut tertio loco dicam, quamvis hæc obligatio non eſſet de jure divino, neque Eccleſiaſtico, tamen ſæculorum omnium

ſucceſ-

ſucceſſionem, locorum omnium conſuetudinem, & omnium particularium Eccleſiarum, quæ poſt inſtitutam Religionem extiterunt, veram legem efficere, & rationem ſatis validam eſſe ad conſtituendam obligationem hanc, cui omnes omnium temporum Chriſtiani ultro, ac libenter ſeſe ſubjecerunt; eo uſque ut Sanctus Hieronymus, & Sanctus Auguſtinus cum illius principium invenire nequiverint, argumentati ſint, eam ſupparem ipſi Eccleſiæ fuiſſe; ejuſque originem Apoſtolis acceptam referendam eſſe, qui illam Filii Dei juſſu inſtituerant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Jejunium non Eccleſiaſticæ tantum inſtitutionis eſt, verum etiam Apoſtolicæ.

Theologi omnes uno ore fatentur, Jejunium non eſſe tantum de Eccleſiaſtica inſtitutione, verum etiam Apoſtolica, quod in ſenſu quodam aliquid majus ſignificat. Quandoquidem inſtitutum fuit Eccleſiæ, ſed primorum Eccleſiæ fundatorum auctoritate, quorum videlicet auctoritas magis immediate profecta eſt e Salvatore, & quæ oſtendit, hoc non eſſe præceptum ſimplex, ſimplicemque devotionis praxim, ſed legem fundamentalem ejuſdem antiquitatis quam jactat Eccleſia; præceptum ab illis latum, qui primi extiterunt Miniſtri Evangelici; praxim, cui ſola vetuſtas legis vim deberet conferre, niſi aliud præceptum extitiſſet; quod S. Hieronymus dicere non dubitavit ante hanc diem ſæculo decimo tertio: *Unam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, congruo nobis tempore jejunamus.* Vetuſtiſſima Concilia, qualia ſunt Nicænum, quartum Punicum, & Laodicenum de hoc Jejunio tamquam inſtitutione quovis tempore recepta loquuntur, atque ut id repetamus ex ipſo originis fonte, Tertullianus ſæculo ſecundo hac in re adeo ſeverus erat, ut incideret in errorem Montani, & ſcripſerit adverſus Eccleſiam, ut illam tres obſervare cogeret Quadrageſimas, & ab eo didicimus modum, quo tunc temporis ſervabatur. S. Martyr Ignatius, qui Apoſtolorum ævo vivebat, non ſolum de hoc verba facit, verum etiam rationem adfert hujus inſtitutionis: *Quadrageſimam nolite pro nihilo ducere, continet enim imitationem dominicæ converſationis*; ac tandem non deſunt Canones ipſorum Apoſtolorum relati a S. Clemente, qui palam illam præcipiunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Ignatius Ep. ad Philip.

Quid faciendū, ut ſervetur Jejunium.

Primum quod faciendum eſt, ut muneri ſatisfiat Jejunandi, ſimulque Jejunium hoc ſanctificandi, eſt ſerio aſſequi ſpiritum pœnitentiæ; ad id enim inſtitutum eſt, & in hoc ſpiritu illud primi fideles ſervabant, qui non ſolum ſemel in die manducabant, idque ſub veſperam; ſed etiam qui ſolis erant oleribus, & leguminibus contenti, adeo ſcrupuloſa, vel religioſa potius obſervantia, ut qui cum hoc rigore ob cognitam, perſpectamque infirmitatem illud obſervare non poterant, non auderent pedem efferre domo, neque in publicum prodire, perinde ac ſemetipſos excommunicaſſent, vel indignos exiſtimaſſent qui cum ceteris converſarentur, quorum abſtinentiam imitari non poterant; vel potius perinde ac reformidaſſent ſe ſcandalum afferre fratribus ſuis Jejunium minime ſervantes propter incommoda, quæ minime prohibebant alios negotia ſua procurare; Sed Heu! quam raro hujuſmodi ſcrupuli inveniuntur? Quandoquidem tanta cum facilitate, & tam modica ex cauſſa nobiſcum diſpenſaremus. *Idem.*

Eluſio, qui committuntur ab iis in Jejunio, qui ſe illud ſervare profitentur.

Non loquor hoc loco de hominibus æquo licentioribus, qui violant impune Jejunium vetitis utentes epulis; de Fidelibus loquor, quibus ſatis eſt reliquum conſcientiæ, ne illud cum impietate polluant; ſed qui non ſervant modum in quantitate; quorum nocturnæ cœnulæ aliis eſſent convivia; ita ut amota pœna quæ ſita eſt in fame perferenda, non amplius Jejunium ſit, neque abſtinentia, ſed epularum mutatio, quæ aliquando potius gulam irritant quam coerceant; quoniam luxus appareat in eorum menſa ſumptuoſius, majoribuſque cum deliciis, quam alio quolibet tempore. De hoc in Sermone quodam S. Auguſtinus conqueritur; ſunt quidam, ait, qui e carnibus abſtinent, ſed ita tamen, ut delicatiores, ac ſumptuoſiores epulas inquirant, quibus ars ſapidiorem, magiſque exquiſitum guſtum impertit. Sed quot, heu! falluntur, addit, ſi ſe præcepto ab Eccleſia inſtituto ſatisfacere opinantur? Hoc non eſt abſtinentiam exercere, ſed gulæ materiam mutare: *Non eſt hoc ſuſcipere abſtinentiam, ſed mutare luxuriam.* Saltem ex his epularum deliciis inferendum eſt; quod cum abhorreant ab hoc pœnitentiæ ſpiritu, periculum eſt, ne in Jejuniis ſuis peccata committant, quæ ipſa quoque ſint expianda per alia Jejunia veriora, ac rigidiora. Ad errorem hunc de ignavorum fidelium mentibus auferendum ſatis eſſet illud medicorum placitum, aſſerentium hominum intemperantiam ut plurimum cauſſam eſſe morborum, & abſtinentiam, atque diætam plerumque præſentiſſima eorum eſſe remedia; quorum ſententia per Eccleſiæ ſententiam comprobatur dicentis, Jejunium *animabus, corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum eſſe. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Se ſerm. de Dom. 4. in Adv.

Prætextus qui afferuntur, ut aliquis ſeſe a Jejunio diſpenſet.

Non deſunt Chriſtiani, qui ſibi pro modulo conſcientiam concinnant, ubi agitur de Jejunio; & quia Eccleſia, quæ pia mater eſt, nunquam voluit cogere filios ſuos in morbis eorum, vel ubi de illorum valetudine ſermo eſt, hoc ſufficit, ut alii ſeſe diſpenſent ob leviſſimam quamlibet morbi ſuſpicionem. Aliquis ſeſe immunem putabit propter ſomni carentiam; alius quia ſe putat ſolito graciliorem, hic delicatulam corporis conſtitutionem cauſſatur, ille negotia ſua; quaſi ad hoc, ut aliquis Jejunare teneatur, otiari debeat, feriarique. Hi totidem ſunt prætextus, quos philautia excogitavit ad hominum ignaviam tegendam. Quot vero ſunt, qui levia prætexunt incommoda, quæ curari potius Jejunio, quam augeri valerent? Non deſunt etiam, qui ex ipſo conſcientiæ prætextu locum nanciſcuntur Quadrageſimam violandi; putant enim ſe illam obſervare non poſſe, quin officiant ſuæ valetudini; ideoque illam obſervare perinde eſſe, ac fieri ſui ipſius parricidam. Mirum eſt! videre quibus verſutiis amor proprius hac in re os nobis ſublinire ſatagat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Induſtria eorū, qui ſuos fallunt Paſtores ut e Jejunio diſpenſentur.

Sunt qui ſe e Jejunio immunes arbitrantur, ubi medium nacti ſunt obtinendi ab hominibus diſpenſationem, & cum Paſtoribus ſuis obſequium hoc præſtiterunt; ſed vehementer errant; quamvis enim inficias ire non liceat, quadrageſimam inſtituti eſſe Eccleſiaſtici eo in ſenſu, quem explicuimus; eadem Eccleſia, quæ Chriſtianos coegit ob cauſſas adeo juſtas, illos diſpenſare nequit niſi ob cauſſas æque legitimas; tamen diſpenſatio hæc veram ſemper cauſſam ſupponit, vel ſaltem rationabilem dubitandi cauſſam, utrum adſit neceſſitas; & niſi bona fide agitur, dupliciter peccatur, & quia præceptum frangitur, & quia nocens abutitur auctoritate Eccleſiæ, ut illud frangat impune; quod vero facit, ut totis artubus contremiſcam, illud eſt, quod hujuſmodi perſonæ mox ad Paſchalem accedunt communionem Sacrilegium patrantes, quin ſeſe ad illam diſponant per Quadrageſimale Jejunium, vel cogitant ſe per confeſſionem huic muneri ſatisfeciſſe, non tamen ſine conſilio faciendi hoc ipſum Quadrageſima proxime ſequenti. Denique dicere poſſumus, Eccleſiam non feciſſe præceptum magis authenticum, ſalubrius, & univerſe acceptius, ac ſolemnius probatum, neque religioſius primis ſæculis obſervatum; ſed quod hodierna die violatur impunius, minori cum timore, ac reverentia, & ubi plures afferuntur prætextus ad diſpenſationes recipiendas; quia non advertitur pœnitentiæ cauſſa eſſe Jejunandum; & quantum præcautionis, ac lenimenti adhibetur, tantum abſcindi de ſatisfactione, quæ pro criminibus perpetratis eſt adhibenda. Sed tantus hic prætextuum, ac difficultatum numerus, quæ in hoc inveniuntur argumento, ſtuporem ciet? Veritas, licet conſtantiſſima, ex quo ſtudiis noſtris adverſatur, ſemper ſexcentas invenit cauſſas, quibus impugnatur, ut S. Auguſtinus inquit. *Conatur caro, & ſanguis vera depravare, aperta claudere, ſerena obnubilare. Idem.*

L. de Spir. ad Liter.

Virtutes, quæ cum Jejunio eſſe debent conjunctæ.

Neque ſatis eſt auditores Jejunium ſedulo, ac cum rigore ex pœnitentiæ cauſſe obſervare; niſi ſecundo loco virtutes acceſſerint, quæ illud concomitari debent, oratio, & eleemoſyna: Hæ quippe duæ ſunt qualitates, quas poſtulat Scriptura. *Bona eſt oratio cum Jejunio, & eleemoſyna.* Quod ſi verum eſt de Jejunio generatim, multo verius eſt in Quadrageſima, quæ tempus eſt dicatum orationi, & exercitiis pietatis non ſecus ac Jejunio; alterum enim effectus eſt, & conſequens alterius. Jejunium attollit mentem in Deum, quemadmodum canit Eccleſia; *Qui corporali Jejunio vitia comprimis, mentem elevas*; & hæc elevatio, vel eſt oratio ipſa, vel ſaltem ad orationem diſpoſitio. Diceres faciem hanc macie confectam, & carnem abſtinentiis liveſcentem afferre animæ quemdam oris habitum, & non communem vigorem, & tunc cum corpus partem virium ſuarum amiſit, illas ad animam tranſire, quæ facilius fertur in Cælum, & aptior evadit ad meditanda Cæleſtia. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Tob. 12.

Quæ ſit mens Eccleſiæ Chriſtianos Jejunare præcipientis.

Eccleſiæ alimoniam corpori ſubtrahentis mens eſt, nutrire animam, quæ plerumque reliquo anni tempore jejunat. Hinc fit, ut qui per ſacrum hoc tempus, quin orationi vacent, Dei verbum audiant, Sacramenta frequentent, pergunt ſuis indulgere ſolatiis, longe ſint, quam exiſtimant, nocentiores. Etenim licet dici nequeant Quadrageſimæ præceptum infringere eo in ſenſu, in quo paſſim intelligitur, niſi acceſſerit intemperantia; dici tamen poteſt, ab illis alia ratione violari, polluendo tempus adeo Sanctum, deſtruendo finem inſtitutionis ejuſdem, omnemque fructum amittendo. *Idem.*

Quomodo Jejunium ſanctificandum ſit, ut Deo eſſe poſſit acceptum.

Ut igitur eo modo jejunemus, quo jejunandum eſt, Jejunium nobis eſt ſanctificandum; *Sanctificate Jejunium*; & ſi quæſieritis quomodo? Dicam vobis, relinquendam eſſe profanorum librorum lecturam; abſcindendas eſſe viſitationes, & converſationes non ſolum nimium liberas, & periculo proximas: hoc enim quovis tempore præſtare tenemur; ſed præterea inutiles, ac ſupervacaneas, ut viſitetis noſocomia, ac pauperes verecundos, atque, ut vacet vobis diutiorem temporis partem pietatis exercitiis impendere. Et

mihi

mihi videtur nullus eſſe verus Chriſtianus, qui cum hoc tempore follicitatus ſit, ut indulgeat ſolatus, quibus ſolet aliis anni temporibus indulgere, illud ipſum reſpondere non debeat, quod miſer Urias reddidit David regi, qui illum ab exercitu revocaverat ob eam cauſſam, quam nemo nunc ignorat: *Arca Dei, & Iſrael, & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam? Per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Heu! Donec Arca Sanctæ humanitatis Salvatoris noſtri Crucem aſcendit, donec Eccleſia univerſa ſquallet, ac ſeſe diſponit ad flectendam Dei iram precibus, aliiſque pœnitentiæ exercitiis, id unum cogitare, quomodo oblectationibus, atque ſolatiis animum appellamus, nonne hoc eſt oblivisci, & quod ipſi ſumus, & Deum, cui famulamur? Quinam gravior abuſus eſt, quam tempus propitiationis in iræ, atque indignationis tempus convertere? Nonne hoc eſt ſibi claudere fontes miſericordiarum Dei, his diebus, quibus aperti ſunt, & hoc tempore, quo Eccleſia tot fundit vota, tot offert preces, & efficit, ut undequaque perſonet verbum Dei? Nonne hoc eſt ſe indignum probare, qui particeps fiat omnium gratiarum, quas illa pro filiis ſuis promeretur, nihil per noſmet conferre ad eas adipiſcendas? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Eleemoſyna ad Jejunium ſanctificandum neceſſaria.

Addenda etiam eſt orationi eleemoſyna, & hoc ex Sanctorum Patrum ſententia illud eſt, quod ſecernit pœnitentis Jejunium ab avarorum abſtinentia. Nam, ut S. Cyprianus inquit, non eſt jejunandum per ſpiritum parcimoniæ, vel œconomiæ, ſed ad alendum Dei ipſius Filium in pauperum perſona: ita ut, Sanctus Chryſologus addit, alius vivat ex fructu abſtinentiæ tuæ; tu vero duplex referas meritum, alterum quidem Jejunii, alterum vero caritatis. *Quod ventri ſubtrahis, tribue eſurienti.* Et hoc mea quidem ſententia ſaluberrimum conſilium eſt tribuendum omnibus, qui a Jejunio diſpenſantur propter aliquod incommodum, aliamve quamlibet rationem, ſupplendi per eleemoſynam, ejuſque meritum redimendi per inſignem aliquam erga pauperes liberalitatem, & per hanc rationem lucrandi, quod per aliam amittunt. *Idem.*

[illegible] a pravis habitibus [illegible]

Poſtrema, atque excellentiſſima ſanctificandi quadrageſimale Jejunium ratio eſt tunc temporis generatim ſanctiorem vitæ rationem ſequi, abſtinere a vitiis, in quæ aliis temporibus ſumus procliviores, quod a Sancto Auguſtino, antonomaſtice magnum vocatur Jejunium. *Magnum, & generale Jejunium eſt abſtinere ab iniquitatibus, ac illicitis voluptatibus.* Quid enim proderit fidelibus ab illicitis carnalibus abſtinere, niſi ab illicitis voluptatibus abſtinuerint? Vel quotidie jejunare, ſi quotidie novis ſeſe inquinaverint peccatis? Nonne eamdem ſibi expectare debent exprobrationem, quam fecit olim Propheta Judæis ab eo quærentibus in ærumna ſua: quare nullam habuerint rationem Jejuniorum ſuorum. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? Humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Non eſt cur miremini, reddidit illis Dominus: *Ecce in die Jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis.* Ab epulis quidem abſtinetis, fateor, ſed pauperum ſubſtantiam voratis; eorum, qui vobis obærati ſunt, non miſeremini, quos inhumane perſequimini. Corpus veſtrum abſtinet, ſed cor veſtrum plenum eſt amore veſtro, & odio contra proximum veſtrum: quænam hæc ſpecies eſt Jejunii: *Ecce ad lites, & contentiones jejunatis.* Differtis ad veſperam uſque cœnam veſtram; ſed diem totum in litibus, ac jurgiis traducitis? *Nunquid tale Jejunium quod elegi? Nunquam contorquere quaſi circulum caput ſuum?* Creditis vos bene jejunaſſe, quia ſolidam tranſegiſtis diem, quin comederetis. Noſtiſne quale Jejunium Deus potiſſimum ex vobis depoſcat? ecce illud Propheta pergit: *Diſſolve colligationes iniquitatis, ſolve faſciculos deprimentes, & frange eſurienti panem tuum.* Abſcinde omnes fœneratorios contractus tuos, & omnia litium inſtrumenta, alia aliis congeſta in ſacculis tuis, quæ pondere ſuo te valent opprimere; ſine, ut de carceribus miſeri egrediantur, quos ære vinctos tenes, quibus modum ſolvendi aufers, auferens illis libertatem; & qum ita ſine ulla miſeratione torqueris fratrem tuum, illi in eleemoſynam eroga, quod jejunans parcis ſumptibus tuis. Miſericordia ſit vel cauſſa, vel fructus abſtinentiæ tuæ; ſpirituale Jejunium, quod ſitum eſt in abſtinentia a peccatis, præcedat ſemper corporale: oratio, ac interior collectio ſemper comitetur corporis abſtinentiam; hoc eſt jejunate in ſpiritu pœnitentiæ, ac in ſpiritu Chriſtianiſmi, & mereri, ut tandem aliquando in æternitate remunerationem conſequaris. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

[illegible], optima ratio eſt Jejunium ſanctificandi.

Tract. 7 in Jo.

Iſaiæ 58.

Ibidem.

DE

DE CÆREMONIA CINERUM.

MONITUM.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.
Geneſ. capite 3.

HÆC ſententia, quam Deus olim protulit contra primum hominem poſt peccatum illius, eadem eſt, quam Eccleſia fidelis interpres voluntatum Dei hodierna die omnibus Fidelibus nuntiat in hac Cinerum Cæremonia. Iiſdem utitur verbis, tamquam loquens nomine ejuſdem ad omnes homines reos criminis Paterni, quod in Mundum venientes hæreditatis quodam veluti jure acceperunt.

Eccleſiæ mens in hac praxi, cujus conſuetudo eſt adeo communis, & cui Chriſtiani ſeſe ultro ſubjiciunt per devotionem prorſus peculiarem, expreſſa eſt in verbis, quibus utitur, & quæ cum auctoritate profert ſuper omnes fideles, Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris: *Ciendi videlicet mortis cogitationem per duplicis pulveris recordationem; illius quidem primæ originis noſtræ, & illius, in quem poſt vitam hanc revertemur; ut per hoc ſerio excitemur ad cogitandum, quod fuimus, quod modo ſumus, & quod poſt hanc vitam futuri ſumus.*

Mens autem Eccleſiæ non eſt ſolum humiliare nos in intuitu ejus, quod ſumus, quod fuimus, & quod futuri ſumus; quod unice attinet ad Corpus, quod minima eſt pars noſtrum; verum etiam ad peculiariter imprimendam in nobis cogitationem ejus, quod futuri ſumus, cum anima, quæ ex nihilo quidem deſumpta eſt, ſed quæ æternum manſura eſt in ſtatu gratiæ, vel peccati, in quo mundum hunc relinquens fuerit inventa. Unde ſequitur hanc eamdem Cinerum Cæremoniam inſtitutam eſſe, ut adducamur ad pœnitentiam, ad flagitia noſtra deſerenda, ad nos morti præparandos, a qua noſtra beata pendet æternitas, ac tandem ad vitam cum Sanctitate ducendam. Ecce quid nobis ob oculos ponit Eccleſia per hanc Cinerum Cæremoniam, quos capitibus noſtris imponit.

DE CÆREMONIA CINERUM.

Eccleſia nobis hos exhibet Cineres, ut reminiſcamur quo tendant ambitio, & vana hominū conſilia.

HI nos Cineres docent, quantumvis ambitio magna foveat conſilia, creſcendi, ſeſe attollendi, locupletandique, quin dicat umquam ſatis; mortem triſti fato quamprimum nos ad telluris exapedam redacturam; ſed nimis dixi, ad Cinerum pugillum. Huc enim tandem, Auditores lectiſſimi, ut ita loquar ſingulos nos cogit Deus. Ecce quo tendunt omnia noſtra conſilia, omnia cœpta, omnes contentiones noſtræ, fortunæ omnes, omnia negotia, verbo, tota magnitudo noſtra, cum corpora noſtra per noviſſimam reſolutionem, quæ fit in tumulo, coarctantur, breviantur, & in nihilum fere rediguntur: *Ecce vix totam Hercules implevit urnam.* Quæ mutatio dicebat Sapiens quamvis Ethnicus, videns Sepulcralem urnam, in qua Herculis Cineres continebantur? Hercules ille, heros ille, cui totus non ſatis erat orbis, totus hac urna capitur? Vix habet, unde hanc repleat urnam! Conſideratio, quam nobis hodie propoſuit Eccleſia longe ſanctius, & efficientius, cum nobis inquit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Pater Bourdalove Sermone de hoc argumento.*

Seneca Tragic.

Eccleſia hiſce etiam Cineribus utitur, ut cieat in nobis memoriam mortis, & eorum, quæ mortem ſequitur.

Tamen ex me quæritis, cur ſuper caput, frontemque veſtrum Cineres imponantur: alterum myſterium, quod explanare vobis arduum non eſt, & quod debet etiam pietatem veſtram ædificare. Cineres capiti noſtro imponantur, quæ ſedes rationis eſt, ut intelligamus objectum vulgatius noſtrarum conſiderationum, dum vivimus, eſſe debere mortem, & ea, quæ mortem conſequuntur. Hoc autem nobis declaratur, cum dicitur: *Memento.* Recordamini, & nunquam obliviſcimini, etenim parum prodeſſet, ſemel noſſe, mortales nos eſſe, niſi per validam cogitationem, crebramque memoriam hæc perſuaſio, quam habemus, eſſet pro nobis Sapientiæ fons, & in nobis non produceret hanc humilitatis diſpoſitionem, quæ jam eſt pœnitentiæ principium. Hæc ipſa mortis recordatio, ſemper homines in officio cohibuit, eoſque adduxit contra ſuperbiæ rebelliones tamquam in humilitatis neceſſitatem; ubi enim ſive in magnis, ſive in parvis, ſemel humilitas cordis adiit poſſeſſionem, facile fieri poteſt, ut conteratur, atque illud pœniteat. Cur? Quia maximus pœnitentiæ obex ſublatus eſt; intelligo fundum præſumptionis, & ſuperbiæ, cum quo naſcimur: ſed quia ſi rite omnia perpendantur, humilitas re vera pars eſt maxime eſſentialis converſionis in peccatore. Namque ſimulac paratus ſum ad memet humiliandum; Jam *præſto* ſum ad me accuſandum, condemnandumque, & puniendum; jam in via ſum quærendi Deum, implorandi miſericordiam ejus, ſatisfaciendi Juſtitiæ Dei, remittendi me ſub divinæ legis obedientia, quæ ſunt diſpoſitiones ad Chriſtianam pœnitentiam maxime neceſſariæ. Et ecce quare Eccleſia poſtquam nobis conſideranda propoſuit duo Cinerum genera, alterum quidem originis noſtræ: *Memento, quia pulvis es,* alterum vero noſtræ corruptionis futuræ, *& in pulverem reverteris,* primum quo docemur, nihilum eſſe; & alterum, quod nobis dicit, nos etiam minus aliquid eſſe; vel potius eſſe aliquid nequius: quandoquidem nonniſi peccatum ſumus, poſtquam, inquam nobis ob oculos poſuit duplicem hunc Cinerem, tertium ſuggerit, qui perfecte ad utrumque refertur; videlicet cinerem pœnitentiæ. *Pater Bourdalove in Sermone hujus argumenti,*

Pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. c. 3. Hæc ſunt memoranda verba, quæ dixit Deus hominum parenti in ipſo inobedientiæ ejuſdem momento; & hæc eadem Eccleſia unicuique noſtrum dirigit ſingillatim per os Miniſtrorum ſuorum in hodierna Cæremonia Maledictionis verba in eo ſenſu, in quo ea protulit Deus; ſed verba ſalutis, & gratiæ eo in fine, quem ſibi proponit Eccleſia, nobis illa proponens. Verba terribilia, ac fulminantia contra peccatorem, etti ſignificarunt damnationis ejus ſententiam; ſed verba ſuavia, & ſolatio plena erga pœnitentem, quia docent illum viam ſuæ converſionis, & juſtificationis. Ita ſanctus Chryſoſtomus animadvertit, Deum ſæpe illis uſum fuiſſe, modo, ut hominibus Judiciorum ſuorum terrorem imprimeret; modo vero, ut illi efficientem miſericordiarum ſuarum experirentur. *Pater Bourdalove Tomo 2. Sermonum ſuorum.*

Hæc Textus verba peccatori quidem terribilia ſunt, pœnitenti vero ſuavia.

Neſcio, Fideles, utrum unquam animum adverteritis ad id, quod in Exodo legimus. Audite; Rei hujus applicatio vobis naturalis videbitur, & meo mirum congruit argumento. Cum voluit Deus Ægyptum percutere, præcipit Moyſi, ut manu ſua pugillum Cinerum ſumeret, & coram Pharaone illum ſuper populum univerſum effunderet; *Tollite manus plenas Cineris, & ſpargat illum Moyſes coram Pharaone.* Addit Scriptura Cinerem hunc ita diſperſum, fuiſſe veluti materiam, ex qua Deus effinxit illa flagella, quæ Ægyptum univerſam tot plagis percuſſerunt, & ibi generalem vaſtitatem pepererunt. *Sitque pulvis ſuper omnem terram Ægypti.* Si ſecundum ſpeciem judicium ferendum eſt, Deus hoc ipſum præcipit Eccleſiæ ſuæ Miniſtris; vult Sacerdotes legis gratiæ de Altari Cinerem ſumere,

Quomodo Deus Ægyptios punit Cineribus. Exod. 9.

cum-

eumque ſuper univerſum populum Chriſtianum effundere: *Tollite manus plenas Cineris*. Sed in Dei intentione hujus Cæremoniæ effectus eſt longe alius ab eo, quem in lege veteri operatus eſt. Cum enim Moyſes, & Aaron effuderint Cineres ſuper Ægyptios, ut pondus iræ divinæ experirentur, ut Pharao intelligeret, ſe a Deo reprobatum eſſe; ut edomaret impietatem, & obdurationem hujus Monarchæ tunc traditi ultioni Dei; oppoſito prorſus conſilio Sacerdotes novæ legis hodierna die Cineres ſuper capita noſtra effundunt, ut nobis gratias, & favores Dei ipſius concilient, & nos eum in ſtatum adducant, & pares efficiant, qui bonitatis illius participes efficiamur, & ut excitent in cordibus noſtris ſenſus veræ pœnitentiæ. *Pater Bourdalove Tomo 2. Sermonum ſuorum.*

Cineres clerici in nobis contemptum noſtri, & noſtram ſuperbiam tangunt.

Eccleſia per hæc verba: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: nobis noſtri contemptum immittit; quaſi diceret: cur mortalis homo ſine cauſſa vindicas tibi chimæricam, atque commentitiam magnitudinem? Memento ejus, quod paucos annos ante hanc diem eras, cum Deus per omnipotentiam ſuam eduxit te ex luto, & nihilo; Memento ejus; quod intra paucos annos futurus es; cum modicus hic dierum numerus, qui tibi adhuc eſt reliquus, exceſſerit. Ecce duo termini, intra quos opus eſt, ut velis, nolis, omnis eſſet ambitio tua. Ratiocinare, quantum tibi placuerit ſecundum duo iſta principia; nihil inde argues, non ſolum quod te non humiliet, ſed quod te non revocet ad officium, tunc etiam, cum ita cæcus, & inſipiens fuiſſes, ut ab eodem recederes. Tale eſt, iterum dico, o Fideles, ſalubre, & maximi momenti monitum, quod vobis Eccleſia ſuppeditat, tamquam pia, & ſapiens Mater omnibus filiis ſuis. *Idem.*

Cineres cogunt nos, ut juſte ſentiamus de aliis, & alios de nobis juſte ſentiant.

Cupiditates noſtræ injuſtæ ſunt in iis ſenſibus, quos nobis inſpirant in proprium commodum, ſive in illis, quæ in alienum incommodum cient; ſed Mors, Philoſophus inquit, nos inter æquitatis terminos cogit: *Mors ſola jus æquum eſt generis humani*. Et profecto cum de morte non cogitamus, & rationem tantum habemus quarumdam hujus vitæ diſtinctionum; hæ nos inflant, perſtringunt, ac nobiſmet ipſis replent; ambitione intumeſcimus, ſuperbia efferimur, indignabundi, & aliorum contemptores evadimus, moleſti, & delicati; invidi, & ultores, audaces, violenti, iracundi; cum faſtu, & acrimonia loquimur, facile offendimur, difficile parcimus; hunc laceſſimus, illum perdimus; opus eſt, ut omnia cedant nobis, & putamus omnibus rationem noſtri eſſe habendam, cum nullius nobis habendam eſſe cenſemus. Nonne hoc illud eſt, quod principum virorum dominationem gravem adeo, ac duram facit? Sed mortem paulisper meditemur; & quam primum mors ipſa docebit exercere Juſtitiam, omnique aliis reddere noſtrarum ambitionum, indignationum, contemptuum, irarum, invidiarum, ultionum, moroſitatum, furorum. Quemadmodum ergo non opus eſt ſecundum imperium, & verbum Dei Omnipotentis, niſi arenæ modicum, ad maris fluctus confringendos; *Hic*

Job 38.

confringes tumentes fluctus tuos; ita cinis hic, quem capiti imponit noſtro ſatis eſt ad frangendos tumores cordis noſtri, ejuſque ardores reſtringendos, ut nos in humilitate contineat, & in ſapienti mediocritate. Quomodo illud? Quia mors nobis ob oculos ponit perfectam æqualitatem, quæ adeſt inter homines ceteros, & nos. Æqualitatem, cujus libenter obliviſcimur; ſed cujus adſpectus nobis eſt ita neceſſarius, ut æquiores, humanioreſque efficiamur. *Pater Bourdalove.*

Non poſſumus intumeſcere, cum cogitamus nos per mortem ceteris æquales fieri.
Eccli. 2.
Pſalm. 81.

Cum nobiſcum taciti reputamus, quod olim dicebat Salomon, ac cum illo repetimus. *Si unus, & ſtulti, & meus occaſus erit*: Licet ſapiens ſim, mihi tamen moriendum eſt, non ſecus ac inſipienti; cum nobiſmet applicamus illa Regii Prophetæ verba: *Dii eſtis, & Filii Excelſi omnes: vos autem ſicut homines moriemini*: Eſtis mundi hujus Numina, eſtis Altiſſimi Filii; ſed fallacia Numina eſtis mortalia, & vere moriemini ſicut illi, a quibus thus exigitis, & a quibus coli, & adorari vultis; cum ſecundum Scripturarum locutionem, viventes adhuc, & in ſpiritu in ſepulcrum deſcendimus; & ſapiens ibi cum rudi, nobilis cum plebejo, celeberrimus terrarum domitor cum abjectiſſimo mancipio permixtus invenitur; eadem terra tumulantur; iiſdem tenebris ambiuntur, iiſdem vermibus vorantur; eademque omnium eſt corruptio, eadem putredo, idem

Job 3.

pulvis. *Parvus & magnus ibi ſunt, & ſervus liber a Domino*. Quam ideam poſt hæc habere debemus noſtrummetipſorum? *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Idem.*

Mors eſt Eccleſia capiti noſtro Cineres imponentis efficere, ut ſentiamus quid ſimus, & noſmet humiliemus.

Ad ſuperbiam noſtram infringendam Eccleſia nobis exhibet Cineres, eoſque noſtris capitibus imponit. Cur Cineres? quia, S. Ambroſius ait, nil melius nobis poteſt oſtendere, quid ſit mors, & extremam humiliationem, ad quam nos redigit mors, niſi pulvis, & cinis. Utique hi Cineres, quos recipimus proſtrati ad pedes Miniſtrorum Domini; hi Cineres, quorum benedictio, ſecundum S. Gregorii Nyſſeni mentem hodierna die eſt veluti Myſterium, vel ſi mavultis, veluti Sacramentum noſtræ mortalitatis, ut nos quatenus homines humiliet, & in nos quatenus peccatores immittat ſenſus converſionis perfectæ, ſinceræque reditus ad Deum. Quippe nos docent id, quod fortaſſe ignorare cuperemus; & quotidie obliviſci conamur, ſed væ nobis, ſi unquam incidimus, vel in adeo deplorabilem ignorantiam, vel in oblivionem adeo funeſtam. *Pater Bourdalove in veris Sermonibus ſuis.*

Hi Cineres nobis revocant in mentem vanitatem omnium magnalium quæ adoramus.

Nos docent, hæc omnia magnalia quibus mundus gloriatur, & quibus hominum paſcitur ſuperbia; hoc genus, quod jactamus, hanc auctoritatem, propter quam ſuperbia efferimur, hæc bona, propter quæ nobiſmet ipſius plaudimus, hos honores, de quibus gloriamur; hanc pulcritudinem, hanc virtutem, hanc nominis celebritatem, quam veluti idolum colimus; hæc omnia, quidquid admiramur, vanitatem eſſe, atque mendacium. Si enim accedo ad Sepulcrum magni alicujus mundi Principis, ejuſque epitaphium ad examen voco, nihil video, niſi elogia, titulos ſpecioſos, præclara facta, honores acceptos, quidquid fuit, & quidquid geſſit ibi magnificis verbis oſtentatur. Ecce quid extrinſecus patet; ſed hic mihi tumulus aperiatur, & liceat mihi quod intus latet, intueri. Nihil video niſi turpe cadaver, niſi oſſa arida, ac tabo marantia, niſi modicos Cineres, qui mihi reviviſcere videntur, ut mihi dicant: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Idem.*

Cineres nobis exprobrant ſuperbiæ noſtræ injuſtitiam cum nosmet attollere volumus.

Docent, nos igitur injuſtos eſſe, cum quocumque pretio, & ſæpe contra ordinem Providentiæ enteſcere volumus, & eam ſuſtinere perſonam, quæ noſtram palpat vanitatem; hos honores, quos tanto calore quærimus, hæc jura, quæ nobiſmet vindicamus, hunc dominandi habitum, quem adfectamus; hæc obſequia, quæ captamus; hanc ferociam, quam præ nobis ferimus, hanc rationem, quam de nobis haberi volumus, totidem eſſe ſuperbiæ noſtræ uſurpationes, nobiſmet perſuadentes non ſecus ac Phariſæo Evangelico, nos nequaquam eſſe ſicut homines ceteros: quem errorem nobis aufert cinis, ad quem poſt mortem redigimur per æqualitatem, ad quam omnes conditiones adducit; dicamus melius, per integram earum deſtructionem. Videtis enim, diſerte S. inquit Auguſtinus in libro de Natura, & Gratia; videtis, utrum in fractorum tumulorum reliquiis diſtinguere valeatis pauperem a divite, plebejum a nobili, infirmum a forti. Videtis utrum Regum, & Monacharum Cineres differant a ſubditorum, & mancipiorum Cineribus. *Pater Bourdalove in veris Sermonibus ſuis.*

Quomodo non debemus umquam obliviſci nos pulverem eſſe.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Hic terminus eſt in quem omnia hominum conſilia, omniaque mundi magnalia debent allidere: hæc unica, & ſolida eſt cogitatio, quæ ubique, & ſemper occupare nos decet: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Memento, quicumque es, dives vel pauper, magnus vel parvus, Monarcha, vel Subditus; verbo omnes homines generatim, & quilibet homo ſingillatim: memento te nonniſi pulverem eſſe, ac te in pulverem eſſe reverſurum. Hæc tibi non placebit memoria, cogitatio hæc te affliget, turbabit, torquebit: ſed te affligens curabit. Tibi ſalutaris erit, & fortaſſe tamquam ſalutaris fiet tibi non ſolum tandem tolerabilis, ſed etiam ſuavis, & accepta. *Pater Bourdalove.*

Cogitatio mortis, quam Cineres cient, deſtruit in nobis [illegible] omnium mundi magnalium.

Mors, S. Chryſoſtomus inquit, nobis eſt palpabilis, atque ſenſibilis probatio nihili rerum omnium humanarum; quas perdite amamus. Hæc illas nobis tradit cognoſcendas; reliqua nos fallunt. Mors una fidele ſpeculum eſt, quod ſine ulla diſſimulatione oſtendit nobis inſtabilitatem, fragilitatem, caducitatem bonorum vitæ hujus; quod omnes nobis aufert errores, quod omnia deſtruit amoris mundi præſtigia; & quod ipſas Sepulcri tenebras nobis convertit in fontem luminum; quibus mentes noſtræ non ſecus ac ſenſus æque perſtringuntur: *in illa die* inquit Scriptura loquens de Filiis Sæculi, qui ſeſe cupiditatibus ſuis mancipaverunt, *In illa peribunt omnes cogitationes eorum. Idem.*

Cinerum Cæremonia cuſtos eſt [illegible] mortis recordatione ſeſe muniunt, quia omnes homines damnati ſunt.

Cæremonia imponendi hodierna die Cinerem ſuper caput, non eſt mere exterior Cæremonia, vacua, indifferens, ſterilis, praxis eſt religioſa; quæ revocans nobis in mentem formidabilem Sententiam latam contra nos a ſupremo Judice, ſit ſymbolum pœnitentiæ, & noſtræ mortalitatis. Quid igitur hodierna die facimus cum Cinerem capitibus noſtris imponimus? Facimus, quod faciebat Joſue cum placaturus Deum Exercituum, & reparaturus furtum ex manubiis Jerichuntis, ipſe, & ſeniores Iſrael operuerunt Cinere capita ſua. Facimus, quod Jeremias etiam, atque etiam commendabat Principibus Juda in deſolatione Patriæ ſuæ, illos admonens futurum, ut quam primum morerentur: *Quia completi ſunt dies veſtri*; Facimus, quod faciebat Eſther, Judith, Mardochæus, & Rex Ninivitarum. Facimus denique, quod in lege gratiæ JESUS CHRISTUS nobis dixit Tyrum, & Sidonem facturas fuiſſe, ſi ille ob earum oculis eadem operatus fuiſſet prodigia, quæ ſub oculos Coroſaim, & Bethſaida fuerat operatus: *In Cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent*; facimus, quod tot Sancti fecerunt. Humiliantia verba, quæ Sacerdos, Cinerem manibus tenens, hodierna die profert ſuper hominum pedibus ſuis obvolutum, propria ſunt termini ſen-

tentiæ

ſentiæ latæ contra primum hominem in peccati ejuſdem pœnam. Eccleſiæ mens Cinerem fronti imponentis, eſt nos excitare ad pœnitentiam, ad contemptum nonſtrummet ipſorum per intuitum reliqui hujus vitæ ſpatii, in quo omnia terminantur bona, voluptates, mundi hujus honores, & quo nos iidem redigemur in morte. Orationes, quas ſuper hos Cineres fundit Eccleſia ſecretam tribuunt vim religioſæ huic Cæremoniæ, quæ inſpirat etiam, & ſecum trahit gratiam Pœnitentiæ ſuper omnes illos, qui hunc Cinerem ſuper caput recipiunt cum ſanctis diſpoſitionibus in corde. Quem parere non debet effectum hæc praxis Religionis? quem vitæ contemptum? Quod creatorum bonorum faſtidium? Videri ne poteſt hic Cinerum pugillus, imago vera illius, quod aliquando futuri ſumus? Audiri ne poteſt hæc ſententia, hoc terribile oraculum, cujus minarum veritatem quamprimum ſumus adimpleturi, quin noſtra conteratur ambitio, quin mollitiee noſtra damnetur, quin ſuperba conſilia noſtra confundantur, quin nos pudeat, atque pœniteat tanti feciſſe fallacia vitæ hujus commoda? Quam ſalubre pharmacum eſt hi cineres effuſi ſupra cordis humani tumorem! Quam apti ſunt ad aperiendos oculos, & dignoſcendum mendicem fulgorem tot fallentium illecebrarum! Quam bene condire poſſunt amaras, quæ nobis accidunt, adverſitates!

Boni effectus quos parit Cinerum Cæremonia.

Si cogitamus quot bonos effectus parere valeat hic Cinis capiti impoſitus, receptuſque cum ſpiritu Religionis, cum puro, contrito, & humiliato corde, & cum iis diſpoſitionibus, quas hæc ſancta Cæremonia repoſcit: Mortis cogitatio inſeparabilis ab hac religioſa praxi primus eſt effectus quem ille producit. Licet eſſes potentiſſimus totius Orbis Monarcha, feliciſſimus omnium hominum, morieris; & tota hæc pompa, hæc magnitudo, hæc nominis celebritas, hæc tumultuoſa felicitas, quæ tot invidos creat; hæc omnia pereunt in Sepulcro. Perſcrutare ſuperba hæc Mauſolea, ſuperba humanæ vanitatis monumenta; nihil niſi pugillum invenies Cinerum minus pretioſum urna, in qua continentur. En quid tandem eſt reliquum inſignium Principum, qui Ævi ſui terror, atque admiratio fuerunt; Heroum ſæculorum præteritorum, amicorum fortunæ, ut verbis utar mundi: extrema quædam oſſa exeſa, & in pulverem redacta, pugillus Cinerum, & nihil præterea. Quamvis illis potentiores, locupletiores, commodiores eſſetis, non aliam ſortem eſtis habituri; & aliquando de vobis dicetur, quod dicitur hodie de victimis ambitionis humanæ; ſinguli viciſſim ſunt veritatis hujus ſenſibile argumentum. Pretium, & amor ipſe virtutis alter effectus eſt Cæremoniæ Cinerum. Bone Deus! Miſtica hæc Cinerum Cæremonia; quam apta eſt ad errorem nobis auferendum fucatorum quorumdam luminum, harum vulgarium opinionum, quæ faſcinant, & ſeducunt! Sed quam efficax eſt ad aperiendum nobis ſolidum meritum, & pretium inæſtimabile veræ virtutis! Sancti moriuntur, dicitur tunc, non ſecus ac peccatores: ſed quod diſcrimen inter Cineres, & Cineres? Alii quidem ſunt horroris objecta, alia venerationis; tantum poteſtatis, & illecebrarum ineſt Sanctitati. Illi pedibus calcantur: coram iſtis in genua proſternimus. Terra ſola, qua Sanctorum corpora teguntur, vim habet operandi miracula. Quid ex his omnibus concludendum eſt, niſi inſignem eſſe dementiam, collocare felicitatem ſuam in honoribus, voluptatibus, & bonis hujus vitæ, & oportet illum de ſanitate mentis dejectum fuiſſe, qui alteri cuipiam rei vacat, quam ſanctitati acquirendæ. *Pater Croiſet in Exercitationibus Aſceticis.*

Diſpoſitiones ad hanc Cæremoniam afferendæ.

Quandoquidem Cinerum Cæremonia praxis eſt Religionis, a nobis facienda eſt cum omnibus diſpoſitionibus, & cum eo ſpiritu, quem tanta, & adeo ſancta flagitat Cæremonia. Inutiliter capiti Cinis imponitur, ſi ſuperbia regnat in corde. Deus hanc horret Hypocryſin. Si anima contrita non eſt, & nihil ſui idea penetrata, exterior hæc humiliatio, mera ſcurrilitas eſt. Cave, ne irreverentiam, & irreligionem inferas in religionis praxim, recipe Cinerem in fronte cum corde contrito, & humiliato; audi hanc mortis ſententiam cum perfecta ſubmiſſione, ſimulque fac vitæ tuæ Sacrificium. Mortem excipe, quia Deus damnavit te, in criminum tuorum ſatisfactionem, & tamquam pœnam quam meritus es. In morte fieri non poteſt Sacrificium meritorium; hac ipſa die ſi feceris vitæ tuæ Sacrificium, recipiens Cinerem ſuper caput, Sacrificium, quod feceris vitæ tuæ, eſſe poteſt Deo acceptiſſimum, ac meriti ingentis. Quapropter ne avertas oculos a morte, cujus Cinis eſt ſymbolum maxime naturale. Cogitatio hæc facile pœnitentiam perſuadet, omnemque lenit rigorem. Incipe Quadrageſimam cum hoc ſpiritu pœnitentiæ. Hæc plurimis erit noviſſima; quæ tibi erit conſolatio illam Chriſtiano ritu obſervare, ſi pro te noviſſima futura eſt? Junge jejunium tuum cum illo JESU CHRISTI, ita illud magis meritorium efficies. Pernicioſiſſima Dæmonis verſutia eſt, facere, ut Sanctiſſimæ Religionis Cæremoniæ recipiantur tamquam res nullo in diſcrimine habendæ. Hanc cum ſpiritu Chriſtiano concomitare; & quidquid feceris, dic tibimet: *Memento, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Idem.*

In veteri teſtamento, & in nova lege Cineres ſemper fuerunt ſymbolum pœnitentiæ.

Liquet ex ſancta hac Cæremonia imponendi Cineres ſuper caput, primum Quadrageſimalis jejunii diem appellari. Non ſolum in hac nova lege, ſed etiam in veteri teſtamento Cineres fuerunt ſymbolum pœnitentiæ, & ſenſibilis nota doloris, & afflictionis. Thamar 2. Reg. teſtatura luctum, doloremque ſuum imponit Cinerem capiti ſuo: *quæ aſpergens Cinerem capiti ſuo. Ipſe me* Job 42. *reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & Cinere,* Job inquit. Iſraelitæ ad acceſſum Holofernis territi, & Sacerdotes iram Dei placare volentes offerunt illi Sacrificia capite Cineribus adſperſo: *Et erat Cinis ſuper* Judith. 14. *capita eorum.* Mardochæus perterritus nuntio mali nationi ſuæ impendentis *Indutus eſt ſacco ſpargens Cinerem capiti.* Eſther. 4. Populus univerſus egit ſimiliter in Provinciis: *In omnibus quoque Provinciis ſacco, & Cinere.* Seniores Filiæ Sion, dicit Jeremias in Lamentationibus ſuis, ſpiritu pœnitentiæ *Conſperſerunt Cinere capita ſua.* Jerem. 2. Daniel jejunio, & orationi Cinerem adjecit, ut placaret Dominum iratum contra populum ſuum, Dan. 9. *Deprecari in jejuniis, & Cinere.* Rex Ninivitarum placaturus Dominum *ſurrexit de ſolio ſuo, & indutus eſt* Jon. 3. *ſacco, & ſedit in Cinere.* Machabæi concomitati ſunt ſollemne jejunium cum Cæremonia Cinerum, quos Mach. 3. *impoſuerunt capiti ſuo. Pater Croiſet in Aſceticis,* Tomo 1.

Cæremonia Cinerum in nova etiam lege inſtituta.

In nova etiam lege Cinerum Cæremonia, non ſecus ac in veteri uſum obtinuit. Exprobrans JESUS CHRISTUS Civibus Corozaim, & Bethſaida duritiem, & indocilitatem eorum, inquit, miracula, quæ apud illos facta fuerunt, ſi Tyri, ac Sidone facta fuiſſent, Tyrios, Sidonioſque in ſacco, & Cinere pœnitentiam facturos fuiſſe: *In cilicio, & Cinere pœnitentiam egiſſent.* Nihil hoc vulgatius fuit Pœnitentibus primis Eccleſiæ temporibus. Patres, & antiqua Concilia conjunxerunt ſemper Cineres cum pœnitentia. Optatus Donatiſtis exprobrabat quod Virgines Deo ſacras poſuiſſent in pœnitentia, ponentes Cineres ſuper caput earum: *Conſecratos Deo aſperſiſtis immundis Cineribus* Lib. 6. ad Virginem lapſam. *crines.* S. Ambroſius ait pœnitentem Cinere diſtinguendum eſſe; *Cinere aſperſum, & opertum cilicio corpus perhorreſcat.* Et S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ait illos, qui pœnitentiam ingrediuntur, recipere Cineres ſuper caput, ut fateantur, ſe pulverem, & Cinerem eſſe, & jure Deum contra ipſos mortis ſententiam protuliſſe: *Adſperguntur, ut ſint memores, quia Cinis, & pulvis ſunt; per favillam Cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando pervenimus. Idem.*

Antiqua ratio celebrandi Cinerum Cæremoniam, & inter pœnitentium numerum inſignes peccatores collocandi.

Auctor quidam ex antiquis Conciliis deſcripſit rationem, qua inſignes peccatores in pœnitentium numerum ſtatuebantur, & Cæremoniam die Cinerum fieri ſolitam. Omnes pœnitentes, ait ille, ſeſe ad oſtium Eccleſiæ præſentabant, amicti ſacco, nudatis pedibus, & cum ſignis omnibus cordis contriti, & humiliati. Epiſcopus, vel aliquis ex miniſtris ejus imponebat illis congruam peccatis eorum pœnitentiam; mox vero recitatis Pſalmis pœnitentialibus, manus imponebantur illis, aqua benedicta adſpergebantur, & capita eorum Cineribus operiebantur. Hæc erat Cæremonia diei Cinerum, vel primorum dierum jejunii Quadrageſimalis pro publicis peccatoribus, cujus enormia ſcelera ſcandalum pepererant. Verum cum omnes homines ſint peccatores, S. Auguſtinus ait, omnes eſſe debent pœnitentes, & hoc efficit, ut fideles, illi etiam qui erant innocentiſſimi hac die tribuerent ſignum hoc publicum pœnitentiæ, recipientes Cineres ſuper caput. Nemo fidelium immunis fuit, Principes æque ac ſubditi; Sacerdotes, & ipſi etiam Epiſcopi, primorum temporum eorum populo dederunt hoc ædificans exemplum pœnitentiæ: Illud vero quod re adhuc integra peculiare fuit, pœnitentibus publicis, factum eſt tandem commune omnibus Eccleſiæ filiis; quippe omnibus perſuaſum eſſe debebat ſecundum JESU CHRISTI verbum, neminem eſſe, qui licet ſe innocentem exiſtimet, non egeat pœnitentia. Ipſi etiam Pontifices ſummi, non ſecus ac ceteri ſubeunt hanc humiliantem Religionis cæremoniam, & hæc una adhibetur Vicario JESU CHRISTI reverentia, quod nihil dicitur, cum Papæ Cineres traduntur. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo 1.*

Explicatio horum verborum Memento homo, &c. Exodi 9.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Hæc ſunt memorabilia verba, quæ dixit Deus primo parenti in ipſo inobedientiæ ſuæ momento, & hæc illa ſunt, quæ Eccleſia ſingillatim unicuique noſtrum dicit per os Miniſtrorum ſuorum in hujus diei cæremonia. Verba ſunt maledictionis in ſenſu, quo illa protulit Deus, inquit Chriſtianorum Oratorum celeberrimus; Significant enim ſententiam damnationis morti; ſed verba ſuavia, & ſolatio plena pro peccatore pœnitente, S. Chryſoſtomus inquit, quia docet illum viam converſionis ſuæ per pœnitentiam. Accipe manu tua pugillum Cineris dixit Deus Moyſi, & Aaron. *Tollite manus plenas Cineris, & ſpargat illum coram Pharaone.* Cinis iſte hoc pacto diſperſus, fuit tamquam materia, ex qua Deus effinxit hæc flagella, quæ univerſam Ægyptum afflixerunt, & quæ ibi adeo generalem vaſtitatem pepererunt. Effectus Cæremoniæ diei hujus longe diverſum

habet effectum in Chriſtianiſmo; quippe novæ Legis Sacerdotes non effundunt hodie Cinerem ſuper capita noſtra, niſi ut leniant iracundiam Domini per hunc humiliationis actum; ut nobis gratias, & Dei beneficia promereantur, ut nos aptos reddant ad illius bonitatem experiendam, & ad excitandum in cordibus noſtris ſenſum vere pœnitentiæ; quo in ſpiritu, & in hac diſpoſitione exercenda eſt hac die Cinerum Cæremonia. *Idem.*

Terræ nomen, quo Deus hominem vocat propter originem ejus, ciere debet in homine memoriam illius quod aliquando futurus eſt.

Quando homo non efformatus fuiſſet ex pulvere, ac terra, nomen, quod imponendi eidem occaſionem arripuit Deus ex ejuſdem origine, jure eidem imponi poterat propter ſententiam, quam Creator ſuus in illum protulit propter peccatum: *Terra es, & in terram ibis, pulvis es, & in pulverem reverteris.* Etenim ſicut animadvertunt S. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus; hic ſermo eſt Spiritus Sancti in Scripturis ad eventuum certitudinem innuendam, quos deſtinavit per immutabilem ſapientiæ ſuæ ſententiam, illos exprimere, quaſi jam eveniſſent. Ita ut cum homo ſit reverſurus in pulverem, oblviſci non debeat id quod eſt, neque id quod futurus eſt; quoniam in diſſolutione partium componentium corpus, redigendus ſit in pulverem, ex quo concretus fuit. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Diſcrimen inter eamdem ſententiam ex ore Dei profectam & ab Eccleſia prolatam.

Hoc in argumento, Fideles, animadvertendum eſt, quamvis ſententia, quam hodierna die profert Eccleſia per Miniſtros ſuos, ſemper ſit eadem omnino, iiſdem concepta verbis, & contra coſdem nocentes lata, ac illa Dei contra primum hominem, ejuſque poſteritatem irrogata; tamen cum ſenſu longe alio pronuntiatam eſſe. Ibi Judex eſt irritatus, qui noxios, & rebelles punit; hic pia Mater, quæ ex eodem malo ſtudet haurire medicinam. Ibi Supremus eſt Dominus, qui terribili voce irrevocabilem profert ſententiam; hic mediatrix eſt, quæ pro noſtra reconciliatione intercedit, & modum nanciſcitur inferendi mortem peccato, quod nobis hanc mortis ſententiam promeruit. Ibi fuit ſententia damnationis ſumma cum poteſtate inflicta, & cujus effectum quotidie intuemur; modo vero nobis proponit Eccleſia tamquam cauſſam ſolatii; quandoquidem illam nobis ſignificat, ut ſpem faciat mulcendi iracundiam Dei, & per mortis cogitationem impellendi nos ad ſinceram pœnitentiam, quæ ſola via eſt ad evitandam mortem æternam, quam propria peccata noſtra illi ſuperaddita, quod a primo parente per hæreditatem aſſecuti ſumus, nimis crebro nobis promeruerunt. *Auct. Sermonum in omnia argumenta.*

Qualenam eſſe debeat vera pœnitentia, quæ nobis per Cineres repræſentatur.

Vera pœnitentia, cujus ſymbolum Cineres ſunt, & ad quam nos invitat Eccleſia, Cineres capiti noſtro imponens, illa non eſt, quæ adeo parcit corpori in pulverem redigendo, ſed illa quæ omnia voluptatis, & mollitiei inimica, illud in anteceſſum adjudicat cuidam mortis generi per ſeveram mortificationem. Scio, Fideles, naturam adverſari; cumque corpus noſtrum conſtituat partem noſtrummet ipſorum, parcimus illi, in quod ſeverius animadvertendum eſt; ſimiles hac in re miſero Saul, qui delere juſſus Amalecitas, nihilque ſibi de eorum manubiis reſervare, eorum Regi pepercit, qui nocentiſſimus erat, & a quo initium ducendum erat ad Dei juſſa capeſſenda. Ex quo factum eſt, ut quin divinam placaret Juſtitiam, illam magis magiſque in caput ſuum irritaverit. *Idem.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Ecce quid inutiles efficit pleraſque pœnitentias noſtras; aliquid profecto bonorum noſtrorum ſacrificamus, alicui abrenuntiamus negotio, quod nobis eſt modico in diſcrimine: ſed parcimus huic corpori peccati, & illi parcimus, quod a Filio Dei jubemur odio irreconcialiabili perſequi: ſed fallimur; ſi credimus odiſſe peccatum, cum præcipuam illius cauſſam amamus: cum parcimus loco, ubi regnat, & cum fovemus illud perquiſitione commodorum noſtrorum. Hic error, vel potius cæcitas eſt, in qua vivunt hodie Chriſtiani, qui id unum cogitant, quo pacto tempus traducant in deliciis, & voluptatibus; ſed ut errorem hunc abjiciamus, cogitemus mortem, quam hi Cineres oculis noſtris objiciunt; crimínoſæ huic mollitiei abrenuntiabimus; perhorreſcemus corpus, in Cineres redigendum, & fortaſſe inde egreſſum, ut in Ignem conjiciatur. Si anima, quæ illius mancipium facta eſt, domina ejuſdem fieret, illud ſubjiciens rigoribus pœnitentiæ; his ſubmiſſum æterna fruetur felicitate, quam illi procurabit anima, & quam ipſa quoque per illud ſibi comparabit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quid Spiritus Sanctus operari velit per hos Cineres in noſtris animabus.

Si animus advertatur ad id, quod noſtros perſtringit oculos in hujus diei Cæremonia, parum eſt; parum eſt enim Cineris, & pulveris: ſed nihil majus eſt, quam quod Spiritus Sanctus per hoc Myſterium facere contendit. Eruere vult animam noſtram de ſervitute peccati, & dæmoni captivitate, & ex ea facere Sponſam JESU CHRISTI, qua re nihil excelſius, nihil admirabilius. Eccleſia hoc divino Spiritu afflata Cinerem capiti noſtro imponens tria nos docet per Cinerem repræſentata. Primum, quamvis fortes, & robuſti ſumus, tamen nos Cinerem, & pulverem eſſe: alterum hoc nos impellere debere ad pœnitentiam agendam: tertium denique niſi converſi fuerimus, non ſolum nos in pulverem eſſe reverſuros, ex quo ſumus educti, verum etiam perituros in peccato, quo ad æternam mortem adducemur. Hi ſunt exitus funeſti, qui accidunt illis, qui negligunt, ac differunt in gratiæ ſtatum reverti. *Idem.*

Quid conſiderari nobis velit Eccleſia imponens Cineres capiti.

Perfecte Eccleſiæ mentem aſſequerer, ſi vobis oſtendere poſſem, primum ſententiæ hujus recordationem, quam in nobis ciet mortis cogitatio, id eſſe præſentiſſimum quod nos impellere poteſt ad veram pœnitentiam aggrediendam: hoc ego primum conſidero in hac irrevocabili ſententia: Secundo Cinis, & pulvis, in quem nos redigit mors propter hanc ſententiam, eſt tamquam exemplar pœnitentiæ, quam facere tenemur. Duæ veritates, & duæ conſiderationes maximi momenti, quarum altera nos docet pœnitentiæ neceſſitatem per neceſſitatem mortis; altera vero nos erudit, quomodo hæc pœnitentia nobis ſit peragenda; qui deſumitur ex ſtatu, & annihilatione, ad quam aliquando redigendi ſumus; altera docet quomodo inevitabilem neceſſitatem in eximiam virtutem convertere debeamus; altera vero nos perducens ad pœnam qua damnati ſumus, convertet ſententiam hanc contra homines latam, in ſententiam gratiæ, & beneficii pro nobis. Duplici verbo, moriendum eſt; igitur: conſilium ſumendum eſt agendi pœnitentiam; hæc prima eſt concluſio ex ſententia hic eliçienda. Mors nos in Cinerem redigit: igitur pœnitentia quodammodo in anteceſſum nos redigere debet in Cineres, efficiens, ut moriamur nobiſmet ipſis, omnibuſque rebus hujus Mundi. *Idem.*

Ex mortis neceſſitate inferenda eſt pœnitentiæ neceſſitas.

Nulla unquam æquior concluſio fuit, nulla unquam magis Chriſtiana animadverſio, nulla veritas recto ſenſui conformior, quam ex inevitabili mortis neceſſitate inferre celerem, ſinceramque pœnitentiæ neceſſitatem; *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Itaque, ut ad eam nos impelleret propter validiſſimam cauſſam ſententiæ quam protulit Deus ab ipſo ſæculorum primordio, Eccleſia hæc addidit verba: *Memento homo.* Memento, & altius imprime in ſpiritu tuo, & nunquam obliviſcere. Sicuti enim hæc dirigit verba Chriſtianis, qui norunt terribiles mortis effectus, & ſciunt, hoc fatale momentum de ſorte ipſorum in æternitatem decidere, opus non erat, ut plura adderentur. Mortis imago, quam illa proponit, objicit oculis eorum omnes magnas haſce Veritates, eiſque probat negotii momentum. Ceterum magnis opus non eſt ratiociniis, ut hominibus perſuadeamus illos ſubjectos eſſe ſententiæ a Deo contra ipſos prolatæ, ſatis enim eſt, ut illos homines appellans admoneat, ipſos in ſemet geſtare mortis principium, ac eos id futuros eſſe, quod fuerunt, Cinerem videlicet ac pulverem; cum enim, & rationabiles ſint, & Chriſtiani ſimul, fidei, & rationis luminibus illuſtrari, ſufficit illis palam facere periculum, in quo verſatur peccator moriendi antequam in hac vita egerit pœnitentiam. *Idem.*

Hæc eſt ſententia, quam Deus olim protulit contra primum hominem, & quam nobis indicit Eccleſia in Cinerum Cæremonia.

Hæc olim fuit mortis ſententia per Dei ipſius os prolata contra primum hominem, fere ſtatim ac vitam recepit; & ecce Chriſtiani, hæc eadem ſententia inſtaurata eſt contra omnes homines ab Eccleſia, quam animat Deus Spiritu ſuo, & quam ſequeſtrem conſtituit oraculorum ſuorum. Nam perinde ac omnium ſæculorum experientia, & exemplum omnium mortalium, qui præceſſerunt, non ſatis nos perſuaſiſſet de hac veritate, moriendum eſſe, vel voluptatum ſenſibilium illecebræ non omnem mortis cogitationem abſtuliſſent, Eccleſia hæc, quæ in actionibus ſuis non caret Myſteriis, operæ pretium duxit quotannis memoriam recolere in hac Cinerum Cæremonia, ac dicere omnibus filiis ſuis, ipſos originem duxiſſe ex pulvere, & quidquid conati fuerint, & quæcumque fuerint nativitatis, vel fortunæ ipſorum privilegia, illos aliquando in Cineres redactum iri, & faſtum hunc, quo ambiuntur, cum illis iri tumulatum in Sepulcro, futurum trophæum mortis, & exemplum vanitatis rerum harum mundanarum. Ita ut Chriſtiani dicere poſſint de Cineribus, quibus hodie utitur Eccleſia id, quod Apoſtolus inquit de Cineribus primi mortuorum omnium, qui fuit innocens Abel: *Defunctus adhuc loquitur*: quamvis illi obierit, Cineres ejus adhuc loqui, & nos adhuc docere. Sed quid illi dicunt? Admirabile nobis præbent documentum, ſi illud audire voluerimus. Quæ validior perſuaſio eſſe poteſt vanitatum Mundi hujus? quem contemptum cient in nobis bonorum, & voluptatum illius? Quam præcautionem ad bene moriendum? Etenim nonne hoc aliquando tandem omnibus hominibus faciendum eſt? & hinc nonne pendet æternitas beata, vel miſera, quæ nos manet? Præſertim vero cum Cinis ſemper extiterit in veteri, novaque lege ſymbolum pœnitentiæ: Eccleſiæ conſilium fuit nobis perſuadendi celerem, ſinceramque pœnitentiam ad aſpectum ejus rei, quæ omnium facillime poteſt nobis proponere mortis imaginem; quam nihil oculis noſtris objicere poteſt, niſi pulvis, & Cinis, ex quo originem duximus, & in quem certiſſime brevi ſumus reverſuri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cinerum adſpectus nobis oſtendit nos nihil eſſe niſi Cinerem, & pulverem.

Quemadmodum inde noſtra proficiſcitur ſuperbia, quia ignoramus, quod ſumus, Cinerum adſpectus nobis æquiorem tribuit ideam, ac veriſſimam noſtri cognitionem: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Digitized by Google

ſeris. Hoc enim eſt in mentem revocare originis noſtræ principium, quod confuſionem nobis debet ingerere in hiſce magnitudinis, & elevationis ſenſibus, quibus cor noſtrum duci permittit. *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Pulvis, & Cinis unquam ne cogitaſti, quid ſis, & undenam originem duxeris? Oportet ne, ut dicamus tibi id, quod ipſi etiam Ethnici judicaſunt, nihil eſſe dementius, quam putare, nos aliquid magnum eſſe, cum adeo parum conſiderabilia principia habuerimus? *Idem*.

Quamvis homo excellentiſſimũ ſit opus manuum Domini, tamen cinis, & pulvis eſt.

Eſto, ex hoc pulvere Deus fecerit eximium opus manuum ſuarum; *Limum titulo hominis inciſum*, ut loquitur Tertullianus, Imaginem Creatoris ſui: Eſto, illud omnibus decoraverit privilegiis corporis, & ſpiritus, & naturalibus hiſce qualitatibus eas omnes adjecerit, quas ſtudium, ars, & educatio illi conferre potuerunt: hi Cineres prohibere ne debent, quominus obliviſceminι veſtrum, atque intumeſcatis vobiſmet oculis proponentes, vos non aliud eſſe, quam pulverem! Heu! hæc vobis ingenita ſuperbia haud ita facile perſuadebit; multitudo eorum, qui vobis circumſtant, adorationes eorum, qui vobis blandiuntur, fruſtra cor veſtrum inflant. Non dicam vobis hic cum Principe Apoſtolorum: humiliamini ſub potenti manu Dei, cui omnia debetis, & qui ex pulveris pugillo vos id fecit, quod eſtis; ſed dicam cum Eccleſia, vobis pœnitentiam veſtram eſſe inchoandam humiliando vos coram hoc Magno Deo, quem læſiſtis; cum enim nihil ſitis niſi pulvis, & cinis, auſi eſtis inſurgere adverſus hunc Majeſtatis Deum; ideoque proprie loquendo non eſtis niſi nihilum rebelle, ut quidam Sanctus Pater ait; fertis humiliationem veſtram in medio veſtri, & in vobiſmetipſis; & nihilo ſecius auſi eſtis inſurgere contra Dominum univerſorum. Hæc, Chriſtiani, juſtiſſima eſt, & vulgatiſſima pœnitentiæ cauſſa, inde enim deſumenda eſt nequitia, & gravitatis peccati menſura, videlicet ex indignitate, & humilitate lædentis, nec non ex læſi magnitudine, & majeſtate. Hoc proculdubio aptiſſimum eſt ad ciendum in vobis dolorem, & confuſionem, quæ in pœnitentia requiritur. *Idem*.

Quibus cum ſenſibus accedendum ſit ad hãc Cæremoniam.

Ad ſervandam ſalutarem hanc confuſionem, quæ debet concomitari ſpiritum contritionis, & pœnitentiæ, quam Eccleſia nobis immittere ſtudet, accedere debemus ad hanc Cinerum Cæremoniam, ut retundamus omnes vanitatis, atque ſuperbiæ ſenſus, quos optimæ qualitates, & privilegia, quibus inter ceteros eniteſcimus, nobis poſſunt immittere. Etenim Auditor mi, licet vere talis eſſes, qualem te jactitas, nonne ſatis eſt, ut in omne vitæ tuæ ſpatium rubore ſuffundaris, videre in his Cineribus id, quod certiſſime futurus es poſt obitum tuum? *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Mortis ſententia a Deo contra omnes homines prolata effectu carere non poteſt in aliquo.

Si modo cogitamus executionem ſententiæ contra nos latæ propter parentum noſtrorum peccatum conſtat, & certus ſum vobis hoc ſatis perſuaſum eſſe, eamdem ſerius, ocyus in vobis quoque adimplendam eſſe, quemadmodum jam adimpleta fuit cum iis, qui præceſſerunt; ita ut, quamvis rationes ceteræ deſumptæ ex experientia, conſtitutione corporum noſtrorum, & principiis illa componentium non omnimodam nobis afferrent certitudinem, aliquando eſſe nobis moriendum: tamen liqueret ſententiam a Deo latam certiſſime effectum ſuum eſſe conſecuturam. Etenim ſicuti ille ab ipſis mundi primordiis præcepit, ut omnia viventia vitam darent aliis ſibi ſimilibus; videmus præceptum hoc naturam univerſam aluiſſe; & nihil defuiſſe, quod uſque in præſens juſſa Dei non capeſſeret: hoc ipſum accidet morti noſtræ, quod accidit vitæ. Hanc Dei juſſu recipimus, eamque divinæ Juſtitiæ imperio amittemus vi ejus ſententiæ, quam tulit adverſum nos. Hoc ſignificant verba illa, quæ hodie repetit Eccleſia: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. *Idem*.

Nulla eſt pœnitentia quæ mulcere valeat mortis terrores.

Sed inſtaurando, vel potius ſignificando ſingulis prolatam contra omnes homines generatim ſententiam, Eccleſiæ mens eſt, exarmare, ut ita dicam, mortem ipſam, ſimul ſuadere pœnitentiam, quæ illi auferre poteſt, quidquid in illa maxime pertimeſcendum eſt: audeo dicere Eccleſiam excitare non poſſe nos acrius ad hanc pœnitentiam, & hoc ad conſilium ſincere ineundum, quam hanc nobis ſententiam indicendo, & efficiendo, ut hæc mortis verba, quæ profert, altius penetrent in mentem noſtram, & cor. Si enim pœnitentia conſiſtit in peccato primum quidem relinquendo, & mox per jejunia, & ſanctos rigores, quos inſpirat, expiando; quid efficientius utrumque nobis perſuadere poteſt, quam actualis cogitatio mortis, quam iſti Cineres nobis in mentem revocant, & naturaliter oculis noſtris ſubjiciunt? *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Cineres quovis tempore fuerunt ſymbolum cordis contriti, & humiliati.

Dico igitur, Fideles, Cineres ſemper ſymbolum extitiſſe cordis contriti, & humiliati. Ita Jeremias Propheta olim invitabat populum, ut lacrymis, atque gemitibus proſequeretur mala ſibi impendentia, eumque admonebat, ut ſe ipſum Cinere adſpergeret: *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere Cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum*. Neque aliter loquitur Ezechiel, ut exprimat afflictionem, & miſeriam, quam populus ille perpeſſurus erat. *Clamabunt amare, & ſuper jacient pulverem capitibus ſuis, & Cinere conſpergentur*. Videmus tamen cum Jonas Propheta Ninivitis nuntiavit urbis illius exitium, ac proximam vaſtitatem, Regem eorum, quia tunc inſignis creditur fuiſſe Sardanapalus, de ſolio ſurrexiſſe, indutumque ſacco, in pulvere ſediſſe, & Aulæ ſuæ Principibus præcepiſſe, ac populo univerſo, ut idem facerent teſtaturi dolorem ſuum, ſinceramque præteritorum ſcelerum pœnitentiam. Conſtans igitur veritas eſt in Scripturis, Cineres eſſe ſignum doloris, ac ſenſibilis afflictionis; & ſicut inde initium faciendum eſt pœnitentiæ, quæ eſſe non poteſt citra dolorem læſæ Majeſtatis Dei; Eccleſia non poterat melius nos erudire, quo pacto pœnitentia facienda ſit, quam per hoc ſymbolum, quod indigitat cor contritum, & humiliatum. *Idem*.

Cap. 6.

Cap. 27.

Primi Chriſtiani Cineribus utebantur, ut ſuam pœnitentiam manifeſtarent.

Hic eſt corporis habitus, quo primi Fideles ſeſe offerebant, ut agerent pœnitentiam poſt grave aliquod peccatum cum ſcandalo conjunctum, Cineribus adſperſi, & a reliquis hominibus ſeparati, & nullus dubito inde profectam eſſe conſuetudinem hac die Cineres diſtribuendi: quod unum eſt ab Eccleſia retentum de veteri illa, publicaque pœnitentia, quam e re cenſuit relaxare; unde factum eſt, ut modo hæc mera ſit Cæremonia: quæ tamen nos monet, quod cum olim dolor numinis læſi ſuadebat fideles, ut ſe Cineribus adſpergerent, modo Cinis iſte excitare debeat in nobis dolorem peccatorum noſtrorum, idque ad mortis intuitum; nihil enim magis formidandum eſt, quam diem extremum obire antequam vera facta fuerit pœnitentia. Itaque ſi Eccleſia nos non adigit, ut Cineribus cooperiamur, & induamur ſacco, & cilicio, ut in ſtatum adducamur obtinendi veniam peccatorum; Cineres ſaltem nos moneant, ut verum dolorem concipiamus; ut cor noſtrum conteramus, ac illud, ut ita dicam, redigamus in Cineres violenta, veraque converſione: *Scindite corda veſtra &c.* *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Joelis 2.

Cinerum Cæremonia ſuadet nobis dolorem, & pœnitentiam peccatorum noſtrorum.

Hæc validior eſt ratio, quam invenerit Eccleſia ad efficiendum, ut aſſequeremur ſenſus Sancti Viri Job, qui ſæpe ſeipſum excitabat ad dolorem, & pœnitentiam peccatorum ſuorum per hanc conſiderationem: *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paullulum peccata mea*: Nonne quamprimum mihi moriendum eſt? Ætas mea, conſtitutio corporis mei, ſtatus ad quem redactus ſum, nonne admonent me, dierum meorum finem non procul abeſſe? Ita proculdubio, & ecce quid inde arguat: *dimitte ergo me, ut plangam peccata mea*, & dolorem, quem merentur, concipiam. Hæc eſt, Chriſtiani, cogitatio, quam fovere debetis ad horum Cinerum adſpectum; inſtat mihi finis vitæ meæ; de hoc non licet ambigere, hi Cineres illum mihi oculis ſubjiciunt, & in me cient memoriam ſtatus illius, in quem brevi ſum redigendus: Sed quæ mortem conſequuntur, mihi nimis terribilia ſunt, ita ut contra periculum adeo manifeſtum mihimet diligentiſſime ſit præcavendum. Dimitte ergo me, ut pœnitentiæ lacrymis deleam peccata mea: ut conſcientiæ meæ ſecuritati proſpiciam, & me in eum redigam ſtatum, in quo coram Deo apparere deſidero: *Dimitte me, ut plangam paullulum peccata mea*. *Idem*.

Cinis, & pulvis humiliationis ſunt inſignia.

Quapropter cum Cinis, & pulvis ſint extrema humiliatio, ad quam homo redigi valeat, dejectio de titulis omnibus, qui nos palpant, & veluti annihilatio hominis ipſius; verbo quidquid in mundo abjectiſſimum eſt; & maxime contemnendum, quandoquidem hoc illud eſt, quod pedibus teritur; majorem præ nobis ferre non poſſumus humiliationis ſpeciem in noſtra pœnitentia, quam capiti noſtro Cineres imponentes; quia hoc eſt nobis in mentem revocare, quod ſumus, & quod brevi futuri ſumus, & quod fuimus; & ſicut nemo inferius deſcendere poteſt niſi rependo in pulvere; ita nemo humilius de ſe ipſo ſentire poteſt, quam ſeſe tamquam talem reſpiciendo. Hæc erat Sententia Abrahæ cum Deo loquentis: *Loquar ad Dominum cum ſim pulvis, & cinis*; & David in pœnitentia ſua credebat ſe non poſſe ultra coram Deo humiliare, quam ventre in terram demiſſo in pulvere volutari. *Humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter*. *Idem*.

Digitized by Google

DE ALIIS NONNULLIS CÆREMONIIS

Et praxibus, quæ in Eccleſia Romana uſum obtinent.

M O N I T U M.

Monuimus jam, quidquid in Eccleſia fieri conſuevit myſticum eſſe, atque ſymbolicum, verba, actiones, geſtus, corporis habitus, ipſa etiam, quæ vulgatiſſima ſunt, & quorum uſus in mundo frequentiſſimus eſt, ex quo conjici poteſt, præter Cæremonias maxime eſſentiales, de quibus actum eſt, longe plurimas ſupereſſe, quæ aliqua repreſentant Myſteria, vel ea comitantur; ex quibus conſequenter hauriri poſſunt ſalubria quædam documenta, vel novi quidam ſenſus pietatis. Sed hæc eadem multitudo non patitur, ut in ſingulis immorer, de quibus doctiſſimi auctores integra, & ſpiſſa volumina ediderunt; præter quam quod multa ſunt, quæ raro præbent occaſionem inſtituendi ſermonem, cum vulgo fideles hæc teneant, & calleant: Illis tantum immorati ſumus, quæ merentur ſingillatim aliquam animadverſionem, ne ex conſuetudine duntaxat fiant, & ſine ullo ſenſu pietatis. Hujuſmodi ſunt uſus Cereorum, vel Luminarium; Thurificationum, Supplicationum, Aquæ Benedictæ, &c. Quæ cum non ſint Concionum argumenta, paucis verbis expediemus.

DE CEREIS, LUMINARIBUS, ET LAMPADIBUS,

Quibus Catholica utitur Eccleſia in Cæremoniis, & Myſteriis.

Hæretici qui repulerunt Eccleſiæ praxim accendendi cereos, & lampades.

HÆreticus Vigilantius irridebat Cereos, qui ſemper ardebant coram corporibus, Sacriſque SS. Reliquiis. Joannes Hus in Sermone de funeribus ait, faces, quæ deferuntur, Principum duntaxat ambitioni deſervire, in pauperum vero ludibrium cedere. Lutherus in Confeſſione ſua recenſet luminaria inter ea, quæ nullo ſunt in diſcrimine habenda; Calvinus illa neſcit reprehendere, niſi Catholicos redarguens, quia illa magis quam divina Præcepta habent in pretio. Beza in Epiſtola octava ait Cereos partem eſſe nugarum Eccleſiaſticarum, ſed non videt, ſi hæ nugæ ſunt, opus eſſe, ut ſibi vertat in ludibrium Scripturas, S. Patres, Hiſtoriam, rationem, & ipſum Deum. *Inſtitutio Catholica P. Cotton.*

Eccleſia praxim hanc probat.

In Exodo c. 25. imperavit Deus Moyſi, ut Candelabrum conflaret ſeptem habens lampades, quæ e regione Propitiatorii lucerent, & c. 27. præcipit, ut filii Iſraeli afferant oleum puriſſimum, ut lampas ſemper luceat in Tabernaculo teſtimonii; & c. 7. Levitici inter cetera imperat, ut ignis ſemper ardeat in Altari. Quod ſpectat ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam, Euſebius Cæſareenſis lib. 6. c. 8. narrat, cum in Paſchatis Pervigilio deficeret in Eccleſiæ lampadibus oleum, ad preces B. Narciſſi aquam in oleum fuiſſe converſam, & addit in miraculi hujus memoriam partem olei ejuſdem ad ævum uſque ſuum conſervatam fuiſſe. Idem Hiſtoricus l. 4. de vita Conſtantini deſcribens illius funera, recenſet magnam vim funalium ardentium in aureis candelabris tanta cum luce, ut nihil umquam tale viſum fuerit. In Tomo I. Conciliorum in S. Silveſtri vita legimus, inter donaria, quibus ille imperator ornaverat Reliquias SS. Petri, & Pauli, atque Laurentii, nec non Templum Sanctæ Crucis, plura extitiſſe Candelabra, & lampades magni pretii quæ jugiter ardere debebant non jam communi oleo nutrita, ſed nardo liquata, aut balſamo puriſſimo. *Idem.*

Teſtimonium SS. Patrum de uſu Cereorum. Cyrillus Jeroſ. or. de occurſu Domini.

S. Athanaſius in Epiſtola ad Orthodoxos verba faciens de Arianorum perſecutione inter cetera narrat, illos obtuliſſe Idolis Cereos, qui adhibiti fuerant in Templis in honorem Dei. S. Cyrillus Jeroſolymitanus in Oratione Domini noſtri, vel Purificatione Virginis hortatur nos, ut candidam Ceram offeramus vitæ Immaculatæ JESU CHRISTO, qui eſt lumen noſtrum. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione 40. quæ eſt de Sancto Baptiſmo ait per Cereos, & Lampades, quarum uſus eſt in Eccleſiis, non comparari Virginibus Evangelicis, & hoc pacto ſuaderi, ut ſequamur, & imitemur Virgines Sapientes, videlicet, ut nobiſcum afferamus Oleum bonorum Operum. S. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola, quam ſcribit ad Olympium de exequiis Sororis ſuæ S. Macrinæ narrat ſe unum ex ſandapilæ lateribus ſuſtinuiſſe; magnum adfuiſſe numerum Diaconorum, aliorumque Eccleſiaſticorum præcedentium corpori, manuque Cereos præferentium. Socrates loquitur, de quibuſdam Crucibus, quibus applicabantur Cerei ſumptibus Eudoxiæ Imperatricis. Sozomenus ſcribit S. Joannem Chryſoſtomum conſueviſſe facere, ut in ſupplicationibus deferrentur funalia, quæ præibant ſignum Crucis, & unum ex Eunuchis Imperatricis præfectum fuiſſe illis alendis. Theodoretus narrans magnificam pompam, qua receptum fuit Corpus S. Joannis Chryſoſtomi, ait, Conſtantinopolitanos cives occurriſſe illi magna cum navicularum frequentia, & repleſſe Boſphorum luminibus, undequaque collucentibus. Juſtinianus Imperator præcipit, ut in conſtruendis Eccleſiis, Oratoriis, Sacellis: Conditores meminerint ſtatuere fundo pro Luminaribus. S. Hieronymus diſputans cum Vigilantio irridente, quod in ipſo meridie in Eccleſia accenderentur Cerei, ait, in toto Oriente conſuetudinem hanc viguiſſe, præſertim vero cum legitur Evangelium, non quidem ad tenebras ejiciendas, ſed ad ſanctam lætitiam ſignificandam. Quartum Punicum Concilium præcipit, ut Acolythus Cereum cum Candelabro de manu Archidiaconi accipiat, admonitus ſuum eſſe lampades accendere Cereos, & Candelas in Eccleſia. S. Auguſtinus in Pſalm. 65. teſtatur ignem, & lumen adhiberi conſueviſſe in Sacramentorum adminiſtratione, in exorciſmis, & catecheſibus, & S. Paulinus, Epiſcopus Nolanus, eorum temporum ſuppar, meminit in Carmine Panegyrico de S. Felice, funalium, quæ ſuper Altaria collucebant. S. Gregorius Turonenſis, loquens de nonnullorum Judæorum Baptiſmo narrat, quomodo Lampades, Cereique concomitati fuerunt recentes hos Catholicos; & alibi narrat etiam quomodo Clodovæi corpus translatum fuit in Templum S. Vincentii cum innumera Cereorum multitudine, quos Clerus æque, ac populus deferebant. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Socr. Eccl. Hiſt. l. 6. c. 8. Theod. Eccl. Hiſt. l. 5. c. 36. Juſtin. Imper. in auth. 67. Cap. 3. Cap. 6. Paulin. nat. 3. S. Felicis Hiſt. Francic. cat. Idem l. 8. c. 10.

Præcipua Cereorum ſollemnitas eſt dies Purificationis Virginis Sacræ.

Ex omnibus ſollemnitatibus, quas ſervat Eccleſia cum Cereorum Cæremonia nulla major eſt die *Sacra Purificationis Virginis*: quippe tunc manu geſtantur Cerei benedicti accenſi in ſupplicationibus. S. Eligius, qui ſeptimo vivebat ſæculo, palam nos docet hos Cereos hoc die Feſto adhibitos fuiſſe ad permutandam in ſanctam Cæremoniam paganam Lupercalium ſuperſtitionem, quæ nondum auferri potuerat. Per illam Cæremoniam Ethnici putabant ſe expiari non poſſe niſi Cereis accenſis, quos deferebant in honorem complurium fallacium divinitatum. *Recens Auctor.*

Ejuſdem argumentum.

Cum omnes Eccleſiæ Cæremoniæ Sanctæ ſint, & ad Fidelium Sanctificationem inſtitutæ ſancta eſſet praxis intereſſe ipſa die Purificationi B. Virginis Sacra, benedictioni, & diſtributioni Cereorum eodem ſpiritu, quo facit Eccleſia; videlicet ad agnoſcendum, amandum, & adorandum cum viva Fide illum, qui recognitus, receptus, adoratuſque fuit hac die a S. Sene Simeone pro Mundi Salvatore, veroque lumine, quod ſeſe detegere debebat Gentilibus; & ſicuti Eccleſiæ mens fuit per totam hanc Cereorum Cæremoniam abolere memoriam profanarum luſtrationum, quæ apud Ethnicos inoleverant; ſed potiſſimum accendere ardentem amorem JESU CHRISTI, cujus figura eſſe poteſt Cereus accenſus; Nullus eſt fidelis, qui eſſe non debeat lux mundi per morum ſuorum puritatem, & bona exempla. Utiliſſimum eſſet Chriſtiano habere ſemper in Cubiculo ſuo unum ex benedictis hujuſmodi Cereis, tunc accendendum, cum ſibi noviſſima adminiſtrabuntur Sacramenta, ſibique fiet animæ commendatio. Igitur Eccleſiaſticæ hujuſmodi benedictiones non ſunt nullo in diſcrimine habendæ; Orationes, quas in Eccleſia fundit, ſunt efficaces, & Deus ſupernaturalem impertit virtutem iis omnibus, quæ illa benedicit. Quapropter Chriſtianus hanc ſibi legem irrogare debet, ut adſit omnibus Eccleſiæ cæremoniis magna cum reverentia, & ſenſu Religionis. *P. Croiſet in Aſceticis.*

S. Hieronymus rationem adfert propter quam Cereum plena.

S. Hieronymus teſtatur in Oriente toto Cereos pleno die aſcendi conſueviſſe cum canebatur Evangelium, ut hoc Symbolo reverentiam, atque lætitiam ſignificarent.

Cur accendantur. Eadem mente Eccleſia inferit in manu recens baptizati Cereum ardentem, dicens illi per Miniſtrum hæc verba ſenſum ipſius ſignificantia: Accipe lumen ardens. Primi ex Sanctis Patribus, qui de hac Cæremonia verba fecerunt, non loquuntur niſi ſub hac myſtica idea, neque alias, niſi ſymbolicas afferunt rationes. S. Gregorius Nazianzenus primam hujus Cæremoniæ originem ait deſumptam ex illis fuiſſe JESU CHRISTI verbis: Præcincti eſtote, ac præ manibus habete lampades ardentes; & in eodem ſpiritu, Sanctus Cyrillus olim recens baptizatis dicebat: Vos qui (Catechſ. 1.) nuper accendiſtis Cereos veſtros, qui ſunt fidei ſymbola, curate, ut lumen veſtrum ardeat. S. Cyprianus, S. Auguſtinus conſentiunt, neque hujus conſuetudinis alias afferunt rationes, niſi myſticas; atque eorum teſtimonio inhærendum eſſet; quia omnium primi hac de re ſunt locuti, & nemo præ illis aſſequi potuit ſpiritum harum Inſtitutionum. *Auctor recens.*

Antiquitas uſus Cereorum. Apertiſſima habemus teſtimonia ſæculis tertio, & quarto Cereos jam uſum obtinuiſſe, ſeu propter ſymbolicas rationes, veluti cum in Neophitorum manu collocabantur, ſeu honoris gratia, & tamquam aliquod ornamenti genus, quod proderat, ut Deo cultus magnificentior, atque ſollemnior adhiberetur. Uſus hic jam percrebuerat tempore Heliberitani Concilii. Tunc interdiu Cerei accendebantur, & hæc Synodus, qua cautum fuit, ne deinceps interdiu in Cœmeteriis accenderentur, interdixiſſet ſimiliter, ne alibi, ubicumque arderent, ſi hanc conſuetudinem damnandam eſſe cenſuiſset. Liquet etiam ex quodam illius Concilii Canone, Cereos accendere honoris loco fuiſse; quandoquidem cautum eſt, ne hoc permittatur Energumenis. Narrat Euſebius qua pompa Conſtantinus juſserit feſtum Paſchatis diem celebrari, cujus pompæ pars ſita erat in magna Cereorum, vel lampadum frequentia, quam in Fidelium cœtu juſſit accendi. Idem Imperator dono dedit Sancto Silveſtro Papæ aureum circulum, ex quo ſuſpenderentur lampades ante Sepulcrum Sanctorum Apoſtolorum; & argentea candelabra ante JESU CHRISTI Crucem collocanda, non ſine myſtica animadverſione, hæc numero quatuor fuiſse, ut Symbolum eſsent quatuor Evangeliſtarum. Profecto tunc in Altari lumina minime imponebantur; ſed coram Altari magna ſtatuebantur candelabra, multiplices ramos habentia, vel de fornice ſuſpendebantur Coronæ, vel Phari deferentes plurima luminaria. Hæc deſcribuntur a Sanctis Prudentio, & Paulino. Sanctus quoque Athanaſius loquitur de hoc genere Candelabrorum, quæ conſtituebant partem ornatuum, & Magnificentiæ Eccleſiarum; & in quarto Concilio Carthaginenſi invenimus adhibita in uſum Symbolicum, quandoquidem collocantur in manibus eorum, qui Acolythi ordinantur in ſignum poteſtatis, & miniſterii, quod ipſis confertur in Eccleſia. *Idem.*

DE THURIS SUFFITU,

QUO UTITUR ECCLESIA

In Myſteriis ſuis, aliiſque Pluribus Cæremoniis.

Cur in Altari Thus adoletur.

THus in Altari crematur ad oſtendendum in Sancto hoc loco creaturas adhibendas eſſe, & abſumendas in Dei honorem, & gloriam. Et vere Moyſi præceperat Deus, ut in aureo Altari ſibi Thus offerretur. Quartus Canon Apoſtolicus numerat incenſum inter ea quæ erant offerenda, dum ſacra fieret oblatio. Sanctus Ephrem ſupponit Thus in Eccleſia adoleri, tum in ſuo inquit Teſtamento: nolite me cum aromatibus contumulare: illa Deo offerte; & Sancto Ambroſio perſuaſum erat, Thus Altarium noſtrorum Religioſam eſſe Cæremoniam, & Angelum noſtro Thuris ſuffitui præeſſe; propterea dicit per occaſionem Angeli qui apparuit Sancto Patriarchæ Zachariæ Sancti Joannis Baptiſtæ Parenti: *Utinam adſit Angelus, vel potius ſe viſibilem præbeat, adolemus Altaria, & Sacrificium offerimus.* Græca etiam Eccleſia palam oſtendit Thuris ſuffitum adhiberi in honorem Dei; quandoquidem ſimul inducit Celebrantem hæc verba dicentem: *Gloria Sanctæ Trinitati Subſtantiali, & vivificanti, nunc, ſemper, & in omnia ſæcula Sæculorum.* Liber cui titulus: *Cæremonia Miſſæ Patris le Brun Presbyteri Oratorii.*

Reverentia qua primi Fideles ex eperant Thuris ſuffitu.

In Antiquitate videmus, Thus, qui circum Altare crematur, ex quo ſuffitus in Templum effunditur, habitum ſemper fuiſſe tamquam ſignum boni odoris JESU CHRISTI, qui de Altari in animam fidelium effunditur. Sanctus Dionyſius, Sanctus Germanus Conſtantinopolitanus ſæculi octavi Pater, & Simeon Theſſalonicenſis ſenſum hunc myſticum indigitarunt. Sanctus Dionyſius ait thuribulum ſignificare humanitatem JESU CHRISTI; ignem vero illius divinitatem, & Thuris vaporem gratiam ejuſdem. Auctor Homiliarum in Apocalypſim, quæ Sancto Auguſtino referuntur acceptæ, reſpicit thuribulum, de quo verba facit Sanctus Joannes, tamquam corpus JESU CHRISTI; Thus vero tamquam hoc ipſum corpus oblatum in Sacrificio pro ſalute Mundi, & exceptum tamquam ſuave thymiama a Patre Cæleſti. Verbo, omnes antiqui Scriptores Eccleſiaſtici Thurificationem Altaris intuentur tamquam ſignum cultus Spiritualis, & Religioſi. *Idem.*

Quid ſignificet Thus.

Nequit Symbolum inveniri, quod nobis melius oſtendere valeat, quænam eſſe debeant noſtræ orationes. Thus ſurſum non attollitur niſi per vim igni inſitam; & preces noſtræ, quæ reipſa non ſunt niſi cordis noſtri deſideria, ad Deum aſcendere nequeunt, niſi quatenus amoris divini flamma excitantur. Quod de Thure aſcendit, eſt bonus odor, & nos a Deo petere debemus, ut ita præparet cor noſtrum, ut nihil aſcendat, niſi quod ille in odorem ſuavitatis accipiat. Thus omne abſumitur; nulla reliqua pars eſt, quæ in vaporem non ſeſe attollat; & omnia cordis noſtri deſideria in Deum tendere debent, quin quidquam terræ adhæreſcat. Denique ſi hic ſpiritualis odor, de quo verba faciunt Liturgiæ, preces noſtras ſignificat; multo melius repræſentat preces Sanctorum, quæ in Scripturis non exhibentur niſi Thuris inſtar oblati Deo: *Seniores ceciderunt coram Agno,* Sacer Textus inquit, *habentes ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Thus ergo nobis Sanctorum orationes repræſentat. *Theodorus Cantuarienſis ſæculi Septimi.*

Exempla Veteris Teſtamenti de Thuris ſuffitibus.
Paral. 26.

In libro Paralipomenon legimus Oſiam Regem lepra fuiſſe percuſſum coram Sacerdotibus prope Altare Thymiamatum, cum enim contempſiſſet Aſariam, & octuaginta Sacrificulos illum redarguentes, auſus eſt manum immittere in thuribulum, ac thimyama, ut illud Domino offerret: Zacharias apud Sanctum Lucam exercet Sacrificium ſecundum vicem ſuam, & cum de more offerret incenſum, apparet illi Angelus. Malachias præviderat fore ut hæc conſuetudo Thus adolendi in omnem terrarum orbem late ſeſe effunderet: *Ab ortu Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo incenſum, & oblatio munda.* Hinc Eccleſia Chriſtiana hac praxi ſemper uſa eſt in ſuis Cæremoniis, ut videre eſt in Liturgiis Sancti Petri, Jacobi, Marci, Baſilii, Sancti Chryſoſtomi, atque Æthiopum. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Luc. 1.

Malach. 1.

Auctoritates Apoſtolorum, & Sanctorum Patrum de hoc argumento.

Praxis hæc videtur in Canone 4. Apoſtolorum, in quo cautum eſt, ne quod in Altaris munus accipiatur præter oleum, ac Thus; & in Sancto Dionyſio cap. tertio Cæleſtis Hierarchiæ, ubi deprehenditur conſuetudo totum Altare Thuris ſuffitu adolendi. Et in Sancto Hyppolito Martyre in Oratione de ſæculorum conſummatione, ubi ait, Antichriſti ævo Sacrificium, ac Thus defuturum. Verum cum hujuſmodi auctoritates non recipiantur ab omnibus; Qui legere voluerit S. Athanaſium in Epiſtola *ad ſolitarios*, videbit, conſuetudinem offerendi incenſum in divinis Myſteriis ſemper viguiſſe, & in S. Ambroſio in Commentariis ſuis in primum S. Lucæ Caput leget: Utinam mihi Altare Thuris ſuffitu adolanti, & offerenti Sacrificium, Angelus adſit, & ſe mihi viſibilem præbeat, ut olim Zachariæ; non enim dubium eſt, quo minus adſit Angelus, ubi adeſt JESUS CHRISTUS, & immolatus. S. Silveſter loquens de Conſtantino Magno, ſcribit ipſum dediſſe duos aureos thuribulos pondo librarum triginta, & libras quinquaginta Thuris aromatici ad Altarium Thurificationem in annos ſingulos. Hinc facile eſt inferre, ubi Thus adoletur Reliquiis Sanctorum, vel Imaginibus, hoc non fieri ea mente, ut illæ adorentur, ſed ut illis adhibeatur religioſus honor illi ſuperior, quo publice uſi ſunt Babylonii, cum Thus adoleverunt Alexandro; & illi, cujus uſus habetur paſſim in Templis, cum adhibetur in honorem Antiſtitum, Canonicorum, & Populi. Quæ Cæremonia exercetur tum ad honorem, tum ad illos admonendos, ut eo modo ſeſe gerant, ut omnes illorum actiones optimum perflent odorem, &, uti loquitur Apoſtolus, ſint bonus odor JESU CHRISTI. *Id.*

Explicatio uſus thuris a temp.lis.

Thus Cereis adjecimus in perquiſitione de eorum origine; & uſu; duo hæc ſeparare nolo & hic paucis dico ſolum de Thure, quemadmodum de Cereis, ac Lampadibus dixi, ſi liquet uſum hunc invectum fuiſſe in Lege veteri propter cultum, liquere etiam, propter eamdem cultus cauſſam invectum fuiſſe in Eccleſiam JESU CHRISTI. Etenim quarto ſæculo in conſuetudinem venere Thurificationes, ut conſtat ex Canonibus Apoſtolorum, ex Liturgiis, quæ ex eorum Nomine appellantur, ex operibus S. Dionyſii, ex apertiſſimo S. Baſilii teſtimonio. Ex iiſdem enim teſtimoniis liquido innoteſcit, Thus in Eccleſia non adhibitum fuiſſe, niſi propter myſticas rationes: *Accipe a nobis*, inquit S. Jacobi Liturgia, *præſens hoc ſuffimentum in odorem ſuavitatis, mutans, & emundans animas noſtras, eaſque ſanctificans:* & Liturgia S. Chryſoſtomi: *Tibi Domine JESU Deus noſter offerimus hoc Thus in odorem ſpiritualis ſuavitatis. Mitte nobis gratiam Spiritus ſancti ....* Eodem ſpiritu Zozymus deprecaturus Dei miſericordiam pro Antiochena Civitate incepit adolendo Thus, ut orationem ſuam hac cæremonia conſecraret; & cum Boniſacius Primus edicto cavit ne mulieres in Eccleſia Thus adolerent, ſolis Diaconis officium hoc reſervabat; palam innuebat ſe illud reſpicere tamquam Religioni officium, non autem tamquam actum neceſſitatis. Perinde ac revera nunquam in Eccleſia habitus fuiſſet & thuris uſus, niſi tamquam uſus religioſus & myſticus, ex quo Sanctus ipſe Joannes docuit fideles, ut haberent eum veluti ſymbolum orationis, & tamquam in Cælo deſervientem cultui Majeſtatis Dei. Videbant enim altius repetentes, Magos, qui venerant adoraturi puerum JESUM CHRISTUM, attuliſſe ad illum Thus propter rationes mere morales, & myſticas. Hi ipſi Fideles aliunde aſſueti reſpicere Thurificationes tamquam ſigna cultus ſupremi debiti Deo, hærere ne poterant, quominus JESU CHRISTO cultum hunc adhiberent intuiti hunc probari Sanctorum Regum oblatione, & Cæleſtium Angelorum exemplo? *Auctor recens.*

DE

DE SUPPLICATIONIBUS.

En quo ſitus ſit uſus Supplicationum, eorumque antiquitas.

USus Supplicationum conſiſtit in publicis precibus, in quibus populus Chriſtianus procedit ordine inſtructo, & ſe ſe præſentat coram Deo opem ejus imploraturus, vel acturus gratias, vel iram placaturus, aut cum illo gratulaturus. In priori conſideratione Populus Iſrael poſt Arcam aſcendit, Moyſe dicente: *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, a facie tua.* Et ſepties inſtituta fuit Supplicatio circum foſſas Jericho. In altera vero, Joſaphat conſilium dedit populo, ut ſibi Cantores aſſumeret, qui exercitui præirent, & Dei laudes præcinerent. In tertia Joel præcipit: Canite tuba in Sion; Sanctificate jejunium, vocate cœtum, ad avertendum diem tenebrarum atque caliginis, qui illis imminebat; & pro quarta, cum Dei Filius Jeroſolymam ingrederetur, multi straverunt veſtimenta ſua in via; & turbæ, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: *Salva nos Fili David*; & ſicut populus Iſrael in omne obſequium compoſitus devote ſequebatur arcam, quæ a Sacerdotibus geſtabatur; ſimiliter in Supplicationibus circumfertur Sanctiſſima Euchariſtia, cujus figura erat Arca; Reliquiæ Sanctorum, & Signum Crucis. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Num. 10.

2. Paral. 20.

Joel. 2.

Math. 21.

Teſtimonia Patrum de uſu Supplicationũ.

Tertullianus probat Supplicationum uſum originem ſuam ex primitiva Eccleſia ſumpſiſſe; & conſequenter ex puriſſima antiquitate; & Sanctus Hieronymus ſcribens ad Euſtochium: nunquam deerit tibi occaſio Inſtructum Supplicantium ordinem proſequendi, niſi deſueris, ubicumque id neceſſitas poſtulet. Sanctus Auguſtinus ipſe ſupplicantium agmen ſequebatur juxta id quod ſcribit lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. & alibi etiam oſtendit Reliquiarum Lipſanothecam in Supplicationibus ab Epiſcopis, vel a Sacerdotibus eſſe geſtandam. Theodorus Lector libro primo Excerptorum narrat quomodo Marcianus Imperator pedibus ſubſequebatur agmen Supplicantium cum Epiſcopo Anatolio, & Populo, liberaliter opes erogans in pauperes. Narrat Sozomenus, quomodo Sacræ Martyris Meletii exuviæ, inſtructo ſupplicantium ordine cum ſuavi concentu delatæ fuerint Antiochiam uſque. Hoc ipſum reſtatur Socrates in Translatione ex Daphne Antiochiam Reliquiarum Sancti Martyris Babylæ: utroque Auctore teſtante, quod Sancti Joannis Chryſoſtomi juſſu, in Supplicationibus argenteæ Cruces inter duo luminaria deferebantur. Juſtinianus Imperator in Authentica 123. c. 31. mortis pœnam inflixit in eos, qui divinum perturbant Miniſterium, ac Supplicationes, & cap. 32. cavet, ne Litaniæ, vel publicæ Preces recitentur, niſi Epiſcopus, vel Clerus adſit; vult quoque ut Signum Crucis reverenter geſtetur, & in honeſto loco collocetur. *Idem.*

De Supplicationibus, et de iis præſertim quæ fiunt ante Miſſam.

Supplicationum nomine hic intelligimus agmen a Clero, populoque inſtitutum cum precibus pro religioſo aliquo fine, præeunte Cruce: tamquam in Eccleſia. Vetus Teſtamentum paſſim loquitur de Supplicationibus inſtitutis ad transferendam de loco in locum Arcam; & ex quo Eccleſia pacem aſſecuta eſt, plurimæ inſtitutæ ſunt Supplicationes ad Martyrum ſepulcra, ad reliquias eorum transferendas ad deducendos fideles omnes ſimul jejunii diebus ad locos ſtationum, ibique peculiares gratias deprecandas. Omnium harum Supplicationum origo patet; ſed ubique ferme memoria periit, qua de cauſſa Dominicis diebus ante Miſſam fiat Supplicatio. Hæc duplicem habet originem, quia primum inſtituta fuit in honorem JESU CHRISTI reſurgentis, qui de Jeruſalem in Galilæam profectus eſt. Secundo vero ad aſpergenda loca Eccleſiæ finitima. *Liber, cui titulus: Cæremoniæ Miſſæ per Patrem le Brun Oratorii Presbyterum.*

Ratio vetus habendarum Supplicationum, & quare fierent.

In Regula S. Cæſarii Arelatenſis videmus, ſæculo ſexto, & in aliis pluribus Cœnobitarum, & Canonicorum Regulis, atque apud Rupertum; Dominicis diebus Supplicantium more Fideles ire conſueviſſe ad Oratoria, vel Sacella particularia. Supplicatio hæc ſub finem Matutinarum precum fieri conſueverat, & dum illuceſceret dies ad imitationem Sanctarum Mulierum, quæ ſummo mane ſe contulerunt ad ſepulcrum, & Diſcipulos, quibus Angeli verbis dixerunt, JESUM CHRISTUM illos præceſſiſſe in Galilæam, ibique eum viſuros, quemadmodum ipſe illis futurum prædixerat. Hinc factum eſt ſecundum Ruperti Abbatis animadverſionem his Supplicationibus mane ſummo Præſules, & Superiores præcedere conſueviſſe, ut repræſentarent JESUM CHRISTUM, qui præceſſerat Diſcipulos. *Idem.*

Origo Supplicationum & diverſarum ſpecierum earumdem.

Vetuſtiſſima eſt Supplicationum cæremonia, eamque in Eccleſia conſtitutam videmus ſtatim poſtquam primæ perſecutiones ceſſarunt ſæculo quarto, earumque in lege veteri occurrunt veſtigia. Translatio Arcæ de Cariathiarim in Domum Obededom; & inde in Civitatem Hebron, de quo ſermo eſt 2. Regum, vere erat Supplicatio. Antiochiæ ſollemnis inſtituta fuit Supplicatio ad deferendas Sancti Martyris Babylæ reliquias, cum Julianus Apoſtata dominaretur. Supplicatio, quæ Mediolani inſtituta fuit ſub S. Ambroſio ad transferendas Sanctorum Gervaſii, & Protaſii reliquias, non eſt minus inſignis. In Supplicatione ampliſſimum accidit Miraculum in perſona Cæci Nati, qui ex horum lypſanorum tactu oculorum aciem obtinuit. Hæc Supplicatio, & hoc miraculum relata fuerunt a Sanctis Ambroſio, & Auguſtino duobus teſtibus ocularibus, omni exceptione majoribus. Afferri poſſent alia complura ſimilium Supplicationum exempla ex prima antiquitate deprompta. *Auctor recens.*

Quibus rationibus acta Eccleſiæ Supplicationes inſtituerit.

Plures ſunt cauſſæ, quæ Supplicationibus locum dedere. Videlicet 1. Cum reperiebantur Sanctorum Martyrum reliquiæ, quæ dum perſecutio ſæviret abſconditæ fuerant: magna cum cæremonia conquirebantur: & adducebantur in Eccleſiam triumphali pompa, ab iis, qui Pſalmos, & Cantica modulabantur. Hoc ipſum fiebat, cum ratio aliqua expoſceret, ut lypſana de loco in locum transferentur. 2. Cum Epiſcopus ſollemniter Sacris operaturus eſſet, Sacerdotes cum illo operaturi, omnes Diaconi, & Subdiaconi, verbo, Clerus univerſus agmine facto illum adibant, & ritu Supplicationis eum deducebant in Templum Pſalmos concinentes. 3. Sæpe fiebat, ut Epiſcopi ſollemniter celebraturi ſe ſe conferrent in alia templa præter Eccleſiam Cathedralem: Tunc enim ex Cathedrali toto concomitante Clero, populoque, Supplicationum ritu ordinatim procedebant canentes Pſalmos, aliaſque preces, & proficiſcebantur ad Templum Stationis ibi ſimul omnes Miſſam, vel officium divinum celebraturi; & inde ad Cathedralem Eccleſiam ſupplicantium more revertebantur. 4. In publicis neceſſitatibus extra ordinem preces fiebant; peregrinationem obibant ad Sanctorum Martyrum ſepulcra, alioſve locos, quibus Deus dederat ſigna ſuæ protectionis, atque potentiæ; quo ſupplicantium ritu ſeſe conferebant, & revertebantur Pſalmos canentes. Hæ Supplicationes *litaniæ* etiam vocabantur; & hoc nomine hodie vocantur ipſæ etiam Supplicationes, unde profectum eſt nomen Litaniarum Sanctorum, quo vocantur preces, quæ jamptidem cantantur ab iis, qui de hujuſmodi Supplicationum genere revertuntur. 5. Cum Epiſcopus, vel Princeps, vel inſignis aliquis Vir primum in urbem adveniret, illi obviam occurrebatur cum Cruce, & honoris cauſſa Supplicationum ritu in Eccleſiam deducebatur cum lætitiæ canticis, quod hodierna etiam die aliquando accidit. Denique in obitu fidelium ſemper conſuevit Eccleſia in Templum concomitari canendo Pſalmos defuncti corpus ad exequias ibi celebrandas, & inde ad locum ſepulcri. Hæc prima eſt Supplicationum origo, & cauſſa. Exinde Supplicationes inſtitutæ ſunt, quibus non alia erat cauſſa, niſi diſcedendi ex aliquo ſancto loco, ubi omnes conveniunt, ut preces canendo nulla alicubi mora facta in idipſum reditus fiat. Sed conſuetudo nullibi immorandi neque vetus eſt, neque univerſalis. Pariſiis, & in aliis Eccleſiis, nulla fit ſine Statione Supplicatio. *Auctor recens.*

Cur fiant Supplicationes per agros, urbes, & domos.

Cum præcipit Eccleſia, ut fiant Supplicationes per arva, aut Civitates, hoc fit ad deprecandum Dominum ut benedicat terræ frugibus, domibus, ante quas fit tranſitus, & hominibus illic inhabitantibus. Hac ipſa de cauſſa quovis Dominico die fit Supplicatio ante Miſſam circum Eccleſiam, vel Parœciam; & in Monaſteriis circum Clauſtra. Ita incipit Eccleſia fundens preces celebratura Sancta Myſteria, ut qui in illis domibus habitant in pace, ibi ſub JESU CHRISTI protectione quieſcant, nequaquam obnoxii dæmonum improbitati. Ad compendium divini cultus, Dominicis, feſtiſque diebus ſupplicatio fit in Templo, quin fiat per fines Parœciæ. Pluribus in Diœceſibus diebus inſignioribus, quibus Dei cultus majori cum ſollemnitate peragitur, non circum Templum, ſed Parochiam Supplicatio ante Miſſam peragitur. *Idem.*

Cur aliquando præter ordinem fiant Supplicationes.

Facilis eſt conjectura, cur Epiſcopi præcipiant, ut præter ordinem fiant Supplicationes in publicis neceſſitatibus; ita enim populos excitant ad mulcendam Dei iracundiam modis omnibus quibuſcumque mulceri poteſt. Ad id indicunt jejunia, inſuetas preces, hortantur ad eleemoſynas erogandas, jubent Sanctiſſimum exponi Sacramentum, ipſi etiam cum populo ſupplicantium accedunt ea in loca, ubi Deus olim edidit ſigna ſuæ protectionis, & quin jubeant remotas peregrinationes, ſatius putant indicere Supplicationes per oppida, & arva, ut per Eccleſiæ preces Dei benedictiones promereantur ſuper locos, per quos fit tranſitus, & ſuper fideles illic inhabitantes. Pluribus in locis ſollemnis fit Supplicatio die Dominicæ Aſcenſionis ad repræſentandum triumphum JESU CHRISTI in Cælum ingredientis; & eadem de cauſſa die Aſſumptionis Sanctiſſimæ Virginis, necnon Sollemnioribus Sanctorum Feſtivitatibus. In Gallia Supplicatio Aſſumptionis una eſt ex anni totius celeberrimis; nam quotannis recolitur memo-

ria

Digitized by Google

gia voti Ludovici XIII. qui ut Regnum ſuum ſub protectione Sanctæ Virginis collocaret, imperavit, ut in univerſa ditione ſua hæc Supplicatio inſtitueretur. Aſcenſionis Supplicationem præcedunt tres Rogationum Supplicationes pœnitentiæ; Ut intelligamus, quod participes futuros Triumphi JESU CHRISTI in Cælo, opus eſse ſocios fuiſse ejuſdem paſſionum, ac laborum in terra; ibique vitam duxiſse tamquam peregrinos viatores in exercitationibus pœnitentiæ. *Auctor recens.*

Ordo Supplicationum, & precum, quæ in illis fiunt.

In Supplicationibus defertur Crux ſublata, & vexillum, in quo picta eſt imago Patronorum Eccleſiæ, ad oſtendendum Fideles incedere ſub Crucis vexillo, & ſub protectione Sanctorum Parœciæ ſuæ Patronorum. Populus Clerum ſubſequitur; quippe populi eſt ſequi Paſtorem, & ſicuti honoratior Populi locus eſt propior Paſtori, dignitates e populo Clerum ſequuntur. Verum cum hic Supplicationum ordo ſit arbitrarius, non eſt ubique uniformis. Quod autem in Supplicationibus ſervandum eſt: 1. Aſsequi oportet Spiritum cujuslibet Supplicationis, &c. meminiſse Deum adorari velle in ſpiritu, & veritate; Judaicum enim eſt, non autem Chriſtianum litteræ inhærere, & externo cortici cæremoniarum Religionis, quin ſpiritus penetretur. 2. Ordinatim procedere, & cum modeſtia, non feſtinanter, ſingulos in gradu ſuo; & mulieres, quantum fieri poteſt ſeorſim a viris. 3. Supplicationum tempore ſeſe colligere, non huc, & illuc oculos circumferre, neque citra neceſſitatem cum aliquo verba miſcere. 4. Si fieri poteſt ad extremum uſque ſequi Supplicantium agmen. 5. Comitari preces, quæ Chorus canit; eaſdem canere, vel recitare ſive egredientes de Eccleſia, ſive iter agentes, ſeu redeuntes; quæ preces ſi ignorantur; operæ pretium eſt illas ſubſequi corde; & privatim orare. 6. Ubi ventum fuerit ad Stationis locum, ſe ſe conjungere cum Eccleſiæ precibus, evitare abuſum eorum, qui hoc orationis tempore, qui præcipuus eſt Supplicationum finis, de Templo egrediuntur, & in cauponas ingrediuntur ad bibendum, & manducandum, vel alteri cuipiam rei præter quam Supplicationi vacandum, niſi dum egreditur agmen domum reverſurum; qui quidem abuſus ex irreligione, vel ignorantia proficiſcitur. *Idem.*

DE USU AQUÆ BENEDICTÆ.

Qua utitur in omnibus fere Cæremoniis Eccleſia.

De benedictione Aquæ & uſu aquæ benedictæ.

USus Aquam benedicendi in Eccleſia vetuſtiſſimus eſt; illum enim ab Apoſtolica accepimus traditione. Uſus quoque benedicendi Aquam cum Sale, ex qua Dominicis diebus fit aſpeſio ſuper populum, antiquiſſimus eſt in Eccleſia, ejuſque principium nos latet. Baronius in annum 232. JESU CHRISTI probat hanc conſuetudinem eſſe Traditionis Apoſtolicæ. Quomodocumque ſit, hic uſus eſt primæ antiquitatis. Aqua benedicitur, ut per virtutem precum, quas illam benedicens fundit Eccleſia, fugentur dæmones, eiſque auferatur poteſtas in ea, quæcumque hæc aqua tetigerit; ſed ibi ſpiritus ſanctus inhabitet per gratiam ſuam: hoc a Deo petit Eccleſia in Orationibus, quibus utitur ad aquam benedicendam. Admiſcetur Sal benedictum Aquæ benedictæ; Sal enim ſymbolum eſt prudentiæ, & ſapientiæ, quemadmodum JESUS CHRISTUS inquit, Aqua vero ſymbolum eſt candoris, & puritatis. Eccleſia ergo utrumque commiſcet a Deo petitura, ut quicumque hac aqua fuerint abluti purificentur a Spiritu ſancto, qui in illis producat ſimplicitatem, puritatem Columbæ, & Serpentis prudentiam. Fit autem hæc benedictio quilibet Dominica, ut fideles, qui hac die in Eccleſiam conveniunt, poſſint ex Aqua hac deferre ſinguli domum ſuam. Aquæ diſperſio fit primum ſuper Altare antequam ſuper populum fiat, ad orandum Deum, ne patiatur, dæmones accedere ad hoc Altare perturbaturus ſuggeſtionibus ſuis Miniſtros Domini: ſed ut ibi adſit Spiritus ſanctus ad recipiendas, & benedicendas fidelium oblationes. Fit Aquæ adſperſio ſuper populum ante Miſſam ad illum purificandum, & obtinendum a Deo per hanc adſperſionem, ne dæmones aliquem ex fidelibus turbent, dum Sanctum peragitur Sacrificium; ſed illis adſit Spiritus ſanctus, eoſque ſua gratia communiat. *Auctor recens.*

Cur Eccleſia in plerique cæremoniis utatur Aqua benedicta.

Dum peragitur Aquæ benedictæ aſperſio, canitur Pſalmus *Miſerere*; in hoc enim Pſalmo David Deum precatur, ut ſibi gratiam, & miſericordiam concedat abluendi, & emundandi a peccatis ſuis; & populus hoc ipſum a Deo petit, dum Aqua benedicta adſpergitur. Aqua benedicta collocatur etiam ad Templorum introitum, ut fideles ex hac *Aqua* ſumentes a Deo petere valeant gratiam, ut a peccatis ſuis expientur, & ut preces ſuæ puriores, & magis efficaces efficiantur. Hic autem uſus vetuſtiſſimus *eſt*; antiquitus enim erant præ foribus Templorum fontes, vel aquæ receptacula, ut populus antequam ingrederetur, poſſet manus lavare, atque os, eo quod in manus vola recipiebant Sanctam Euchariſtiam, quam ipſi ſibi in os ingerebant. Eccleſia Aquam hanc benedicebat; ſemper enim omnia, quibus utitur, benedicere conſuevit. Hinc uſus profectus eſt collocandi vas aqua benedicta plenum ad Templorum ingreſſum. Optimum enim eſt ex illa ſumere cubitum euntes, & inde aſſurgentes, ante initium precum, cum tentamur; cum aliqua inſtat procella; & ex illa facere adſperſiones ſuper ægros, & mortuos, ac ſuper locos, ubi metuitur dæmonum nequitia; ſed illæ faciendæ ſunt cum fidei ſpiritu, & contritionis. *Fidei*, quia hæc Aqua nihil operatur per ſe citra fidem utentis, conjunctam cum Eccleſiæ precibus; *cum ſpiritu contritionis*; etenim ad obtinendam, ſemet abluendo cum hæc Aqua gratiam purificationis a peccatis ſuis, dolorem habere opus eſt; Deus enim nunquam dimittit peccata iis, qui pœnitentia affecti non ſunt. Projicitur etiam aqua benedicta ſuper corpora Mortuorum, ſuper ſepulcra, & cœmeteria, ad obtinendum a Deo, ut in gratiam precum, quas ſuper hanc Aquam effudit Eccleſia, concedere dignetur, citius quam fieri poſſit, purgationem animabus fidelium, qui in pace requieſcunt, & ſolatium a pœnis; quas patiuntur, eaſque repleat præſentia ſpiritus ſui. *Auctor recens.*

Quid antiquitus faceret Eccleſia, cum aquam benediceret.

Antiquitus in Eccleſia duæ fiebant benedictiones Aquæ per annum. Altera quidem in pervigilio, ac die Epiphaniæ, quæ Major vocabatur; altera vero Kalendis cujuslibet menſis, & præterea die Septembris decima quarta, quæ Minor dicebatur. Benedictio prima fiebat in memoriam Baptiſmi Domini Noſtri, & quia ille hac die Aquas ſanctificaverat. Altera autem fiebat ad radicitus convellendas quaſdam Gentilium ſuperſtitiones, quæ Kalendis ſingulorum menſium fieri conſueverunt etiam inter Chriſtianos. Aquæ benedictæ Cæremonia fiebat in Epiphaniæ pervigilio, ad aſpergenda domos, & populum, necnon ad potum hominum vulgo; immo etiam ad potum pœnitentium, quibus ad Sacram Synaxim non licebat accedere; non ſecus ac ad dæmones eliminandos, & adminiſtrandum Sacramenti Baptiſmum, qui ea die ſollemni cum pompa conferebatur. Quod ſpectat ad Aquam, quæ die decima quarta Septembris benedicebatur, nonnulli crediderunt, hoc fieri conſueviſſe propter feſtum diem Sanctæ Crucis; quia in hac benedictione ter immergebatur in aqua Crux repleta lypſanis *Sanctorum*, cum qua populus benedicebatur, & quæ ſingulis deoſculandi porrigebatur. Græci multo honore proſequebatur Aquam Benedictam, & Imperator ipſe recipiebat illam in fronte, & in oculis ſumma cum humilitate, ac devotione. Aqua hæc nonnunquam ad triennium uſque ſervabatur pura, & incorrupta perinde ac recens de fonte fuiſſet hauſta. *Idem.*

Cur fieri Aquæ benedictæ adſperſio ſuper agros, domos, & perſonas.

Optima eſt conſuetudo adſpergere Aqua benedicta fructus; & agros ad evertendas calamitates, & quidquid nocere poteſt, dummodo fiat per Eccleſiæ auctoritatem cum precibus ejus, & ſine ſuperſtitione. Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus Paſtoribus Diœceſis ſuæ præcipiebat, ut ſingulis Dominicis tantum Aquæ benediceret, quantum ſufficere poſſet pro Eccleſia, pro domibus, & ad arva adſpergenda, & animalia, & ipſas quoque dapes. Optima quoque eſt itinerantium praxia, aquam ſecum deferre; quod admodum prodeſt illis, præſertim cum periculoſa ingrediuntur itinera; veluti mari, militiæ, & in locos longo diſſitos intervallo. S. Germanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus mari tempeſtatem ſedavit Aquæ hujus adſperſione. Imperator Leo præcepit, ut antequam militea in aciem deſcenderent, exercitus totus hac luſtrali Aqua conſpergeretur. Narrat hiſtoria, Robertum Galliæ Regem imperaſſe, ut quocumque ſe conferret, Aqua hæc ſecum afferretur. Sancta Tereſia hac ſæpe ſe irrigans peculiari lætitia perfundebatur. Sacerdotes inferioris Æthiopiæ in æreo vaſculo ſecum deferunt Aquam benedictam petentibus adminiſtrandam, & ad epulas omnes in cœna adſpergendas. *Auctor recens.*

Quinam ſint effectus Aquæ benedictæ.

Aqua Benedicta effectus hebet admirabiles, qui ſe ſe ad animam, & corpus extendunt; animæ quidem confert gratiam actualem; quæ nos diſponit ad contritionem, qua venialia peccata delentur; præparat illam ad devotionem, & guſtum illi tribuit pro rebus ſpiritualibus: attrahit gratiam, & opem Spiritus ſancti; & magnam parit in anima pacem, & tranquillitatem; in corpore vero omnia deſtruit veneficia, incantamenta, alia-

quæ dæmonum ad nocendum inventa. Curat morbos, & ab aliis corporeis incommodis præſeevat. Auget frugum copiam, ac terræ ſterilitati medetur. Arcet fulmina, ac tempeſtates a locis, hominibus, & pecoribus. Hiſtoriæ teſtantur plures effectus admirabiles, quos Aqua benedicta operata eſt; in vita S. Eligii, legimus ipſum quinquaginta Energumenos liberaſſe, illos hac aſpergens Aqua. Palladius in hiſtoria ſua narrat S. Macharium diſſipaſſe cum eadem Aqua dæmonum præſtigia. In vita S. Bernardi legimus ipſum plures energumenos liberaſſe, & hoc medio pluribus ægrotantibus valetudinem reddidiſſe. Antiquitus ægris propinabatur ad ſalutem reparandam. Aqua hæc virtutem ſuam mutuatur a precibus, & benedictionibus Eccleſiæ, & ab internis diſpoſitionibus dantium, ac recipientium illam. *Idem*.

Abuſus Aquæ benedictæ, qui inter Chriſtianos accidunt.

Plures accidunt inter Chriſtianos abuſus Aquæ benedictæ. Primus eorum eſt, qui per habitum illam recipiunt, ſine ulla conſideratione, & pietate. Alter eorum eſt, qui ſine ulla eeverentia illam ſumunt cum chirothecis, & quin illa capiti imponant, ſua irrorant veſtimenta; quod fieri non poteſt ſine ignorantia, & Religionis contemptu, & quod longiſſime abeſt a pietate Imperatoris Græcorum, qui illam in fronte, oculiſque ſumebat: Tertius eorum eſt, qui communem non habentes Aquam, unde manus abluant, benedicta Eccleſiæ Aqua ad effectum hunc abutuntur. Non deſunt longe plurimi abuſua vulgo ſatis cogniti, quos ſuggerit Sathanas, qui jugitee pravos uſus ſtudet invehere in iis etiam rebus, quibus quotidie utitur Deus ad oſtendendos effectus poteſtatis ſuæ & auctoritatis Eccleſiæ ſuæ. *Idem*.

DE CÆREMONIA PALMARUM

Quæ celebris eſt in Eccleſia.

Origo, & cæremonia Palmarum, quam Eccleſia magnifice celebrat.

EX omnibus Cæremoniis, quibus per annum utitur Eccleſia, nulla ſollemnior eſt, quam Palmarum; & nulla fortaſſe, in qua Religio fulgidius eniteſcat, & fidelium fides magis eluceat. Credidit Eccleſia ſibi peculiari obſequio colendum eſſe triumphalem JESU CHRISTI ingreſſum in Jeruſalem quinque diebus antequam pateretur: quippe illi perſuaſum fuit, hoc nequaquam Myſterio caruiſſe. Itaque ſtatim ac vidit Eccleſia ſe nactam libertatem per converſionem Impeeatorum JESU CHRISTI fidem, hanc inſtituit Sollemnitatem. Cæremonia Palmarum, vel Ramorum benedictorum, cum quibus ingredientem concomitatue Eccleſia, non fuit niſi Symbolum interiorum diſpoſitionum, cum quibus Fideles illam celebrare tenentur, & æquiſſima repræſentatio triumphalis introitus, quo Salvator ingreſſus eſt in Jeruſalem, & quem Sancti Patres reſpiciunt tamquam figuram triumphalis ingreſſus in Cæleſtem Jeruſalem.

Benedictio Palmarum, & Ramorum, publica Supplicatio, in qua palmæ illæ geſtantur, ſemper ita ſollemnes fuerunt in Eccleſia, ut Solitarii, & Religioſi, qui in deſerta ſecedebant loca poſt Epiphaniam ut ſeſe magnæ Paſchatis Feſtivitati ſeſe præpararent procul ab omni hominum conſuetudine, ad Monaſteria quilibet ſua reverterentur, ut Palmarum celebritatem cum fratribus ſuis celebrarent, & poſtquam cum palmis Supplicationi interfuiſſent, iterum in Solitudinem ſeſe reciperent Majorem ibi traducturi hebdomadam in pœnitentia, & Myſteriorum Dominicæ Paſſionis meditatione. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo* 2.

Quænam fuerit Eccleſiæ in hujus diei cæremonia.

Facile eſt videre quænam fuerit Eccleſiæ cauſſa in hujus cæremoniæ inſtitutione; & quid illa ſibi propoſuerit. Honorare vult triumphalem ingreſſum JESU CHRISTI in Jeruſalem inter populi plauſus, & acclamationes. Vult cultu vere religioſo, & ſincero omnium Chriſtianorum cordium obſequio, ſupplere, ut ita dicam, illi, quod deerat triumpho mere exteriori, quem paucos poſt dies excepit teterrima, & contumelioſiſſima perfidia. Cum hoc ſpiritu Religionis circumferendæ ſunt hæ Palmæ, & univerſæ huic cæremoniæ adſiſtendum eſt ſecundum Eccleſiæ intentionem. Eadem hora, qua clamabant: *Hoſanna filio David*; Salus, gloria, & benedictio Filio David, qui venit in Nomine Domini; Regi Iſrael, Meſſiæ; poſt diem quintum clamabant; *Tolle, tolle, crucifige eum*. Tamquam ſceleſtus crucifigatur; ſuffigatur Cruci, perinde ac mortalium omnium nequiſſimus. Ad crudelem hanc impietatem eeparandam, jubet Eccleſia, ut filii ſui triumphali more Divinum Salvatorem recipiant, & reparent quodammodo, ſuperficialem hanc, & hiſtrionicam perfidorum Judæorum receptionem. *Idem*.

Preces quibus Eccleſia hanc comitatur cæremoniam.

Nihil æquiorem nobis adſtruit conceptum Sanctitatis religioſæ hujus Palmarum cæremoniæ, quam preces, quibus utitur Eccleſia ad illas benedicendas. Initium facit a lætitiæ ſignificatione & populi plaudeotis acclamatione, qui manu palmas, & oleaginos geſtans ramos Jeroſolyma effuſi obviam occurrerant Salvatori, ut honorarent ejus ingreſſum in eam Metropolim dicentes; *Hoſanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*; *O Rex Iſrael! Hoſanna in excelſis*. Vivat Filius David! Salus, & gloria Regis Iſrael: Benedictus qui venit in Nomine Domini hoſanna in Altiſſimis! Eccleſia mox preces fundit, quæ nobis adſtruunt ideam perfectiſſimam Sanctitatis hujus Cæremoniæ. In orationibus omnibua, quas Eccleſia Domino tribuit, invenitur ratio, & finis hujus Inſtitutionis, & quo animi affectu intereſſe debeamus Cæremoniæ Palmarum, quas Fideles ſemper devote ſervarunt quovis tempoee in domibus ſuis, rati illas ſibi ſalutares futuras. Laudes quas in his preeibus benedictionis tribuit populo Judæorum occurrentium Salvatori reſpiciunt ſanctos affectus, & veros reveeentiæ, ac venerationis ſenſus, quos vere fovebat populus, qui Salvatorem tamquam Meſſiam intuebatur: & ſi poſt aliquot dies eorum æſtimatio, & veneratio immutata eſt in furorem, atque contemptum hoc referendum fuit acceptum impietati, & nequitiæ Sacerdotum, & Phariſæorum, qui illis os ſublevaverunt, & ſimularunt ſe tandem detexiſſe, illum, quem bona fide ipſi receperant tamquam Meſſiam divinitus promiſſum inſignem eſſe nebulonem, qui eos fictis miraculis in erreorem induxerat. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo* 3.

Ad quid reſpiciat ista palmarum cæremonia, & quid repræſentet.

Quantumvis celeberrimus fuerit Feſtus Palmarum, Ramorumve dies primis Eccleſiæ ſæculis, operæ pretium viſum eſt univerſam hanc Cæremoniam ad benedictionem, ſollemnemque Supplicationem redigere, quæ repræſentat triumphalem JESU CHRISTI introitum in Jeruſalem æque ac triumphalem ejus ingreſſum in habitaculum gloriæ ſuæ. Hanc Supplicatio fit extra Eccleſiam, quæ clauditur non ſine myſterio, & quæ non aperitur niſi cum illa revertitur, & cum Subdiaconus ad oſtium pulſavit cum baculo Crucis. Hoc nobis in mentem eevocat Cælum clauſum hominibus fuiſſe, & JESUM CHRISTUM illius aditum nobis reſeraviſſe, & nobis ingreſſum per ſuam in Cruce mortem promeruiſſe. Benedictio, & diſtributio Palmarum fit extra civitatem in pluribus locis; ideoque videntue Cruces prope pagos, & vicos, & menſæ lapideæ, ſuper quas rami benedicuntur, & inde Supplicantium agmen in Templum procedit. *Pater Croiſet ibidem Tomo* 3.

Antiquitus geſtabatur liber Evangeliorum in palmarum ſupplicatione.

Antiquitus peracta palmarum diſtributione in populo, cum initium Supplicationis immineret; duo Diaconi geſtabant librum Evangeliorum, uti geſtari ſolent lipſanothecæ ſuper humeros magna cereorum vi circumſeptæ non ſine jugi thuris ſuffitu, præeunte Clero, ac ſubſequente populo manibus palmas, ramoſque præferente. Hæc omnia Cruces concomitabantur, vexilla majora, & minora, & quidquid augere, & condecorare poterat hanc imaginem triumphi JESU CHRISTI. Alicubi loco libri Evangeliorum deferebatur triumphali more Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ea mente, ut realis JESU CHRISTI præſentia ſub ſymbolis panis melius repræſentaret, quod contingit in ejuſdem ingreſſu in Jeruſalem, & majorem efficeret impreſſionem in populo, quam eepræſentatio Spiritus ejuſdem ſub littera Evangelii. Lanfrancus Cantuariæ Archiepiſcopus ſæculi undecimi ait, Sanctiſſimum Sacramentum in hac ſupplicatione deferri conſueviſſe clauſum in capſa in tumuli formam facta. Hæc obſolevit conſuetudo ubique, præter quam Rotomagi, ubi Ciborium adhuc defertue in arca ſuper humeros duorum Sacerdotum in palmarum Supplicatione. *Idem*.

Origo cæremoniæ Palmarum.

Cum JESUS CHRISTUS cœnaſſet Bethaniæ ſexta die ante Paſcha apud Simonem leproſum, ubi aderat Lazarus eecens a mortuis ſuſcitatus, & ubi Soror ejus Maria pretioſum unguentum effuderat, craſtina die egreſſus eſt, ut ſeſe Jeroſolymam conferret Sacrificium ſuum conſummatueus: Cumque perveniſſet Bethphage, quæ erat ad radices Montis Olivarum præcepit duobua ex diſcipulis ſuis, ut in urbem ingrederentur; & illinc affereent ad ſe aſinam januæ alligatam cum pullo ſuo; imperans ut ſi quid quis illis diceret, reſponderent, Dominum illis indigere. Prædictionem probavit eventus; & tunc adimpletum eſt Zachariæ Prophetæ vaticinium, repræſententis Meſſiam ingredientem in Regni ſui Metropolim inter plauſus & acclamationes civium Jeruſalem. *Dicite filia Sion*; videlicet civitati Jeruſalem, cujus mons Sion para erat. Hebræi crebro civitatibus nomen tribuunt Filiæ; *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſuper aſinam, &*

pullum

pullum ſubjugalis. Dicite illi: Ecce Rex tuus venit ad te in ſpiritu lenitatis. Nulla unquam Prophetia apertius, & magis ad litteram adimpleta eſt, quam hæc in triumphali JESU CHRISTI ingreſſu Jeroſolymam. Propheta promittit adventum Regis Salvatoris Meſſiæ, qui tota erat Judæorum expectatio, & conſolatio. Characteres, quibus illum deſcribit, & qui iidem ſunt, ac illi, quibus Iſaias Propheta illum deſignat, Meſſiæ tantum conveniunt, & adeo perfecte in JESU CHRISTO inveniuntur, ut illum Judæi nunquam ignorare potuiſſent, niſi ſemet præbuiſſent indignos Cæleſti lumine, & gratiis neceſſariis ad divinum hunc liberatorem cognoſcendum, ac diligendum. Sed nulla cæcitas incurabilior, quam quæ eſt voluntaria. Pauci Sacerdotes, pauci Legis Doctores non agnoverunt in JESU CHRISTO notas, quæ Meſſiæ veros characteres indigitabant; ſed illum de medio tollere decreverunt, ut ſeſe a conſcientiæ ſtimulis nimium importunis liberarent. *Idem*.

Apoſtoli Domino paruerunt, ut celebrarent illius ingreſſum in Jeruſalem.

Via paruerunt præcipienti Domino Apoſtoli, cum certatum eſt, quiſnam plus conferret pompæ, & lætitiæ ejuſdem ingreſſus in Jeruſalem. Diſcipuli aliis præluxerunt exemplo; adduxerunt aſinam cum pullo ejus, cumque utrumque palliis ſuis ſtraviſſent, illum deſuper ſedere fecerunt. Admirabilis populi multitudo, quam rumor adventus ſui omnes ex Urbe tota excitaverat ut illi occurreret, illum concomitabatur, tantumque Regi, & Salvatori ſuo teſtabatur affectum, ut plerique ſubſternerent ſecus viam tranſeunti ſua veſtimenta; plurimi de arboribus ramos abſcinderent, frondibuſque vias ſpargerent; & alii undequaque cum palmis ramiſque olivarum confluerent, & generatim clamarent: *Hoſanna* Filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis. *Hoſanna* ſignificat Gloria, ſalus, benedictio. Hoc quoddam erat Epinicium, & populi acclamatio, cupientis Meſſiæ fauſta omnia & proſpera. Verbum *Hoſanna* peculiarem habebat emphaſim in plauſibus, & acclamationibus; perinde ac ſi diceres: Vivat Rex. Salus ſit filio David; diuturna vita, & omnia bonorum genera Meſſiæ venienti in nomine Domini ad liberandum populum ſuum. *Hoſanna in Excelſis*, videlicet Spiritus Cæleſtes veſtras acclamationes, & vota cum noſtris conjungite ad precanda omnia felicitatis, & gloriæ genera Filio David, Regi Iſrael, Meſſiæ, Supremo Liberatori. *P. Croiſet. Tome 3.*

Lætitia, quam teſtatus eſt populus Jeruſalem Salvatore advenienti.

Nulla fuit unquam æquior, probatior, & licet etiam addere, magis ſincera lætitia ea, quam populus Jeruſalem teſtatus eſt hac die occurrens Salvatori advenienti; Percitus miraculis, quæ JESUS CHRISTUS in Judæa univerſa operabatur jam triennio, & quorum teſtes fuerant eorum plerique, qui plurimum huic triumpho conferebant. Non poterant dubitare, utrum, qui Jeroſolymam ingrediebatur eſſet Salvator ſuus, Redemptor, atque Meſſias. Hoc animati zelo, quem inſpirat veneratio, & adeo generoſum efficit amor, occurrunt illi, quem tot ſæcula expectabant, illum piis comitantur plauſibus, & votis, Vivat Meſſias, Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini: omnia pii hujus populi clamoribus reſultabant. Turba, viæ foliis, floribuſque ſtratæ; Rami palmarum, & Olivarum in manibus plaudentium oſtendunt admirationem, lætitiam effuſam in omnium corda, pictamque in vultibus omnium. Omnia conferebant ad hunc Salvatoris ingreſſum auguſtiorem, & religioſiorem efficiendum; hic vere fuit triumphalis Meſſiæ introitus in Jeruſalem, quidquid conetur invidia, odium, & improba obſtinatio Sacerdotum, & Phariſæorum, hoc fateri negantium. Salvator tamen ingreditur tamquam Meſſias; tota civitas in motu eſt, omnia triumphum ejus annuntiant; ſed hæc omnia erant neceſſaria, ut Prophetiæ adimplerentur. Salvator ſæpe alias venerat in Jeruſalem; ſemper vero ſine fulgore, ſine ſtrepitu, ac ulla obſequii erga ipſum ſignificatione. Hodie mutat conſilium, venit enim immolandus, venit perfecturus noſtræ Redemptionis opus; Sacrificium ſuum conſummaturus: ideoque tanta ingreditur cum ſollemnitate. Adducebatur veluti in triumphum victima immolanda; hæc una erat ex cauſſis triumphalis hujus introitus. Sed quam felices exitus ſperari non poterant ex tanta hac reverentiæ, ac gaudii ſignificatione? Nihilominus quam terribiles exciterunt hujus feſtivitatis effectus! Sacerdotes, Legis doctores, populus ipſe Jeruſalem ad furorem excitatus ex ea re, quæ parit lætitiam, conſolationem, atque confidentiam conveniunt; quippe advenæ ſolum, qui Jeruſalem venerant Paſchatis feſtivitatem celebraturi, obviam venerunt Salvatori, eumque tot acclamationibus exceperunt; cum illi qui Jeruſalem incolebant, & qui teſtes fuerant Sanctitatis, & miraculorum ejus participes eſſe noluerint ſeu propter metum, ſeu propter ſuperbiam, ſeu propter humanas rationes, triumphalis hujus lætitiæ: quod manifeſtum fuit præſagium vocationis alienigenarum, & Gentilium ad Fidem necnon funeſtæ Judæorum reprobationis. Ipſi etiam Jeroſolymorum incolæ ſexto poſt illum die clamaverunt *Tolle, tolle, crucifige eum*. O Deus! quanta momenti, & quam ſalutaria argumenta mihi non tribuis in hoc Myſterio! *Pater Croiſet; Tomo 3.*

J. C. per Communionem ingreſſum celebrat ſuum in Fideles.

Quod accidit in triumphali ingreſſu JESU CHRISTI in Jeruſalem, inſtauratur quotidie in ingreſſu, quem facit JESUS CHRISTUS per Euchariſtiæ Sacramentum in animam Fidelium. Divinus Salvator hic venit in nos in Communione tamquam Rex manſuetus. Quot illi occurrunt! Quæ Religionis ſpecies, quot etiam devotionis indicia! Quid ex adeo religioſo apparatu expectandum non eſſet? Quæ morum reformatio, quæ pietas, quæ vitæ regularitas? Heu! nonne etiam inter fideles accidit, quod hac die iter Judæos uſuvenit? JESUS CHRISTUS pro Meſſia excipitur, & eadem die traditur oblivioni, immo non amplius fere cognoſcitur. Meminit Evangelium, poſtquam eadem die triumphali more ingreſſus eſt in Jeruſalem; ita derelictum, deſertumque fuiſſe, ut ſub veſperam illi egrediendum fuerit, ut Bethaniæ ſibi domicilium inveniret. Nonne aliquid accidit ſimile eadem Communionis die? Quot ſunt qui ut ita dicam terminant cum ipſa Communione omnem devotionem ſuam, omnem fere Religionem, & gratitudinem. Sexta poſt hunc religioſum introitum die, quo contemptu, qua crudelitate, qua ignominia exceptus fuit divinus iſte Salvator? Numquid ſemper tandiu poſt Communionem differtur, Salvatorem afficere contumelia? Cœtus iſti mundani, ubi tanta eſt Evangelii erubeſcentia; concertationes iſtæ oblectamentorum, quæ adeo parum ſunt culpa vacuæ, hæc ſpectacula parum Chriſtiana; dicam melius, adeo profana, & pagana, omnes iſti loci, ubi dæmon reparat adeo facile damnum ex brevibus Religionis exercitationibus perceptum, diu ne deſerti ſunt? Ibine ſemper ex diebus ceſſatur, quin ille audiatur clamor contra JESUM CHRISTUM; *Tolle, tolle, crucifige eum?* Numeremus eos, qui perſeverant in innocentia: recenſeamus inſignes converſiones; noſmetipſos conſulamus; experientia noſtra perfecte de omnibus hujuſmodi factis erudire nos poteſt. *Idem*.

Circumſtantiæ triumphalis introitus J. C. in Jeruſalem, nobis referunt diſpoſitiones cum quibus illum recipere debeamus.

Satis eſt, cogitemus omnes circumſtantias cultus ejus, quo Diſcipuli Filium Dei recipiunt, ut ibi veras deprehendamus diſpoſitiones Chriſtiani, qui vult recipere JESUM CHRISTUM in Communione. Prima circumſtantia eſt; illos eſſe Diſcipulos, & amicos Salvatoris, qui per innocuam concertationem inter ſe diſputant quis eorum majori honore ipſum fuerint proſecuti: *Cœperunt omnes turba diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna*. Secunda eſt, quod *proceſſerunt obviam ei*. Tertia, quod ſe ſe illi obtulerunt cum ramis Palmarum, quod eſt ſymbolum pacis, atque victoriæ: *Acceperunt ramos palmarum*. Quarta eſt, quod exuerunt ſe veſtibus ſuis ad ornandam viam per quam erat tranſiturus: *Straverunt veſtimenta ſua in via*. Hæ autem quatuor circumſtantiæ nobis oſtendunt diſpoſitiones, quæ requiruntur, ut in Communione Filium Dei digne recipiamus. Et ut ſingula aſſequamur, primum dico, ut bona fiat communio, opus eſt ſaltem Diſcipulos eſſe, & amicos Filii Dei. JESU CHRISTI inimici non videntur in hac turba, quæ illius triumphum concomitatur; nullus ibi Scriba, nullus eſt Phariſæus; veri duntaxat diſcipuli certatim meritum illi tribuunt honorem; veſtrum igitur eſt, Auditores, videre, utrum ſitis ex numero diſcipulorum, & amicorum illius. Si peccatum vos ejus inimicos conſtituit; celerem, ſinceramque pœnitentiam agite, ut illum bene valeatis excipere.

Luc. 19.
Joann. 1.
Math. 1.

Secundum quod verus præſtare debet Chriſtianus, eſt obviam ire JESU CHRISTO: *Proceſſerunt obviam ei*; hoc eſt, peroptare debet ſancta feſtinatione recipere Deum ſuum, eumque poſſidere: ex toto corde, omnibuſque votis illi occurrere debet ad præferendam animi impatientiam, qua divina ejuſdem perfrui gaudet præſentia. Palmæ, & rami olivarum, quos geſtant Diſcipuli, nos docent, Dei Filium digne recipi non poſſe, niſi poſt relatā integram de peccato victoriam, & poſtquam cum Deo pacem adepti fuerimus. Satis eſſe non debet interpolatio, vel perfunctoria ceſſatio a peccato: hanc non voco victoriam de peccato relatam; hæc interpellatio quædam eſt, quam dæmon libenter concedit nequiſſimis etiam peccatoribus, ut eos arctius in peccatorum laqueis detineat. Sed victoria hæc ſita eſt in eo, ut in perpetuum abrenuntiemus peccato, & omnia infringamus vincula, quæ facile cor ipſum poſſent illaqueare. Opus eſt, ut Chriſtianus ſe in eum ſtatum adducat, ubi dicere poſſit cum Sponſa: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*: hoc eſt ſecundum S. Gregorii interpretationem, fructus veræ pœnitentiæ. Ubi obſervate Sponſam non dicere, ſe apprehenſuram flores, & frondes, ſed fructus. Heu! fortaſſe hactenus immorati ſumus colligentes flores, & folia palmarum in omnibus confeſſionibus noſtris; deteſtati ſumus aliquot actus peccati, ſed habitum illius non attigimus; mutata videtur ſpecies oris noſtri, non autem pars interior: folia collegimus; fructus vero non item. Adhuc in noſtra poteſtate eſt bonos hoſce fructus colligere; ne igitur occaſionem nobis elabi ſinamus, fructus hic quidem efficiet, ut aliquam guſtemus amaritudinem; ſed hanc gratia leniet. Denique Diſcipuli, ut cum honore Dei Filium exciperent ſuis ſe veſtibus exuerunt, ut ornarent viam per

quam

quam erat tranſiturus. Neceſſe non eſt latius verba facere in eam Ethicæ partem, quam hæc nobis exhibet cæremonis.

Longe plures ſuperſunt Cæremoniæ, quarum uſus eſt in Eccleſia, quas tamen miſſas facimus, & quæ non ſatis copiæ ſuppeditant ſermoni; cujuſmodi ſunt Altarium ornatus, Sacerdotum veſtes, ut a Laicis ſecernantur, Oblationes, & Collectæ, quæ fiunt in Parœciis, aliaque id genus, quamvis hæ omnes cæremoniæ Myſterio non vacent, atque inſtitutæ ſint ad repræſentandum factum, vel hiſtoriam ex Bibliis depromptam, vel aliquod officium, quod fideliter adimplere debeamus. Nequicquam pertimeſcemus hæreticorum irriſiones, & ad illis adimendam irriſionum, turpiumque facetiarum occaſionem, afferre conabimur cæremoniis ſpiritum Myſteriorum, quæ illis adnectere placuit Eccleſiæ; tandem enim quid noſtra Religio eſt, niſi Religio Myſteriorum, quæ Deus nobis oſtendit niſi ſub velamentis; ideoque cultus, quem Deo adhibemus per has exteriores cæremonias, ſemper habendus eſt, tamquam continens aliquod ſymbolum. Tamen immorandum eſt non in aliquibus peculiaribus cæremoniis, quæ occurrunt in particularibus quibuſdam Ritualibus, & quas aliquorum ſæculorum, vel ſpirituum ignorantia invehere potuit; quod non officit iis, quæ in Eccleſia univerſali ſpectantur. *Auctor recens.*

F I N I S.

32 2562.31

Digitized by Google